COLLEGII COMPLVTENSIS DISCALCEATORVM FRATRVM ORDINIS

B. Mariæ de Monte Carmeli.

DISPVTATIONES IN TRES LIBROS

Ariſtotelis de Anima.

IVXTA MIRAM ANGELICI DOCTORIS
D. Thomæ doctrinam & eius doctrinam.

EIDEM COMMVNI MAGISTRO, ET
Florentiſſimæ Scholæ dicatæ.







LVGDVNI,

Sumptibus IOANNIS - AMATI CANDY,
Tipographij Regij.

M. DC. LI.

TABVLA DISPVTATIONVM, ET QVÆSTIONVM

quæ in hoc quarto tomo continentur.

a ij

COLLEGII



COLLEGII COMPLVTENSIS FRATRVM DISCALCEAT. B. Mariæ de Monte Carmelo,

DISPVTATIONES IN TRES LIBROS Aristotelis de Anima,

Iuxta miram Angelici Doctoris D. Thom. & scholæ eius doctrinam.

Eidem communi Magistro, & florentissimæ Scholæ dicatæ.

PROOEMIVM.



POSTQVAM vniuersam Aristot. Logicam, nec non libros de Physica auscultatione, & de Generatione, & Corruptione, qua potuimus breuitate, & claritate explicuimus: ad ea, quæ in his tribus libris de Anima idem Philosophus tradit exponenda, oportet vt accedamus; ad quod quidem, non solùm eximia dignitas, & excellentia, qua scientia de Anima ob certitudinem demonstrandi, & rerum in quibus versatur nobilitatem, inter alias Philosophiæ partes præeminet; verum etiam maxima vtilitas, & ingentia commoda, quæ secum ipsa affert; fortiter nos alliciunt, trahuntque. Est enim scientia ista (pluribus aliis ex vberrimis fructibus, quos castissimo partu germinat relictis) tum ad Philosophiam Moralem, per quam vita probè instituitur, & moderatur: tum etiam ad primam Philosophiam, seu Metaphysicam: tum denique ad omnem, & quamcumque scientiam perfectè, & numeris omnibus absolutam comparandam apprimè, valdéque necessaria.

Ad Philosophiam Moralem quidem, vt sic omnia sigillatim comprehendamus. Nam vt Philosophorum Princeps, vltimo capite primi libri Ethicorum docet, sicuti Medici, qui remedia ad corpora medenda adhibent, vt rectè munus exequantur suum, corporum notitiæ maximam operam dant: ita, ac potiori titulo, Philosopho morali, qui sanandis animi morbis studet, quæ ad eiusdem animi scientiam quoquo modo pertinent, omnino nota esse debent. Et meritò sanè, si namque mentis suæ vim, & excellentiam attentè contemplatus fuerit, non dubitamus, quin facilè sibi persuadeat, non esse in his caducis, & terrenis rebus immorandum, sed sempiterna, & diuina, in quibus præcipuè veri, & legitimi Philosophi ornamenta consistunt, omni diligentia, & curam esse inquirenda.

Ad primam verò Philosophiam, seu Metaphysicam quatenus à mentibus nostris ad substantias spirituales à materia nudas, per analogiam quandam similitudinemque prouehimur, & humanus intellectus seipsum cognoscens à se ad diuidam naturam à qua originē duxit, reuocatur, & quidquid in se perfectionis, nobilitatis, & decoris inuenit, in Deo omniū perfectionum fonte, meliori nota omnique imperfectione sublata esse, priùs fuisse, semperque fore conspicit.

Ad omnem denique, & quamcumque scientiam; nam cum animus rationis, consiliique particeps (vt Trysmegistus in Asclepio docet) inter corpoream, & superiores, spiritualesque substantias, medium quoddam, imò (vt alij dixere) totius mundi summa sit, fit, vt in animi exacta cognitione, omnium rerum diuinarum, & humanarum notitia adunatè, & veluti in quodam compendio sit, eamque ad omnem aliam veritatis notitiam mirificè præparemur.

Ex quo etiam, quanta dignitas, quantusque decor huic scientiæ de Anima insit, satis apertè colligitur: in rebus enim per se honestis qualem notitiam, hanc esse in dubium verti non potest, adeò intimo nexu, maxima vtilitas cum grandi honestate, & excellentia coniungitur, vt neque eximia vtilitas, sine summa honestate, neque summa honestas, sine eximia vtilitate inueniri queat: grandis enim honestatis fœlia partus & charissimus filius vtilitas honesta est.

Neque hic sistimus, sed aliunde etiam, quantum hæc naturalis Philosophiæ nobilissima pars, aliis eiusdem partibus dignitate præstet venari curabimus, etenim quæ in his libris traduntur subtiliora multò sūt, & vt sic dicamus, plus spiritualitatis, quam alia de quibus in aliis Philosophiæ partibus sermo in

in te retinent. Vnde, quò magis à materia libera, & absoluta sunt, eò perfectionis sublimiorem gradum ascendentia aliis præeminent, haneque Philosophiæ partem in eorum contemplatione versantem, multò digniorem, & excellentiorem efficiant.

DISPVTATIO I.

PROOEMIALIS.

VNCTA ferè, quæ in hac disputatione dicenda erant constant ex his quæ in disputationibus proœmialibus logicæ, totius Philosophiæ, & librorum de Generat. necnon in libris posteriorum disput. 19. quæst. 4. & 5. latè diximus, & ideò vnicam tantummodo quæstionem, quæ his solum desiderate videtur, excitabimus.

QVÆSTIO VNICA.

Quod sit obiectum horum librorum.

1. NOmine obiecti horum librorum, non qualecumque: sed obiectum formale, seu rationem formalem *qua* in esse rei intelligimus: nam de hoc est specialis difficultas inter Philosophos: quæ autem sit ratio formalis, sub qua satis constat ex dictis disputatio. 1. Physicorum quæstione prima, sicut etiam in quo ratio formalis, *qua*, & sub *qua* in vnaquaque scientia distinguantur: quidve quæuis illarum importet, patet ex his quæ disput. 1. logicæ asseruimus.

PROPONITVR PRIOR SENTENTIA.

§. I.

2. PRima sententia affirmat, animam esse obiectum formale horum librorum. Ita Toletus in præsenti quæst. 4. Rubio quæst. 2. Proœmiali: plures alios referens, quamuis non sit certum, vt infrà dicemus, omnes illos prædictam sententiam tueri.

Probatur primò: authoritate Aristot. in Proœmio horum librorum, vbi inquit: *Quærimus autem contemplata, & cognoscere naturam ipsius (puta animæ) & substantiam postea quæcumque accidunt, circa ipsam.* Quare cùm obiectum alicuius operis sit illud, cuius natura contemplari quæritur, & deinde quæcumque accidunt circa ipsam: fit inde, vt iuxta mentem Arist. anima cuius natura, & ea, quæ circa ipsam accidunt, contemplari in hoc opere intenditur, sit illius obiectum.

Confirmatur: nam Aristot. opus hoc inscripsit de Anima, & in Proœmio explicans proprietates eius scientiæ, quæ in his libris continentur, semper appellat eam scientiam de Anima, vt quando dicit historiam de Anima esse aliis meliorem, & honorabiliorem, & cognitionem de Anima, multum conducere ad omnem veritatem: & cap. 1. lib. de sensu, & sensibili se iam egisse de Anima, secundùm se, & de ipsius virtutibus, scilicet in his libris, qui loquendi modi satis indicare videntur animam, iuxta sententiam eiusdem Aristot. esse obiectum horum librorum.

3. Secundò probatur ratione desumpta ex prædictis testimoniis: nam illud est obiectum alicuius tractatus, cuius diffinitio præcipuè in tali tractato traditur, cuiusque accidentia ab eo dimanantia, in illo demonstrantur: at in hoc tractatu diffinitio animæ secundùm se præcipuè intenditur, & traditur, eiusque passiones demonstrantur: ergo illa erit eius obiectum. Maior, & Minor consequentia videntur notæ. Minor verò quoad priorem partem, scilicet quoad definitionem probatur, tum quia Arist. post verba in præcedenti argumento relata, statim asserit se inuestigaturum propriam animæ diffinitionem: tum etiam, quia magna pars secundi libri, tam ab eodem Philosopho, quàm ab eius interpretibus in diffinitione animæ explicanda, & probanda consumitur; quoad secundam verò partem, scilicet quoad demonstrationem prædictorum accidentium. Eadem minor constat ex discursu totius operis, in quo potentiæ animæ vt sic, nec non, & cuiusuis animæ, nempè vegetatiuæ, sensitiuæ, & rationalis, quæ ab eis, vt à primo fonte, & radice dimanant, de eisdem demonstrantur.

Confirmatur: nam si loquamur de potentiis animæ rationalis, scilicet intellectu, & voluntate, conueniunt illi per prius quam homini, tam vt principio, *quo*, quàm vt principio *quod*, quandoquidem anima existit, & subsistit vt *quod*, & est id, quo homo habet suum esse: si verò de potentiis aliarum animarum fiat sermo, tunc etiam ipsæ sunt prima ratio, & fons prædictarum potentiarum, licet corpora animata, per illas constituta, sint id, quod ratione earum exercet operationes talium potentiarum: ergo anima erit obiectum huius tractatus, in quo prædictæ potentiæ de suo primo fonte, primoque principio demonstrantur.

4. Vltimò: nam etsi anima ordinetur ad corpus animatum, & sit pars eius, quoad esse, attamen in cognosci potiùs totum compositum pendet ab illa, quam è contra, siquidem ea semel cognita, vnà cum potentiis vitalibus ab eadem dimanantibus, nihil ferè de corpore animato restat cognoscendum, sed solùm hæc eadem illi applicare: ergo anima, non verò corpus animatum erit obiectum formale. Patet consequentia, quia ad rationem obiecti formalis, potius attenditur ad dependentiam in cognosci, quàm in esse, & ita id à quo cætera alia pendent in cognosci, habebit rationem obiecti formalis.

EX MENTE ARISTOT. ET D. THOM, quæst. deciditur.

§. II.

5. PRo huius quæstionis decisione notandum est: obiectum formale in esse rei, de quo in hac disp. inquirimus, esse duplex; aliud formale, *quo*, aliud verò formale, *quod*; ex quibus primum illud constituit in esse rei hoc posterius, & ideò in ratione obiecti in esse

esse rei, est id, *quo*, aliud est obiectum; hoc verò posterius essentialiter importat, quòd constituatur in esse rei, per illud prius, & propterea habet rationem obiecti, *quod* in hoc ordine: potestque hæc diuisio cum proportione applicari rationi formali, *qua*, quandoquidem, vt ex dictis loco citato constat, obiectum formale in esse rei, & ratio formalis, *qua*, coincidunt: vnde ratio hæc alia est, cui tantùm vt *quo* competit esse rationem formalem, *qua*, alia verò cui conuenit, vt *quod* esse prædictam rationem, quamuis cùm in has duas rationes iam dictas diuidirur, non soleat communiter nomine rationis formalis, *qua*, sed nomine obiecti formalis in esse tamen rei considerati insignire, ex eo, quod ratio formalis, *qua*, iuxta communem vsum, potiùs denotat idem, quod obiectum formale, *quod*, & ideò nos in hac diuisione, primo loco nomine obiecti formalis, *quo* & *quod*, vsi sumus.

Et licet nomine obiecti formalis, *quo*, soleat satis frequenter intelligi ratio formalis sub qua, in esse scibilis considerata, nihilominus negari non potest, obiectum formale quod, in esse rei sumptum, etiam habere suam rationem formalem, per quam in esse rei constituatur, vt ex se patet, atque adeò tale obiectum posse in obiectum formale, *quo* & *quod*, diuidi.

His ergo suppositis, dicendum est primò: si de obiecto formali, *quo*, in esse rei considerato loquamur, tunc anima erit obiectum formale horum librorum, non verò corpus animatum. Assertionem hanc & non aliquid ampliùs, tuentur Arist. D. Thom. Alexander, Philoponus, Simplicius, Themistius, Albertus Magnus, Ægidius, Theop. Iandunus, Caiet. & Ferrara in proœmio huius operis. Ratio autem eius sumitur ex notabili adducto. Nam obiectum formale, *quo* in esse rei huius tractatus, est illud quod constituit in eodem ordine obiectum formale, *quod*, illius, sed animæ hoc competit, ergo, & esse obiectum formale, *quo*, præsentis tractatus.

6. Minor probatur: nam vt statim ostendemus, obiectum formale, quod, in esse rei huius tractatus est corpus animatum; anima autem prædictum corpus in esse rei constituit, vt ex se constat: ergo, &c.

Dicendum est secundò: si loquamur de obiecto formali, *quod* in esse rei, tunc corpus animatum esse reipsa obiectum formale horum librorum. Assertio hæc apertè colligitur ex his, quæ ex Arist. & D. Tho. disp. 1. Proœmiali totius Philosophiæ, q. 1. diximus, vt statim expendemus, eamque docet S. Doctor in libris Physicorum lect. 1. vbi postquam dixit, quòd post libros Physicorum, *Sequuntur alij libri scientiæ naturalis in quibus determinatur de speciebus mobilium, puta in libro de Cælo, de mobili secundum motum localem, qui est prima species motus; in libro autem de Generatione, de motu ad formam, & primis mobilibus, scilicet elementis quantum ad transmutationes eorum in communi: quantum verò ad speciales eorum transmutationes in libro Meteororum, de mobilibus verò mixtis inanimatis in libro de mineralibus.* Statim assignans, etiam proprium obiectum formale, quod huius tractatus, sicut illud aliis tractatibus, & modo suis locis à nobis explicato assignauerat, addidit. *De animatu verò in libro de Anima & consequentibus ad ipsum.* Et ideò Sanctum Doctorem sequuntur eius discipuli, & ex aliis Venetus in præsenti. Apolinaris, quæst. 3. Proœmiali, & ex recentioribus plures relati à Rubio loco sup. citato num. 30.

7. Ratio autem fundamentalis desumitur ex his, quæ in libris Physic. disp. 1. Proœmiali quæst. 1. ex Aristot. & D. Thom. diximus: nam vt ibidem ostendimus, Philosophiæ, est reipsa corpus mobile, obiectum formale iam dictum, seu ratio formalis *qua* totius vt dicit compositum ex materia, & forma substantiali, ad prædicamentum substantiæ directè spectant: ergo obiectum formale quod, seu ratio formalis *qua*: huius operis erit peculiaris quædam species corporis directè contenta, sub corpore mobili, vt sic: ergo cum non possit esse corpus inanimatum (siquidem de illo non in hoc tractatu, sed in aliis ex professo disseritur) fit inde, vt debeat esse corpus animatum.

Hæc vltima consequentia ex priori apertè constat, nam corpus mobile, vt sic adæquatè in inanimatum, & animatum diuiditur. Prima verò ex antecedenti satis liquet, nam ratio formalis, *qua*, & adæquata alicuius scientiæ debet esse abstracta à rationibus formalibus, *qua*, prædictæ scientiæ inadæquatis, quæ in diuersis partibus, aut quasi partibus illis per se inspiciuntur: ergo si ratio formalis *qua*, & adæquata totius Philosophiæ, est reipsa corpus mobile completum, & compositum ex materia, forma: non verò quid abstrahens à corpore completo, & eius partibus: fit inde, vt ratio formalis *qua*, in adæquata toti Philosophiæ debeat esse species quædam prædicti corporis sub illo directè contenta, alioquin obiectum formale, seu ratio formalis, *qua*: totius Philosophiæ, esset quid abstrahens à corpore mobili, & eius partibus actualibus, non verò totum ipsum corpus, vt est quid completum ad prædicamentum substantiæ directè spectans.

8. Confirmatur: nam licet obiecta materialia, vel principia obiecti formalis possint, non contineri per se directè sub obiecto formali, *quod*, & adæquato totius scientiæ: secus tamen obiecta formalia, seu rationes formales, *qua*, inadæquatæ, respectu talis scientiæ, & vt sic dicamus, adæquata respectu alicuius tractatus eiusdem scientiæ: ergo cùm anima non contineatur per se, & directè sub obiecto totius Philosophiæ, scilicet composito substantiali ex materia; & forma constituto: consequens erit, vt illa non sit obiectum formale, *quod*, inadæquatum huius tractatus. Consequentia non indiget probatione, antecedens autem probatur exemplo Logicæ, cuius obiecta materialia, scilicet diuersa entia realia, quæ subsunt intentionibus Logicalibus, non continentur per se, & directè sub obiecto formali, *quod*, illius, scilicet sub ente rationis Logico, seu intentione rationis Logicali: nec rursus rationes differentiales earundem intentionum, quæ habent se per modum principij constitutiui illarum: secus tamen diuersa obiecta in adæquata, scilicet diuersæ species entis rationis logicalis sub ente logicali, vt sic contentæ.

9. Secundò: probatur ratione, quam innuit S. Doctor loco citato ex libro Physic. nam idem est obiectum formale, *quod*, huius tractatus, & illius, qui inscribitur parua naturalia; sed obiectum formale, *quod*, istius nequit esse anima, sed corpus animatum, vt omnes Philosophi admittunt, & ideò in illo non de Anima: sed de prædicto corpore, & eius speciebus latè disseritur: ergo, &c.

Maior probatur: nam vterque tractatus constituit vnum, & idem peculiare opus eo modo, quo octo Physic. libri vnum opus constituunt, & libri de cœlo aliud, & similiter libri de Generat. & Corrupt. alterum: tùm quia ob hanc rationem D. Thom. loco cit. cuilibet ex his operibus tribuit nomen libri in singulari, non verò in plurali, vt intuenti constabit: tum etiam, quia quoduis peculiare opus constituitur ex tractatibus, qui de obiecto illius, & principiis eiusdem agunt: quare, cum in paruis naturalibus de corpore animato, & in his libris de principio formali illius, scilicet anima tractetur; consequens erit, vt isti tractatus vnum, & idem, vt sic dicamus opusculum conficiant, atque adeo vnum, & idem obiectum formale, scilicet corpus animatum habeant.

10. Confirmatur: nam ideò primus liber [illegible]

stituit vnà cum aliis septem libris vnum, & idem speciale opus ab aliis partibus, seu quasi partibus totius Philosophiæ distinctum, habetque idem obiectum formale, *quod*, scilicet ens mobile, vt sic, & eo modo quem in libris Phys. disp. 1. quæst. 5. diximus, quia in eo agitur de principiis prædicti obiecti, scilicet materia, forma, & priuatione, quæ hoc ipso, quod inspiciantur, vt talia non possunt inspici, nisi ratione compositi, seu entis mobilis, quod constituunt; sed libri de Anima tractant de principio formali corporis animati, quatenus talis; ergo constituent eodem proportionali modo vnum corpus, cum paruis naturalibus qui de eodem corpore animato agunt: & vnum, ac idem obiectum formale ab aliis partibus, seu quasi partibus Philosophiæ distinctum respicient. Quomodo autem cum hac multiplicitate obiectorum formalium, seu rationum formalium *qua*, cohæreat Philosophiam quoad omnes suas partes, seu quasi partes esse vnam, & eandem secundùm speciem atomam, & omnia obiecta ab illis inspecta, esse absolutè, & simpliciter vnum, & idem obiectum formale, constat ex his quæ in libris de Generat. disput. 1. diximus,

Respondetur argumentis prioris sententiæ.

§. III.

11. AD primum dicendum est, quòd licet in his libris agatur de Anima: agitur tamen de illa, vt de obiecto *quo*, in esse rei, quatenus scilicet est pars, & non principium corporis animati, atque adeo non ratione illius, sed ratione prædicti corporis: vnde licet sit pars obiecti formalis, non tamen vt obiectum formale, *quod*, inspicitur.

Ad confirmationem patet ex his, quæ in lib. de Generat. disp. 1. diximus, scilicet inscriptionem alicuius operis non semper desumi ex obiecto formali *quod*, sed vel ex obiecto principali, vel ex præcipua affectione obiecti formalis, vel ex obiecto formali, *quo*, &c. Quod potissimè verum est in his tractatibus, quæ per se non inspiciuntur, nisi quatenus sunt partes alicuius operis specialis, vt in præsenti contingit: vnde, sicut ex eo, quod primus liber Phys. inscribatur de primis principiis entis naturalis, non ideò rectè colligeretur, hæc esse obiecta formalia, *quæ*, illius, quia constituit vnum, & idem speciale opus, cum aliis septem libris, ac proinde debet habere idem obiectum formale, ita in his libris propter eandem proportionalem rationem eodem modo philosophandum est.

12. Ad secundum patet ex dictis, concedendam esse maiorem, & negandam minorem: nam ad hoc, vt aliquid sit obiectum formale *quod*, in esse rei alicuius tractatus, non est satis, vt magna eius pars versetur in explicanda natura talis rei, aut potentiarum ab ea aliquo modo dimanantium: sed insuper desideratur, quod notitia illius intendatur propter ipsam, & non propter aliud, cuius in esse rei sit pars, vt in præsenti contingit, vbi notitia animæ propter notitiam corporis animati traditur.

Ad confirmationem dicendum est: verum esse antecedens quoad primam partem: imò etiam quoad secundam, si intelligatur de primo fonte, & principio, *quo*, non verò *quod*, passionum, & potentiarum de quibus in his libris agitur. Cæterum neganda est consequentia, quia nec de anima rationali, nec de quauis alia anima, aut de passionibus ab eis quouis modo dimanantibus in hoc opere agitur, nisi quatenus prædictæ animæ sunt aliquid corporis animati, & passiones, aut quasi passiones ab ea dimanantes conueniunt aut conuenire possunt corpori animato, & ideò hoc solummodò est obiectum formale, *quod*, huius operis.

13. Ad vltimum respondetur; corpus animatum, & animam mutuam dependentiam habere inter se quoad cognosci: nam totum non cognoscitur ignoratis suis partibus, & principiis intrinsecis: nec rursus partes, vt tales, nisi in ordine ad totum. Cæterùm quia in cognitione Philosophica non intenditur cognitio partis, nisi propter notitiam totius compositi, ex eo quod obiectum, per se primo inspectum in tota Philosophia est ens mobile, prout reipsa est idem, quod compositum substantiale ex materia, & forma, (vt loco citato ostendimus) ideò nihil refert, quod semel cognita natura formæ, & potentiarum ab ea dimanantium facilè deueniatur in cognitionem totius: quia ratio obiecti formalis, *quod*, attenditur ex eo quod cognitio illius sit per prius intenta.

LIBER PRIMVS ET SECVNDVS *DE ANIMA.*



V I A Aristoteles primum librum huius operis in proœmio ad illud, & in referendis, ac refellendis antiquorum opinionibus, circa quidditatem animæ, seu in explicando quidnam sit anima consumpsit, nosque in disputatione proœmiali, & locis ibidem relatis, de his quæ ad proœmium pertinent egimus: ideò primi, & secundi libri simul explicationem aggredimur: tum quia quid non sit anima nulla ratione melius declarabitur, quàm ostendendo quid sit: quod quidem in hoc 2. lib. vna cum Aristot. declarabimus: tum etiam, quia ferè nihil in primo libro adduxit Aristot. quod expositione, aut notatione his temporibus indigeat, & ideò solum obiter, vna cum his, quæ ad 2. l. spectant de illis non nihil dicendum est.

SVMMA TEXTVS VTRIVSQVE LIBRI.

1. Liber primus, 5. capitib. absoluitur: in 1. ostendit
5. Arist. scientiam de Anima esse præstantissimã,
8 iucundissimã, in 2. refert antiquorũ de Anima opiniones; in 3. probat; eam nõ esse ignem nec ipsam mouere; in 4. illam nõ esse harmoniam aliquam. Et tandẽ in 5. ostendit, animã non cõponi ex corpore subtilissimo.

Liber

Liber 2. duodecim capita complectitur: in tribus prioribus de Anima in communi, & eius potentiis agitur: in sequentibus verò de Anima vegetatiua, & sensitiua; vnde in primo capite tradit, & explicat Philosophus primam diffinitionem animæ, scilicet, *Anima est actus primus corporis Physici organici potentia vitam habentis.* In secundo adducit aliam animæ diffinitionem, scilicet. *Anima est id, quo viuimus, sentimus, loco mouemur, & intelligimus primò.* In tertio autem disserit de potentiis illius in generali. In quarto de Anima vegetatiua, & potentiis eius. In quinto incipit explicationem potentiarum sensitiuæ, docens sensum esse potentiam passiuam, reducique in actum à suo obiecto. In sexto disputat de obiecto sensibili in communi; diuiditque illud in sensibile per se, & per accidens; deinde sensibile per se in proprium, & commune. A capite verò 7. vsque ad 11. agit suo ordine de obiectis visus, auditus, olfactus, gustus & tactus. Et tandem in 12. probat, sensus recipere aliquo modo formas rerum absque materia, ipsos verò esse in subiectis materialibus, scilicet in organis corporeis.

DISPVTATIO II.

De quidditate animæ, & de prima eius diffinitione.

ANIMAM esse, cuique notum est, quia eam ex propriis operationibus in se experitur. Quare quæstione an est relicta, meritò hanc disputationem quidditati, & essentiæ animæ damus; quia verò quod quid est rei, non aliter meliùs, quàm per diffinitionem explicatur: & Arist. duas iam dictas de Anima diffinitiones tradidit, quarum prima est, quòd anima sit actus primus corporis physici organici potentia vitam habentis; ideò vt essentiam animæ explicare possimus necesse erit; vt ex sufficientia huius diffinitionis, quæ vt infrà dicemus, quidditatiua est, aliisque ad illas pertinentibus eam colligamus.

QVÆSTIO PRIMA.

AN IN PRIMA DIFFINITIONE ANIMÆ RECTE PONANTVR duæ illæ priores particulæ, scilicet, quòd est actus primus.

Circa primam diffinitionem animæ, & eius bonitatem plura dicenda occurrunt, & ideò, vt clariùs, & iucundiùs procedamus, non in vnica, sed in multiplici quæstione particulas in ea positas examinabimus.

Ex mente Arist. & D. Thom. quæst. deciditur.

§. I.

1. Dicendum ergo est, prædictas particulas rectè in priori diffinitione animæ fuisse adductas. Assertionem hanc, non aliter quàm authoritate Arist. & D. Thom. & vnanimi omnium Philosophorum placito comprobamus; quia diffinitiones, & quæuis earum particulæ, non tam probandæ, quàm explicandæ, & ea communi maiorem consensu accipiendæ sunt. Cæterùm, quia diffinitio hæc quoad has particulas plures, & graues parit difficultates; ideò eas sigillatim explicare oportebit, vbi etiam aliqua ad probationem cuiuslibet ex illis breuiter adiiciemus.

Ponitur ergo loco generis prima illa particula, scilicet, *actus*: nam ratio actus, tam operationibus, quæ sunt actus secundi, quàm aliis formis accidentalibus & substantialibus, necnon & animæ, communis est. Additur verò particula *primus*, id est substantialis; nam proprium est actus substantialis; non præsupponere alium actum; sed esse actum simpliciter primum: vnde, per hanc particulam distinguitur anima ab omni actu accidentali: nam operationes, quæ sunt actus accidentales essentialiter præsupponunt alium actum, illum nimirum à quo eliciuntur, & similiter aliæ formæ accidentales, quamuis comparatæ ad operationes, rationem actus primi obtineant; attamen simpliciter loquendo, non sunt actus primi, id est, non præsupponentes alium actum priorem, vt lib. 1. de Generat. disp. 2. n. 28. & deinceps ostendimus: anima verò, quia est actus substantialis, & simpliciter est actus primus, tam negatiuè, id est, nullum aliorum præsupponens, quàm positiuè, hoc est, reliquis prior.

2. Et licèt ratione huius particulæ *actus primi*, hoc præcisè modo explicatæ non differat anima secundùm illam à reliquis formis substantialibus, quippè cùm informent materiam omninò nudam, & expertem totius actualitatis; nihilominùs iuxta subtilem D. Thom. loco statim citando expositionem, quem sequuntur Caiet. & Ferrar. in præs. Bañez 1. part. quæst. 75. art. 1. dub. 2. & communiter Thomistæ per prædictam particulam innuitur notanda quædam diuersitas, quæ inter animam ex vna parte, & reliquas formas substantiales ex alia intercedit; nam ly *actus primus*, non solùm sumitur, prout distinguitur à secundo, scilicet ab operatione, sed prout dicit actum primum separabilem ab eodem actu secundo, seu operatione, atque adeo actum primum, qui purè sit primus, siuè non permixtus cum secundo, ex eo quod potest ab illo cessare. Vnde, quia anima, quantum est de se potest, vel ratione libertatis, vt in hominibus, vel ratione apprehensionis, vel ob alias causas ab operatione cessare. Cæteræ autem formæ substantiales quantum est de se id non possunt, ideò per prædictam particulam à prædictis formis, & ab aliis non potentibus quantum est de se ab operatione cessare distinguitur.

Est autem vtraque interpretatio satis consona textui Arist. Prima quidem, nam in hoc 2. lib. text. 4. ait: *Necesse est igitur, animam substantiam esse perinde, atque formam corporis naturalis potentia vitam habentis.* Vbi D. Thom. ait: *Relinquitur quòd anima sit substantia sicut forma, vel species talis corporis physici habentis in potentia vitam.*

3. Secunda verò, nam vt idem Philosophus de-

notaret animam, non esse vtcumque actum primum, id est substantialem, sed primum hoc est separabilem ab operatione addidit in text. 5. *Sed cum perfectio atque actus bifariam dicatur, quidam enim est, vt scientia, quidam vt contemplatio: patet animam actum esse perinde atque scientiam; nam ex eo quia anima est, somnus est, & vigilia: & vigilia quidem contemplationi: somnus autem scientiæ operationi vacanti similis est.* Quæ verba sic exponit D. Thom. lect. 1. ibidem. *Manifestum est, quod anima est actus sicut scientia, quia in hoc quod anima existit, inest animali, & somnus, & vigilia; & vigilia quidem assimilatur considerationi: quia sicut consideratio est vsus scientiæ, ita vigilia est vsus sensuum: sed somnus assimilatur habitui scientiæ, quando aliquis secundum ipsum non operatur; in somno enim quiescunt virtutes animalis. & cætera vnde concludit, quod cum anima sit actus sicut scientia, quod sit actus primus corporis Physici potentia vitam habentis. Sciendum autem, quod Philosophus dicit anima esse actum primum, non solum, vt distinguat animam ab actu, qui est operatio, sed etiam, vt distinguat eam à formis, quæ semper habent suam actionem, nisi impediantur.*

Nec deest conueniens ratio ad ostendendum: tùm, quòd anima sit actus primus, id est substantialis, ac proinde distinctus ab operatione, & reliquis formis accidentalibus; tùm etiam quòd sit actus primus separabilis ab eadem operatione: & ratio prioris iam tacta est ab Arist. & D. Thom. loco citato, quia cùm totum viuens habeat veram rationem substantiæ completæ, & nomine animæ intelligamus formam, seu actum per quem tale corpus habet propriam speciem, & quidditatem, consequens est, vt anima sit actus primus, id est substantialis. Rationem verò secundi insinuauit D. Thom. 1. p. quæst. 76. artic. 1. nam anima in communi perfectior est formis naturalibus, & magis eleuata à materia, & conditionibus eius, & ita debet esse principium operandi cum minori determinatione. Quare, cum aliæ formæ naturales ratione suæ imperfectionis, & immersionis in materia, sint necessario coarctatæ ad habendum quantum est de se semper, & incessanter suam operationem, vt infra num. 9. & 10. explicabimus: consequens est, vt animæ, quippè magis eleuatæ, oppositum conueniat.

§. II.

OBIECTIONES CONTRA DICTA, & solutio earum.

5. SEd obiicies primò: quòd anima est potissima perfectio, & actualitas rei animatæ; ergo erit actus secundus, & non primus, & per consequens malè per actum primum diffinita est. Hæc a. consequens vnà cum antecedenti ea se constant. Prima verò etiam patet, nam actus secundus perfectior est quàm primus: Tum quia est finis illius, iuxta illud commune axioma: *Vnumquodque est propter suam operationem.* Et ideò idem Aristot. 1. Ethicorum cap. 12. & libr. 10. cap. 6. & 7. docet felicitatem, quæ est vltimus finis, & maxima omnium perfectionum, non in aliquo actu primo, sed in actu secundo, & operatione consistere: Tum etiam, quia ille actus est purior, & perfectior, qui minus habet potentialitatis admixtum, sed actus primus habet plus potentialitatis quàm actus secundus, scilicet operatio, quia est in potentia ad illum tanquam ad vltimam eius actualitatem: ergo, & cætera.

Secundò, quia cùm dicitur animam esse actum primum separabilem à secundo, scilicet ab operatione vel est sensus, quòd etiam si adsint omnia requisita ad operandum, nihilominus potest anima operari, & non operari; vel quòd si cuncta requisita non sint, tunc poterit ab operatione cessare. Primum dici nequit, quia id solummodo potest esse proprium animæ intellectiuæ, quatenus liberè operatur, vt ex se constat; si secundum autem dicatur, tunc anima non habebit magis esse actum primum separabilem ab operatione, quàm reliquæ aliæ formæ substantiales, vel accidentales, quia nulla ex illis potest operari, quamdiu non adsunt omnia requisita ad operandum.

Confirmatur primò: quia nulla anima, excepta rationali, transcendit ordinem agentium naturalium; ergo positis omnibus requisitis ad operandum non poterit non operari. Patet consequentia, quia hoc est de ratione agentium naturalium.

Confirmatur secundò: quia inter animas sensitiuas, quàm plurimæ ex illis sunt in continuo motu, & operatione, vt testatur perennis motus cordis, quo animalia mouentur, & anima vegetatiua nunquàm cessat à nutritione. Et ita in primo de generatione text. 41. dicitur, quòd animal tandiù nutritur, quandiù viuit; ergo nequit esse de ratione animæ, vt sic, quòd sit actus primus separabilis ab operatione. Patet consequentia, quia quod conuenit animæ vt sic, debet omni animæ conuenire.

6. Tertiò: nam si anima ex natura sua esset actus primus separabilis ab operatione, frustra in diffinitione illius adderentur aliæ particulæ præterquam *esse actum primum corporis*, siquidem per hoc sufficienter distingueretur: Tum à reliquis formis substantialibus & accidentalibus: tum etiam à formis subsistentibus, & completis, quales sunt Angeli, qui non sunt actus corporis.

7. Ad primam ex his obiectionibus respondetur primò: concedendo antecedens, scilicèt animam esse perfectissimum actum ad ordinem essentiæ pertinentem, qui in re animata inuenitur: & negando consequentiam, & ad probationem negandum est antecedens; ad cuius priorem probationem dicendum est cum Caiet. 1. 2. quæst. 3. a. 2. dictum illud Aristot. scilicèt, *quod vnumquodque est propter suam operationem*, non ita intelligendum esse, vt sit sensus, quod substantia habeat pro fine operationem suam præcisè sumptam, sed seipsam suo modo, & media sua potentia immediatè operatiua actuatam per talem operationem: cui consonat D. Thom. 3. contra gentes cap. 17. ratione 7. dicens: quòd cuiuscumque operationis finis est ipsemet operans; ex hoc autem non sequitur operationem esse nobiliorem secundùm se sumptam, quàm animam, sed solùm eandem vnà cum sua potentia operatiua, & operatione esse nobiliorem se ipsa præcisè sumpta; quod nullum est inconueniens.

Ad illud autem de beatitudine, quod ibidem addimt, dicendum est; non benè inferri ex eo, quod beatitudo nostra (loquendo saltem de beatitudine naturali,) consistat in operatione, eam esse nobiliorem simpliciter in ratione actus, quàm actus primus, & substantialis: sed solùm inferri esse nobiliorem secundùm quid, ex eo quod est ipsa actualis apprehensio, & possessio vltimi finis. *Diximus; loquendo saltem de beatitudine naturali*, nam si de beatitudine supernaturali fiat sermo, dubium est, an ipsa, nec non & alia accidentia ordinis diuini sint quoad suam essentiam simpliciter perfectiuiora, quàm substantia ordinis naturalis, quamuis secundùm quid, & quoad modum essendi, scilicet accidentalem, sint ignobiliora quàm illa. Sed hoc Theologis relinquendum. Videatur tamen D. Thomas de verit. quæst. 27. art. 1. ad 6. 1. 2. quæst.

2. qu. 110. art. 2. ad 2. quæst. 113. art. 9. ad 2. & 2. 2. quæst. 23. art. 3. ad 3. in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 5. quæst. 5. ad 9. & dist. in 46. quæst. 2. art. 1. quæst. 3. ad 2. Ad illud autem quod vltimo loco ibidem additur; constabit ex his quæ n. sequenti dicemus.

Secundò respondetur cum Caietan. præsenti actum secundum formaliter in ratione actus præstantiorem esse, quàm actum primum; quia minus habet potentialitatis admixtum, licet possit contingere quòd materialiter sit perfectior actus primus, quàm secundus, & ita anima in genere actus formaliter sumpti minùs perfecta est, quàm eius actus secundus, scilicèt operatio, licèt sit perfectior inesse rei, quia est substantia; & operatio accidens. Vnde non mirum quòd per actum primum quippe imperfectiorem in ratione actus, & non per actum secundum diffinita fuerit.

8. Nec refert, si dicas: animam etiam in ratione actus, præstantiorem esse sua operatione: Tum quia hoc ipso quòd det perfectiua esse, scilicèt substantiale, non potest non meliùs actuare; siquidem actuare est dare esse: atque adeò tribuere meliùs esse, erit meliùs actuare: Tum etiam quia anima replet maiorem potentialitatem, scilicèt potentialitatem materiæ primæ; actus autem eò melior est in ratione actus, quò maiorem potentialitatem explet: Tum denique nam tota essentia formæ informantis consistit in aptitudine ad actuandum materiam: & ita forma, quæ in sua essentia, & entitate fuerit perfectior, qualis est anima, etiam erit perfectior in ratione actus.

Non itaque hoc refert; nam ad primam ex his impugnationibus dicendum est; quòd dare esse perfectius, scilicèt substantiale, non arguit, nisi solum maiorem perfectionem actus inesse rei; non verò inesse actus formaliter; quia hæc attenditur penes hoc, quod minus relinquat potentialitatis in ordine ad vlteriorem actum; atque adeo maior actualitas intra hanc lineam attenditur penes hoc, quòd sit vltima actualitas intra talem lineam, vel magis ad prædictam actualitatem accedat.

Ex quo etiam ad secundam impugnationem constat: nam perfectio actus intra lineam actus non attenditur ex hoc, quòd repleat maiorem potentialitatem, quia hinc ad summum conuincitur maior perfectio actus inesse rei, sed ex capite iam dicto.

9. Ad tertiam denique respondetur; quòd sicut tota essentia materiæ primæ consistit in aptitudine, & potentialitate ad recipiendam formam, nihilominùs in hoc concluditur aliquid pertinens ad ordinem, & genus rei, & aliquid spectans ad ordinem potentialitatis formaliter sumptæ; & ideò exceditur ab accidentibus, vt dicit puram potentialitatem spectantem ad hunc ordinem; excedit tamen illa, vt spectat ad ordinem rei, ex eo quod ipsa est substantia, non verò accidentia: ita in hoc, quòd tota essentia formæ informantis sita sit in actuanda materia; ibidem inuoluitur aliquid spectans ad ordinem rei, & aliquid pertinens ad ordinem actus, ita vt vnum sine alio esse non possit; & secundùm id, quod iam explicuimus pertinere ad ordinem rei; & de materiali importare secundùm rationem actus, vt ad ordinem actus spectat, excedit actum secundùm scilicèt operationem: at verò secundùm id, quod dicit, vt pertinet ad ordinem actus, exceditur ab actu secundo, scilicet operatione.

Ad secundam obiectionem principalem dicendum est: neutro ex modis ibidem relatis, animam esse actum primum separabilem à secundo, sed alio diuerso, nimirùm ex eo quod, quantum est de se, petit cessare ab actu secundo, proindeque existit ab intrinseco, non semper dari omnia requisita ad operandum, quòd tamen non conuenit aliis formis, quæ quantum est de se, non sunt separabiles à sua operatione, sed solùm ab intrinseco, ex eo quòd vel impediuntur, vel non adsunt omnia requisita ad operandum. Vndè anima vegetatiua multoties cessat ab opere nutritionis, generationis, & augmenti, quæ sunt propriæ illius operationes: & similiter anima sensitiua, & multò magis intellectiua sunt in ocio, vacantque à propriis operationibus, vt in dormientibus constat. Ignis autem quantum est de se, semper ascendit sursum, & sibi simile generat.

Ad primam confirmationem respondetur; quòd vt hoc modo anima cesset à suis operationibus, non est necesse, vt transcendat ordinem agentium naturalium, sed satis est, quòd intra illa primum obtineat. Nec refert, id quod obiicit Iauellus quidam, scilicet, quòd cessare hoc modo ab operatione, non prouenit in anima ex perfectione, & virtute, sed potiùs ex defectu illius, & ita tunc viuens cessat ab incremento, quando eius virtus facta est debilior; secùs verò quando habet debitam vigorositatem in ordine ad tale incrementum.

10. Non itaque hoc obstat: Tum, quia cessare ab intrinseco, & modo explicato ab omni operatione saltem supponit magnam perfectionem, scilicet modum essendi minùs materialem, seu minùs dependentem à materia, quia supponit esse substantiale viuum, quod est magis eleuatum supra materiam. Tum etiam, quia plantæ v. g. non semper, quantum est de se generant, licèt habeant ex parte potentiæ generatiuæ sufficientem vigorositatem in ordine ad generationem: Tum denique quia licèt viuens cesset ab incremento, cùm eius vis augmentatiua est debilis, nihilominùs in hoc inuoluitur sua peculiaris perfectio, quæ non potest rebus inanimatis conuenire, scilicèt augeri per virtutem, & facultatem intrinsecam, ad hoc peculiariter destinatam; atque adeò augeri vitali modo, vt in lib. 1. de Generat. disput. 6. numer. 13. explicuimus. Hoc autem, vt nuper dicebamus, modum essendi minùs materialem arguit.

Ad secundam confirmationem respondetur; motum illum cordis esse etiam à generante, vt à causa principali, & particulari (vt docet D. Thomas opusculo de motu cordis, & communiter eius discipuli.) Hic autem loquimur de operationibus à sola anima, vt à causa principali, & particulari prouenientibus, quia in his peculiariter vis animæ, vt talis splendet. Quomodo autem (vt id obiter dicamus) motus ille cordis possit habere duplicem causam particularem, & vtramque principalem, & qua ratione hoc cohæreat cum illis, quæ in lib. Phys. disp. 15. numer. 32. diximus, constat à simili ex his, quæ in lib. de Gener. disput. 9 n. 56. asseruimus.

Ad illud autem de nutritione dicendum est, quòd licèt per se loquendo anima vegetatiua medio calore naturali semper agat, non tamen incessanter per illam viuens nutritur, quia non incessanter conuertitur alimentum in substantiam aliti, nec petit, quòd incessanter in prædictum alimentum agat, disponendo illud in ordine ad talem conuersionem; nec per hoc, quòd dicamus animam vegetatiuam per se loquendo continuò agere per calorem naturalem, sequitur eam non esse actum primum separabilem ab operatione, quia hæc actio non conuenit illi secundum propria animæ, vt distinguitur ab aliis formis, sed secundum communia, quatenus nimirùm in ea virtualiter continentur qualitates elementorum non verò quatenus exprimit pro[illegible]

mæ, vt talis, secundùm quam rationem de illa in præsenti loquimur.

11. Adde quod ad hoc, vt verificetur animam esse actum primum separabilem à sua operatione, satis est quòd possit, quantùm est de se, cessare ab aliqua ex suis operationibus; hoc autem certum est conuenire cuilibet animæ, etiam vegetatiuæ, vt de plantis nuper dicebamus: at verò forma inanimata, vt forma ignis quantum est de se non potest cessare ab actu generandi, nec sursum ascendendi, & licèt habeat etiam terminum intrinsecum augmenti; atque adeò, cùm illud attigerit, non possit vlteriùs crescere; hoc tamen tantùm ei conuenit ob rationem generalem formæ limitatæ, non tamen ob particularem rationem suam: anima autem non solùm ob hanc rationem generalem, sed etiam quatenus anima est, habet terminum intrinsecum augmenti, & cessare ab opere augmentationis; quia propter peculiarem rationem suam augetur per intus sumptionem, & per peculiarem potentiam ad id distinatam, quæ per continuam actionem, & reactionem labefactatur, & fit minor, ita vt non possit vltra conuertere magis alimenti, quàm de propria substantia deperditum est: & per consequens nec augeri. Sed de his videantur ea quæ 1. de Gener. disp. 6. n. 49. diximus.

Ad tertiam obiectionem respondetur, animam non differre adæquatè ab aliis per hoc, quod quatenus anima sit actus primus separabilis ab operatione, quia ex vi huius non exprimitur sufficienter tota, & adæquata ratio eiusdem animæ; licèt ratio ista inadæquata nexum habeat cum aliis quæ sunt propria eiusdem animæ, & adæquatè eam constituunt, & eam necessariò requirat: at in diffinitionibus congruenter exprimuntur omnes rationes inadæquatæ, quæ secundùm suam vltimam rationem conueniunt diffinito, & sine quibus non omninò innotescit, vt in præsenti contingit, & ex dicendis quæst. sequenti constabit.

QVÆSTIO II.

Vtrum particula illa, corporis physici, in priori animæ diffinitione legitimè addatur.

EXplicatis iam duabus prioribus particulis primæ diffinitionis animæ, scilicet, quod sit actus primus, recto ordine ad cætera alias declarandas accedimus.

Ex mente Arist. & D. Thom. quæst. enodatur.

§. I.

12. DIcendum ergo est, particulam illam corporis physici legitimè in prædicta definitione collocari, & ita animam rectè diffiniri per hoc quòd sit actus primus corporis physici. Assertio hæc non aliter quàm assertio præcedentis quæstionis probanda est; nimirum ex Arist. & D. Thom. lib. 2. huius operis, & vnanimi omnium Philosophorum consensu. Cæterùm, quia, vt ibidem diximus, diffinitiones, non tàm probatione, quam expositione indigent, ideò particula ista ex professo explicanda est.

Ponitur ergo primo loco post duas particulas, de quibus in præcedenti quæstione disseruimus; scilicèt à *ctus primus* particula illa *corporis Physici*, vt anima distinguatur ab actibus completis, & per se subsistentibus, quales sunt Angeli, qui hoc ipso, quòd sint actus completi, & per se subsistentes non sunt actus corporis: anima autem quia est actus incompletus, & rationem substantiæ completæ non participans; ideò est actus corporis. Vndè, ob hanc etiam rationem debuit in diffinitione eius aliquid, quod sit extra essentiam ipsius, scilicet corpus physicum, &c. collocari. Quia sicut est proprium substantiæ completæ non diffiniri per aliquid, quod sit extra essentiam eius, ita etiam est proprium substantiæ incompletæ, & cuiuslibet accidentis quòd diffiniatur per aliquid, quod sit extra eorum essentiam, quia ad illud essentialem habitudinem important.

13. Quod optimè explicuit D. Thom. lib. 2 huius operis lect. 1. his verbis: *In diffinitione autem accidentis ponitur aliquid, quod est extra essentiam diffiniti, scilicet subiectum; oportet enim subiectum poni in diffinitione accidentis; sicut cùm dicitur simitas est curuitas nasi, & hoc ideò est, quia diffinitio significat, quod quid est res. Substantia autem est quid completum in suo esse, & in sua specie: accidens autem, non habet esse completum, sed dependens à substantia, similiter etiam nulla forma est quid completum in specie, sed complementum speciei competit substantiæ compositæ. Vnde substantia composita sic diffinitur, quod in eius diffinitione non ponitur aliquid, quod sit extra essentiam eius. In omni autem diffinitione formæ ponitur aliquid quod sit extra essentiam formæ, scilicet proprium subiectum eius, siue materia; vnde cùm anima sit forma, oportet quòd in diffinitione eius ponatur materia, siue subiectum eius.*

Cæterùm, quia vt Arist. & D. Thom. in hoc 2. lib. text. 3. innuunt; corpus aliud est artificiale, vt cathedra; aliud mathematicum, quod trinam dimensionem quantitatiuam dicit; aliud denique physicum; id est naturale, quod proindè qualitatibus sensibilibus subest, & habet esse principium motus, & quietis; ideò, vt denotetur animam non esse actum primum corporis mathematici, aut artificialis, sed solùm corporis naturalis habentis in se principium motus, & quietis, seu status, addita est particula illa, *corporis physici*.

14. Quæ interpretatio desumitur ex Arist. in hoc 2. lib. text. 8. his verbis: *Non enim talis corporis substantia, ratioque est ipsa anima, sed naturalis vt diximus, talis quod in se motus statusuè principium insitum habet.* Vbi D. Thom. lect. 2. *Anima non est quod quid est esse & ratio, id est forma huiuscemodi corporis, scilicet artificialis, sed corporis physici, huiuscemodi, scilicet habentis vitam. Et vt manifestet, quid sit esse physicum corpus, subiungit, habentis in se ipso principium motus, & status. Naturalia enim sunt, quæ in se ipsis principium motus, & status habent: huiusmodi enim principium natura dicitur.*

Et licèt corpus physicum posset adhuc sumi dupliciter, scilicet vel pro sola materia prima, quæ saltem in suo toto qualitatibus sensibilibus subesse potest; quæque est vera substantia partialis, & corporea, vel prout dicit compositum physicum ex eadem materia prima, & ex anima, non quidem vt dat vltimum suum gradum, scilicet esse animatum, sed vt dat esse corporeum, & completum susceptiuum vitæ: quia vt D. Thom. in hoc, 2. lib. text. 6. lect. 1. innuit: *Corpus ab anima habet, & quòd sit, & quòd corpus sit, & quod sit corpus susceptiuum vitæ.* Nihilominus per illam particulam, *corporis physici*, non materia prima nudè sumpta, sed compositum ex materia prima, & anima secundùm prædictam rationem considerata, id est, vt dat esse corporeum susceptiuum vitæ, congruentiùs intelligitur, vt notauit D. Thom. quæst. de spiritualibus creaturis art. 3. ad secundum, his verbis: *Dicendum, quòd cùm forma perfectissima det*

det omnia, quæ dans forma imperfectiores, & adhuc amplius: materia prout ab ea perficitur, eo modo perfectionis, quo perficitur à formis imperfectioribus consideratur, vt materia propria etiam illius modi perfectionis, quàm addit perfectior forma super alias; ita tamen, quòd non intelligatur hæc distinctio in formis secundùm essentiam, sed solùm secundum intelligibilem rationem: sic ergo ipsa materia, secundùm quod intelligitur, vt perfecta in esse corporeo susceptiuo vitæ, est proprium subiectum animæ. Et ideò sanctum Doctorem sequuntur Caietanus in præsenti in hoc lib. c. 1. §. Tertiò, notandum est, quòd quemadmodum organizatio. Ferrara quæst. 2. Bañez cap. 1. quæst. 75. art. 1. dubit. 2. Suar. 2. tom. summæ Theologiæ tr. 3. lib. 1. de substantia animæ. c. 2. & alij plures.

15. Rationem autem huius explicationis insinuauit D. Thom. loco citato, & in hoc lib. lect. 1. nam anima non diffinitur hic secundùm rationem generalem formæ substantialis, sed vt anima est, ac proinde, vt dat esse animatum, seu viuum, sed propriam susceptiuum animæ secundùm hanc rationem sumptæ, non est materia prima nuda, sed vt priùs informatur eadem anima, vt dat esse corporeum, & physicum idem explicatum; ergo nomine corporis non nuda materia, sed prædictum compositum congruentiùs intelligitur. Maior non indiget probatione, nec etiam minor quandoquidem anima non tribuit gradum vitæ vsque dum communicet gradum corporis iam dicti, & ita proprium susceptiuum animæ, vt dat gradum vitæ, erit prædictum compositum. Consequentia verò etiam patet, nam quoties forma diffinitur per suum susceptiuum, vt in præsenti contingit, tunc nomine talis susceptiui congruentiùs intelligitur proprium, & peculiare eius susceptiuum. Quare, cùm compositum illud coalesceos ea materia, & ea anima, vt dat esse corporis physici iam explicatum, sit proprium, & peculiare susceptiuum animæ, vt anima est, non verò materia prima: sit indè, vt nomine corporis physici, quod est proprium susceptiuum animæ congruentiùs tale compositum, non verò materia prima intelligatur.

Diluuntur aliquæ obiectiones contra prædicta.

§. II.

16. EX quo facilè soluuntur aliquæ obiectiones, quæ ab aliquibus contra explicationem datam proponuntur. Prima est, quòd proprium susceptiuum alicuius formæ physicæ, debet realiter distingui secundùm omnia quæ habet ab eadem forma, nam subiectum non habet à sua forma propriam rationem subiecti, alioquin non præsupponeretur ad illam in genere causæ materialis, sed compositum coalescens ea materia prima, & anima, vt dat rationem corporis physici, non distinguitur realiter secundùm omnia quæ habet ab eadem anima, prout dat esse animatum; siquidem esse animatum & esse corpus, non distinguuntur, nisi sola ratione, nec anima prout dat esse corporeum, & physicum, distinguitur realiter à se ipsa, prout dat esse animatum: ergo tale corpus non erit susceptiuum proprium animæ, etiamsi consideretur vt anima est.

Confirmatur: nam materia prima per se respicit animam tanquam formam, quæ ex eius pura potentialitate, vel secundùm suum esse, vel saltem quoad si vnionem connaturaliter educenda est; ergo prædicta materia est proprium susceptiuum illius; ergo cum anima hic diffiniatur per proprium susceptiuum, debet per ordinem ad illam diffiniri. Antecedens, & hæc vltima consequentia satis constant. Prima verò, ex antecedenti etiam patet, quia potentia ex qua connaturaliter educitur forma, vel secundùm esse, vel quoad vnionem, est proprium subiectum, & susceptiuum illius.

17. Secunda est: hinc fieri animam, vt aolmam, non esse formam substantialem, sed accidentalem, cuius oppositum quæstione præcedenti ostendimus. Nam forma adueniens enti in actu est forma accidentalis, vt docet D. Thom. in hoc 2. lib. lect. 1. sed si anima aduenit composito coalescenti ea ipsa, vt dat esse corporeum, & physicum, & ex materia prima, aduenit eadem anima, vt anima est enti in actu, ergo secundùm hanc rationem erit forma accidentalis.

Tertia est: quòd proprium & peculiare susceptiuum animæ vt anima est; nequit esse prædictum corpus, nam etiam forma lapidis priùs tribuit esse substantiale, & corporeum, & hoc esse corporeo semel supposito, tribuit propriam, & specificam rationem lapidis, & ita esse corporeum non erit proprium, sed commune susceptiuum, tàm animæ, vt anima est, quàm, aliarum formarum.

Confirmatur: Nam, vt in logica disp. 6. quæst. 5. circa arborem prædicamentalem ex D. Thom. opusc. 42. diximus; & probauimus, inter corpus, & viuens mediant duo alia genera, scilicet generabile & mixtum; ergo proprium susceptiuum animæ, vt anima, non erit corpus, quandoquidem proprium eius susceptiuum debet esse illud, post quod immediatè subsequitur esse viuum, seu animatum.

Quarta & vltima est: nam physicus non agit de anima, nisi vt est actus, & forma physica, & modo physico informat; anima autem solùm respectu materiæ primæ, est actus, & forma physica, nam vt tribuit diuersos gradus metaphysicos, sola ratione distinctos; potius forma metaphysica, quàm physica censenda est; ergo, &c.

18. Ad primam enim dicendum est: quòd proprium susceptiuum formæ physicæ secundùm suam entitatem, & absolutè consideratæ, debet realiter distingui secundùm omnia, quæ habet ab eadem forma, at subiectum eiusdem formæ, vt præcisè dat suum vltimum gradùm, non debet adæquatè, & secundum omnia, quæ habet, distingui ab eadem forma, quia ipsemet secundùm ea, quæ tribuit secundùm alios gradus, est veluti materia respectu sui ipsius: vt secundùm suam specificam rationem informat prædictum subiectum. In præsenti autem loquimur de anima, non secundùm suam entitatem, & substantiam, absolutè, sed secundùm quod anima, ac proindè solùm, secundùm quod dat vltimum gradum, quem secundùm quod anima tribuere potest, quia secundùm istam rationem ab Arist. diffinita fuit.

Ex quo etiam, ad probationem ibidem adductam satis constat, nam considerata forma physica secundùm hanc vltimam considerationem, tunc subiectum habet ab ea ipsa vt dante esse corporeum iam dictum, quòd sit idoneum susceptiuum illius, secundùm suam rationem specificam, atque adeò licèt collatum cum ipsa vt dat esse corporeum, sit posterius illa in genere causæ formalis: attamen comparatum cum eadem vt dat esse specificum v. g. animatum, est prius illa in genere causæ materialis, & ratione materiæ, quam inuoluit, realiter ab illa distinguitur.

19. Ex quo etiam ad confirmationem constat, verum esse antecedens de anima secundùm suam substantiam, & entitatem absolutè consideratam, [illegible] verò de illa præcisè, vt anima: quia secundùm [illegible] rationem potiùs habet, quasi educi, vel secun[illegible] se vel

vel quo ad vnionem ex corpore physico, iam explicatò, tanquam ex proprio,& peculiare susceptiuo illius. Diximus, quasi educi, quia vt optimè notauit Ferrera loco citato, anima non sic est actus prædicti corporis, quasi illud sit secundùm rem vera materia illius, & anima vera forma ipsius adueniens eidem, vt veræ materiæ; quia si secundùm rem loquamur, corpus, quod se habet esse corpus per animam, est corpus animatum, & anima est vera pars illius, sed ita vt compositum ex materia, & animę pro vi dante esse corporeum iam dictum, se habeat ad modum potentiæ respectu eiusdem animæ; vt dat esse animatum.

Cæterùm cùm hoc stat, vt quando diffinitur forma secundùm suam vltimam rationem, v. g. anima, secundùm quòd anima per proprium susceptiuum ipsius, tunc potius, & congruentiùs diffinienda sit per susceptiuum quod se habet ad instar potentiæ, quàm per illud, quod secundùm rem est materia eiusdem ex æquo eb eadem conditinctâ, quia proprium,& peculiare susceptiuum ipsius sic sumptę potius est illud, quàm istud.

Ad secundam verò etiam patet; nam vt anima, quatenùs animæ rationem formæ accidentalis habetet, desiderabatur, vt secundùm suam entitatem, & absolutè cosiderata edueniret enti in actu, non verò quatenùs præcisè consideratur, vt informas secundùm suam vltimam rationem: nam ad lineam sustantiæ debent pertinere, tam rationes superiores; quàm inferiores eiusdem lineæ, eique adeò, quòd rationes inferiores supponant superiores, & forma, vt dat esse sperificum supponat seipsam, vt dat rationem fundamentaliter superiorem, nequit illam secundùm istam rationem è linea substantiæ extrahere.

10. Ad tertiem constat etiam ex dictis: non enim dicimus, quòd esse corporeum, vtcumque est proprium, & peculiare susceptiuum animæ, vt anima est, sed esse corporeum, statim magis explicandum prouenienes à materia prima,& ab eadem animę, vt dat prædictum esse: nam licèt tale esse secundùm sua essentialis præcisè consideratum sit eiusdem rationis cum esse corporeo prouenente à qualibet alia forma substantiali lapidis: attamen, si consideretur vt est *hoc*, seu est peculiare quoddam indiuiduum generis, secundùm quam rationem petit identificari potiùs cum esse animato, quèm cum esse inanimato, & prouenit ab anima, vt est peculiare indiuiduum immediatè contentum sub forma corporis mixti vt sic, & petens identificari cum anima, vt anima est; tunc esse corporeum iam dictum prouenien sab illa est proprium susceptiuum ipsius, vt animę est; maximè, quia vt r. de Gener. disp. a. n. 119. & 123. ex D. Thom. asserimus, gradus ille corporis mixti prouenien sab anima secundùm quod est modo dicto forma, & petit identificationem iam dictam; importat propria, & peculiaria accidentie, quæ in genere causæ materialis disponunt, & determinant materiam, & prædictum esse corporeum ad hoc, vt potiùs recipiat animam, vt animam, quam quamlibet aliam formam secundùm suam rationem vltimam consideratam.

Ad confirmationem dicendum est, nomine corporis physici, non intelligi in præsenti corpus physicum, & completum qualecunque, sed illud, quod immediatè contrahitur per gradum viuentis. Nam, vt ex dicendis infra num. 30. constabit, magis consonum est menti Aristot. & D. Thom. quod per lę, organi ci, in eadem diffinitione intelligitur ... us viuum, seu animatum: & ita iuxta hunc dicendum modum, nomine corporis physici intelligitur corpus, vt est immediatè susceptiuum vitæ: Quoniam vt r. Phys. disp. 1. num. 8. innuimus, quoties cunque prædicatum essentialitèr inferiùs adiungitur alteri prædicato essentialiter superiori, non tamen proximo, & immediato, vt in præsenti contingit respectu inferioris; restringit illud, vt accipiatur, non solùm secundùm sua essentialie, sed pro vt inuoluit alia prædicata intermedia, vsque ad prædicatum inferius, ex eo quod non potest coniungi cum isto, nisi per intermedia.

Diximus iuxta hunc dicendi modum; nam si sequamur eum, quem ex Caiet. num. 27. vt probabilem in via D. Thom. referemus, tunc sicut per ly, organici, non intelligitur corpus viuum vt tale, sed proximè susceptiuum vitæ. Ita nomine corporis, non debet intelligi proximum susceptiuum vitæ, sed corpus ipsum prout contrahitur per gradum immediatè susceptiuum eiusdem vitæ.

11. Ad vltimam negandum est, animam solùm respectu materiæ esse formam physicam, & modo physico informare, nam cùm tam secundùm suam entitatem absolutè sumptam, quàm secundùm quod anima sit formæ physica, debet vtique modo physico secundùm vtramque rationem actuare. Constat autem, quòd anima, vt anima, & vt distincta, à se ipsa, secundùm suam entitatem absolutè sumpta, non habet aliud proprium susceptiuum, nec alium modum physicum informandi, nisi illum quem iam explicuimus.

Quod etiam explicari potest: Tùm ex eo quod forma metaphysica constituens speciem, aut indiuiduum directè contentum sub genere substantiæ dicit totam entitatem eiusdem speciei aut indiuidui, & physicè loquendo est quid completum, eique adeò non distinguitur realiter ab illa, vt constat in rationali quod est differentia, & forma metaphysica hominis, totam entitetem physicam, & essentialem eius per modum contrahentis dicens, cum eoque realiter identificatur; at anima vt enima, est quid physicè, & realiter incompletum, realiterque distinguitur ab animato, quod constituit.

Tum etiam, quia animę vt anima seipsa distinguitur à suo susceptiuo, non quidem ratione eius, quòd tale susceptiuum hab. t ab eadem anima, vt dat esse corporeum iam dictum, sed ratione materiæ, quam susceptiuum illud inuoluit; hoc autem in forma metaphysica, & modo metaphysico informante non inuenitur: Tum denique quia formę metaphysicę, vt talis non exigit dispositiones physicas; at anima vt anima petit proprias dispositiones physicas, scilicet accidentia illa, quæ ab eadem, vt modo dicto est forma corporis mixti, dimanant: hæc autem sunt accidentia sensibilia, & ita indicant proprium susceptiuum physicum, & modo physico, nec non ad Philosophiam naturalem, quæ materiam sensibilem concernit spectans, & hæc de particula illa, corporis physici.

QVÆSTIO III.

Vtrum particula illa, organici, in prædicta animæ diffinitione rectè adducatur.

Quia notitia eorum, quæ ad essentiam animæ spectant, valdè pendet ex intelligentia huius particulæ, ideò potiori titulo particula hæc in peculiari quæstione erit à nobis examinanda.

EX MENTE ARIST. ET D. THOM. quæst. resoluitur.

§. I.

22. DIcendum ergo est optimè in prædicta animæ diffinitione particulam illam *organici* collocari. Ita Aristot. & D. Thom. communiterque interpretes. Explicatur assertio, etenim corpus naturale duplex est; aliud quod caret partibus diuersæ rationis: aliud verò quod saltem radicaliter habet prædictas partes, ex se aptas ad opera vitæ exercenda, ex quibus illud prius non dicitur organicum, secùs verò hoc posterius, ducta similitudine, seu metaphora ab organo, quod est instrumentum musicum, & magna partium varietate constat; quarè vt denotaretur, animam esse actum corporis physici habentis saltem radicaliter diuersitatem partium, & organorum ad opera vitæ deseruientem, ideò addita est in diffinitione illius particula illa *organici*.

Nec deest conueniens ratio, quæ particulam hanc suadeat addendam: nam cùm anima, quippè inter formas perfectissima, habeat plures & diuersas operationes, oportet vt etiam habeat plures, & diuersas partes, & organa, quibus illas exerceat, atque adeò, vt sit actus corporis organici. Quæ omnia eleganter explicuit D. Thom. in hoc 2. lib. lect. 1. constituens differentiam inter animam & formas rerum inanimatarum, his verbis: *Dicitur corpus organicum; quod habet diuersitatem organorum: diuersitas autem organorum necessaria est in corpore suscipiente vitam, propter diuersas operationes animæ: anima enim cùm sit forma perfectissima inter formas rerum corporalium, est principium diuersarum operationum, & ideo requirit diuersitatem organorum in suo perfectibili: formæ verò rerum inanimatarum propter suam imperfectionem sunt principia paucarum operationum, vnde non exigunt diuersitatem organorum in suis perfectibilibus.*

23. Confirmatur, & explicatur hoc ipsum ratione eiusdem Arist. & D. Thom. in hoc 2. lib. text. 7. nam plantæ, quæ inter res animatas habent animam imperfectiorem, scilicèt vegetatiuam, constant etiam diuersitate partium, & organorum; ergo signum est ad omnem animam requiri prædictam diuersitatem partium, ac proinde animam esse actum corporis organici. Vtraque consequentia patet. Antecedens autem est Arist. loco citato his verbis: *Enim verò partes quoque plantarum instrumenta sine controuersia sunt, eius enim quod circa fructum est, illud tegmen est, folium, & fructus etiam, radices propterea vices subeunt oris.* Vbi D. Thom. *Inter animas autem, anima plantarum imperfectior inuenitur. Vndè in plantis minor est diuersitas organorum quàm in animalibus; & ideò, ad ostendendum quòd omne corpus suscipiens vitam, est organicum, accipit argumentum ex plantis, in quibus est minor diuersitas organorum; Et quod partes plantarum sint organicæ, manifestat, per hoc quod diuersæ partes sunt ad diuersas operationes, sicut folium est ad cooperimentum corticis, vel fructiferi, id est illius partis, in qua fructus nascitur: cortex autem, vel fructiferum, ad cooperimentum fructus. Radices autem in plantis sunt proportionabiles ori animalium, quia vtraque trahunt alimentum, scilicèt radix in plantis, & os in animalibus.*

* * *

OBIICIVNTVR, ET DILVVNTVR ALIQVA contradicta.

§. II.

24. SEd obiicies primò, quòd vel per corpus organicum intelligitur corpus habens organizationem substantialem, vel accidentalem: non primum, quia vt in Logica disp. 13. num. 30. & in lib. de Generat. disp. 5. num. 32. ostendimus; substantia intra propriam lineam est indiuisibilis in alias partes, præterquam in materiam & formam; organizatio autem substantialis, & intra lineam substantiæ essentialiter requirit, vt communiter docent Philosophi, diuersitatem partium entitatiuorum intra eandem lineam; tum etiam, quia etiam si admittantur prædictæ partes entitatiuæ, non possent esse dissimilares seu distinctæ speciei, sed similares, seu eiusdem rationis, alioqui non essent vnum per continuationem, ergo non essent partes substantiales organicæ intra propriam lineam, quippe cùm partes organicæ debeant esse diuersæ rationis.

Secundum autem dici nequit, aliàs anima non diffiniretur quidditatiuè per corpus organicum, cuius oppositum infra ostendemus. Patet consequentia; nam forma substantialis solùm dicit essentialem ordinem ad ea quæ sunt intra lineam substantiæ, non verò ad ea, quæ sunt extra talem lineam; & ita solùm per illa, non verò per ista potest essentialiter diffiniri.

Secundò obiicies, quòd anima debet diffiniri per proprium subiectum susceptiuum illius; sed corpus organicum non est proprium subiectum susceptiuum ipsius, ergo non debuit per illud diffiniri. Maior ex se videtur constare, nam sicut forma essentialiter respicit proprium susceptiuum, & in hoc respectu transcendentali eius essentia consistit; ita per tale subiectum debet diffiniri. Minor autem probatur, nam cùm sola viuentia vt talia habeant corpora organica, idem erit corpus organicum, ac viuum vt viuum; ac proinde includens animam vt anima est; corpus autem viuum vt viuum, non est proprium subiectum animæ, licèt sit quoddam compositum coalescens ex ea, & ex materia, sicut calidum, vt calidum non est subiectum caloris, sed corpus, quod aliàs est calidum.

25. Confirmatur primò, quia aliàs hæc diffinitio non esset quidditatiua. Probatur sequela, quia non daretur per priora, & notiora secundùm naturam, sed per posteriora secundùm naturam, & quoad nos solùm notiora; nam esse corpus organicum, seu viuum, est effectus formalis animæ, & per consequens posterius illa, & solum quoad nos quid notius. Diffinitio autem tradita per effectus, & per notiora, solùm quoad nos, non est quidditatiua sed descriptiua: ergo, & cætera.

Confirmatur secundò, quia si semel corpus esse organicum est effectus formalis animæ, iam anima diffinita per corpus organicum, diffinietur per se ipsam: hoc autem est absurdum, ergo, &c. Sequela patet, quia iam corpus organicum includeret in se formaliter animam; atque adeò anima poneretur in diffinitione sui. Falsitas autem consequentis, ex se constat, & insuper ostendi potest, nam sicut implicitè ponitur, ita posset poni explicitè ponendo physicam diffinitionem corporis organici iuxta illud commune proloquium, quod loco nominis in diffinitione positi, licèt ponere eius diffinitionem, & sic anima expressè poneretur in sui diffinitione quod vt constat est apertum vitium.

Secundò

Secundò obiicies animam esse actum, sed formam sanguinis & aliorum humorum, vt infrà disput. 6. num. 10. probauimus; & tamen humores isti non constat diuersitate partium, & organorum: ergo anima malè diffinita est per hoc quòd sit actus corporis organici, siquidem etiam est actus aliorum, quæ non habent esse organicum.

26. Ad primam ex his obiectionibus constabit: Tum ex dictis 1. de Generat. disput. 5. num. 32. & deinceps: Tum ex dicendis in solutione sequentis obiectionis, & infra in hac disput. num. 43. & 44.

Ad secundam omittenda est solutio aliquorum, de quorum num. est Suarez 2. tom. summæ Theologiæ tract. 3. lib. 1. cap. 2. asserentium nomine corporis organici intelligi materiam primam, prout per dispositiones antecedentes ad instans generationis, & in eodem instanti permanentes organizata est organizatione accidentali in ordine ad recipiendam animam, ex eo quòd materia sic determinata, est proprium susceptiuum illius.

Nam vt ex dictis 1. de Generat. disp. 3. à numer. 52. vsque ad num. 69. constat, omnia accidentia quæ erant in materia ante instans generationis, atque adeò prædicta organizatio accidentalis pereunt in eo, & ita materia vt habet illam, non erit proprium susceptiuum animæ.

27. Hac ergo omissa solutione, duplici via potest ad eam responderi. Vt autem quælibet illius meliùs intelligatur, notandum est primò ex D. Thom. quæst. de Anima art. 1. ad 15. quem sequitur Caietan. in hoc 2. lib. cap. 1. in dubio circa tertiam conclusionem, & communiter Thomistæ: susceptiuum alicuius formæ esse duplex; aliud informe, aliud verò formatum; ex quibus informe importat ea, quæ sunt propria subiecti, non verò illa quæ ei communicantur à forma, quo pacto diaphanum secundùm se comparatur cum luce, quia secundùm se non importat id, quod ab eadem luce participat. Subiectum verò formatum affert etiam ea quæ illi à forma communicantur; & ita album, vel diaphanum actu comparantur cum albedine, vel luce; quia album includit illa quæ ei communicantur ab albedine, & corpus transparens actu, dicit etiam id quòd habet à luce; quoniam diaphanum, nisi actu habeat lucem, non est actu transparens, vt docet Arist. in hoc lib. 2. text. 69.

Secundò notandum est ex eodem D. Thom. loco statim referendo, & ex Caietan. vbi supra: Organum dupliciter accipi posse: primò pro organo initiatiuè & dispositiuè, secundùm quam rationem importat compositum substantiale coalescens ex materia prima, & ex anima, prout tribuit omnes gradus substantiales, vsque ad esse animatum exclusiuè, & consequenter dicit prædictum compositum, vt ab ea actu dimanant certa quædam complexio, certa quantitas, situs & alia requisita, ad hoc vt anima tribuat esse animatum vt tale; & insuper ad hoc, vt ab ea dimanent formæ accidentales, & vitales constituentes complete, & omninò perfectè organum in esse organi. Secundò pro organo secundùm propriam rationem organi saltem radicalem, secundùm quam rationem importat animam, vt dat esse animatum, ac proinde vt vera radix adæquata omnium quæ requiruntur ad completam rationem organi, qualia sunt potentiæ vitales, illud vltimatè complentes.

28. Hinc ergo ad prædictam obiectionem respondetur primò, satis esse ad rectam diffinitionem animæ, quod diffiniatur per proprium susceptiuum, siue informe, siue formatum. In præsenti autem iuxta hunc priorem dicendi modum diffinitur per corpus organicum initiatiuè, & dispositiuè sumptum, tanquam per proprium susceptiuum, informe tamen respectu animæ, vt anima est; quia anima vt anima, non introducitur, nisi priùs actuetur materia per eandem animam, vt dat gradus antecedentes ad esse animatum, & vt secundùm illos initiatiuè habet esse organicum, ac proinde est radix organizationis dispositiuæ, iam explicatæ, illamque actu habet.

Neque oppositum conuincit probatio minoris ibidem adducta: nam licèt corpus quod completè radicaliter organicum est, sit idem ac corpus viuum, & ita includat animam vt animam, non tamen corpus organicum initiatiuè, & dispositiuè. Vndè potest optimè per illud, tanquam per proprium susceptiuum, non qualecumque, sed informe diffiniri.

Quæ solutio est satis consona doctrinæ D. Thom. quæst. de spiritualibus creaturis art. 3. in solutione ad secundum iam citata, vbi explicans has particulas, quas ex parte subiecti Arist. in hac diffinitione posuit, scilicèt *corporis physici organici potentia vitam habentis*, inquit: *Sic ergo ipsa materia secundùm quod intelligitur, vt perfecta in esse corporeo susceptiuo vitæ, est proprium subiectum animæ*, atque adeò innuit diffiniri, non quidem per subiectum formatum, quod est actu viuum, sed per informe, quod licèt non sit actu viuum, est tamen susceptiuum vitæ: Tum etiam 1. part. quæst. 76. art. 6. ad primum, vbi inquit, quòd ab eadem anima proueniunt omnes gradus substantiales à primo, vsque ad vltimum, & quòd materia actuata per priores, & per dispositiones accidentales ab eis prouenientes, est proprium susceptiuum graduum immediatè subsequentium. Vndè proprium susceptiuum animæ erit compositum illud substantiale resultans ex materia, & ex eadem anima vt dat gradus prædictos, & est radix actualis prædictorum accidentium, scilicèt certæ quantitatis, situs, complexionis, &c. quod nihil est aliud, quam esse organicum initiatiuum, & dispositiuum iam explicatum; & ideò optimè poterit per illud, tanquam per proprium subiectum, informe tamen respectu eiusdem animæ vt animæ, diffiniri.

29. Nec obest quòd vt ex D. Thom. statim dicemus: corpus organicum, per quod anima diffinitur, non abiicit animam, ac proinde includit illam; hoc autem contingere nequit, si tale corpus solum est subiectum informe respectu illius: siquidem subiectum informe non includit formam, vt ex dictis constat; ergo, &c. Non itaque hoc obest, nam aliud est an corpus organicum abiiciat animam, vt res est, seu secundùm rem; an verò abiiciat illam, vt anima est, seu secundùm intelligibilem rationem: etenim iuxta hunc dicendi modum corpus organicum non abiicit animam, vt res est, quia realiter loquendo habet eam, & est formatum per illam: abiicit tamen eandem animam, vt anima est, quia in illo priori nondum intelligitur recepta, aut informans secundùm quod anima est; quare cùm in præsenti diffiniatur anima non vt res est, sed vt anima est; ideò rectè dicitur diffiniri per subiectum informe, dum per corpus organicum, modò dicto, diffinitur.

Propter quod etiam D. Thom. meritò postquam loco citato ex quæstione de spiritualibus creaturis dixit, quòd forma perfectior tribuit ea, quæ imperfectiores tribuunt, & aliquid amplius, addidit: *Ita tamen quòd non intelligatur hæc distinctio in formis secundùm essentiam, sed solùm secundùm intelligibilem rationem.* Vt denotaret, quod de eadem met forma secundùm rem, diuersa tamen secundùm intelligibilem rationem, dicitur esse imperfectam, & perfectam:

fectam : imperfectam quidem, quatenus non tribuit gradum vltimum, quem tribuere potest; perfectam verò, quatenus illum tribuit: & per consequens subiectum, dùm habet priores gradus non abiicere illam secundum rem, benè tamen secundum intelligibilem rationem.

30. Aduertendum tamen, quod iuxta hunc dicendi modum particula illa *corporis physici*, non denotabit corpus illud, quod supra dicebamus, scilicèt corpus completum, vt est proximũ susceptiuum vitæ, cum hoc per ly organici denotetur; sed prædictum corpus cõpletum, vt dicit gradum, quod immediatè contrahitur per gradum proximè susceptiuum vitæ; quodquo modò supra insinuato petit cum prædicto esse organico, & viuo identificari.

Secundo & magis ad mentem Arist. & D. Th. nec non & ad superiùs dicta, vt testatur Caiet. poterit responderi: diffiniri hic animam per corpus vt organicum; quatenus esse organicum dicit propriam, & essentialem rationem organi, saltem radicaliter sumpti; atque adeò diffiniri per subiectum formatum. Et meritò sanè, nàm cum forma essentialem habitudinem ad prædictum subiectum includat, quippè quòd est effectus formalis illius, poterit optimè per illud diffiniri; & ita nihil oberit, quod corpus organicum sic sumptum sit idem, ac corpus viuum, vt viuum, & includens animam vt est anima; sed potiùs hoc desideratur ad hoc; vt per illud tanquam per subiectum formatum diffiniatur. Non secùs ac cum diffinitur calor per subiectum formatum, debet diffiniri per illud, vt est calidum, & includit calorem: vt si dicas, calor est actus calidi, & sic de aliis. Quare idem erit dicere, animam esse actum corporis animati, seu viui; & ita sicut cùm anima diffinitur per corpus, ly *corpus* denotat subiectum formatum per illam vt est forma corporis susceptiui vitæ: ita dum diffinitur per ly *organici*, explicatur per idem corpus, vt formatum per eam secundùm rationem animæ.

Quæ solutio est absque dubio magis consona Arist. Tùm propter ea, quæ sequenti quæst. dicemus: Tum etiam, quia explicans Philosophus in text. 10. quid per corpus organicum in hac diffinitione intelligeret, inquit: *Est autem non abiiciens animam potentia ens vt viua*, est antem verisimilius, quòd loquatur de anima, vt anima; nam sicut eam vt talem diffiniebat: ita dum statim inquit eam includi in corpore organico per quod diffinitur, loquimur de eadem in eodem sensu formali; & ita in text. 8. inquit: *animam esse quod quid erat corporis* per quod diffinitur. Quare cùm diffiniatur per corpus organicum, diffinietur per illud, tanquam per subiectum formatum habens esse per illam.

31. Vndè, hanc eandem expositionem sequitur D. Thomas. Tum in præsenti; Tum etiam quæst. de Anima artic. 1. verbis: *Ad decimumquintum dicendum, quòd in diffinitionibus formarum aliquando ponitur subiectum, vt informe, sicut cùm dicitur motus est actus existentis in potentia: aliquando autem ponitur subiectum formatum, sicut cùm dicitur, motus est actus mobilis, lumen est actus lucidi; & hoc modo dicitur anima actus corporis organici Physici, quia anima facit ipsum esse corpus organicum, sicut lumen facit aliquid esse lucidum.*

Tum denique 1. part. quæst. 76. art. 4. ad primum vbi explicans hanc diffinitionem sic: *Dicendum, quòd Arist. non dicit animam esse actum corporis tantum, sed actum corporis physici organici potentia vitam habentis; & quòd talis potentia non abiicit animam. Vndè manifestum est, quòd in eo cuius anima dicitur actus etiam anima includitur eo modo loquendi, quo calor est actus calidi, & lumen actus lucidi, non quòd seorsum sit lucidum sine luce, sed quia est lucidum per lucem; & similiter dicitur quòd anima est actus corporis, &c. quia per animam, & est corpus, & est organicum, & est potentia vitam habens, sed actus primus dicitur respectu actus secundi, quod est operatio, talis enim potentia est non abiiciens, id est non excludens animam.* Vndè hanc eandem expositionem magis insequitur Caietan. loco citato, eamque tenent Flandria 2. de Anima explicans D. Th. Bañez 1. part. quæst. 75. art. 1. dubitat. 2. Suarez 2. tom. summæ Theologiæ tract. 3. lib. 1. cap. 2. n. 34. Rubio in præsenti tract. de substantia animæ, quæst. 5. Toletus super text. 4. & ex antiquis Themistius, Simplicius, & Philoponus.

32. Ad primam confirmationem, iuxta priorem dicendi modum, non est necesse responsum præbere, quandoquidem satis constat, quòd si anima diffinitur per corpus organicum initiatiuè & dispositiuè, diffiniatur per aliquid prius quàm ipsa, vt anima est: & ita ex hac parte nihil oberit, quominùs prædicta diffinitio sit quidditatiua. Iuxta secundum verò dicendi modum, qui magis placet, constabit quid ad eam dicendum sit ex his quæ infra in hac disput. n. 33. & deinceps adducemus.

Ad secundam confirmationem, nullum esse inconueniens, animam secundùm se diffinire per se ipsam, vt implicitè inclusam in suo effectu formali adæquato. Et ad probationem in contrarium dicendum est, regulam illam esse vniuersaliter veram in his quæ ponuntur in diffinitione, vt partes intrinsecæ diffiniti, & quo ad ea quæ tales partes intrinsecè, & in rectò important: secùs verò quoad ea, quæ ponuntur in illa vt additamentum: at corpus organicum ponitur in diffinitione animæ, non vt pars intrinseca eius, sed vt additamentum, & ita in eo prædicta regula seruanda non est; sed de his videantur ea quæ in Logica disput. 14. 77. diximus.

33. Ad tertium respondetur, quòd vt constat ex dictis 1. de generat. disput. 5. num. 32. & deinceps substantia materialis non habet partes formaliter entitatiuas intra lineam substantiæ, sed solùm radicaliter, subiectiuè, ita vt hoc quod est habere partes formaliter proueniat illi à quantitate tanquàm à causa formali intrinseca. Vndè cùm dicitur, animam tribuere intra lineam substantiæ esse organicum; debet intelligi de esse organico radicaliter, & subiectiuè; vt autem hoc tribuat, sitque actus corporis organici, non est necesse, vt sub quauis parte quantitatis sub qua est sit radix illius; sed satis est quòd vt est, sub tota quantitate, sit radix partium, & organorum dissimilarium quia per se primò subest modo alibi dicto, toti quantitati, & est radix illius, necnon & accidentium, quæ in toto composito subiectantur, secundariò autem est radix huius, vel illius partis, & accidentium illius.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm in priori diffinitione animæ legitimè addatur vltima particula, scilicèt potentia vitam habentis.

34. PRo huius quæstionis decisione notandum est 1. ex D. Thom. 1. part. quæst. 18. art. 2. & lib. 1. huius operis lect. vltima: Vitam esse duplicem: aliam substantialem: aliam verò accidentalem; vita substantialis dicit primam radicem potentiarum & actionum vitalium, seu primum principium mo[...]ndi seipsum. Vndè, idem S. Doctor loquens de [...]ta substantiali in hoc 2. lib. lect. 1. inquit: P[...]

autem ratio vitæ est ex hoc quod aliquid est natum moueri seipsum large accipiendo motum, prout etiam intellectualis operatio motus quidam dicitur, ea enim sine vita esse dicimus, quæ ab exteriori tantum principio moueri possunt. Et hoc pacto solet communiter sumi quoties accipitur secundùm quod opponitur morti, in quo etiam sensu illam sumpsit Arist. in lib. quem de vita, & obitu, & de diuturnitate, & breuitate vitæ inscripsit, & dum in hoc 2. lib. text. 37. inquit: *Viuere in viuentibus est esse vtique substantiale.*

Vita verò accidentalis est operatio vitalis, quæ à vita substantiali, vt à prima radice, & à potentiis vitalibus, vt à principio proximo procedit, qualis est accretio, aut nutritio; &c. Qua acceptione vtitur Arist. text. 3. huius 2: lib. dum inquit. *Vitam autem dicimus id quod per se ipsum alimentum, & augmentum, & decrementum habet.* Et lib. 1. Politicorum c. 6. *Vita certè est actio, & non factio* Et lib. 10. Ethic. cap. 4. *Vita*, ait, *quædam est operatio.* Et in eodem sensu lib. 7. Politicorum c. 2. diuidit vitam in actiuam, & contemplatiuam. Et lib. 1. Ethicor. ad Eundem circa principium illam distinguit in ciuilem, philosophicam, & voluptuatiam. Idemque notat D. Thomas 1. 2. quæst. 3. art. 2. ad 1. Vndè etiam beatitudo, quæ in operatione consistit, dicitur in sacra scriptura vita æterna, vt Ioan. 17. *hæc est vita æterna, vt cognoscant te, &c.*

35. Secundò notandum est, quòd nomine vitæ, dum in hac particula dicitur potentiam vitam habentis, non intelligitur vita substantialis, sed vita accidentalis. Ita expressè Aristotel, in hoc secundo lib. Tum propter ea, quæ ex eodem, quæstion. præcedenti diximus: Tum etiam, quia text. 10. inquit: *est autem non abiiciens animam potentia ens, vt viuat, sed quod habens semen autem & fructus potentia huiusmodi corpus est.* Vbi D. Thomas. lect. 2. *Exponit præmissam diffinitionem de Anima quantum ad hoc, quod dixerat; quod est actus corporis habentis vitam in potentia. Dicitur enim aliquid esse in potentia dupliciter, vno modò cùm non habet principium operationis: alio modo cùm habet quidem, sed non operatur secundùm ipsum: corpus autem cuius actus est anima, est habens vitam in potentia, non quidem primo modo, sed secundo, & hoc est, quod dicit quòd corpus potentia ens vt viuat, id est habens vitam in potentia cuius est actus anima, non sic dicitur esse in potentia ad vitam, quod sit abiiciens animam, id est carens principio vitæ, quod est anima, sed quod est habens huiusmodi principium.* Quod etiam vt quæstion. præcedenti numer. 31. vidimus, docet quæst. 76. iam citata 1. part. art. 4. in solutione ad primum, & omnes Doctores num. nuper dicto relatis.

Et ratio desumitur ex ibidem dictis, & ex eodem Angel. Doct. desumptis: nam anima diffinitur per corpus organicum, tanquam per subiectum formatum; ergo in illo includitur eadem anima quatenùs anima, vt quid constituens illud in esse organici, siquidem in subiecto formato includitur forma formans illud; ac proinde per ly potentia vitam habentis, non intelligetur corpus, quod solum in potentia viuet vita substantiali per animam; benè tamen corpus, quod solum viuat in potentia vita accidentali, quandoquidem vltra vitam substantialem nulla est alia præter accidentalem.

36 His ergo suppositis dicendum est primò, particulam illam, potentia vitam habentis, non poni in diffinitione, vt quid simpliciter necessarium ad il[illegible] m. Ita Bañez. Caiatan. Rubio Conimbricenses &

[illegible]batur testimonio Aristot. secundo huius operis text. 7. b[illegible] verbis: *Si autem aliquid commune de omni anima oportet dicere, erit vtique primus actus corporis physici organici*, vbi D. Thom. sic ait: *Colligit ex omnibus prædictis diffinitionem animæ, & dicit, quod si aliqua diffinitio communis debeat assignari, quæ conueniat omni animæ, erit hæc, anima est actus primus corporis physici organici, non autem oportet addere potentia vitam habentis, loco enim huius ponitur organicum, vt ex dictis patet.* Nec necesse erit assertionem aliis rationibus confirmare, quia ex dictis, tam in præcedenti, quàm in præsenti quæst. satis constat.

Dicendum est secundò particulam prædictam non incongruè poni in diffinitione animæ maioris claritatis gratia: ita autores citati. Et ratio est, nàm cùm apud antiquos ita ignota esset ratio, & quidditas animæ, & ideò in tot abierint opiniones, (de quibus latè Arist. in lib. 2. huius operis, & D. Tho. ibidem) potuit optimè addi aliqua particula in eius diffinitione, non obstante, quòd implicitè in aliis particulis contineretur; vt ita eius natura magis perspicua maneret, maximè quia cùm operationes vitæ sint adeò notæ, valdè deseruiunt ad eandem animam ampliùs manifestandam.

37 Vndè, Arist. & D. Thom. artificiosè in hac diffinitione tradenda processerunt. Nam antequam animæ naturam, & singulas particulas diffinitionis, nec non & ea, quæ sub illis latitabant, explicarent; addiderunt vltimam hanc particulam, scilicèt *potentia vitã habentis*, vt per eam natura corporis organici innotesceret; & ita significaretur illud esse corpus viuum, semel autem hoc explicato, & iterum prædictam diffinitionem ex his, quæ dixerant colligentes, solùm tradiderunt ea, quæ ad diffinitionem animæ necessaria erant, scilicèt particulas illas, quæ in præcedentibus quæst. explicatæ sunt.

Nec obest, si contra hæc aliqua non magni momenti cum Iuniore quodam obiicias. Primum est, vitam accidentalem corporis animati esse multiplicem, quandoquidem operationes eius vitales, in quibus hæc vita consistit, plures sunt; vita verò substantialis tantum est vnica: ergò cùm in diffinitione non dicatur potentia vitas habentis, sed vitam habentis, potiùs debet nomine vitæ ad quam dicitur esse in potentia corpus organicum, intelligi vita substantialis, quæ est vnica, quàm accidentales, quæ sunt plures.

Secundum est, vitam accidentalem, non debere esse actionem immanentem receptam in corpore animato, sed multoties esse transeuntem ad aliud subiectum: & ideò planta cùm generat aliam, non agit actiona immanenti, sed transeunti; ergo nomine vitæ, potiùs vita substantialis, quàm accidentalis debuit intelligi. Patet consequentia, quoniam vita substantialis semper habetur, & recipitur in corpore animato, & illa particula habentis denotat, quòd corpus animatum in se habeat vitam, de qua in diffinitione fit termo.

38 Respondetur enim facilè, ad primum omnes operationes vitales conuenire in rationa vitæ actualis, seu accidentalis, & ita per hanc rationem communem vitæ potuisse animam modo dicto diffiniri. Ad secundum verò dicendum est, per illam particulam potentia vitam habentis, denotari, quod corpus organicum habeat potentiam actiuam radicalem ad operationes vitæ, & ita secundùm suam essentiam præcisè consideratam intelligatur esse in potentia prædicta ad illas eliciendas, ad hoc autem non est necessarium, vt operationes vitæ in eodem recipiantur. Vtrùm autem aliunde necessarium sit, omnem actionem vitalem recipi in supposito illam

elicentę;

eliciente; & quomodo hoc verificetur infrà disput. 4. num. 18. id explicabimus. Addè, non improbabiliter posse dici, illam particulam, potentia vitam habentis, reddere sensum indefinitum, ita vt per eam denotetur corpus organicum esse in potentia ad aliquam operationem vitæ in se recipiendam, & habendam. Quarè cùm quoduis corpus animatum habeat aliquas operationes vitæ in eodem manentes, optimè in illis prædicta particula verificatur.

QVÆSTIO V.

Vtrum prior Animæ diffinitio sit essentialis.

POstquam explicuimus omnes particulas primæ diffinitionis animæ; restat, vt de qualitate eiusdem diffinitionis, an nimirum quidditatiua, an verò descriptiuá sit? agamus. Nomine autem diffinitionis quidditatiuæ non intelligimus eam, quæ rigorosè est talis nàm cùm anima sit ens incompletum, nequit componi propriè, & in rigore genere, & differentia, vt in Logica disp. 6. num. 12. diximus. Vndè cùm compositio ista ad diffinitionem rigorosè quidditatiuam requiratur, planum erit animam non posse prædicta diffinitione diffiniri. Quare tantùm loquimur de diffinitione quidditatiua latiùs sumpta, prout importat explicationem rei diffinitæ per sua essentialia, ac proindè etiam per illa ad quæ intrinsecam dicit habitudinem.

Opinio prior.

§. I.

39. PRima sententia negat, prædictam diffinitionem esse quidditatiuam. Pro hac referuntur Auic. 6. lib. naturalium quæst. Scotus in 2. distinct. 6. quæst. vnica. quamuis reuera ibidem oppositum asserere videatur, & aliqui alij. Probatur primò, omnis diffinitio essentialis debet tradi per aliquid prius, & notius, non solùm quoad nos; sed etiam natura; sed hoc non conuenit præsenti diffinitioni: ergo non erit essentialis. Maior patet, nam diffinitio essentialis datur per partes essentiales rei diffinitæ, partes autem essentiales rei sunt priores, quam illa, & ea natura sua notificant ipsam. Minor autem etiam liquet; nam hæc diffinitio traditur, per corpus organicum, seu viuum; corpus autem istud, est effectus formalis animæ, ac proinde quid posterius illa; & consequenter erit secundùm suam naturam ignotius, quàm eadem anima; nam vt communiter docent Metaphysici, id quod est posterius, & effectus alicuius causæ solùm quoad nos potest esse notius, quàm ipsa; non verò secundum se.

Secundò. Actus primus substantialis, qualis est anima, non potest dicere essentialem ordinem ad accidentia; at ista diffinitio datur per ordinem ad illa: ergo in ea non diffinitur anima per aliquid essentiale, atque adeò nec quidditatiuè: ergo, &c. Maior probatur, nàm alioqui desumeret suam speciem ab illis, & consequenter essent ex natura sunt priora, quàm ipsa substantia, & actus essentialis eius, quod est contra rationem accidentis, & substantiæ, vt communiter Metaphysici admittunt. Minor autem probatur: tum quia, vt supra diximus, satis probabile est, diffinitionem istam dari per ordinem ad corpus organicum initiatiuè, & dispositiuè sumptum: hoc autem necessariò includit accidentia: ergo dabitur etiam per ordinem ad eadem accidentia: tum etiam, quia corpus organicum quouis modo sumptum includit diuersitatem partium, & organorum: diuersitas autem ista non potest non prouenire ab accidentibus, cum substantia intra propriam lineam, non habeat partes, vt in Logica disput. 13. n. 30. & 1. de Generat. disput. 5. numer. 32. ostendimus: ergo, &c.

Vera Arist. & D. Thom. sententia.

§. II.

40. DIcendum est, prædictam diffinitionem esse essentialem: ita communiter omnes Philosophi exceptis his quos pro prima sententia retulimus; & ideò eos recensere supervacaneum esset.

Probatur primò ex Aristot. in hoc 2. lib. 1. cap. 1. Vbi initio illius inquit, *Determinandum esse, quid sit anima*, & postquam prædictam diffinitionem tradidit statim, text. 8. asserit: *Iam esse determinatum; quid sit anima*: hoc autem non potuisset dicere, si diffinitio tradita non esset essentialis, quandoquidem per diffinitionem descriptiuam non determinatur quid sit res, sed traditur signum quoddam, quo ad rei diffinitæ cognitionem deuenire possimus. Quibus etiam consonat D. Thom. dum lect. 1. eiusdem 2. libri inquid: *Cum supra in proœmio quæsitum fuerit, vtrùm priùs de anima ipsa determinandum sit, quasi hanc quæstionem determinans dicit, quod in principio dicendum est, quid est anima, in quo notificatur ipsa animæ essentia.* Constat autem solam diffinitionem quidditatiuam notificare ipsam essentiam animæ, atque adeò si iuxta explicationem hanc, per prædictam diffinitionem determinat Aristot. quid sit anima notificando eius essentiam, non potest non talis diffinitio esse quidditatiua.

Confirmatur ex eodem Aristot cap. 2. huius 2. lib. vbi de hac diffinitione mentionem faciens, aliamque tradere volens sic ait: *Non enim solum ipsum quod sit, oportet diffinitiuam rationem ostendere, sicut plures diffinitionem dicunt, sed & causam inesse, & apparere.* Quibus verbis manifestè denotat, priorem diffinitionem ab ipso traditam (quam hucusque explicuimus) ostendere quid sit anima, atque adeò esse quidditatiuam; posteriorem verò per causam animæ nobis notiorem, modo disput. sequenti explicando, dari.

41. Deindè probatur ratione, quam insinuant idem Aristot. & D. Thom. in hoc 2. lib. lect. 2. quæ potest ad hanc formam reduci. Illud quod est quidditas, & ratio alicuius rei essentialiter habet esse quidditatem eiusdem, & ita si talis quidditas, & ratio per hoc diffiniatur, non potest non illa diffinitio esse essentialis; sed anima est quidditas, & ratio corporis animati, vt ea se constat: ergo essentialiter habebit esse rationem & quidditatem eiusdem, ac proindè præsens diffinitio eiusdem animæ, quæ per hoc traditur, erit essentialis.

Hæc vltima consequentia, quæ solá indiget probatione, seu explicatione, patet, nam idem prorsus est, animam esse actum primum, & substantialem corporis animati, seu organici, ac esse quidditatem, & rationem illius: tum, quia actus primus & substantialis est qui constituit in propria specie, & rationem cuius est actus: tum etiam, quia ideò Arist. loco citato postquam diffiniuit animam, per hoc q[illegible] d sit actus corporis physici organici, postea in [illegible] 8, addit: *Vniuersaliter igitur diximus, quid na[illegible] anima sit, est enim ea substantia, quæ est ra[illegible], hæc autem est quiditas corporalitatis.* Vt denotaret in

idem redire, animam esse actum primum corporis organici, & esse rationem, & quidditatem illius.

Confirmatur primò, Anima essentialiter conuenit cum cæteris aliis actibus informantibus in ratione actus informantis; & essentialiter differt ab omnibus illis in hoc quòd sit actus talis subiecti, scilicet corporis animati, seu viui, quandoquidem nulla alia forma præter ipsam potest constituere corpus in esse viui: ergo diffinitio, quæ per hæc duo datur, erit essentialis, quippe quæ traditur per ratione superiorem, & inferiorem essentiales.

42 Confirmatur secundò, & explicatur magis ratione, quam innuit idem S. Doctor lect. 1. Nam hæc est differentia inter diffinitionem essentialem substãtiæ completæ ex vna parte, & substantiæ incompletæ qualis est anima ex alia, quod in diffinitione substantiæ completæ nihil ponitur, quod sit extra essentiam diffiniti: secùs verò in diffinitione substantiæ incompletæ, scilicèt formæ, quoniam hæc debet tradi per rationem superiorem loco generis, & per proprium subiectum, siue informe, siue formatum, quod est extra essentiam ipsius loco differentiæ, sed ita traditur præsens diffinitio: ergo erit essentialis.

Maior probatur, & explicatur à D. Tho. sic, Nam diffinitio significat quod quid est res, substantia autem completa est quid perfectum in suo esse, & specie absque aliquo alio extrinseco, & ita in eius diffinitione non potest poni aliquid, quod sit extra essentiam eius. Cæterùm, substantia incompleta, scilicèt forma, non habet in se totum suum complementum; sed ab aliquo alio, quòd est extra essentiam ipsius, scilicèt à proprio subiecto iam explicato, & ita dicit essentialem habitudinem ad illud, in eaque eius ratio differentialis, aut quasi differentialis consistit. Vndè meritò in eius essentiali diffinitione ponitur proprium subiectum loco differentiæ, vt ita explicetur peculiaris & essentialis habitudo ad illud, & consequenter loco generis debet ratio aliqua superior essentialiter ei conueniens collocari, vt constat ex his quæ in Logica disput. 5. num. 21. & deinceps, proportionaliter tamen ad præsens applicatis diximus.

Diluuntur argumenta primæ sententiæ.

§. III.

43. AD primum respondetur primò: Non esse inconueniens, quòd in diffinitione quidditatiua ponatur aliqua particula significans quid posterius quàm res diffinita, dum modo particula illa sit ibidem per modum additamenti, & res diffinita non sit substantia completa, vel si substantia completa fuerit, non habeat esse omninò absolutum, vnde causa efficiens creata nequit diffiniri, nisi per ordinem ad effectum; & consequenter, nisi in diffinitione ponatur effectus, qui est aliquid posterius; ex eo quod prædicta causa intrinsecè est respectiua, respectu saltem transcendentali, & similiter natura diffinitur quidditatiuè per hoc, quod sit principium motus. Vt docet D. Thom. 2. Physic. & nos ibidem disputat. 7. num. 13. ostendimus: & nihilominus motus est quid posterius eadem natura, neque hoc reputatur inconueniens, ex eo quod prædicta natura est quid incompletum in genere substantiæ.

Quarè, cùm anima sit natura, sitque quid incompletum in eodem genere, substantiæ, vt ostensum est nihil oberit quòd in eius diffinitione, addatur aliqua particula denotans aliquid posterius & ignotius secundum naturam quàm ipsa: quæ solutio est valdè consona his quæ ex D. Thom. in hoc 2. lib. lect. 1. retulimus.

44 Secundò respondetur, compositum animatum quod quidem est subiectum formatum respectu animæ posse dupliciter sumi: vel vt habet rationem effectus respectu ipsius, vel vt comparatur per modum specificatiui extrinseci illius; nam anima per se primò dicit ordinem ad compositum atque adeò hoc est causa formalis extrinseca, seu specificatiuum extrinsecum respectu eiusdem animæ. Hinc ergo ad argumentum dicendum est, animam non diffiniri, per subiectum formatum, vt est effectus; sed vt est causa formalis modo dicto illius, & ideò non diffinitur per ipsum, tanquam per quid posterius & ignotius, sed tanquam per quid prius, & secundùm naturam notius.

Ad secundum respondetur: quòd si nomine corporis organici intelligatur præcisè corpus organicum initiatiuè, & dispositiuè sumptum, tunc ibidem expressè inuoluuntur accidentia, & diffinitio hæc traditur aliquo modo per illa, tanquam per quid non per se primò, sed solùm per se secundo inspectum. Nam licèt habitudo essentialis animæ ad corpus organicum terminetur per se primò ad illud secundùm esse substantiale quod habet; attamen eadem secundariò terminatur ad prædicta accidentia.

Vndè, sicut anima potuit diffiniri per ordinem ad prædictum corpus organicum initiatiuè solummodo, & substantialiter sumptum: ita non incongruè diffinita est per ordinem ad illud dispositiuè etiam acceptum, vt sic explicaretur habitudo eiusdem animæ, tàm quoad id, quod per se primò, quam quoad illud, quod per se secundò respicit: hoc autem non tollet, quò minus prædicta diffinitio sit quidditatiua, vt intuenti constabit. Si verò nomine corporis organici intelligatur corpus animatum, vt tale, tunc ibidem non includuntur accidentia, quia tantùm dicit organizationem radicalem, & substantialem, quæ ab accidentibus, non prouenit.

QVÆSTIO VI.

Vtrum hæc animæ diffinitio conueniat omnibus animabus.

VT diffinitio aliqua ex omni capite perspicua maneat, oportet explicare, quod sit diffinitum illius; & ideò ad hoc declarandum, præsentem quæstionem exciramus. Quia verò quoad cæterum animas, præterquam quoad rationalem, vt rationalis est, nullum reperitur dissidium inter auctores, ideò quoad illam præcisè, quæstionem hanc discutiemus.

Refertur duplex dicendi modus.

§. I.

45. PRima sententia asserit, diffinitionem istam nullo modo conuenire animæ rationali, ex eo quod non habet rationem formæ informantis respectu corporis; sed solùm ei vnitur, vt motor mobili. Pro qua referri possunt Plato in Alcibiade, & in Phædone. Simplicius ad text. 7. huius 8. lib. Phyloponus ad text. 11. Iandunus q. 3. Alexander in principio lib. de sensu, & sensibili.

Probarique potest primò; nam anima rationalis est per se subsistens, vt infrà lib. 3. huius operis ostendemus: ergo non est vera forma informans respectu corporis, & consequenter nec ei tradita diffinitio competet. Hæc vltima consequentia patet ex priori; nàm vt supra diximus, num. 12. ideò anima diffinitur,

finitur, per hoc quòd sit actus primus corporis, vt per hoc distinguatur à formis, seu actibus completis, scilicèt Angelis, quæ licèt sint actus, non tamen corporis, quia non informant illud. Vndè si anima non est vera forma informans respectu corporis, nequibit illi hæc diffinitio conuenire. Prima verò consequentia ex antecedenti videtur sequi; nam forma informans est in alio, scilicèt in subiecto; verò forma per se subsistens nequit esse in alio, alioqui non esset per se subsistens, siquidem esse in alio, & esse per se sunt duo modi inter se incompossibiles.

46. Secundò anima rationalis est purè spiritualis, communiter docent Philosophi, & ex infràdicendis constabit: ergo nequit informare corpus. Patet consequentia; nam accidens spirituale, hoc ipso quod tale, non potest actuere subiectum corporeum, sicut neque accidens corporeum potest informare subiectum spirituale vt tale; & ideò quantitas nequit recipi in Angelo, neque gratia, aut intellectus in lapide: ergo multò minùs substantia spiritualis poterit recipi in corpore, & informare illud. Patet consequentia; tum ex paritate rationis: tum etiam quia substantia spiritualis longè nobilior est accidente spirituali. Vndè si hoc ratione excessus, quem propter suam spiritualitatem habet supra corpus, nequit se (vt sic dicamus) dimittere ad informandum illud, multò minùs anima id poterit.

Confirmatur primò, quia forma, & actus corporis habet naturalem appetitum ad corpus; sed anima rationalis, hoc ipso, quod spiritualis, nequit habere talem appetitum; ergo neque esse forma, aut actus corporis. Maior cum consequentia satis constat. Minor verò probatur; nam spiritualis substantia impeditur aliquo modo per materiam, à propria & principali operatione intelligendi, quæ ex se abstrahit à materia, vt infra dicemus: ergo cùm vnumquodque sit propter suam propriam, & principalem operationem, in eamque naturaliter inclinetur, fiet, inde vt spiritualis substantia non habeat naturalem appetitum ad materiam, per quam in prædicta operatione aliquo modo impeditur.

Confirmatur secundò, nam si anima rationalis haberet appetitum ad corpus, esset vtique in statu violento, dum est ab eo separata, sicut quia lapis naturaliter appetit esse in centro, ideò est in statu violento dum est extra illud, sed hoc est falsum: ergo, &c. Minor probatur, quia alioqui posset, & deberet anima per naturam reuniri corpori, quandoquidem naturaliter loquendo nullum violentum est perpetuum; & ita idem numero indiuiduum iam extinctum posset per naturam redire, cuius oppositum primo de Generat. disput. vlt. num. 20. & deinceps ostendimus.

47. Secunda sententia asserit, animam rationalem eminenter continere vegetatiuam, & sensitiuam, eique quatenùs prædictas animas continet, hanc diffinitionem conuenire; secus verò quatenùs præcisè, & formaliter est rationalis, nam secundùm istam rationem sumpta non habet formaliter, sed solùm identicè, & materialiter esse formam corporis. Pro hac refertur Caiet. 1. part. quæst. 70. art. 1. ad 1. Ferrara 2. contra Gentes c. 85. §. ad primum horum dicitur quòd ratio illa procedit.

Probatur primò: nam si animæ intellectiuæ formaliter sumptæ conueniret prædicta diffinitio, sequeretur, quòd etiam si non esset sensitiua, esset actus corporis organici, sed hoc est falsum: ergo, &c.

Sequela probatur: tum quia alioqui non conueniret illi esse actum prædicti corporis, & diffinitio tradita ratione sui atque adeò formaliter, sed solùm ratione alterius scilicèt sensitiuæ, & quia identificatur cum illa.

Tum etiam, nam anima sensitiua ideò formaliter sumpta est actus corporis organici quia licèt contineat vegetatiuam, & quatenùs eam continet sit actus huius corporis, nihilominùs; etiam si eam non contineret, id haberet.

Minor autem probatur, quoniam vt intellectiua non est radix potentiarum vitalium, quæ sint forma organici corporei; quandoquidem intellectus, & voluntas, quæ ab ea secundùm hanc rationem emanant, non sunt affixæ tali organo, vt infrà dicendis constabit: ergo neque ipsa anima, vt intellectiua erit actus corporis organici. Patet consequentia quoniam, vt communiter docent Philosophi, idem est animam esse actum corporis organici, ac esse radicem organizationis formalis, & omninò completæ, ac proindè potentiarum vitalium complentium organum in esse organi.

48. Confirmatur, & explicatur, quia virtus, siue potentia, non potest esse abstractior, seu spiritualior, quàm forma à qua emanat, siquidem ab ea habet totam suam spiritualitatem, & perfectionem: ergo si intellectus, & voluntas non sunt affixæ organo corporeo, atque adeò neque actus corporis, consequens erit, vt neque ipsa anima intellectiua, talis à qua emanat, sit actus corporis.

Secundò. Anima intellectiua, vt intellectiua non est principium alicuius operationis corporeæ: ergo neque actus corporis, & per consequens hæc diffinitiò ei non competit. Antecedens patet, nam vt intellectiua, tantùm habet principium intelligendi, & volendi, intellectio autem & volitio sunt operationes spirituales, & ideò anima in eis conuenit cum Angelis in modo operandi spiritualiter, vt communiter fatentur Philosophi. Consequentia verò probatur, nam actus corporis, sicut corporeè actuat, vt 1. Physic. disp. 6. num. 48. diximus, ita in ordine ad operationem corpoream debet actuare, quandoquidem modus operandi debet esse, iuxta modum essendi.

Vera Arist. & D. Thom. sententia stabilitur.

§. II.

49. Dicendum tamen est, prædictam diffinitionem conuenire animæ rational, etiam vt rationalis & intellectiua est ita Bañez 1. part. q. 75. artic. 1. Suarez 2. tomo summæ Theologiæ tractat. 3. lib. 1. cap. 12. Conimbric. Rubio, Toletus, & omnes ferè Philosophi. Explicatur assertio, non enim sensus illius est, quod anima rationalis à sua ratione differentiali cum præcisione sumpta habeat rationem generalem animæ, quæ in hac diffinitione explicatur, sicut nec anima sensitiua à sua ratione differentiali illam habet; sed quod, sicut in anima sensitiua ratio eius differentialis est differentia, per se contrahens animam vt sic & ita ei vt sensitiuæ ly, vt reduplicante totam speciem aut quasi speciem illius conuenit ratio generalis, & diffinitio animæ, ita in anima rationali, ratio differentialis propria illius est etiam differentia per se contrahens animam, vt sic, non verò extranea respectu eiusdem, vt aduersarij dicunt, & ideò ei vt rationali ly, vt reduplicante totam speciem, aut quasi speciem eiusdem, non solùm vt continentem alias animas, sed etiam vt est rationalis, debet diffinitio animæ vt sic competere, atque adeò talis diffinitio, non solùm identicè, & materialiter, sed formaliter ... conueniet.

Probatur primò ex Aristot. in hoc ... lib qui in

principio primi capitis proponit dicere, quid sit anima, & quænam sit eius communis maxima ratio,& postea text. 7. & 8. concludit diffinitionem, de qua loquimur esse maximè vniuersalem, & omni animæ conuenire, & ita ait: *Si autem aliquod commune in omni anima oportet dicere, erit vtique primus actus corporis physici organici.* Vbi D. Tho. *Colligit ex omnibus prædictis diffinitionem animæ* dicit, *quòd si aliqua diffinitio communis debeat assignari, quæ conueniat omni animæ, erit hæc, anima est actus primus corporis Physici, organici.* Quarè cum anima rationalis, vt talis sit vera anima, sit inde, vt hæc diffinitio illi quatenùs tali conueniat.

Confirmatur ex eodem Arist. & D. Tho. cap. 2. huius 2. lib. vbi sub 2. diffinitione animæ comprehendunt, etiam animam rationalem, vt est principium intelligendi, atque adeò vt rationalis est; dicunt enim animam esse quo primò viuimus, mouemus, & intelligimus. Ad diffinitum huius diffinitionis est idem, quod diffinitum prioris, & ita vnam diffinitionem per aliam demonstrant, concludentes idem esse principium, quo viuimus, sentimus, &c. ac actum primum corporis physici, organici, vt ex eisdem sequent. disputat. dicemus: ergo sicut hæc posterior diffinitio conuenit animæ rationali, quatenùs tali, & prior illi secundùm eandem rationem competet.

50. Deinde probatur ratione desumpta ex eodem Angel. Doctore 1. parte quæst. 76. art. 1. Nam anima rationalis vt rationalis, & vera forma corporis: ergo erit vera anima ac proinde competet illi hæc diffinitio, quæ vt ex Aristotel. & D. Thom. dicebamus omni animæ conuenit. Hæc vltima consequentia ex prima constat, prima autem ex antecedenti, nam si anima rationalis, vt talis, est vera forma, non poterit esse forma, vt sic dicamus, inanimata, & mortua, quippe quæ constituet verum corpus viuum, & animatum, scilicèt hominem, & consequenter erit vera anima.

Antecedens autem probatur: tum ex diffinitione Ecclesiæ in Clementina prima de summa Trinitate,& Fide Catholica edita in Concil. Vienensi à Clemente V. vbi ita habetur. *Quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, quòd anima rationalis, seu intellectiua non sit forma corporis humani per se, & essentialiter, tanquam hæreticus censendus sit.* Quam diffinitionem repetit, & approbat Concilio. Lateran. 5. sess. 8. in quibus verbis expendenda est duplex illa particula, scilicèt per se, & essentialiter, nam quod per se, & essentialiter conuenit alicui, debet ei in quantum talis est competere: & ita si anima rationalis iuxta diffinitionem Concilij per se, & essentialiter est forma corporis, habebit vtique iuxta eandem hoc ipsum, quatenùs rationalis est: Tum etiam ex his, quæ 2. Phys. disp. 7. q. 5. diximus.

Tum deindè, nam propria operatio hominis in quantùm homo, est intelligere, seu ratiocinari. Vnde per hanc omnia alia animalia transcendit. Et Arist. 10. Ethicorum c. 7. in hac operatione, sicut in propria hominis vltimam eius fœlicitatem constituit; sed habet ab anima rationali quòd sit principium ratiocinandi: ergo anima rationalis quatenùs talis erit vera, & essentialis forma illius, quandoquidem id quod tribuit rebus corporeis, & materialibus virtutem ad [illegible] proprias operationes, habet vnam rationem formæ essentialis earum, vt inductiuè [illegible] omnibus rebus corporeis constat: tum denique, [illegible] anima vegetatiua, aut sensitiua sunt vera forma corporis, quia tribuunt ei gradum vegetandi, aut sentiendi: ita vt verum sit animal esse formaliter sensibile, & plantam habere formaliter, esse vegetatiuum, sed etiam anima rationalis, vt talis est, tribuit corpori, vel homini esse rationale: ita vt verum formaliter fit de eo, quod est rationalis: ergo non minùs anima vt rationalis, quam sensitiua erit vera forma corporis.

51 Secundò probatur ratione desumpta ex Aristot. 5. Meth. text. 6. & ex D. Thom. loco. citato ex 1. p. Nam differentia sumitur à forma rei; sed differentia constitutiua hominis est rationale tribuens ei specialem modum viuendi inter omnia alia viuentia: ergo anima rationalis, à qua prædicta differentia, prædictusque modus viuendi sumitur, erit vera forma, vt sic dicamus viua & animata respectu hominis, atque adeò diffinitio animæ illis, etiam vt rationali conueniet.

Confirmatur ratione, quam insinuat idem S. Doctor in hoc 2. lib. lect. 3. Nam id à quo oriuntur propriæ, & peculiares potentiæ vitales, vt à primo principio *quo*, non potest non esse actus primus corporis organici radicaliter sumpti, at anima rationali, vt tali oriuntur, vt à primo principio *quo*, propriæ potentiæ vitales, nempè potentia ad ridendum, & flendum: ergo anima rationalis vt talis, erit actus primus corporis organici radicaliter sumpti, & consequenter prædicta diffinitio ei competet. Maior patet, nam cùm potentiæ vitales vltimatè complentes organa vitæ, habeant se ad instar proprietatis corporis organici radicaliter sit idè, vt primum principium *quo* illarum sit actus primus constituens illud in esse organi radicaliter sumpti, sicut quia calor, vt octo cōparatur, modo alibi dicto per modum proprietatis ignis, seu corporis radicaliter in tota hac intensione calidi: ideò quòd est primum principium *quo* dicti caloris, est actus primus constituens prædictum corpus in esse radicaliter calidi, vt octo.

Minor autem etiam liquet, nam cùm prædictæ potentiæ vitales non oriantur ab aliis animalibus, seu principiis, vt quo radicalibus vitæ, vt ex se constat, quandoquidem nullum aliud corpus animatum præter hominem eis gaudet, non possunt non oriri ab anima rationali vt rationali, quoniam in rebus materialibus nullum aliud est primum, & radicale principium vitæ præter animam vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem.

§. III.

OCCVRRITVR ARGVMENTIS *primæ sententiæ.*

52. AD primum pro prima sententia concesso antecedenti, neganda est vtraque consequentia, & ad probationem prioris, in qua nititur probatio posterioris, dicendum est formam esse in alio tanquam in subiecto inhæsionis tollere ab illa quod ex se sit subsistens: at verò esse in alio tanquam in subiecto puræ informationis absque inhærentia, non auferre ab ea, quod sit subsistens, si talis forma fuerit eminens, & omninò eleuata suprà materiam, vt in anima rationali contingit, quia hoc quod non est esse in alio tanquam in subiecto informationis, tantùm petit vnionem substantialem per modum actus, & potentiæ, non verò quòd actus pendeat à subiecto, vt à sustentante, quin potiùs si prædictus actus fuerit eminens, trahet materiam ad hoc, vt per existentiam, & subsistentiam propriam illius coexistat, & consubsistat.

Ad secundum concedendum est antecedens, & neganda consequentia, & ad probationem transeat antecedens

antecedens intellectum de accidentibus ex se permanentibus, & negetur consequentia. Ad cuius priorem probationem dicendum est, esse disparem rationem inter substantiam spiritualem qualis est anima & accidens spirituale & ex se permanens; nam accidens si sit ex se permanens, & respiciens corpus quatenùs corpus per modum subiecti non potest non hoc ipso quod tale, pendere ab illo in suo esse, alioquin non esset accidens, hoc autem ipso quod sic ab eo pendeat, respiciatque illud per modum subiecti, & modo dicto, amittet rationem accidentis spiritualis, & inter accidentia corporea connumerabitur, quia essentia horum accidentium sita est in prædicta dependentia à corpore in suo esse, sicut essentia formæ substantialis, & materialis seu corporeæ in dependentia à materia in suo.

Cæterùm substantia seu forma spiritualis, hoc ipso quod talis est capax propriæ subsistentiæ, & ita quantumuis informet corpus, aut respiciat illud per modum subiecti, non pendet ab ipso in suo esse,& ideò poterit simul retinere rationem formæ spiritualis,ad quam satis est, vt licet informet corpus, non tamen pendeat ab eo in suo esse.

53. Diximus si sit ex se permanens: tum quia vt fiat debita comparatio inter animam rationalem, quæ est forma spiritualis ex se permanens, debet conferri cum accidentibus spiritualibus ex se permanentibus: tum etiam, quia si accidens fuerit ex se transiens, & denumero eorum, quæ sunt per modum intentionis, possunt, non obstante dependentia à subiecto corporeo, retinere suam spiritualem, cuius rationem & disparitatem,nec non in quo accidentia,quæ sunt per modum intentionis consistant, ex professo 1.Physic. disp.2.à n.22.vsque ad 27.explicuimus

Ex quo etiam maior confirmatio nostræ assertionis, & amplior huius probationis solutio colligitur, nam si accidentia spiritualia vitalia, & per modum intentionis possunt recipi in subiecto corporeo, ex eo, quod inter accidentia spiritualia habent infimum spiritualitatis gradum, & modo magis infimo, vt ibidem diximus: Cur anima rationalis quæ vt talis habet inter substantias spirituales infimum gradum, & modo magis infimo, scilicet per modum partis, non poterit corpus, seu materiam informare?

Ad secundam probationem respondetur, impossibilitatem quæ est in accidenti spirituali, iam dicto ad informandum corpus,non oriri ex excessu vtcumque illius supra corpus, sed ex tali modo excessus,scilicet per modum accidentis ex se non vitalis, sed permanentis, ratione cuius hoc ipso quod, vt sic dicamus, se demittat ad sic informandum corpus amittit rationem accidentis spiritualis, secùs verò forma substantialis & spiritualis, quæ propter modum longè diuersum excessus, quem habet supra corpus,potest absque eo quòd amittat rationem formæ spiritualis ; ad illud (vt sic loquamur) se demittere, ipsumque informare, vt explicatum est.

54. Ad primam confirmationem respondetur concedendo maiorem, iuxta ea quæ in solutione ad secundam confirmationem statim dicemus, sed neganda est minor. Et ad probationem dicendum est, animam rationalem vt talem, non solùm esse propter operationes intelligendi & volendi, quæ non exercentur per organum corporeum, sed etiam propter alias operationes, quæ per illud exerceri debent, vt propter risum, & fletum, & ita naturaliter propendet in corpus, & in vnionem cum illo, ad hoc vt possit prædictas operationes elicere, & licèt vnita eidem corpori aliquantulum impediatur ab intellectione, & volitione, quæ sunt operationes principaliores ipsius, ex eo quod quatenùs vnita habet minùs abstractum intelligendi modum, nihilominus aliundè iuuatur potiùs à corpore ad intelligendum, quandoquidem mediis sensibus species per viam propriæ inuentionis, ac magis vt ita dicamus, acquirit de suo. At separata quasi per viam doctrinæ eas accipiat purè passiuè se habendo. Vndè mirum non est,si ad corpus naturaliter inclinetur, attenta etiam præcipua ipsius operatione, scilicèt intellectione.

Adde quòd cum anima etiam vt est principium intelligendi, habeat esse medium quoddam inter substantias purè spirituales & corporeas, participans de vtroque extremo, oportet quòd ei vt tali conueniant aliquæ operationes intelligendi, in quibus aliqualiter communicet cum corpore, quatenùs tales operationes etiam pendent aliquo modo ab eo,vt infrà lib.3. latiùs explicabimus & insuper aliæ etiam operationes intelligendi, in quibus nullatenùs pendeat à corpore, & cum substantiis purè spiritualibus, & completis communicet, vt in actu separationis contingit.

Vnde, quia per vnionem ad corpus non impeditur ab illis prioribus operationibus, & istæ sunt absolutæ, & simpliciter magis connaturales,quàm illæ,sicut & status vnionis cum eodem corpore est illi hoc ipso, quod est pars hominis connaturaliter: ideò non obstante, quòd separata habeat modum operandi magis abstractum, inclinatur naturaliter in prædictam vnionem, non quidem appetitu naturali, vt sic dicamus desiderij, sed solùm gaudij, vt sic loquamur & fruitionis, qui est appetitus de re quæ possidetur, vel iam possessa est, quia ille prior supponit absentiam rei desideratæ, atque adeò animam, dum est sub hoc appetitu, esse separatam à corpore, cùm tamen tunc non habeat prædictum appetitum, ex eo quod nequit per naturam reuniri, vt 1.Physic. disp.3. num.95. diximus.

55. Ex quo ad secundam confirmationem dicendum est, animam separatam non esse in statu violento, quamuis tunc non sit, vt modo dicebamus in statu omnium connaturalissimo; quo potest gaudere, namcum sortiatur rationem medij iam dicti inter substantias corporeas & incorporeas, habentes esse completum, quia cum illis conuenit in hoc quòd etiam vt rationalis, est vera forma corporis, & in aliis ad hoc consequutis, cum his verò in hoc quòd habet esse spirituale, & à corpore independens; fiet inde vt sicut substantiis corporeis est coonaturalissimum habere sibi vnitum corpus suum, & in corporeis, & completis esse separatas à materia & corpore: ita animæ rationali duplex hic status debeat conuenire, & ille prior scilicet status vnionis erit ipsis connaturalior: tum quia illud esse spirituale est proprium partis: tum etiam propter ea quæ in solutione priori ad primam confirmationem dicebamus. Nec contra hoc habet vim probatio ibidem adducta: nam lapis ita est connaturaliter in centro,vt non sit ei connaturale esse in alio loco, & ita dum ab illo extrahitur, est in actu violento.

Adde quòd licet gratis daremus animam in statu separationis esse in statu violento, adhuc confirmatio non conuinceret, posse animam separatam per naturam reuniri. Nam dupliciter potest aliquid dici esse in statu violento, vel quia habet aliquod positiuum contrarium, vel quia caret perfectione sibi debita; priori modo est in statu violento aqua, dum est calida; posteriori modo, animal dum est cæcum, & aufertur præcisè ab eo perfectio illa debi[illegible] scilicet visus.

56. Quod ergo est in statu violento priori [illegible] non est perpetuò in eo statu, quoniam inter [illegible] [illegible] necessariò debet pugna esse, & ea media e[illegible]t de-

turbatio illius status. Vnde hoc verificatur, quòd nullum violentum est perpetuum: quod autem est in statu violento posteriori modo, non oportet vt ab illo statu per naturam exeat, & violentia illa auferatur, vt in exemplo posito cernere licèt: quia igitur anima separata tantùm esset in statu violento posteriori modò (si verum esset, eam tunc in eo esse) quippè quæ tantùm careret perfectione sibi debita, scilicet vnione ad corpus: ideò violentum illud, quantum est ex vi naturæ esset perpetuum, alioqui vt benè argumentum concludit, idem homo semel extinctus posset per naturam redire.

Satisfit fundamentis secundæ sententiæ.

§. IV.

57. AD primum verò secundæ sententiæ neganda est sequela, nam vt ex his quæ in explicatione assertionis notauimus constat, cùm dicitur animam rationalem formaliter sumptam, seu vt rationalem esse veram animam, eique prædictam diffinitionem conuenire ly, *vt* non reduplicat solam rationem differentialem, aut quasi differentialem eius cum præcisione sumptam, nam sicut homo vt rationalis ly *vt*, reduplicante rationem differentialem, cum præcisione acceptam, non est homo, neque ei diffinitio hominis competit, licèt dicat id quòd per se contrahit animal, & proprium constitutiuum hominis: ita anima vt rationalis ly *vt*, eodem proportionali modo accepto non est anima, sed ratio differentialis animæ contrahens per se illam, & trahens eandem ad esse animæ rationalis.

Vnde ad hoc quod ei, vt rationali prædicta diffinitio competat, oportet ly *vt* reduplicare totam speciem, aut quasi speciem eius, vt rationalem, tunc autem necessariò debet modo infra disp. 4. numero 13. & deinceps dicendo includere animam sensitiuam, ita vt si eam non includat, non habeat veram rationem animæ, nam sicut homo, vt homo habet *vt quod* includere tanquam rationem superiorem esse sensitiuum *vt quod*, ita anima rationalis includit, vt rationem superiorem illud: idem esse *vt quo*, atque adeò rationem animæ sensitiuæ, quæ est principium *vt quo* sentiendi, quamuis vt suprà num. 49. notauimus, non competat ei prædicta diffinitio præcisè, quia eas includit, sed etiam quatenus dicit suam, quasi speciem constitutam per gradum rationalitatis, vt talem.

58. Ex quo ad primam probationem sequelæ negandum est antecedens, nam sicut ad hoc, vt homini formaliter, & ratione sui conueniat esse rationalem, non est necesse, quòd etiam si non esset animal, haberet nihilominus esse rationalem: ita ad hoc vt animæ rationali, vt tali ratione sui, & formaliter conueniat modo iam explicato diffinitio animæ, non est necesse, vt etiam si non includeret esse vegetatiuum, & sensitiuum, vt *quo* esset vera anima, sed satis est, quòd ipsa ratione suæ vltimæ differentiæ, quam dicit, rationalis per se contrahat veram rationem animæ ad esse talis.

Per quod etiam ad secundam probationem patet, nam sicut ad speciem animæ rationalis spectat saltem tanquam ratio eius superior esse sensitiuam vt *quo*, ita ad speciem sensitiuæ esse vegetatiuam vt *quo*, ac proinde ratio animæ vegetatiuæ, vt infrà disput. 4. quæst. [illegible] explicabitur, quia animal per animam sensit[illegible]am constitutum nequit non includere, saltem ve[illegible] [illegible]rem superiorem esse vegetatiuum, vnde si an[illegible] [illegible] sensitiua non esset formaliter, sed solùm identicè veg[illegible]etatiua, vt obiectio, & authores oppositæ sententiæ intendunt, nec esset anima, nec diffinitio animæ ei conueniret.

59. Adde primò, quòd vt infrà disp. cit. numero 58. explicabitur anima rationalis etiam vt rationalis, seu secundùm suam vltimam rationem differentialem debet eminenter formaliter includere esse sensitiuum, & vegetatiuum, vt *quo* (modo tamen ibidem latiùs explicando), & similiter anima sensitiua esse vegetatiuum, atque adeò, & rationem animæ vegetatiuæ, & ita si hæc non esset modo ibidem dicendo vegetatiua, & illa sensitiua, & vegetatiua formaliter, & ratione prædictæ differentiæ a[illegible]homæ, nec haberent suas rationes differentiales, nec vllam animæ, vt talis, rationem retinerent.

Adde secundò, quòd etiam si admitteremus sequelam huius argumenti, quam negauimus, nihilominus nihil concluderet ex eo quòd minor est falsa, quia vt in confirmatione secundæ rationis pro assertione diximus ab anima rationali secundùm suam rationem differentialem, & vt præcisè rationalis est, oriuntur potentiæ ad ridendum, & flendum, quæ sunt affixæ organo corporeo, & formaliter complent propria organa ipsarum, & quod magis est, ab eadem anima oritur intellectus, vt potest etiam elicere intellectionem cum dependentia à sensibus. Hoc autem satis est, vt quatenus rationalis sit vera forma corporis animati, ac proinde ad hoc, vt ei quatenus rationali, & modo explicato prædicta diffinitio competat.

60. Ad confirmationem patet ex dictis, concedendum esse antecedens, & negandam consequentiam. Et ratio disparitatis satis constat ex discrimine, quod inter accidens permanens, & spirituale, substantiamque spiritualem proposuimus, scilicet accidens istud, hoc ipso, quòd esse affixum organo corporeo amissurum rationem accidentis spiritualis, secus verò substantiam ex eo quòd esset actus corporis, & ita cum æquali spiritualitatis, & immaterialitatis, gradu posse substantiam esse actum immediatum corporis, seu materiæ, non verò accidens, quamuis hoc debeat etiam aliquo modo esse mediatè in materia, hoc ipso quòd si in anima, quæ est actus eiusdem materiæ.

Ad secundum patet, etiam ex dictis negandum esse antecedens: tum quia, vt nuper asserebamus, anima rationalis, vt talis est principium ridendi, & flendi, quæ sunt operationes corporeæ: tum etiam, quia est principium intelligendi, & volendi, quatenus operationes istæ non solùm possunt elici independenter à corpore, tam quoad substantiam, quàm quoad modum, vt in statu separationis contingit, secundùm quam rationem conuenit in illis cum Angelis, vt suprà innuimus, sed etiam quatenus pendent ab illo quoad modum, vt infrà loco citato explicabitur; ad hoc autem vt sit principium prædictarum operationum, secundùm hanc posteriorem rationem; oportet, vt sit vera forma corporis, atque adeò quòd vt est principium intelligendi, sit formaliter vera anima, quia non nisi vt vnita corpori, & vt tribuens ei esse animatum proprium hominis, potest esse principium intelligendi, & volendi dependenter ab eodem corpore.

Sed de his videantur ea quæ 2. Physicorum disputatione 7. q. 5. diximus.

* * *

DISPVTATIO III.

DE SECVNDA ANIMÆ DIFFINITIONE, & aliis ad eam pertinentibus.

POST priorem animæ diffinitionem, quam Aristot. in hoc 2. lib. capite 1. tradiderat, subiungit in cap. 2. text. 18. & 24. aliam per quam prior illa magis declaretur, & ostendatur inquiens: *Anima est, quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus primò*, additque per eam priorem diffinitionem, de qua in præcedenti disp. egimus demonstrati. Vnde vt diffinitionem hanc melius explicemus, & an per eam prior diffinitio sufficienter demonstretur, sicque animæ essentia magis pateat, præsentem disputationem instituimus.

QVÆSTIO PRIMA.

AN HÆC SECVNDA DIFFINITIO ANIMÆ ab Aristot. tradita sit legitima.

EX bonitate huius diffinitionis, cuncta quæ in hac disp. circa illam dicenda sunt pendent, & ideò primo loco de hac bonitate inquiritur.

Ratio dubitandi.

§. I.

1. QVamuis vt statim dicemus diffinitionem hanc omnes Philosophi admittant, nihilominus non deest sua dubitandi ratio contra eam, nam diffinitum illius est anima vt sic, at omnes particulæ non conueniunt illi: ergo non erit legitima. Consequentia patet, minor verò etiam liquet, nam si animæ vt sic cunctæ particulæ huius diffinitionis conuenirent, quæuis anima esset principium sentiendi, loco mouendi, & intelligendi: siquidem quod conuenit rationi superiori debet etiam conuenire omni essentialiter contento sub illa: constat autem non quamcunque animam, sed solum rationalem esse principium omnium prædictarum operationum: ergo, & cætera.

Maior autem probatur ex Aristot. cap. 2. text. 12. vbi asserit velle se animam priùs diffinitam iterum diffinire, ac proinde apud ipsum idem erit vtriusque diffinitum, constat autem ex eodem cap. 1. huius 2. lib. per priorem diffinitionem animam in communi diffinitam fuisse, & ita quæuis anima est actus primus corporis physici organici, vt ex dictis disp. præcenti satis liquet.

Nec satis erit si dixeris, particulas huius diffinitionis diuisiuè accipiendas esse, ita vt rationem animæ sufficiat, quòd habeat aliquam ex prædictis operationibus, quod quidem cuilibet animæ conuenit, nam contra hoc est: tum quòd non saluatur vis illius particulæ, &, quæ est dictio copulatiua, in diffinitionibus autem debent particulæ illius proprié, & in rigore sumi, alioqui nihil habebemus certum in illis, quandoquidem acceptiones impropriæ, & metaphoricæ vocum innumeræ sint, & sic non possit certò constare in quanam ex illis vsurpentur: tum etiam, nam si prædictæ particulæ diuisiuè accipiantur, tunc diffinitio tradita potius esset quædam animæ diuisio, quàm diffinitio, & genus, nimirum anima diffiniretur per differentias illud diuidentes, qui diffiniendi modus insusitatus, & absurdus videtur.

Approbatur, & explicatur tradita diffinitio.

§. II.

2. DIcendum tamen est prædictam diffinitionem esse optimam. Assertio hæc non aliter meliùs, quàm authoritate Aristot. & D. Thom. & omnium Philosophorum comprobatur, maximè quia in vltima quæstione huius disputationis ostendendum est, munera in hac diffinitione explicata animæ conuenire.

Cæterùm vt diffinitio ista magis perspicuà maneat, singulas eius particulas percurremus. Ponitur ergo primo loco particula illa *quo*, nam sicuti anima non est quæ est, sed qua aliud est, ita neque est id, quod vitales exercet operationes, sed id quo exercentur. Nec refert, quòd anima nostra, & in seipsa sit, & vt quod operetur. Non enim, qui anima, sed secundum rationem specialem suam id habet, vnde ad rationem animæ solùm desideratur, vt sit id *quo*, siue aliàs simul habeat ob specialem sui rationem, quòd operetur vt quod, siue non.

3. Nec etiam obest si vrgeas, quòd si rationi animæ non derogat, vt sit principium *quod* viuendi, tunc tota hæc diffinitio Deo conueniret, quippe qui est primum principium *quod* prædictarum operationum, quas non elicimus. Non itaque obest, quoniam licèt non deroget rationi animæ esse principium *quod* prædictarum actionum, derogat tamen illi, vt non possit esse simul principium *quo*, nam cùm essentialiter sit forma corporis, non potest non quantum est de se esse id *quo* compositum per illam constitutum, viuit, sentit, &c. Deus autem ita est principium *quod* nostrarum operationum, vt non possit esse simul principium radicale *quo* illas elicimus. Vnde illa particula *quo* in diffinitione posita, denotat animam non vtcumque esse principium, sed principium intrinsecum, & constituens compositum, quod informat in ratione principij radicalis operatiui, nam operatio vitalis vt [illegible] talis est, non potest non oriri à principio i[illegible]nsecco, & ita nequit prædicta operatio alicui tribui, vt agenti, & operanti, nisi operatio illa à propria

propria eius forma tanquam à principio intrinseco procedat.

Additur deinde ly *viuimus*, quæ particula vt melius intelligatur notandum est, quòd viuere dupliciter sumitur, vel provt dicit viuere vita vegetatiua, & ideò ea, quæ hac vita viuunt, nomine viuentium insigniuntur, vel provt dicit gradum viuendi, vt sic abstractum ab omnibus viuendi gradibus. Hoc ergo supposito, dicimus quòd ly *viuimus*, iuxta Arist. mentem sumitur pro viuere primo modo, vt docent Bañez 1.part. quæst.75. art.1. dub.3. Suarez 2. tom. summæ Theologiæ tract.3. lib.1. cap.3. Ferrara in hoc 2. lib. quæst.4. Rubio tract. de substantia animæ quæst.8. & alij plures non verò secundo modo, vt vult Zanardus lect.10. & 1.huius 2. lib. quæst.6. & Caietan. in præsenti, qui ob hanc causam diffinitionem hanc his solis particulis anima est *principium quo viuimus* completam esse credit, proindéque cæteras particulas solum fuisse positas maioris claritatis gratia, & vt Philosophus explicaret, quænam sint illa in quibus ratio illa superior contracta inueniebatur.

4. Ratio autem ob quam prædicta particula non in hoc, sed in illo priori sensu debet, iuxta Aristot. mentem accipi, est: tum quia cùm Philosophus in text.18. hanc eandem diffinitionem adduceret, assernit, animam esse principium vegetandi, & sentiendi, igitur pro eodem sumit hoc quod est viuere, & vegetari. Vnde D. Thom. in hoc 2. lib. text.25. lect.4. explicans hanc eandem diffinitionem inquit: *Anima est primum quo & viuimus, & sentimus, & mouemur, & intelligimus, & referuntur hæc quatuor ad quatuor genera vitæ, de quibus superiùs fecerat mentionem, viuere enim refert ad principium vegetatiuum.* Tum etiam, quia alioqui alia particula deberet in diffinitione addi, si namque tres posteriores, quæ subsequuntur additæ sunt ad explicandas alias operationes speciales præter operationem vegetatiuam, quia confusè sub particula viuimus continebantur eadem ratione, hæc dictio, vegetamur, esset addenda, per quam opus vegetandi distinctè explicaretur, quia non nisi confusè sub illa particula *viuimus*, iuxta hanc interpretationem continetur.

Ex quo etiam fit falsum esse, quòd illa diffinitio completa sit in illis particulis, *quo primò viuimus*, etenim Aristot. voluit hac diffinitione explicare naturam animæ per ordinem ad suas operationes, & non vtcumque, sed ita vt in clariorem animæ notitiam per eam quàm per illam priorem diffinitionem deueniremus: ergo necessarium erat eas in diffinitione distinctè ponere, quia si sub illa tantùm particula eis communi ponerentur, non posset prædictum intentum assequi, vt intuenti constabit, ac proinde ad prædictam integritatem huius diffinitionis, omnes particulas oportebat addi.

5. Nec refert, si cum eodem Caietano obiicias verba in diffinitione sumenda esse in sensu formali, vt inductiuè in aliis diffinitionibus cernere licèt. Viuere autem in sensu formali significat viuere, vt sic provt abstrahit à quacumque vita, seu gradu viuendi. Non igitur hoc refert, nam viuere duplicem habet significationem, vnam amplam, aliam strictam; neutram quidem materialem, sed vtramque formalem, & secundùm priorem significat vitam in omni sua amplitudine: at secundùm posteriorem denotat eandem strictiùs acceptam, scilicet vitam vegetatiuam.

Ratio autem ob quam viuere habet etiam pro significato formali vitam vegetatiuam innuitur ab Aristot. in præsenti, nam vis vegetandi, aut anima vegetatiua à cæteris animabus separari potest, & ab illis separata consistere, vt in plantis cernere licèt, quamuis cæteræ ab illa seiungi nequeant, quia verò sic separata satis est per se, & ratione sui ad viuendum; & ita Aristot. loquens de ea concludit *viuere ob hoc principium viuentibus competere*, ideò nomen viuendi habet absolutè, & simpliciter pro significato formali animam vegetatiuam. Vnde D. Thom. loco proximè citato reddens rationem, ob quam per viuere significetur, iuxta Aristot. mentem principium vegetatiuum sic ait: *Viuere enim refert ad principium vegetatiuum, quia superiùs dixerat quia viuere propter hoc principium inest omnibus viuentibus.*

6. Ponuntur deinde tres aliæ particulæ scilicet *sentimus loco mouemur, & intelligimus*, vt ita essentia animæ per eas magis pateat, quia munera hæc sunt valdè nota. Cæterùm particulæ istæ, sicut & præcedens possunt dupliciter sumi, scilicet, vel pro actibus vegetandi, sentiendi, &c. vel pro aptitudine, seu radicali principio ad illas, quod identificatur cum ipso esse vitali.

Desumiturque hæc duplex acceptio ex Aristot. 2. de Cœlo text.17. vbi loquens, vt exponit ibidem D. Thom. de substantiis valdè perfectis, & ratione huius perfectionis Deo satis similibus, ob quam rationem illas nomine Dei insignit, ita inquit: *Dei autem operatio immortalitas, hæc autem est vita sempiterna.* Quæ verba explicat sic D. Thom. lect.4. *Dicendum est ergo quòd immortalitas significat vitam indeficientem, viuere autem, non solum nominat ipsum esse viuentis, sed etiam operationem vitæ, sicut intelligere est quoddam viuere, & sentire, & alia huiusmodi, vt patet 9. Ethicorum, & ad hoc exprimendum subiungit, hæc autem scilicet immortalitas est vita sempiterna, propter quod etiam non dicit quòd Dei operatio sit incorruptibilitas, quæ importat solum sempiternitatem ipsius esse, sed dicit immortalitas, vt includat sempiternitatem operationis.*

Quare cùm verba in diffinitione, non dicant actum sed aptitudinem, ideò profundior acceptio illarum est teste Caiet. in hoc 2. lib. ad text.24. & 25. quòd denotent primam radicem harum operationum, scilicet ipsum esse animæ viuum, vt *quo* quatenus est radix illarum, quæ interpretatio est valdè consona menti Aristot. & D. Thom. in hoc 2. lib. cap.2. Nam per hanc 2. diffinitionem docent demonstrari priorem: si autem particulæ iste pro operationibus ipsis vitalibus, non verò pro radice illarum sumerentur, non posset fieri talis demonstratio, quia ex vna propositione contingenti, qualis est qua vegetamur, sentimus, &c. non potest colligi conclusio necessaria, quæ semper debet in demonstratione concludi. Nam vt communiter docent dialectici conclusio sequitur debiliorem partem, & ita si aliqua ex præmissis fuerit contingens, nequibit inde concludi demonstratiuè conclusio necessaria.

7. Non obest, si contra has particulas dicas primò superfluè poni, particulam illam *loco mouemur*, nam tantùm sunt tres species animarum, scilicet vegetatiua, sensitiua, & intellectiua, & vnaquæque earum sufficienter manifestatur per proprium actum sibi correspondentem, vegetatiua quidem per vegetari, sensitiua verò per sentire, intellectiua autem per intelligere: ergo superfluit particula illa *loco mouemur*, cui peculiaris anima non correspondet. Respondetur enim, quòd cùm Aristot. in præsenti intendat tradere diffinitionem animæ, per quam prior illius diffinitio valdè manifestetur, & appareat: ac proinde per quam eius essentia multùm innotescat, non debet ei vitio imputari, quod particulam illam, loco mouemur, ad magis manifestandam naturam animæ addiderit, quia per eam quippè per rem maximè notam animæ valdè perspicua manebat.

Nec

Nec etiam obstat, si secundò obiicias animam non per ly viuimus, sentimus, &c. sed per ly viuitur, sentitur, &c. diffiniendam fore, quandoquidem anima communis est, tam nobis, quàm reliquis aliis rebus animatis, & ita meliùs per ly viuitur, quàm per viuimus diffinitur. Particula namque viuimus, aut sentimus eestringit animam ad eam, quæ est in nobis, particula verò viuitur eam in sua amplitudine relinquit.

8. Respondetur enim, quòd per illam particulam viuimus, aut sentimus, non limitatur anima ad ea quæ in nobis hominibus est, sed in sua ampla significatione relinquitur, quia non sumitur pro vegetationibus, aut sensationibus nostris præcisè, sed etiam pro eis, quæ in aliis rebus animatis ratione animæ inueniuntur. Nam cum tam nos homines, quam cætera alia animata distinguamur ab Angelis, & conueniamus ad inuicem in hoc quod est elicere operationes vitales, non qualescumque, sed physicas, seu à materia dependentes, & vnicuique proprias, quarum non sunt capaces Angeli: ideò quoad hoc, tam nos, quàm cætera corpora animata, vt vnum quid quodammodo computamur: & quia ad hanc conuenientiam, & vnitatem ad inuicem, & distinctionem ab Angelis aptior est ista particula viuimus, aut sentimus, &c. quam ly viuitur, aut sentitur, quoniam prior particula vnitatem, seu communionem plurium magis denotat: ideò Aristot. potiùs per istam, quàm per illam animam diffiniuit.

Additur tandem particula illa, primo: tum vt denotetur animam esse primum, & radicale principium *quo* eliciendi prædictas operationes, & ita per hoc distinguitur à principiis proximis, & potentiis vitalibus, per quas proximè, & immediatè eliciuntur: tum etiam quod esse modo dicto principium *quo* operationum vitalium, de quibus in diffinitione fit sermo: ita conuenit illi primo, & per se, vt non competat ei ratione alicuius prædicati superioris quantumuis essentialis sed ratione sui, seu *secundum quod ipsa*.

9. Nec obstat si obiicias, quòd esse principium loco mouendi non conueniat animæ, ex eo quod sit anima, sed ob rationem generalem formæ substantialis, quæ vbicumque est debet esset principium motus localis proprij compositi. Non ergo hoc obstat, quoniam hic non vtcumque de motu locali, sed de progressiuo, siue vitali sit sermo: iste autem non potest non oriri ab anima, qua ratione est anima tanquam à primo principio *quo*. Quare licèt etiam oriatur à corpore, seu composito, vt à principio *quod* & in hoc ordine, scilicèt in ratione principij *quod* tale compositum sit primum principium prædicti motus, quatenus non pendet ab aliquo principio *quod* extraneo, habentique rationem causæ principalis in suo ordine, scilicèt in genere causæ proximæ seu particularis; nihilominus tale compositum habet totum hoc ab anima, vt à principio *quo* primo & radicali, cùm tamen rationem talis principij, eadem anima à se ipsa habeat, & ita conuenit illi modo dicto quòd sit quo primo viuimus. Vnde D. Thom. in hoc 2. lib. lect. 4. loquens de corpore animato sic inquit: *Corpore non dicimur esse viuentes, nisi in quantum habet animam, & propter hoc dicitur quod anima est primum quo viuimus, & sentimus.*

Solutio rationis dubitandi initio adductæ.

§. III.

10. AD rationem igitur dubitandi relicto modo dicendi Ægidij 2. de anima ad text. 24. & aliorum asserentium, diffinitionem hanc non esse vnicam, sed multiplicem iuxta diuersitatem animarum, quæ prædictarum operationum sunt principia. Respondetur particulam illam, &, sumi aliquo modo copulatiuè non quidem, ita vt sit sensus quod ad hoc, vt aliqua forma habeat rationem animæ, debeat hæc omnia simul habere, alioquin sola rationalis esset anima, sed ita vt per eam denotatur animam talis esse naturæ, vt vbicumque omnes hæ operationes, vel earum aliqua, aut aliquæ inuentæ fuerint debeant necessariò ab anima prouenire.

Vnde diffinitio hunc reddit sensum: Anima est principium actionum vegetatiuarum in his, quæ solum vita vegetatiua viuunt & actionem sentiendi in his, quæ sentiunt & vegetantur, &c. Eo sanè modo, quo in 2. lib. Physic. disp. 1. quæst. 1. ex mente D. Thom. diximus naturæ diffinitionem quoad illam particulam motus, & quietis esse intelligendam, cuius non est sensus, quod vt aliquid sit natura, debeat tam motus, quàm quietis esse principium; sed quod natura est, id à quo vbicumque motus & quies, vel eorum aliquid inuentum fuerit, debent ortum ducere. Vnde natura, in his quæ solùm quiescunt, & non mouentur, est principium quietis, in his verò quæ tam quieti, quàm motui subdita sunt, vtriusque principium est.

11. Secundò respondetur cum Ferrara in hoc 2. lib. quæst. 4. duplicem esse diffinitionem alicuius rationis superioris, aliam quæ datur per genus, & differentiam constitutiuam ipsius, & de hac verum est debere, cuilibet inferiori conuenire: aliam vero, quæ datur per actus, vel differentias constitutiuas suorum inferiorum, & diuisiuas illius rationis communis quæ diffinitur, sicut si diffiniretur substantia diffinitione exprimente primas & immediatas differentias diuisiuas ipsius, & constitutiuas specierum, in quibus essentialiter includuntur.

Tunc autem talis diffinitio totalis respectu rationis superioris, non est necesse, imò repugnat, quòd conueniat adæquatè cuilibet inferiori, sed diuersis, & secundum diuersas partes, nisi inter illa inferiora sit aliquod in quo eminenti modo, aut secundùm aliquam rationem cætera contineantur.

Quare, quia in præsenti diffinitur anima secundùm rationem generalem animæ, & per proprios actus, seu proprias differentias immediatè diuisiuas sui, & constitutiuas specierum immediatè sub illa contentarum, ideò non oportet vt hæc diffinitio adequatè conueniat cuilibet animæ, sed satis est, vt aliquid talis diffinitionis ei competat, & quòd animæ perfectissimæ, scilicèt rationali cæteras alias eminenter, & modo sibi debito continenti integra diffinitio competat.

Nec hinc sit, vt obiectio intendebat, hunc diffiniendi modum potiùs esse diuisionem quàm diffinitionem, nam dum animal, v.g. diuiditur, tunc bipartitur in rationale, & irrationale, vt quid includendum in illis per modum, quo genus diuiditur in suas species. Cum verò per suas differentias diffinitur, tunc reddit hunc sensum, animal est quod determinatur per rationale & irrationale, qui diffiniendi modus, & vt constat, non parum naturam animalis explicat.

QVÆSTIO II.

Vtrùm hæc posterior animæ diffinitio sit quidditatiua, vel descriptiua.

EA quæ circa demonstrationem prioris diffinitionis, per hanc posteriorem dicenda sunt, non parum pendent ex qualitate an huius, nimirum quid-

tatiuæ

tatiua, vel descriptiua sit, & ideò vt clariùs & distinctiùs procedamus, primo loco de qualitate prædictæ diffinitionis inquirimus.

Prior dicendi modus.

§. I.

12. PRima sententia affirmat diffinitionem istam esse quidditatiuam non verò descriptiuam. Pro hac referuntur Caiet. l.2. de Anima quæst.4. Albert. Magnus in eodem lib. tract.1. cap.4. Themist. & Philoponus cap.2. Apolinaris quæst.4. probatur primò, nam Arist. cap.2. huius 2. libri asseruit contineri in hac posteriori diffinitione causam prioris: ergo erit quidditatiua, & non descriptiua. Consequentia patet, quia proprium est diffinitionis descriptiuæ dari per aliquid posterius, nimirum per effectus & accidentia, sicut & quidditatiuæ dari per aliquid priùs, atque adeò per causam, ex eo quod debet explicare partes essentialiter constituentes diffinitum quæ proinde non possunt non esse priores illo.

Nec satis erit si dixeris Aristot. loqui de causa quoad cognosci, non autem quoad esse: at ratio causæ quoad cognosci benè potest conuenire ei, quod secundùm naturam est posterius, haberque veram rationem effectus, & ita accidentia, quæ quoad esse, sunt effectus substantiæ, possunt esse nobis causæ cognitionis illius.

13. Nam contra hoc est, quòd vt Aristot. redderet rationem ob quam animam iam diffinitam, iterum per hanc posteriorem diffinitionem diffiniret: inquit, *non enim solum quid sit oportet diffinitiuam rationem ostendere, sed causam in esse, & apparere*; ergo in prædicta diffinitione, quam statim tradidit, assignauit causam non quidem in esse, vel apparere, sed in esse, & apparere simul, vt in illa particula, &, innuitur, id est causam, quæ simul sit causa secundùm se, ac proinde notior secundùm naturam, quod significatur per ly causam in esse, & causam quoad nos, seu simul, quo ad nos notiorem; quod quidem innuitur per illam particulam, *& apparere*: ergo non intellexit causam, quæ solùm quoad cognosci, non verò quoad esse sit causa.

Secundò, nam anima per se, & essentialiter habet esse primum radicale principium operationum vitalium; ergo diffinitio, quæ per hoc tribuitur, erit et essentialis. Consequentia patet. Antecedens autem ex dictis præced. quæst. satis liquet. Nam ly *primo* in hac diffinitione positum denotat, vt ibidem diximus, quòd esse tale principium vitaliter operandi, non solùm non conuenit animæ ratione alicuius accidentis, verum nec ratione alicuius prædicati superioris, & essentialis, sed vt dialectici loquuntur, secundùm quod ipsa, id est ratione suæ differentiæ essentialis.

14. Tertiò, sicut anima essentialiter habet esse naturam, ita & esse talem naturam; ergo sicut ob illam rationem diffinitur essentialiter per hoc, quod sit principium, & causa motus eius in quo est, &c. vt 2. Physic. disp.7. quæst.2. ostendimus; ita ob istam diffinietur essentialiter per hoc, quod sit principium, & causa motuum vitalium. Antecedens patet, nam sicut corpus animatum essentialiter habet, esse naturale, & tale ens naturale scilicet animatum; ita anima, quæ illud constituit, & suam eidem specificationem tribuit, debet essentialiter esse non solùm natura, sed etiam talis natura, scilicet natura vt sic dicamus viua.

Consequentia autem etiam constat: nàm sicut natura essentialiter est principium radicale motus eius in quo est non determinando speciem motus, ita talis natura scilicet, natura vt sic loquamur viua, essentialiter erit principium & causa peculiarium motuum, scilicet vitalium: ergo sicut anima, quia est natura diffinitur essentialiter per hoc quod sit principium radicale, & causa motus, non determinando speciem motus; ita quia anima habet essentialiter esse talem naturam, scilicet viuam saltem *vt quo*, ideò diffinietur essentialiter per hoc quod sit primum & radicale principium motuum vitalium, vt in hac 2. diffinitione sit.

15. Confirmatur: quoniam prior animæ diffinitio est essentialis, vt ex dictis disp. præced. num.40. constat; ergo multò magis hæc posterior. Patet consequentia, quoniam hæc explicat animam secundùm eam potissimam rationem, secundum quam pertinet ad considerationem physicam, scilicet secundùm rationem naturæ. Vnde, sicut corpus animatum, si diffinitione physica diffiniendum sit, non potest essentialiùs diffiniri, quàm secundùm quod est ens, & tale ens naturale; atque adeò per hoc, quòd sit principium *quod* motus physici sibi proprij, scilicet vitalis, ita dum anima diffinitione physica diffinitur, non potest essentialiùs diffiniri, quàm per hoc, quod sit principium *quo* motus physici, sibi peculiaris, nimirum vitalis, vt in præsenti diffinitione contingit.

Vera Arist. & D. Thom. sententia.

§. II.

16. DIcendum tamen est, hanc posteriorem animæ diffinitionem non esse propriè, & in rigore quidditatiuam, sed descriptiuam. Ita Aristot. in hoc 2. lib. cap.2. text.12. vbi animam priori diffinitione iam diffinitiuam, promittit iterum diffinire ex obscuris secundùm se notionibus tamen quo ad nos, atque adeò per effectus, seu rationes posteriores, vt ibidem explicat D. Th. lect.3. & consequenter diffinitione descriptiua quæ per prædicta datur. Vnde, hanc eandem sententiam sequuntur Ferrara in hoc 2. l. quæst.4. Conimb. c.2. q. vnica art.2. Bañez 1.p.q.75. art.1. dub.3. Rubio tract. de substantia animæ q.9. Suarez tom.2. summæ Theologiæ tract. de Anima lib.1. c.3. puncto 3. & alij plures.

Ratio autem fundamentalis desumitur ex Aristot. & D. Thom. loco citato, quæ potest ad hanc formam reduci: Tunc aliqua diffinitio non est propriè, & in rigore quidditatiua, sed descriptiua, quando non tribuitur per rationem primam & essentialem diffiniti, sed per aliquid posterius, & ad eam subsequutum: sed hoc modò diffinitur anima per hanc posteriorem diffinitionem: ergo talis diffinitio non erit propriè, & in rigore quidditatiua, sed descriptiua. Maior communiter admittitur à Philosophis. Minor verò in qua est difficultas, probatur à D.Thom. loco citato text.13. vbi loquens de hac diffinitione inquit: *Manifestum est autem quòd demonstratio est ex posteriori; ex eo enim, quod anima est forma corporis viuentis, est principium operum vitæ, & non è conuerso.*

17. Confirmatur ratione, quam insinuat idem S. Doct. quia priùs conuenit animæ esse principium essendi, quàm operandi, ergo illud, & non istud pertinebit ad eius quidditatem, & ex consequenti posterior diffinitio, quæ penes hoc traditur, non erit quidditatiua. Hæc vltima consequentia patet ex priori: prior verò ex antecedenti; quoniam quidditas habet primum locum inter omnia quæ rei conueniunt, ac proinde, si animæ priùs conuenit esse principium essendi, seu quod idem est, esse actum primum constituti

constitutiuum viuentis in esse viuenti, vita substantiali, licet inde quod esse principium operum vitæ, non pertineat ad eius quidditatem, benè tamen esse principium essendi.

Antecedens autem probatur: nam in quauis re prius est esse, quàm operari, ergo in forma quæ est principium essendi & operandi, prius erit ordinari ad attribuendam operationem, atque adeò prius erit in ipsa esse principium essendi quàm operandi, quandoquidem eo ordine coordinantur inter se principia, *quo* actus, qui eis aliquo modo, siue primariò, siue secundariò correspondent. Diximus, siue primariò, siue secundariò, quia principium radicale operandi, non ordinatur per se primò ad operationem, quæ est accidens, sed ad esse existentiæ substantiale, vt illud in esse principij radicaliter operatiui complet, & solùm secundariò ad operationem, modo in lib. Phys. 10. explicato extenditur.

18. Confirmatur, & explicatur secundo nam corpus animatum non est, quia operatur, nec quia est potens ad operandum, sed quia est vt quod, & eodem modo habet talem: tantamque perfectionem; ideò potest operari vt quod, ergo anima non dat esse vt quo, quia dat operari, sed potius è conuerso dat vt quod posse operari, quia dat eodem modo esse, ergo prior illa ratio, secundùm quam est principium essendi, erit in ipsa prima, & essentialis, & hæc posterior erit quid consequutum ad eam. Hæc vltima consequentia ex se constat, prior verò ex antecedenti, quia anima habet vt quo id ipsum, quod corpori animato conuenit vt quod.

Confirmatus tandem, & explicatur ex diuerso modo quo anima dat formaliter esse substantiale viuum, & quo efficienter concurrit ad operationes vitales eliciendas: nam ad primum per se ipsam immediatè, & substantiali modo, ac tandem sine interuentu alicuius accidentis essentialiter requisiti influit. Cæterùm ad secundum non immediatè per se ipsam solam, sed mediante facultate accidentali, scilicèt potentia immediatè operatiua concurrit, quod satis indicat hanc rationem causandi, vel aptitudinem ad illam non esse ita animam animæ, sicut illa prior.

19 Nec refert si occurras, quod licèt hinc fiat esse prius in anima ordine exequutionis quòd sit actus primus corporis viuentis, atque adeò quòd sit principium essendi, quàm operandi non tamen ordine intentionis, nam sicut in hoc ordine, esse est propter operari, tanquam propter finem, ita principium essendi erit propter principium operandi, & ideò diffinitio animæ, quæ penes principium operandi traditur, non poterit esse descriptiua, quippè quæ datur per aliquid prius in genere causæ finalis, cum tamen diffinitio descriptiua debeat tradi per aliquid posterius.

Non itaque hoc refert; nam vt ex dicendis q. sequent. constabit, diffinitio hæc nec traditur, nec tradi potest per operationes aut penes principium operandi, tanquam per finem, & ita ex hac parte ratio D. Th. à nobis facta in sua vi, & robore manet.

20 Nec refert si dicas, non rectè colligi ex eo quòd anima priùs sit principium essendi, quàm operandi, quòd ratio principij operatiui non pertineat ad eius intrinsecam rationem, quia posset dici vtrumque munus spectare ad conceptum eius quidditatiuum, quamuis ordine quodam, & ita animam non esse plenè constitutam in suo esse, quousque intelligatur in ea ratio principij operandi.

Nam contra hoc est: quòd vt 2. Phys. disp. 7. n. 15. diximus, ordo essendi, & ordo operandi, seu ordo essentiæ, & naturæ sunt duo ordines virtualiter inter se distincti; quorum neuter saltem in creatis pertinet ad conceptum alterius, quamuis ordo operandi indispensabiliter præsupponat ordinem essendi, & ad illum subsequatur: ergò hoc ipso, quod anima sit sufficienter constituta intra ordinem essendi, erit absolutè & simpliciter plenè constituta. Consequentia autem probatur, quia quidquid pertinet ad conceptum quidditatiuum rei creatæ, pertinet ad ordinem essentiæ, ac proinde hoc ipso, quod res sit sufficienter constituta in ordine essentiæ, erit absolutè & simpliciter plenè constituta: Tum etiam talis res non reponitur essentialiter in duobus ordinibus, sed in vnico & eodem, ac proindè hoc ipso, quod ordo essendi, vel operandi sint duo ordines saltem, in creaturis non pertinebit vterque ad quidditatem rei creatæ, sed ea plenè constituta in priori erit absolutè, & simpliciter plenè constituta.

21. Confirmatur, nam ex eo, quod res creata habet talem essentiam, talémque & tantam perfectionem oritur, vt suprà dicebamus, quòd habeat tantam vel tantam virtutem etiam radicalem operandi; ergo virtus operandi radicalis habet se ad instar proprietatis talis rei, vt habet talem, vel talem essentiam, quatenùs per hoc denotatur, quòd subsequitur ad essentiam absolutè, & simpliciter constitutam, ac proindè non erit ratio essentialis, & inadæquata respectu rei, quæ talem virtutem includit. Antecedens non indiget probatione. Prima verò consequentia etiam constat, quandoquidem id, quod per se, & indispensabiliter sequitur ad aliquam rationem specificam habet se ad instar proprietatis respectu illius.

Vltima verò consequentia etiam liquet; nam quoties duæ rationes inadæquatæ constituunt aliquam rationem specificam, tunc neutra comparatur per modum proprietatis alterius, sed vt dicamus èx æquo rem illam constituunt; quia id, quod conuenit rationi constitutiuæ vt *quo*, debet conuenire vt *quod* rei constitutæ per illam, & ita sit vna ratio constituens comparatur per modum proprietatis respectu alterius, etiam in re constituta habebunt hunc eundem ordinem, & consequenter ratio posterior habebit se ad instar proprietatis respectu rei constitutæ, non verò per modum formæ constituentis.

Respondetur argumentis prioris sententiæ.

§. III.

22. AD 1 constabit ex dicendis in solutione ad primum q. seq. Ad 2. negandum est antecedens, & ad probationem quod ad hoc, vt animæ conueniat esse primò principium operandi, & in sensu quæst. præcedent. explicato, satis est, quòd non conueniat ei ratione alterius principij intrinseci, & prioris, quod in ordine operatiuo sit ratio eliciendi prædictas operationes, & quod id oriatur ex sua ratione differentiali quatenùs tale: nam ex quo capite non conuenit ratione alterius principij operatiui, habet esse primum principium in hoc ordine, & ex quo capite oritur ab anima; quatenus anima est, conuenit illi *secundùm quod ipsa*, seu non ratione alterius prædicati superioris, sed propriæ, peculiaris rationis differentialis.

Vndè, quoad hoc cernitur apertum discrimen inter risibilitatem v. g. conuenientem homini, & rationem principij radicalis animæ competentem, nam licèt risibilitas conueniat homini per se, & homo, non tamen per se primò, quia in hoc ordine, scilicèt principij ad ridendum, præ... ponit aliud principium radicale. At ratio principij radicalis propria animæ quamuis aliquo modo conueni-

per se secundò, quatenus habet se modo dicto ad instar proprietatis illius; nihilominus conuenit primò propter rationem iam assignatam; qui modus primitatis, & non alius, per illam particulam denotatur.

23. Ad tertium negandum est antecedens; & ad probationem dicendum est, corpus animatum secundùm quod est ens & tale ens naturale posse dupliciter considerari, scilicèt vel vt pertinet vt *quod*, ad ordinem essentiæ, vel vt spectat ad ordinem operationum, & secundùm priorem considerationem dicit corpus de prædicamento substantiæ, & non qualecumque sed viuum vita substantiali, non explicando ordinem principij radicalis operationum vitalium, sed quòd in se sit viuum vita prædicta in hocque tota eius quidditas consistit; at secundùm posteriorem addit prædictam rationem principij operandi, vt vitaliter operandi, *vt quod*, ac proinde aliquid habens se ad instar proprietatis respectu illius. Vndè etiam anima, vt tribuit illi priorem rationem erit plenè constituta in sua essentia, & in his quæ ad eius specificationem spectant, & secundùm quod tribuit posteriorem tantùm, importabit aliquid quod se habet ad instar proprietatis ipsius.

Cæterùm, cùm his cohæreo: Tum quòd si identicè & non formaliter loquamur, vtraque ratio sit ipsa essentia, & quidditas animæ: Tum etiam, quod si de eodem corpore animato non *in esse rei*, sed vt habet rationem obiectiuam per se inspectam à Philosophia fiat sermo; Tunc ratio principij radicalis motus pertinebit ad intrinsecum eius conceptum, quia intra hanc lineam ratio ista est propria eius quidditas, ac proinde secundùm eam ad ordinem essentiæ obiecti spectat.

24. Ad illud autem, quod ibidem tangitur, scilicet diffinitionem naturæ traditam per hoc quod sit principium; & causa motus, &c. esse essentialem, vt loco ibidem citato diximus, & per consequens diffinitionem talis naturæ, nimirùm animæ datam per hoc quod sit principium, & causa motuum vitalium fore etiam essentialem. Dicendum est quòd discursus iste conuinceret intentum; si anima esset diffinitum huius diffinitionis, secundùm quod habet rationem talis naturæ; sicut natura secundùm rationem naturæ, est diffinitum in illa diffinitione: Cæterùm non sic res se habet, quoniam in hac diffinitione anima non diffinitur formaliter, secundùm quod habet prædictam proprietatem ad ipsam consequutam, scilicèt rationem talis naturæ, sed secundùm suam quidditatem, ex eo quod vt ex Arist. diximus, & admittunt Philosophi, idem est diffinitum vtriusque diffinitionis animæ, licet in priori explicetur eius essentia per ea quæ pertinent ad conceptum eius quidditatiuum, in posteriori verò per aliquid habens se ad instar proprietatis ipsius.

Quare, si diffiniretur, vt habet rationem naturæ, tunc diffinitio ipsius sic sumptæ esset essentialis, quamuis ratio naturæ non pertineat absolutè ad eius intrinsecum conceptum in esse rei, consideratæ: sicut si diffiniretur homo præcisè, & formaliter, quatenus est risibilis, tunc illa diffinitio esset essentialis ei secundùm hanc rationem sumpto; quamuis absolutè loquendo risibilitas sit proprietas eiusdem.

25. Ad confirmationem, concesso antecedenti neganda est consequentia, & ad probationem dicendum est, ex ea solùm colligi, quod si anima diffiniatur, [illegible] secundùm id quod habet in esse rei, sed secundùm id quod habet formaliter in esse obiecti suo modo [illegible] inspecti à Philosophia, tunc diffinitio illius per hoc quod sit primum principium prædictarum [illegible]erationum vitalium, esset essentialis: sicut etiã corpus animatum, si secundùm istam rationem diffiniatur, debet etiam eodem proportionali modò essentialiter diffiniri.

Cæterùm, hinc nihil contra nos, quia in præsenti non diffinitur anima, vtcumque sed in esse rei. Nec ex hoc sequitur, vt in hac confirmatione videtur innui, diffinitionem animæ sic sumptæ non pertinere ad Physicam considerationem. Nam, vt in proœmio lib. 1. Phys. disp. 7. num. 15. diximus: Philosophus agit de principiis entis naturalis, tam in esse rei, quàm in esse scibilis; & ita in primo lib. tractat. de eisdem in esse rei, &c. & in secundo iterum instituit sermonem de illis in esse scibilis, scilicet in esse naturæ, seu principij radicalis motus; &c. & meritò sanè, quia principia in esse scibilis, præsupponunt ea in esse rei.

26 Nec refert, si contra omnia, quæ in hac quæstione diximus obiicias, quod si ordo essentiæ & naturæ sunt duo ordo ordines rerum, ita vt posterior non pertineat formaliter ad conceptum illatum, tunc diffinitio prior quam de Anima tradidimus, scilicèt eam esse actum primum corporis Physici. &c. non esse omnino essentialis, quia datur per hoc quod anima sit radix operationum vitalium, quandoquidem illa particula, potentia vitam habentis, hanc rationem principij radicalis denotat; vt ibidem explicuimus.

Non itaque hoc refert, Tum quia vt præced. disput. num. 36. & 37. diximus: prædicto particula tantùm posita est, maioris explicationis gratia: Tum etiam, quia adhuc admisso, quòd particula ista intrinsecè ad illam diffinitionem pertineret, nihilominus diffinitio esset ex omni parte quidditatiua, nam tunc redderet hunc sensum, scilicet quod ex anima, vt pertinet ad ordinem essentiæ, oritur ratio hæc posterior, nimirum radici operationum vitalium, quandoquidem vt supra dicebamus, licet ordo naturæ saltem in creatis non pertineat formaliter loquendo ad ordinem essentiæ, attamen ordo essentiæ intrinsecè habet esse id, ad quod ordo naturæ, non qualitercumque, sed vt ad rem alterius ordinis subsequitur.

QVÆSTIO III.

Vtrum prior animæ diffinitio à priori, an verò à posteriori per hanc vltimam diffinitionem demonstretur.

27. IN quæstionis titulo aliquid vt certum supponimus, & aliquid in dubium vocamus. Supponimus enim cum Arist. in hoc 2. lib. cap. 2. & cum D. Tho. nec non cum omnibus aliis Philosophis: ibidem priorem animæ diffinitionem per hanc posteriorem demonstrari, & ratio est aperta: nam id quo primo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus, non potest non esse actus primus corporis, physici, organici, seu quod est idem, viuentis; sed anima est id quo primo viuimus, &c. ergo erit actus corporis physici, organici, seu viuentis.

Maior satis constat; nam cùm vnumquodque ens naturale primò operetur per suam formam constituentem illud in esse talis, consequens est, vt si anima est principium primum operationum vitalium viuentia, quòd ipsa sit actus primus constituens illud in esse viuentis. Minor verò etiam liquet, qui in hoc distinguuntur animata ab inanimatis, quòd hæc non sunt principia, vt quod prædictarum operationum vt ex se constat: secus verò animata, ergo in his anima erit id quo primo eliciunt prædictas operationes, nam animæ conuenit vt *quo* id ipsum quod corpori animato competit vt *quod*.

28 Quarè

28. Quarè quòd in dubium vocamus, tantùm est, an prædicta demonstratio sit à priori, seu per aliquid habens secundùm suam naturam, & in esse eei, rationem causæ, aut eationis à priori respectu prioris diffinitionis; an verò sit à posteriori, seu per effectum, aut rationem aliquam posteriorem; & licèt quæstio hæc ex præcedenti ferè constet, quia tamen aliqua solent adduci contra sententiam Arist. & D. Th. solutione, & impugnatione digna: ideò vt magis mens vtriusque pateat, & clariùs, ac distinctiùs in omnibus procedamus, placuit de hoc in hac quæstione disserere.

Refertur prior sententia.

§. I.

PRima sententia affirmat, demonstrationem hanc esse à priori. Ita Doctores præced. quæst. pro prima sent. adducti; quam etiam Græci expositores sequuntur, vt testatur Suarez loco q. præced. relato; quamque probabilem reputat Bañez 1. part. quæst. 75. art. 1.

29. Præcipua autem huius sententiæ fundamenta, tacta sunt quæst. præced. nam primum desumitur ex testimonio illo, Arist. num. 12. adducto, quo fatetur Arist. se velle causam prioris diffinitionis tradere, quod quidem sic vrgeri, & confirmari potest, nam vt Philosophus explicaret demonstrationem peioris diffinitionis per hanc posteriorem, præmittit exemplum quadrationis quadraguli, tradens duas eius diffinitiones: vnam explicantem, quid sit; alteram exprimentem causam eius secundùm suum esse. Si autem Arist. non intenderet tradere diffinitionem animæ, quæ à priori demonstraret primam eius animæ diffinitionem; non adduxisset in exemplum demonstratum quadrationis quadraguli à priori, sed demonstrationem aliam, quæ à posteriori, & per effectus daretur: alioquin non adduxisset idoneum exemplum ad id quod intendebat.

Secundum autem fundamentum desumitur ex causalitate finali, quam operationes vitales exercent respectu animæ. Nam operatiooes istæ habent: Tum quòd sint effectus in genere causæ efficientis ab anima procedentes: Tum etiam, quòd habeant rationem finis respectu illius; ergo demonstratio quatenus datur per illas prout habent eationem finis, erit à priori, imò maximè à priori, quandoquidem causa finalis, vt 2. Phys. disp. 15. n. 15. diximus, est prima inter omnes causas. Antecedens quoad priorem partem ex se patet, quoad posteriorem verò etiam liquet quandoquidem iuxta commune illud Philosophorum proloquium desumptum ex Aristot. lib. 2. de Cœlo cap. 3. text. 17. *Vnumquodque est propter suam operationem*, ac proinde, operatio erit causa finalis vniuscuiusque rei.

30. Confirmatur: nam licèt detur operationes animæ non esse secundùm se causam finalem respectu illius secundùm suam essentiam consideratæ, ex eo quòd sunt de peædicamento accidentis, & substantia non ordinatur per se aliquid extra proprium prædicamentum; nihilominus ipsa anima, vt est principium radicale earum non potest non esse finis, seu ratio finalis respectu sui, vt habet rationem essentiæ; ergo cùm demonstratio hæc detur per esse principium radicale prædictarum operationum, dabitur pee rationem finalem, atque adeò erit à priori. Consequentia patet.

Antecedens autem, quoad secundam partem, quæ sola indiget probatione suadetur, quoniam anima non intenditur à natura vt sit otiosa, alioquin ad nihilum deseruiret; sed esset frustra in rerum natura. Et ideò Arist. loco citato ex 2. de Cælo loquens de Deo, id est vt exponit ibidem D. Thom. lect. 4. iuxta modum dicendi Platonis de substantiis intellectiuis, & aliis, quæ valdè Deo assimilantur propter quod Deus, & substantiæ diuinæ appellantur, inquit, iuxta explicationem eiusdem S. Doct. quòd si qua substantia immobilis Deus dicitur, eius operatio est sempiterna, absque motu aliquo, quia frustra esset talis res sempiterna non habens operationem sempiternam; ergo sicut prædictæ substantiæ, ita, & anima iotendetur, vt sit priocipium modò sibi proportionato, scilicèt radicalitee operationum vitalium, ac proinde ipsa vt habet rationem talis principij, erit ratio finalis sui ipsius, secundum quod est principium essendi.

Præfertur sententia Arist. & D. Thom.

§. II.

31. DIceudum tamen est, demonstrationem hanc esse à posteriori. Ita auctores præced quæst. pro assertione citati. Probatur primò testimonio Arist, in hoc 2. lib. text. 12. Vbi intendens tradere hanc secundam animæ diffinitionem, & per eam demonstrare illam priorem inquit: *Quoniam autem ex incertis quidem, sed tamen manifestioribus certum fit, id quod secundum rationem notius, tentandum est iterum sic aggredi de ipsa; non enim solum, quod sit oportet diffinitiuam rationem ostendere, sed causam in esse & apparere.*

Quæ verba explicat D. Thom. lect. 3. his verbis: *In quibusdam autem, eadem sunt notiora quoad nos, & secundum naturam, sicut in Mathematicis, quæ sunt à materia abstracta, & in his demonstratio procedit ex notioribus simpliciter, & notioribus secundum naturam, scilicèt ex causis in effectus. Vnde dicitur demonstratio propter quid. In quibusdam verò non sunt eadem magis nota simpliciter, quoad nos, scilicet naturalibus in quibus plerunque effectus sensibiles sunt magis noti suis causis, & ideò in naturalibus, in pluribus proceditur ab his, quæ sunt minùs nota secundum naturam, & magis nota quoad nos vt dicitur in 1. Phys. & hoc modo demonstrationis intendit hic vti. Et hoc est quod dicit, quod quia illud quod est certum secundum naturam & quod est secundum rationem notius fit certiùs quoad nos ex his quæ sunt incerta secundùm naturam, certiora autem quoad nos per istum modum tentandum est iterum aggredi de Anima demonstrando diffinitionem eius supra positam.*

32. Ratio autem fundamentalis huius assertionis desumitur ex dictis quæst. præced. nam vt ibidem ratione ex Arist. & ex D. Thom. desumpta ostendimus: Hæc posterior animæ diffinitio non est quidditatiua, sed descriptiua, & tradita per effectum, seu rationem aliquam posteriorem ad eam per quam prior diffinitio datur; ergo demonstratio qua per eam demonstratur prior diffinitio, non est à priori, sed à posteriori.

Nec refert, si occurras quòd ratio ista vt sup. quæst. præced. insinuatum est; conuincit intentum quoad operationes vitales, & principium radicale earum, vt sunt effectus, & rationes con[illegible]utæ ad rationem animæ, prout per priorem diffinitionem explicatur: secus verò prout habent rationem finis respectu illius sic sumptæ, secundùm quam rationem sunt priores quàm illa non secùs (proportione tamen [illegible]) ac potentiæ siue vitales, siue non vitales diffiniu[illegible]tur, & demonstrantur à priori per suos actus, quia licèt in genere causæ efficientis sint effectus illarum; attamen in genere causæ finalis sunt priores [illegible]

33 Non itaque hoc refert, nàm in primis hæc solutio non est consona menti Arist. quod quidem satis constare poterit, ex modo quo Philosophus in hac demonstratione pocessit; scilicèt ab his quæ sensui, magis nota sunt. Nam in primis pro fundamento illius assumit *animatum ab animato vita (id est operatione vitæ) sejungi*, vtique à posteriori, & quoad nos, ideoque fundamentum hoc ex his, quæ videmus, & experimur, confirmat: & eodem modo discernit inter viuentia ipsa gradus eorum; quatenùs experimento deprehendimus plures vel pauciores ex his operationibus eis conuenire, & similiter eadem ratione infert, dandum esse in viuentibus aliquod principium à quo prædicta operatione procedant; quæ illatio procedit à posteriori, quia est ab effectibus, vt manifestioribus & experientia ipsa deprehensis, & ita non fundatur in operatione, vt habente rationem finis, quia vt dicebamus habitudo ista est ignota sensui.

Et denique ex hoc principio à posteriori ostenso, infert animam esse actum primum, seu formam corporis; quæ illatio non solùm in fundamento, sed etiam in se est à posteriori, non verò per rationem, aut causam finalem, tam secundùm mentem Arist. Vt colligitur, ex cap. 4. eiusdem lib. quàm secundùm rem ipsam, nam vt ex D. Thom. dicebamus, non ideò anima est viuenti principium essendi, quia est principium operandi; sed potiùs è contra, quia est principium essendi per modum actus & formæ; ideò est principium operandi: ita vt hæc ratio habeat se ad instar proprietatis respectu alterius; ac proindè nequibit etiam in genere finis esse prior, quandoquidem id quod se habet ad instar proprietatis rei, eo quod ex eius specificis principiis semper, & indispentabiliter fluit, nequit esse finis essentiæ à qua dimanat, non enim essentia propter proprietates, sed potius proprietates propter essentiam sunt.

34 Deindè ratione eadem solutio impugnari potest ex discrimine, quod intercedit inter potentias immeditè operatiuas & animam, nam sicut totum viuens, vt ex anima, & corpore coalescit, habet rationem substantiæ completæ, omninò absulutæ; ac proinde secundùm suam speciem, & essentiam non dicit transcendétalem habitudinem ad accidentia, nec ad aliquid habens se ad instar proprietatis ipsius, vel saltem ad hæc per se prima non ordinatur; vt 2. Phys. disput. 10. quæst. 4. diximus; Et ideò nec ab illis specificatur: nec secundùm suam essentiam est propter illas, tanquam propter finem, alioqui per se primò ad ea terminaretur, ita anima & corpus, quæ habent rationem partium essentialium respectu eiusdem viuentis, licèt se mutuò, & essentialiter respiciant, non tamen anima v. g. dicit transcendentalem respectum ad suas potentias, actiones, vel proprietates, vel saltem per se primo eas non respicit; atque adeò nec ab eis speciem desumit, aut propter illa, tanquam propter finem est, & consequenter nec respiciet tanquam finem se ipsam vt est principium operandi; quandoquidem secundùm istam rationem comparantur modo suprà dicto per modum proprietatia respectu sui, secundùm suam speciem considerata.

Cæterùm, poten[illegible] immediatè operatiuæ per se primò ordinantur ad actus, & ab illis speciem desumunt, & ideò possunt esse propter illos, tanquam prop[illegible] finem modù supra explicato; & per eosde[illegible] essentialiter diffiniri; & à priori demonstrari. [illegible]uatè h[illegible]c potiùs pro nobis, quàm contra nos desu[illegible]tur ratio efficax; nam anima secundùm essentiam spectata non desumit suam specificationem ab operationibus, quas elicit, sicut potentia ab actibus; ergo nec diffiniri potest per illas, nec per ordinem ad easdem, sed tantùm à posteriori eius natura per ipsas, aut per hoc quod sit principium radicale illatum manifestari.

Enodatio argumentorum primæ sententiæ.

§. III.

35. AD primum ergo initio huius quæst. adductum, necnon & ad primum ex q. præced. relictum, respondetur ex D. Thom. in hoc 2. lib lect. 3. quòd, vt Arist. tradendo secundam animæ diffinitionem demonstraret à posteriori primam, præmisit propositionem illam generalem, scilicèt. *Non enim solùm quod sit oportet diffinitiuam rationem ostendere, sed causam in esse, & apparere*, per quam non innuitur sensu in primo argumento quæst. præcedenti pro prima sententia adductus, sed significatur, oportere saltem multoties diffinitiuam rationem ostendere. Tum causam essendi, ac proinde causam simpliciter, & secundùm naturam notiorem, quod denotatur per ly *causam in esse*, quandoquidem quod est causa alterius in esse, ipso per se, & secundùm naturam, est notius illo, quippè quod est ratio cognoscendi illud: Tùm etiam causam cognoscendi, & apparendi præcisè, quod quidem solùm conuenerit effectibus, & rationibus secundum se posterioribus.

Hoc autem non ita intelligendum est vt quotiea diffinitiua ratio causam traderet, debeat vtramque tradere, sed per distributionem accommodam: & adaptatam diffinitionibus, ac demonstrationibus, quæ in illa scientia tradi solent; & ita, quia vt ex S. Doct. loco citato, & in confirmatione assertionis dicebamus: in quibusdam eadem sunt notiora, quoad nos, & secundùm naturam, vt in Mathematicis, quæ sunt à materia modò alibi dicto, abstrata: in quibusdam verò non sunt eadem magis nota simpliciter, seu secundùm naturam, & quoad nos scilicèt in naturalibus: ideò in illis demonstratio, & diffinitiua ratio procedit ex notioribus simpliciter, & ex causis *in esse*: in his verò, vt in pluribus proceditur, ab his quæ sunt minùs nota secundùm naturam, & magis nota, quod ad nos, ac proinde ex causis *in apparere*.

36. Vnde, (vt sic magis ad confirmationem, & expensionem huius testimonij quod initio huius q. adducebatur, constet) exemplum illud demonstrationis Mathematicæ ab Arist. traditum, tantùm adducitur ad probandam prædictam propositionem (quæ per distributionem accommodam, vt iam diximus intelligenda est) quo ad illam partem, scilicèt quod in his diffinitionibus & scientiis in quibus eadem sunt notiora secundùm naturam, & quo ad nos, oportet diffinitiuam rationem & causam *in esse* reddere.

Et ad summum potest ex consequenti deseruire ad ostendendum eam, quo ad alteram partem non quidem quoad demonstrationis modum, scilicèt à priori, sed quo ad hoc quod est posse in his diffinitionibus & scientiis, in pluribus, eadem sunt magis nota quo ad nos quàm secundùm naturam tradi diffinitionem vnam, quæ alteram absolutè, etiam si non à priori demonstret & ideò D. Thom. postquam ex professo explicuit exemplum illud quadrationis quadranguli & duas eius diffinitiones, quomodò vna per alteram demonstretur; asseruitque demonstrationem hanc esse à priori, & per causam *in esse*: statim addidit. *Attendendum est autem, quòd hoc exemplum, quod hic inducitur, est simile ei quod intenditur circa animam, quantùm ad aliquid*

scilicèt

scilicet quantum ad hoc, quod demonstretur diffinitio animæ; non autem quantum ad hoc quod demonstretur demonstratione dicente propter quid.

Ad secundum respondetur, negando antecedens, intellectum de anima secundùm se, & secundùm suam essentiam: secùs tamen de ea vt ratione suæ potentiæ, immediatè operatiuæ respicit operationem: nam sicut per se, & ratione sui non respicit per se primò operationem vt Physic. disp. 10. n. 23. 24. & 27. ostendimus. Ita secundùm hanc rationem præcisè sumptam, vt ibidem notauimus, non habet pro fine operationem, sed solùm secundùm quod per suam potentiam actuam proximam redditur immediatè operatiua.

37. Ex quo ad probationem in contrarium satis constat, nam vt loco citato n. 27. asseruimus; pronunciatum illud, nimirùm vnumquodque est propter suam operationem, est verum de rebus, vt habent suas potentias immediatè operatiuas; nam mediis illis ordinatur ad operationem: at in hoc posteriori animæ diffinitione, non diffinitur ipsa secundùm quod habet suas potentias vitales immediatè, & vitaliter operatiuas; sed secundùm suam essentiam, vt dictum est, & ita sicut secundùm hanc præcisè, & formaliter sumptam non respicit per se primò operationem, nec eam pro fine habet, ita nec per eam, tanquam per causam sui *in esse* diffiniri, aut demonstrari potest, sicut nec per eandem, vt est principium radicale operandi propter rationem iam dictam.

Congruitque hæc expositio cum verbis Arist. loco ibidem citato; & cum D. Th. ibidem lect. 4. Nam verba Arist. sic se habent. *Vnumquodque quorum est opus, gratia operis*: constat autem ea, quorum est opus includere: Tum principium radicale: Tum etiam potentiam immediatè operatiuam. Vt loco citato ostendimus, & in eodem sensu loquitur D. Th. ibidem, vt ex contextu liquet, & non est huius loci explicare.

Ad confirmationem negandum est antecedens, & ad probationem dicendum est, animam secundùm suam essentiam purè consideratam intendi à naturâ, vt sit principium essendi in tantâ vel tantâ perfectione, quoniam eximia quædam perfectio accrescit vniuerso, ex eo quod in eo sint omnes gradus essendi, omniaque illarum principia: at secundùm quod est principium radicale operandi intenditur à naturâ, ad hoc vt mediis suis potentiis operatiuis, & ratione illarum immediatè operetur.

38. Vndè, concedendum est antecedens prædictæ probationis, & neganda vtraque consequentia; prima, quam sicut natura intendit hominem: Tùm, vt sit homo: Tùm etiam, vt sit risibilis, quæ est prioritas illius; ita intendit animam: Tùm vt sit principium essendi, tùm etiam, vt principium radicale operandi.

Secunda verò quoniam sicut ex hoc, quod homo intendatur: Tùm vt sit homo: Tùm vt sit risibilis, non sequitur intendi hominem propter risibilitatem tanquàm propter finem hominis; ita ex eo quod intendatur natura: Tùm vt sit principium essendi; Tùm, vt sit principium radicale operandi, non indè sequitur intendi animam prout est principium essendi propter se ipsam, vt est principium operandi aliter quod hæc ratio, sit per se, & ex natura sua finis prioris: Quomodò autem, & in quo sensu sit verùm dictum illud Arist. quod in hac confirmatione refertur; scilicèt substantiam sempiternam, debere sempiternè operari, non est huius loci explicare.

39. Adde, benè posse naturam intendere, animam prout est principium essendi propter principium operandi, & propter operationem, si intendi teneat se ex parte intensionis naturæ, seu quod idem est ex parte intentionis auctoris illius; non verò ex parte rei operatæ. Nam licèt auctor naturæ possit producere animam vt sit, & per ordinationem extrinsecam ordinare esse illius, ad hoc vt habeat rationem principij radicalis, & rationem istam principij radicalis, iterum eodem modò ordinare, ad hoc vt indè resultet principium proximum ac tandem subsequatur operatio; non tamen vult quòd principium essendi, secundùm suam rationem, & ab intrinseco sit propter principium radicale operandi, sed potius è contra, sicut licèt actus charitatis aliquando ordinetur per ordinationem extrinsecam operantia ad actum humilitatis, nunquam tamen vult operans, vt actus charitatis per se, & ab intrinseco habeat esse propter actum humilitatis.

Vnde, quia in præsenti diffinitur anima secundùm suam essentiam, & secundùm hanc non habet pro fine prædictam, quasi proprietatem illius, scilicèt esse principium radicale operandi; ideò non diffinitur per aliquam rationem priorem, & consequenter, nec hæc demonstratio erit à priori.



DISPVTATIO IV.

De diuisione animæ, & modorum viuendi.

POST quæstionem *quid est*; statim iuxta Philosophum subsequitur quæstio de diuisione eiusdem; & ita iam explicata, & diffinita essentia, & quidditate animæ, tam à priori, quàm à posteriori; meritò ad eius, nec non & modorum viuendi ab illa dimanantium, diuisionem declarandam accedimus.

QVÆSTIO PRIMA.

AN ANIMA IN VEGETATIVAM, SENSITIVAM, & intellectiuam rectè diuidatur.

MAior, & perfectior intelligentia essentiæ animæ valdè ex his quæ in hac q. dicenda sunt, pendet. Nam sicut diffinitio, ita, & diuisio ad rem aliquam perfectiùs percipiendam maximè conducit.

Rationes dubitandi.

§. I.

PArtem negantem suadere videntur hæ argumenta. Primam, nam vltra tres animas in titul

eclatas, datur alia loco motiua: ergo anima non diuiditur sufficienter, atque adeò nec rectè in tria illa membra ibidem recensita. Antecedens probatur: Tum quia anima loco motiua per se sumpta habet veram rationem animæ; quippè quæ ex meritis suis est actus corporis, physici organici: Tum etiam, quia ideò, tam anima vegetatiua, quàm sensitiua, & intellectiua sunt veræ animæ, quia quælibet illarum, est principium peculiaris actionis vitalis; vegetatiua quidem vegetandi; sensitiua verò sentiendi; intellectiua autem intelligendi. Sed anima loco motiua est etiam principium peculiaris actionis vitalis, scilicèt motus vitalis secundùm locum; ergo erit vera anima à reliquis tribus distincta.

Prima verò, & secunda consequentia ex antecedenti constaot: Tum quia in bona diuisione debent omnia membra æquè sub diuiso contento connumerari: Tum etiam, quia tres animæ expresè in hac diuisione connumerantur, ex eo quod quælibet est principium peculiaris actionis vitalis: hæc autem ratio etiam procedit in anima loco motiua, vt explicatum est.

2 Confirmatur, & explicatur: nam ex eo quod in secunda diffinitione animæ ponuntur tres illæ particulæ, scilicèt viuimus, sentimus, & intelligimus, colligitur dandas esse tres animas, quæ sint principia harum operatioonum, scilicèt vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam, atque adeò animam in illas diuidendam esse; ergo quia in illa diffinitione adiicitur particula illa *loco mouemur* colligemus dandam esse quartam aliam animam, quæ sit principium prædicti motus, ac proinde animam vt sic in illam cum aliis diuidendam fore.

Nec refert si dixeris, animam loco motiuam comprehendi sub sensitiua; nam sicut loco motiuum vt tale, est viuens sensibile, ita anima loco motiua semper est sensitiua.

Nam contra hoc est: Tum quod eadem ratione non debuisset in secunda diffinitionem animæ numerari peculiaris illa eius actio scilicet *loco mouetur*, quandoquidem eodem modo contineretur sub particula illa *sentimus* per quam peculiaris actio vitalis animæ sensitiuæ denotatur, nam sicut sub anima sensitiua vt sic, continetur loco motiua: ita sub actione adæquata illius scilicèt *sentimus*, deberet etiam peculiaris eius actio contineri: Tum etiam, quia sub anima vegetatiua vt sic, etiam continetur sensitiua; siquidem hæc ratione suæ vltimæ differentiæ per se contrahit illam ad gradum sentiendi, & ob eandem proportionalem rationem sub sensitiua continetur intellectiua; quia etiam anima intellectiua, seu rationalis, per se contrahit animam sensitiuam, sicut rationale per se contrahit sensitiuum, scilicèt anima. Ergo, vel non debuit anima in vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam, vel debuit etiam in loco motiuam diuidi. Patet consequentia, quia loco motiua non aliter contineri potest sub sensitiua, nisi quia loco motiua ratione suæ differentiæ contrahit illam ad esse animæ loco motiuæ, & ideò loco motiuum est etiam sensitiuum.

3 Confirmatur primò: Nam anima loco motiua, ita contrahit sensitiuam, vt licèt non possit dari loco motiua sine sensitiua, benè tamen sensitiua sine loco motiua, vt patet in animalibus imperfectis, scilicet ostreis, quæ etsi sentire, non tamen se loco mouere possunt: ergo quòd prædicta anima contrahat f... uam, aut sub illa contineatur, nihil operit ad hoc quod inter cætera alia membra huius diuisionis posſ–, & debeat numerari. Patet consequentia, quoniam non ob aliam rationem possunt duæ aliæ ani...æ, scilicèt sensitiua, & intellectiua, in hac diuisione expresè numerari, nisi quia licèt vtraque per se contrahat vegetatiuam, & sub illa contineatur; nihilominùs vegetatiua potest esse sine illis, non tamen è contrà, & facta collatione inter sensitiuam, & intellectiuam: illa potest esse sine ista, non tamen è conuerso.

Confirmatur secundò, quia non obstante quod loco motiuum per se contineatur sub sensitiuo; nihilominùs gradus viuendi non minùs expresè diuiditur in loco motiuum, quàm in sensitiuum, vegetatiuum, & intellectiuum; ergò etiam, non obstante quòd anima loco motiua per se contineatur sub sensitiua, debet in diuisione animæ, vt peculiare eius membrum peculiariter connumerari. Consequentia patet: Tum quia tot, & non plures, aut pauciores debent esse gradus, & modi viuendi, quot animæ à quibus oriuntur, & è contrà: Tum etiam, quia vt infrà num. 36. dicemus, ideò omnes illi gradus expresè connumerantur, quia licèt posteriores contineantur sub prioribus, attamen priores possunt separari à posterioribus, vt intuenti constabit: Ergò cum hæc ratio æqualiter procedat in animabus, fiet inde tot esse animas, quot gradus; & consequenter animam loco motiuam in hac diuisione fore connumerandam.

4 Ex quo etiam secundum & principale argumentum pro parte negatiua desumitur. Nam anima, vt sic dicamus tactiua, id est ea quæ solùm est principium sentiendi medio tactu, & aliis sensibus internis ad hunc sensum per se subsequutis, non verò mediis aliis qualis est anima ostrearum, debuit peculiariter numerari in hac diuisione, & similiter, animæ, quæ non sunt principia sentiendi mediis omnibus sensibus, sed aliquibus tantùm, quales sunt animæ aliquorum animalium, in quibus non omnes sensus reperiuntur, vt in talpa contingit; ergo etiam ex hac parte diuisio ista non erit legitima. Antecedens probatur, nam quæuis ex his animabus, est vera anima, & potest separari ab aliis animabus quæ sunt principia sentiendi per plores sensus, quàm ipse.

Tertiò, nam hæc diuisio animæ, nec est generis, aut quasi generis in species subalternas, nec in species infimas, ergo non erit legitima. Consequentia patet, nam licèt res aliqua possit pluribus aliis diuisionibus præter eas quæ in antecedenti referuntur diuiditur, nihilominùs quoties diuiditur in ea, quæ per se sub illa continentur, & vniuocè eius rationem participant, vt in præsenti contingit, non potest non illa diuisio esse vel generis, aut quasi generis in species, ac proindè in species infimas, vel subalternas. Antecedens autem quoad vtramque partem ex se constat, quoad primam quidem, scilicet diuisionem hanc non esse in species infimas, quia anima vegetatiua, & sensitiua rursus in plures alias species, aut quasi species diuiduntur. Quoad secundam verò, quia anima intellectiua nequit in plures animas specie diuersas diuidi, vt ex se patet.

5 Nec satis erit, si dixeris, diuisionem hanc ex parte vnius extremi esse diuisionem in speciem quasi infimam, & ex parte alterius in species quasi subalternas. Nam contrà hoc est: Tùm quia hic modus diuidendi non videtur rectus, & artificiosus: Tùm etiam, quia sicut anima intellectiua peculiariter ingreditur hanc diuisionem ex eo quod addit peculiarem rationem per se contrahentem animam, vt sic, licèt talis ratio sit infima: ità etiam cæteræ illæ animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ, quæ trahunt animam vt sic ad speciem aliquam infimam debuissent connumerari, quippè quæ etiam per se contrahunt prædictam animam, hoc autem vt constat satis absurdum esset; ergo, & cætera.

Quartò

Quartò, nam ex alio capite hæc diuisio videtur superabundans: quoniam forma vegetatiua per se, & separata à sensitiua non habet veram rationem animæ; ergo non debuit, vt peculiare, & distinctum membrum à sensitiua in hac diuisione connumerari. Consequentia patet, antecedens autem probatur: Tum quia forma vegetatiua præcisè sumpta nullam habet operationem immanentem, quandoquidem omnes actiones illius, vel sunt in cibum, seu alimentum, vel ad summum erunt inter partes dissimilares per actionem vnius in aliam, ac proinde transeuntem, ergo nec etiam habebit aliquam actionem vitalem, ac proindè nec veram rationem animæ: patet vtraque consequentia, quia omnis actio vitalis, & consequenter indicans primum principium illius esse animam, debet esse immanens; alioquin non esset à principio intrinseco, & consequenter nec vitalis.

Tum etiam, quia omnes actiones verbi gratia plantarum, quæ sola forma vegetatiua informantur, vel sunt alterationes per qualitates naturales communes rebus in animatis vt sunt calor humiditas, & similes; vel sunt motus locales per aliquam attractionem, vel expulsionem, quas actiones etiam in rebus inanimatis videmus, vt in Magnete, & similibus. Tùm denique quia forma præcisè vegetans solùm est principium augmenti, & nutrimenti generandi sibi simile: at formæ inanimatæ etiam sunt principium prædictorum motuum. Vnde ignis per appositionem combustibilium nutritur, & crescit, ita vt forma eius sit principium talis nutritionis & conuersionis illorum combustibilium in propriam substantiam, ac proindè augmenti tunc acquisiti, & tandem generat sibi simile vt constat: ergo, &c.

6. Confirmatur primò, quoniam nulla res creata potest habere vitam etiam vt *quo*, quæ non eam à Deo participet, at forma vegetans præcisè sumpta non participat vitam Dei etiam vt *quo*, ergo nullam habebit vitam etiam vt *quo*, ac proindè, nec veram rationem animæ. Vtraque consequentia satis constat, minor verò probatur, nam vita Dei non est nisi per modum cognitionis, & amoris, siue per modum principij prædictarum actionum; at forma præcisè vegetans nequit participare vitam hoc modo: ergo, &c. Maior autem non indiget probatione; quoniam quidquid est creatura debet esse per participationem à Deo. Vnde non est ens, aut substantia, nisi per participationem ab illo, vt 1. ente, & 1. substantia per essentiam.

Confirmatur, & explicatur secundò, simolque excluditur tacita quædam solutio, quæ præc. confirmat. adhiberi poterat: nam licet perfectiones, quæ non sunt simpliciter simplices, ac proindè solùm eminenter continentur in Deo, qualis est ratio corporis verbi gratia, possit participari non per participationem formalem, sed secundùm modum longè inferiorem attamen perfectiones simpliciter simplices, quæ proindè sunt formaliter in illo, vel non participantur, vel debent participari participatione formali, vt in participatione rationis entis substantiæ intellectualitatis, &c. constat. At ratio vitæ est perfectio simpliciter simplex, & per consequens formaliter reperta in Deo; ergo, vel non participatur, vel debet participari participatione formali; ergo cùm in Deo non detur vita nisi per modum cognitionis, & amoris, fit inde, vt forma præcisè vegetans, quæ nequit participatione formali, hanc Dei vitam participare, non possit vllo modo esse particeps vitæ Dei, ac proindè, nec vllius vitæ.

Quintum, quoniam hæc diuisio non solùm videtur ex diuersis capitibus considerata habere prædictos defectus, sed etiam alium legibus bonæ diuisionis oppositum: etenim membra diuidentia non possunt formaliter includi, vel in se inuicem, vel saltem vnum in alio, vt ex se, & ex his, quæ dialectici communiter docent, constat: ergo hæc diuisio etiam ex hac parte non erit legitima. Consequentia probatur quoniam anima sensitiua vt talis, non potest non, vt suprà dicebamus, includere vegetatiuam, & rursus intellectiua sensitiuam, sicut sensitiuum non potest non esse principium vegetandi, & intellectiuum sentiendi.

Sententia Arist. & D. Thom. stabilitur.

§. II.

7. Dicendum tamen est, animam rectè diuidi in vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam. Ita Aristot. in hoc lib. 2. cap. 3. D. Thom. ibid. lect. 4. & 1. part. quæst. 78. art. 1. De veritate quæst. 10. art. 2. ad secundum Q. de Anima art. 13. D. August. 8. de Ciuitat. Dei cap. 8. quos sequuntur Bañez loco citato ex 1. part. Ferrara, Flandria, Conimb. Rubio, Zanard. Murcia de la Llana, & communiter expositores in hoc lib. c. citato, nec non & Suarez 2. tom. summæ Theologiæ tract. 3. de Anima l. 1. c. 4. & seq.

Probatur ratione, quam insinuat Arist. loco citato, & prosequitur D. Thom. ibidem, & 1. part. vbi sup. quæque potest sub hac forma proponi. Quia tot sunt animæ, quot sunt modi quibus operatio illius supergreditur operationem naturæ corporalis inanimatæ: sed tres tantùm sunt modi quibus operatio animæ supergreditur operationem naturæ corporalis inanimatæ, ergo tres erunt tantùm animæ. Consequentia patet; maior autem probatur, quia diuersæ animæ distinguuntur secundùm quod operationes illarum diuersimodè supergrediuntur operationem naturæ corporalis, sicut etiam anima non distinguitur, & eleuatur supra quamlibet naturam inanimatam, nisi quia operatio eius supergreditur, & est eleuatior, quàm qualibet operatio naturæ corporeæ, & inanimatæ.

Minor autem in qua est difficultas, aliquantulùm fusiùs, quia res de qua agitur id exposcit, sic declaratur, & explicatur. Nam quædam est operatio animæ, quæ adeo excedit naturam corpoream, vt nequeat exerceri per organum corporeum, qualis est intellectio, & huic correspondet anima intellectiua.

8. Alia verò est operatio animæ infra istam, quæ quidem fit per organum corporeum, non tamen mediis qualitatibus valde materialibus, quales sunt primæ qualitates, vt calor, siccitas, &c. vel illæ quæ ex commixtione earundem resultant, sed mediis aliis subtilioribus, & non parum à materia deputatis, quales sunt species intentionales, quas Aristot. & D. Th. ob hanc subtilitatem, & deputationem appellauerunt formas sine materia, quamuis re vera non sint purè spirituales, & huic operationi correspondet anima sensitiua; quia licet primæ qualitates, & aliæ ex commixtione earundem resultantes ad prædictam operationem requirantur, non tamen ex eo, quod mediante virtute illarum operatio animæ sensitiuæ procedat; sed quia ad debitam dispositionem organi, per quod prædicta operatio elicienda est desiderantur.

9. Tandem alia est operatio animæ omnium infima, quæ fit per organum corporeum, & saltem virtute corporeæ, & primæ qualitatis, sicut aliæ operationes rerum inanimatarum; attamen supergreditur operationem naturæ corporeæ, & inanimatæ in hoc, quod operatio istius nequit esse à principio in-

trinseco, ex eo quòd res inanimata non valet seipsam per modum causæ principalis mouere, sed eius actio necessariò debet esse à principio extrinseco; at verò hæc operatio animæ debet esse à principio intrinseco, quia anima est causa principalis eius, & ratio ob quam corpus animatum seipsum per illam mouet, & huic operationi correspondet anima vegetatiua; nam nutritio, quæ est operatio illius fit per organum corporeum & saltem virtute caloris naturalis, tanquam formæ instrumentariæ, modò tamen infra dicendo, & procedit ab anima vegetatiua, & ab animato per eam constituto, tanquam à causa principali; & ita talis actio est propria operatio vitæ, quamuis omnium ignobilioris, sc. vegetatiuæ, ex eo quod proprium officium rei animatæ est mouere aliquo modo seipsam, vt ex supra dictis constat, & minimum in quo potest esse hic excessus, est vt præcisè excedatur res inanimata in hoc quod est mouere seipsam. Quare cum non sit alius modus, quo operatio animæ supergrediatur, & eleuetur supra operationem naturæ corpoream, vt intuenti constabit; fiet inde, vt tres tantum sint modi, quo operatio illius operationem istius supergrediatur.

10. Confirmatur, & explicatur ratione desumpta ex D. Thom. lect. 5. & quæst. de Anima iam citatis, quæ potest ad hanc formam reduci; nam illa supergressio, & eleuatio, qua operationes animæ eleuantur, & supergrediuntur operationes rerum inanimatarum, tantùm potest esse triplex: ergo & ipsæ animæ hunc tantummodo numerum attingent.

Consequentia suppositis his, quæ in præcedenti ratione diximus; non indiget probatione: antecedens autem sic explicatur, & probatur à D. Thom. nam operationes animæ duobus modis supergrediuntur, & transcendunt operationem naturæ inanimatæ. Primo quoad modum præcisè ex eo quòd licèt ordinentur ad consequendum esse materiale & naturale, & conseruationem in illo, sicut ordinantur operationes naturæ corporeæ, & inanimatæ; nihilominus hoc in rebus animatis fit nobiliori, & altiori modo, quoniam corpora inanimata conseruantur, & generantur in prædicto esse à principio motiuo extrinseco: animata verò generantur à principio intrinseco, quod est in semine; & simul à principio nutritiuo intrinseco conseruantur; & huic operationi correspondent (vt supra innuebamus) anima vegetatiua, cuius operationes ordinantur ad productionem & conseruationem viuentis secundùm suum esse materiale & naturale, altiori tamen modo, scilicèt à principio intrinseco.

11. Secundò autem possunt operationes animæ transcendere actiones naturæ corporeæ, & inanimatæ, non tantùm quoad modum agendi, sed etiam quoad hunc, & simul quoad id, quod agitur: quoniam non solùm procedunt à principio intrinseco, verùm etiam per illas acquirit anima, saltem vt quo, non quidem esse materiale, sicut per priorem, sed esse immateriale, quatenùs media sensatione, & intellectione fit quodammodo omnia per similitudines intentionales & immateriales saltem expressas, quas acquirit, quæque sunt eiusdem naturæ cum obiectis ab eisdem repræsentatis, vt infra lib. 3. ostendemus.

Vnde si tales similitudines fuerint omninò immateriales, ac proindè per illas anima fiat modò omninò immateriali quodammodò omnia; tunc prædictæ operationi correspondebit anima intellectiua, & omninò immaterialis. Si autem per huiusmodi similitudines fiat anima quodammodo alia, non quidem omninò immaterialiter, sed medio modo; quia prædictæ similitudines licèt sint materiales, accedunt tamen aliquo modo ad esse immateriale, ex eo quòd sunt non parum subtiles, & depuratæ à materia: tunc huic operationi correspondebit anima cognoscitiua (quia proprium est solutionis cognoscentis fieri quodammodò alia) non tamen correspondebit ei anima cognoscitiua qualiscumque sed sensitiua; quæ licèt materialis sit, accedit tamen quodammodo ad immaterialitatem animæ intellectiuæ, eo quòd non parum supergreditur, & eleuatur super materiam, modo tamen infrà latius lib. 3. explicando.

Occurritur cuidam interrogationi incidenti.

§. III.

12. SEd inquires, an hæc diuisio sit analoga, an verò vniuoca? Respondetur esse suo modo vniuocam, & generis aut quasi generis in species. Ita Arist. 2. huius operis cap. 1. vbi tradit diffinitionem animæ omnibus animabus communem, vt ipse dicit, & comparat eam figuræ, quæ vnam habet communem, & vniuocam rationem omnibus figuris. Idem docet D. Thom. 2. contra gentes cap. 60. & 61. vbi etiam Ferrar. dicto cap. 61. ostendens hanc fuisse mentem Aristot. quos sequuntur omnes ferè interpretes.

Diximus suo modo, quoniam anima ex se est quid incompletum intra genus substantiæ. Vnde propriè, & in rigore loquendo non est capax vniuocationis, nec rationis genericæ, quamuis suo modo vtrumque valeat participare.

Ratio autem huius responsionis est, nam viuens seu animatum vniuocum est ad plantam, animal, & hominem, & similiter animal ad brutum, & ad hominem; ergo etiam anima erit suo modo vniuoca respectu trium animarum, quæ in hac diuisione continentur. Consequentia videtur legitima, quoniam quo ad hoc eodem proportionali modo philosophandum est in formis substantialibus, & in concretis earum, vt ex se constare videtur. Antecedens autem probatur, quoniam illa sunt duo genera subalterna prædicamenti substantiæ, atque adeò non possunt non esse vniuoca respectu suorum inferiorum, qualia sunt illa, quæ in antecedenti referuntur.

Soluuntur rationes dubitandi initio adductæ.

§. IV.

13. AD primam concesso antecedenti neganda est vtraque consequentia, & ad primam probationem dicendum est: Animam loco motiuam non contineri æquè cum aliis animabus in hac diuisione recensitis sub anima, vt est diuisum illius, vt statim magis explicabimus, & ad secundam probationem neganda est maior, quoniam aliæ tres animæ non ideò præcisè in hac diuisione expressè continentur; quia quælibet earum est principium peculiaris actionis vitalis vtcumque, sed habentis aliquam peculiarem eleuationem, ex his quas iam recensuimus supra actionem naturæ inanimatæ: at anima loco motiua non habet in sua operatione aliquem peculiarem modum eleuationis ex iam enumeratis supra operationem animæ sensitiuæ, & ita quo ad hanc diuisionem, non debuit, vt peculiare genus animæ connumerari.

14. Diximus, *ex his quas iam recensuimus*; quia licèt anima loco motiua habeat maiorem aliquam eleuationem supra materiam, quàm anima, quæ præcisè est sensitiua, attamen hæc maior eleuatio continetur

sub

sub eleuatione animæ sensitiuæ vt sic;in præsenti autem non diuiditur anima in omnem animam, quæ affert maiorem eleuationis modum vtcumque, alioquin innumeræ animæ inter se distinctæ specie, & se in prædicta eleuatione excedentes connumerandæ essent: sed in eas animas quibus conueniunt primi & generales modi huius eleuationis: quare cum primi & generales modi huius eleuationis sint tantum tres prædicti, quorum primus necessario incipit ab anima vegetatiua, vt sic: Secundus verò conuenit animæ sensitiuæ generaliter sumptæ: Tertius verò competit animæ intellectiuæ: Ideò solùm iuxta illos,& consequenter in solas tres animas iam dictas erat anima vt sic prima, & generali sui diuisione diuidenda. Per quod ad confirmationem satis patet.

Vnde solutio ibidem data, & iuxta ea quæ modò diximus intellecta, admittenda est. Et ad primam probationem in contrarium neganda est sequela: nam anima in secunda eius diffinitione diffinitur penes distinctos gradus, & modos viuendi; ad hos autem distinguendos, & multiplicandos per se attenditur ad esse loco motiuum, vt in hac eadem disp. numero 36. dicemus. Non verò ad multiplicanda & distinguenda genera animarum, sed ad id quod modò dicebamus. Ad secundam verò probationem patet ex dictis concedendum esse antecedens, & negandam consequentiam ob rationem disparitatis iam tactam.

15. Ex quo etiam constat: tum ad primam confirmationem vtriusque impugnationis; quoniam anima loco motiua, non ideò non connumeratur expresè in hac diuisione, quia contrahit sensitiuam, aut sub illa vtcumque continetur: sed quia contrahit, aut continetur sub ea, non tribuendo ei peculiarem modum eleuationis, iam dictum in suo modo operandi distinctum ab eo quem anima sensitiua, quatenùs sensitiua est, affert: Tum etiam ad secundam confirmationem, nam concesso antecedenti neganda est consequentia, & ad vtramque probationem ampliùs patebit ex his, quæ in hac eadem disputatione numero citato dicemus: tum denique ad secundum, & principale argumentum, nam omnes illæ animæ ibidem connumeratæ habent idem eleuationis genus iam explicatum, supra modum operandi naturæ inanimatæ, quod animæ sensitiuæ, vt hanc diuisionem ingreditur, competit.

16. Ad tertium benè respondetur ibidem, & ad primam probationem in contrarium dicendum est, hunc modum diuidendi esse satis accommodatum ad institutum philosophicum ab Aristotele intentum, nimirum ad explicandum diuersum eleuationis genus (seu quod idem quoad præsens est) diuersum eleuationis modum iam dictum, quo anima supra naturam inanimatam in modo operandi eleuatur.

Et ad secundam probationem constat ex dictis, animam intellectiuam non ingredi peculiariter hanc diuisionem ex eo quòd vtcumque contrahit ratione suæ differentiæ animam vt sic, sed quia contrahit illam ad peculiarem modum eleuationis ex illis prioribus, & generalibus, per quos anima vt sic primò contrahi potest; at cæteræ illæ animæ vegetatiuæ, aut sensitiuæ in specie infima constitutæ non trahunt animam, quam immediatè contrahunt ad aliquem peculiarem modum eleuationis ex illis prioribus & generalibus per quos anima vt sic,contrahi potest; & ideò prædictæ animæ, vt habent suam quali speciem infimam, non debuerunt peculiariter in hac diuisione connumerari.

17. Ad quartum negandum est antecedens, cum Aristotele in hoc 2.lib.cap.2. text.15. & D.Thom. ibidem lect.3.& communi Theologorum,& Philosophorum sententia, habetque hoc maximum fundamentum. Tum quia propositum antecedentis videtur docere Paulus 1.Corinth. cap.15. *Tu, quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur.* Vbi productionem plantæ viuificationem appellat: ac proinde, quòd sic producitur,viuit vitâ vtique vegetatiua,& consequenter anima vegetatiua separata ab aliis animabus est vera anima. Vnde August.lib.1.de Ciuitate Dei, c.20. inquit: *Hoc genus rerum, (id est plantarum) quamuis non sentiat,viuit,ac per hoc potest mori,& occidi.* Adiungitque illud Psalm.77. *Et occidit in grandine vineas eorum.*

Tùm etiam, quia idem sentit, & probat Aristot. in hoc 2. lib. cap.2. text.14. his verbis: *Vnde & vegetabilia omnia videntur viuere, videntur autem in se ipsis habere potentiam, & principium huiusmodi per quod augmentum, & decrementum suscipiunt secundum contrarios locos, non enim sursum quidem augentur, deorsum autem non, sed similiter in vtroque*, quam rationem explicat D. Thom. sic. *Natura non mouet ad contraria loca, motus autem augmenti, & decrementi est secundùm contraria loca, augentur enim vegetabilia omnia non solum sursum, & deorsum, sed vtroque modo; manifestum est ergo, quòd principium horum motuum non est natura, sed anima.* Tùm denique, quia ratio pro assertione facta hoc ipsum conuincit.

18. Et ad primam probationem in contrarium negandum est antecedens intellectum de operatione immanenti immanentia sufficienti ad operationem vitalem,nam ad hanc ad summum requiritur ille modus immanendi,qui satis sit ad hoc,vt idem ab intrinseco, & per se moueat se ipsum ex virtute eiusdem formæ, quæ sit principium primum, & intrinsecum talis operationis in eodem supposito, cui dat suum esse: at hic modus actionis immanentis reperitur in plantis, quæ solùm informantur per formam vegetatiuam, quia reuera sic mouent se ipsam, quandoquidem sic se nutriunt, & augescunt. Diximus, per se loquendo, quia si per accidens aliquo actio maneat in eodem supposito, quæ æquè benè poterat in aliud suppositum transire, non ideò prædicta actio erit vitalis.

Vnde licèt nutritio, verbi gratia prout est actio subiectetur in alimento corrumpendo, vt constat ex his, quæ 1. de Generatione disp.5. num.14. diximus: attamen,vt mutatio est,recipitur in substantia nutrita, scilicet in ipsa planta,quæ vegetatur, ac proinde terminus per se primò à natura intentus per illam actionem, scilicet noua substantia partialis, & denuò acquisita in eodem supposito illius plantæ recipitur, seu subsistit, & ita ipsa, non verò alimentum est, quod nutritur. Quomodo autem, & in quo sensu substantia illa dicatur pars, & denuò adueniens, constat ex his quæ 1. de Generat. disp.5. numero 92. diximus.

19. Ad secundam probationem patet ex dictis in assertione num.9. nihil obesse ad rationem actionis vitalis, habentis tamen infimum locum intra latitudinem talium actionum quòd fiat etiam per qualitates omninò materiales, quales sunt primæ, dummodo prædicta actio quoad modum sit altior ex eo quod procedit ex virtute actiua intrinseca eiusdem circa seipsum: nam eo ipso est vitalis, cum sit proprium officium vitæ mouere seipsum per principium intrinsecum, & similiter eo ipso qualitas illa materialis, vt subordinatur principio vitæ, habet aliqu[id] altius seipsa secundùm suam speciem præcisè consideratam.

Adde secundò, animam vegetatiuam, non agere præcisè per has qualitates, sed per alias altiores, quales

quales sunt facultates nutriendi trahendo alimentum,& intimo quodam modo illum distribuendo, & in propriam substantiam conuertendo, & facultas efficiendi semen, & illi tribuendi vim ad fabricandum,& organizandum corpus,&c.

20. Ad tertiam probationem constat ex his quæ primò de Generatione disp.5. num.10. diximus. Vbi latè explicuimus quomodo ignis, & alia inanimata propriè, & in rigore non se nutriant. Quibus etiam addi potest, quod cum ignis ex partibus eiusdem rationis, & omninò similibus constet, non potest ab intrinseco per se loquendo actionem in se ipsum habere, per quam aliquid sui destruat, ad cuius reparationem extrinseco indigeat nutrimento: & ita nec habebit principium intrinsecum à natura per se institutum, per quod instauret id, quod à principio intrinseco deperditum est, & per consequens, nec potentiam ad se nutriendum. Secùs tamen vegetabilia quæ per se constant partibus heterogeneis, inter quas est naturalis actio, & ita ab intrinseco indigent alimento, vt conseruentur, necnon, & principio intrinseco per quod quantùm sibi possibile sit instaurent id, quod perdiderunt.

Ad primam confirmationem concessa maiori neganda est minor, nam vt Dionysius cap.7. de diuinis nominibus propriè initium ioquit: *Ex ipsa (vtique vita Dei) & animantes omnes, & planta iuxta extremam vita harmoniam, vt viuant acceperunt*, & iterum in fine, *ex ipsa viuificantur & conseruantur, & animantes cunctæ, atque arbores, & siue spiritualem dixeris, siue rationalem, siue sensitiuam siue nutritiuam, siue vegetatiuam, ex ipsa viuit.*

Et ad probationem dicendum est, quòd licèt vita Dei tantùm sit per modum intellectionis & volitionis, nihilominùs in hac eadem vita possumus saltem ex parte nostri imperfecti modi cognoscendi, verbi gratia in intellectione, plures rationes inadæquatas distinguere: scilicet rationem vitæ, & vitæ cognoscitiuæ, ac tandem intellectiuæ in actu secundo. Et prior ratio consistit in hoc, quòd Deus ab intrinseco semper est in actu vltimo, & perfecto per se ipsum, non concipiendo an talis actus vltimus sit cognitio, vel intellectio, aut aliquis alius.

21. Secunda verò in hoc quòd per se ipsum sit in actu vltimo cognitionis. Tertia denique in hoc, quod ab intrinseco se ipsum constituit in actu intelligendi. Quare prior illa ratio vitæ potest participatione formali participari à plantis, quæ etiam ex vi sua, & ab intrinseco reducunt se in actum vltimum, verbi gratia, nutritionis. Secunda verò participatur participatione etiam formali à brutis. Tertia tandem, vel potiùs omnes simul ab hominibus, quamuis talis participatio licèt formalis, semper tamen sit analoga, & ita in Deo modo infinitè excellentiori prædictæ rationes inueniantur: & ideò virtus, seu principium intrinsecum ad constituendum se in actu secundo, & vltimo non est distincta ab ipso actu secundo, nisi vel sola ratione ratiocinata, vt aliqui volunt, vel solùm ex parte nostri imperfecti modi cognoscendi. Per quod etiam ad secundam confirmationem satis constat.

22. Ad vltimum respondetur animam vegetatiuam, & sensitiuam, vt sunt membra diuidentia in hac diuisione, non includi in rationali, quod idem de sensitiua respectu vegetatiuæ dicimus. Nam anima vegetatiua, quatenùs tantùm vegetatiua est, & excludit sensitiuam, & rursus sensitiua quatenùs tantùm sensitiua,& excludit rationalem (abstrahit tamen ab hoc, quod sit sensitiua sine virtute radicali ad motum localem, vel cum illa, ac proinde ab hoc, quod sit, vel non sit loco motiua) habent rationem duorum membrorum huius diuisionis. Et similiter anima intellectiua prout excludit eam, quæ tantùm est vegetatiua, aut sensitiua modo dicto constituit tertium membrum illius. Vtrùm autem anima sensitiua includat vegetatiuam, non secundùm quod contracta est ad animam vegetatiuam tantùm, sed secundùm rationem generalem animæ vegetatiuæ, & similiter intellectiua includat etiam sensitiuam eodem proportionali modo consideratam & quomodo; alia quæstio est quæ in hac eadem disp. discutietur.

QVÆSTIO II.

Vtrùm modi viuendi sint tantùm quatuor, scilicet vegetatiuum, sensitiuum, loco motiuum, & intellectiuum.

MOdi viuendi oriuntur ab anima, vt à primo principio vitæ; & ideò meritò post diuisionem animæ, vt sic de diuisione, & multiplicitate modorum viuendi inquirimus.

Argumenta pro parte negatiua.

§. I.

23. PArtem negatiuam suadere videntur hæc argumenta, nam multiplicitas modorum viuendi, non aliundè meliùs desumitur, quàm ex multiplicitate animarum, vel potentiarum, aut actionum vitalium. At ex quocunque horum desumatur, erunt plures, aut pauciores, quàm quatuor prædicti: ergo, &c. Maior videtur certa, nam cum modi viuendi tantùm oriantur ab anima, vt à prima radice, & principio formali, & solùm sint radices potentiarum, & actionum vitalium, non videtur posse aliundè meliùs eorum multiplicitas desumi, quàm à priori ex multiplicitate animarum, à quibus, vt à causis formalibus causantur: & à posteriori ex multiplicitate potentiarum, & actionum vitæ, quarum sunt radices.

Minor autem probatur, quoniam animæ tantùm sunt tres, vt quæstioni præcedenti ostendimus. Potentiæ verò vitales sunt quinque, nimirùm vegetatiua, sensitiua, loco motiua, intellectiua, & appetitiua, vt infrà dicemus: & similiter actiones viuendi etiam sunt quinque, quandoquidem cuilibet potentiæ vitali debet sua propria actio vitalis correspondere: ergo modi viuendi ex his capitibus desumpti, erunt vel pauciores, scilicet tres tantùm, vel plures nimirùm quinque.

Confirmatur nam vel gradus viuentium desumuntur ex vita accidentali, vel ex vita substantiali. Non primum, quia cum vita substantialis sit potissima vita, non debet desumi gradus viuentium penes vitam accidentalem relicta substantiali. Si verò secundum dicatur, ergo gradus, seu modi viuendi non erunt nisi tantùm tres, quia vt modò dicebamus, gradus seu modi viuendi oriuntur ab anima, vt à primo principio vitæ, ac proindè tot, & non plures erunt modi, siue gradus viuendi, quot sunt animæ.

24. Nec refert, si dixeris, multiplicitatem modorum viuendi, seu graduum vitæ tantùm desumi ex diuersis modis viuendi, quorum priores sint separabiles à posterioribus: quia verò isti tantùm sunt quatuor in titulo recensiti, propterea modi viuendi totidem tantum erunt.

Non itaque hoc refert, quia in contrarium vrgent duo illa, quæ quæstione præcedenti innuimus, primum est sensitiuum præcisè per sensum tactus constituere peculiarem gradum vitæ, seu peculiarem modum viuendi, quia sensitiuum hoc potest separari à

sensitiuo

sensitiuo, per plures alios sensus, non tamen alia ab illo, vt docet tam Aristot. cap.2. huius lib. text.27. his verbis: *Sensuum autem primo inest omnibus tactus, sicut autem vegetatiuum potest separari à tactu, & ab omni sensu, sic & tactus ab aliis sensibus*; quàm D. Thom. ibidem lect.5. vbi sic ait: *Sicut vegetatiuum potest separari à tactu, & ab omni sensu, sic tactus potest separari ab aliis sensibus. Multa enim sunt animalia, quæ solùm tactus sensum habent, sicut animalia imperfecta, omnia autem animalia habent sensum tactus.* Secundum est sensitiuum per tres, vel quatuor seorsus constituere peculiare modum viuendi distinctum à sensitiuo per omnes sensus, siquidem illud ab hoc, non verò è contra separari potest.

25. Secundò principaliter arguitur, nam loco motiuum non constituit peculiarem modum viuendi distinctum à sensitiuo: ergo modi viuendi non erunt quatuor. Antecedens patet, quia nullum est viuens participans sensum, quod non habeat virtutem mouendi se, iuxta capacitatem suam, nam si perfecta facultate sentiendi, tam interna, quàm externa gaudeat, tunc etiam gaudebit perfecta vi se localiter mouendi ab vno in alium locum adæquatum, siue hoc fiat gradiendo, siue volando, siue natando, aut aliquo alio modo, si verò imperfectum sensum participet, vt solùm tactum poterit se localiter mouere, etiam imperfectè per motum nimirum dilatationis, & constrictionis, vt in animalibus imperfectis, scilicet ostreis experimur.

Confirmatur, quia inter modos, seu gradus viuendi hic ordo seruatur, quòd sicut in primo ascenditur à natura ad vitam, ita in reliquis ab imperfectis ad perfectiora, & ob id gradus appellantur; sed loco motiuum non importat maiorem perfectionem, quàm sensitiuum, ergo neque constituit gradum ab illo distinctum. Maior cum consequentia ex se constant. Minor verò etiam patet, quoniam loco motiuum significat id quod habet principium motus vitalis secundùm locum, sed principium talis motus ex sensus, aut appetitus, vt docet Aristoteles 3. de Anima text.48. & sequentibus vsque ad text.58. & D. Thom. ibidem, ergo loco motiuum nihil addit perfectionis suprà sensitiuum.

26. Confirmatur secundò: nam ideò appetitiuum non constituit peculiarem gradum viuendi, quia appetitiuum semper concomitatur, vel sensitiuum, vel intellectiuum; nam appetitus sensitiuus, & imperfectus non potest separari à sensitiuo, quod est cognoscitiuum imperfectum, & appetitus perfectus, scilicet intellectiuus ab intellectiuo, quod est cognoscitiuum perfectum: ergo cum loco motiuum non possit separari à sensitiuo, ita vt loco motiuum imperfectum, cum sensitiuo imperfecto, & loco motiuum perfectum cum sensitiuo etiam perfecto sit necessariò coniunctum, fiet indè, vt hæc duo non constituant distinctos modos, seu gradus viuentium. Consequentia ex paritate rationis satis liquet. Antecedens verò est D. Thom. in hoc 2. lib. lect.5. & 1. parte quæst.78. art.1. his verbis: *Appetitiuum autem non constituit aliquem gradum viuentium, quia in quibuscunque est sensus, est etiam appetitus, vt dicitur in 2. lib. de Anima.*

Tertiò, quoniam vegetabilia habent conuenientiam cum non viuentibus in modo appetendi: ergo etiam eam habebunt in gradu essendi, & consequenter vegetatiuum non constituet peculiarem gradum, aut modum viuendi.

27. Hæc vltima consequentia patet ex priori, prior verò ex antecedenti, quoniam appetitus consequitur gradum essendi, & ita nulla est res, quæ per huiusmodi appetitum non procedeat in proprium bonum: ergo quæ habuerint conuenientiam in modo appetendi, habebunt eam etiam in modo, seu gradu essendi. Antecedens autem etiam liquet, quoniam tam vegetabilia, quàm non viuentia feruntur in proprium bonum per innatum, vel naturalem appetitum, qui est pondus ipsius naturæ.

Vltimò, intra latitudinem intellectiui dantur tres gradus viuendi magis distincti, & inter se distantes, quàm vegetatiuum, & sensitiuum, aut sensitiuum, & loco motiuum: ergo gradus, seu modus viuendi plures erunt, quàm quatuor illi in titulo recensiti. Antecedens probatur, quoniam intellectiuum diuinum, Angelicum, & Humanum, plus inter se distinguuntur, plusque distant quàm vegetatiuum, & sensitiuum, vel sensitiuum, & loco motiuum, vt ex se constat.

Ex mente Aristotelis, & D. Thom. quæstio resoluitur.

§. II.

28. Dicendum tamen est, quatuor tantùm esse modus viuendi, seu gradus viuentium. Ita Arist. in hoc 2. lib. cap.2. text.15. *Multipliciter autem ipso viuere dicto, & si vnum aliquod horum insit, solùm viuere ipsum dicimus, vt intellectus, & sensus, motus, & status secundùm locum, adhuc autem motus, & status secundùm alimentum; & decrementum, & augmentum.* Quæ verba explicat D. Thom. lect.3. sic. *Ponit autem quatuor modos viuendi, quorum vnus est per intellectum. Secundus per sensum. Tertius per motum localem. Quartus per motum alimenti, & decrementi, & augmenti,* quod etiam repetit in fine eiusdem lectionis, & 1. part. quæst.18. art.3. & 78. art.1. his verbis: *Quatuor verò dicuntur modi viuendi, &c. quædam enim viuentia sunt in quibus est tantum vegetatiuum, sicut in plantis, quædam verò in quibus cum vegetatiuo est etiam sensitiuum; non tamen motiuum secundùm locum, sicut sunt immobilia animalia, vt Conchilia: quædam verò sunt, quæ supra hoc habent motum secundùm locum, vt perfecta animalia, quæ multis indigent ad suam vitam, & ideò indigent motu, vt vita necessaria procul posita quærere possint. Quædam verò viuentia sunt in quibus cum his est intellectiuum, scilicet in hominibus.* Vnde hanc eandem sententiam sequuntur Ferrar. Caiet. Zanard. Conimbr. Tolet. Murc. Rub. in præsenti, & Bañez loco citato ex 1. part. pluresque alij.

29. Ratio autem fundamentalis desumitur ex D. Thom. art.3. q.18. iam citatæ, quæ, vt meliùs intelligatur, notandum est primò ex eodem Sancto Doctore, ibidem viuentia à non viuentibus distingui, in hoc quòd viuentia gaudent principio intrinseco sui motus, & non qualicunque, sed principali; quia officium proprium vitæ est moueri à se, vt quæst. præcedenti dicebamus: at in non viuentibus è contra res se habet, quoniam non mouentur à se, sed ab extrinseco. Huius autem discriminis rationem tetigit idem S. Doctor art.1. eiusdem quæstionis, nam diuersitas inter viuentia, & non viuentia desumenda est à posteriori ex eo quod cernimus in his, de quibus notissimum est ea viuere, qualia sunt animalia, de quibus ob hanc causam dicitur in lib. de vegetabilibus cap.1. in principio text.4. Vita in animalibus manifesta est: at quod cernimus in animalibus est quòd tunc incipiunt viuere, cùm à se moueri incipiunt, & tandiu iudicantur in viuendo persistere, quandiu apparet à se moueri, & tandem tunc dicuntur cessare à vita, cùm nequeunt à se moueri: ergo viuentia à non viuentibus distinguentur in hoc quòd à se mouentur, seu à se habent principium intrinsecum sui motus, secus verò non viuentia.

30. Secundò ex eodem S. Doctore notandum

lo-

loco citato in motu alicuius rei tria inueneri, nimirum finem, cuius gratia motus ille est, ad quemque dirigitur; & deindè formam, quæ est virtus principalis ad illum motum efficiendum: ac tandem instrumentum quo medio agens præcipuum operatur, cui instrumento licèt tribuatur, etiam executio motus ab agente principali per se primò intenti, non tamen alia ratione, nisi quia virtute principalis agentis ad illam deseruit. Vnde tribus etiam modis potest aliquid moueri ab alio; primo quidem quantum ad finem, ea eo quod non præfinit aut determinat sibi finem, sed ab alio dirigitur in finem propter quem operatur. Secundo verò quantum ad formam, seu virtutem principalem agendi, quia hanc non à se, sed ab alio communicatam habet.

Vltimo autem, quantùm ad executionem, quia ipsa motio actualis per quam instrumentum mouetur, tribuitur alteri, vt proprio & principali agenti in cuius virtute operatur, & his tribus modis conuenit non viuentibus, quòd ab alio moueantur, vt constat ex Aristotele 8. Physic.

31. Tertiò ea eodem Angelico Doctore ibidem notandum est, quòd cùm moueri à se explicetur per negationem huius, quod est moneri ab alio, tribus etiam modis dicetur aliquid à se moueri, scilicet, vel quantùm ad eaecutionem tantùm, vel quantùm ad executionem & formam simul, vel tandem quoad executionem, formam & finem. Primo modo mouentur à se viuentia vita vegetatiua, dum nutriuntur, augentur, & alias operationes vitæ vegetatiuæ exercent, quia re vera per modum causæ principalis, & non vt mota ab alia, scilicet à generante per modum instrumenti ipsius prædictas operationes eliciunt, ex eo quod terminus proprius illatum non est debitus ipsis in primo instanti generationis, & illæ solùm actiones tribuuntur generanti, quarum terminus instanti generationis est debitus genito, vt 7. Physic. disp. 28. n. 24. & deinceps eaplicuimus.

Secundo autem modo mouentur à se bruta, quia non solùm influunt per modum causæ principalis in suos motus, illosque sic eaequuntur; verùm etiam habent à se formas, per quas eosdem eaecutioni mandant. Nam licèt non à se, sed à generante habeant potentias sensitiuas, quibus sentiant, quia tamen istæ solæ, quippè quæ secundùm se sumptæ habent se in ordine sensibili per modum puræ potentiæ, non possunt in sensationem prorumpere, nisi habeant species obiectorum, quæ in ordine sensibili sunt primæ formæ, & prædictæ species mediis sensibus acquiruntur, ideò dicuntur moueri à se non solùm quoad eaecutionem, sed etiam quoad formam, per quam motus executio facienda est.

32. Et licèt bruta in hoc conueniant, est inter ea non parua latitudo, & diuersitas, nam quædam adeò imperfecta natura sensitiua gaudent, vt licèt duobus modis iam dictis se quoad actum sentiendi moueant, non tamen cognoscunt obiecta distantia, & ideò non habent principium intrinsecum mouendi se localiter ad illa. Alia verò sunt perfectiora, & ratione huius maioris perfectionis cognoscunt prædicta obiecta, & vitra vltra hoc, quod est mouere se, vtcumque duobus modis iam explicatis, habent speciali motu mouere se, scilicet motu locali, quo ad prædicta obiecta distantia tenduot, quamuis quia eorum cognitio non transcendit ordinem cognitionis materialis, & sensitiuæ, non cognoscunt finem, vt finem, nec proportio[illegible] mediorum cum illo, & propterea nequeunt [illegible] in eundem finem dirigere, sed debent ab alio dirigi in ipsum, vt docent communiter Theologi 1. 2. quæst. 1. art. 2.

Tertiò tandem modo mouent se animalia perfectissima, scilicet homines, quia non solùm mouentur à se quantùm ad executionem motus, & quantùm ad formam per quam illud executioni mandant, & quantum ad hanc quod est moueri, etiam localiter in obiecta, etiam distantia, vt ea his quæ de brutis perfectioribus diximus, constat; sed etiam quantùm ad finem, quandoquidem ratione sui modi cognoscendi perfecti, & immaterialis cognoscunt proportionem mediorum cum fine, & finem, vt finem, atque adeò possunt se in finem dirigere, vt ex inanimi Theologorum sententia loco citato ea 1. 2. liquet.

Quare cum nihil aliud concurrat ad motum, quod possit conducere ad hoc, quod aliquid moueatur à se, vel ad hoc vt diuerso modo seipsum moueat, quod non includatur in modis mouendi à se iam enumeratis, vt intuenti constabit, fit inde, vt hi tantùm, & non plures modi se mouendi inueniantur.

33. His ergo suppositis sequens, & fundamentalis ratio S. Doctoris potest ex illis sic efformari. Multiplicitas modorum, seu graduum viuendi desumitur ex diuersis modis habendi vitam; at tantùm sunt quatuor modi habendi vitam iam eaplicati, & in titulo huius quæstionis recensiti: ergo totidem duntaxat erunt modi viuendi, seu gradus vitæ, illi nimirùm qui ibidem numerantur; consequentia non indiget probatione. Minor autem etiam patet: nam ea tantùm habent vitam, quæ se ipsa mouent; sed tantum sunt quatuor modi se mouendi, qui reperiuntur in gradibus ab Arist. enumeratis, & in titulo recensitis, vt explicatum: ergu quatuor tantùm erunt modi habendi vitam. Maior autem etiam constat, nam multiplicitas in quauis linea desumitur ea diuersis modis habendi, id quod in illa linea importatur: ergo etiam multiplicitas modorum viuendi, seu graduum vitæ desumetur ea diuersis modis habendi eandem vitam.

Confirmatur & explicatur ratione desumpta ex D. Thom. loco citato ex 1. part. quoniam reuera, quatuor illi modi habendi vitam in titulo recensiti sunt veri modi habendi illam, quandoquidem sunt veri modi mouendi se, vt declaratum est, & insuper possunt separari, ita vt saltem priores possint esse sine posterioribus, vt consideranti patebit: ergo cum hucusque non sit inuentus alius modus habendi vitam, maximè verò quo sit ab aliis separabilis, fiet indè vt quatuor isti, & non alij sint modi illam habendi; patet consequentia, quoniam modi, seu gradus viuendi, ex diuersis, & separabilibus modis habendi vitam desumuntur.

34. Nec refert si contra rationem hanc obiicias falsum esse vnum ex fundamentis in quibus innititur, scilicet bruta habere à se formas intentionales per quas sentiunt, quia re vera eas participant ab obiectis sensibilibus, à quibus actiuè immittuntur, & respectu earum sensus passiuè se habet, vt patet in speciebus visibilibus, & visu easdem recipiente. Respondetur enim ea Caietan. quæstione citata, duplicem esse receptionem speciei, seu formæ intentionalis, aliam materialem, aliam vitalem: priori modo recipitur species in potentia sensitiua; vt est quoddam accidens, & ita eadem ratione posset recipi, & de facto recipitur in speculo: posteriori modo solùm recipitur, quatenùs est forma sensibilis, seu intentionalis, & actu influens in sensationem, & secundùm istam rationem solùm recipitur in potentia illa, quæ eandem applicat ad operandum, ex eo quod species ipsa quippè habens se aliquo modo ad instar habitus respectu potentiæ, quæ vnà cum illa influxura est, nunquam operatur, quin à potentia applicetur.

Quare, cum potentia sensitiua actiuè vitaliter eam applicet ad operandum, non poterit non illam secundùm

dùm istam rationem recipere vitaliter, quoniam eius applicatio vitalis concurrit dispositiuè ad hoc, vt in ratione speciei formaliter, & modo dicto sumptæ recipiatur. Discursus ergo D. Thom. non loquitur de acquisitione formæ sensibilis, & intentionalis in esse entitatiuo, materiali, sed in esse repræsentatiuo modo explicato, nam hic modus operandi per formam, ita vt illam applicet ad operandum ratione alterius formæ, seu potentiæ sibi propriæ, est proprius & peculiaris modus se mouendi, atque adeò constituet peculiarem modum vitæ.

35 Poteritque ampliùs elucidari hoc ipsum ex his, quæ infrà disput. 21. dicemus, scilicet sensationem esse vltimam actualitatem, & existentiam ordinis sensibilis, sicut intellectio ordinis intelligibilis. Vnde species sensibilis non existit, per existentiam sui ordinis, vsque dum adsit sensatio, atque ita licet sensus antequam sentiat, habeat speciem obiecti, vel in esse entitatiuo, vel in esse sensibili medio modo se habens inter actum, & potentiam, id est quo ad ea quæ pertinent ad ordinem essentiæ in prædicta specie, & vt existentem per existentia ordinis naturalis, quàm ratione essentiæ entitatiuæ, & naturalis, qua gaudet, secùm affert: nihilominùs vsque dum adsit sensatio non est sub vltima actualitate, seu sub existentia sui ordinis intentionalis.

Ex quo etiam fit, vt potentia visiua non solùm recipiat vitaliter speciem, quia illam vitaliter applicat ad operandum, sed etiam quia operando cum illa, & eam applicando tribuit illi esse existentiæ sui ordinis, & vt sic existit, operatur cum illa modo infrà explicando in ordine ad productionem alterius speciei, quàm ad sensum internum immittit, per quam talis sensus idem obiectum sub alia ratione percipit.

Diluuntur argumenta partis negatiuæ.

§. III.

36. AD primum, & eius confirmationem benè respondetur ibidem, vndè numerus modorum, seu graduum vitæ non sumitur ex numero animarum, prout solùm habent modo quæstione præcedenti explicato, tria illa diuersa genera, seu modos operandi transcendentes omnem modum operandi naturæ inanimatæ, sed prout habent primos, & generales modos operandi suprà prædictam naturam, quorum priores formaliter sumpti, & vt habent rationem membrorum diuidentium, in hac diuisione sint separabiles à prioribus, & eos excludant, seu prout sunt radices diuersorum modorum, seu graduum vitæ modo dicto separabilium. Quia verò prædicti modi operandi sunt quatuor in assertione recensiti, & indicant vltra tres animas iam dictas aliam animam, scilicet loco motiuam, quia modus iste viuendi, secundùm illam est separabilis ab vltimo modo viuendi vita intellectiua: ideò prædicti gradus vitæ sunt quatuor, quamuis animam, vt diuidunt animam, vt sit secundum eam præcisè rationem, quam in præcedenti quæstione explicuimus sint tantùm tres.

Et meritò Aristoteles vsus est hoc artificioso diuidendi modo, ita vt numerum graduum vitæ ex alio capite, ac numerum animarum venaretur, quamuis potuerit etiam ex eodem capite vtrumque desumere, nam semel facta diuisione animæ in tria animarum genera, ita vt hæc diuisio ex eleuatione iam dicta operationum animæ desumatur, satis perspicuum erat quòd ex hoc eodem capite poterat etiam gradus vitæ proportionaliter diuidi, & ita explica-

ret aliundè hos gradus, scilicèt ex diuersitate modorum viuendi, modo dicto separabilium, secundùm quam rationem debuit necessario nouum vitæ gradum, nimirùm loco motiuum addere, & consequenter animam loco motiuam ibidem inuoluere, vt iam ostendimus, vsus est hoc distincto, & peculiari diuidendi modo ex diuerso capite desumpto.

37 Et ad primam probationem in contrarium fatendum est sensitiuum, quod ex sensibus externis non petit habere omnes illos, sed tantummodo sensum tactus constituere peculiarem gradum vitæ. Hic tamen non est distinctus à sensitiuo, quia gradus iste tantùm petit prædictum sensitiuum. Et ita D. Thom: in hoc 2. l. sect. 5. postquam dixi: *Omnia animalia habere sensum tactus*, volens explicare statim omnerumgraduum vitæ addidit: *Sic igitur ex prædictis patent tres gradus viuentium. Primus plantarum. Secundus animalium imperfectorum immobilium, quæ habent solùm sensum tactus. Tertius est animalium imperfectorum, quæ mouentur motu progressiuo, quæ etiam habent alios sensus. Manifestum est autem, quod quartus gradus est eorum quæ habent cum his etiam intellectum.*

Ad secundam verò impugnationem contra solutionem, ibidem datam, patet ex modò dictis quòd sensitiuum tantùm petit ea quæ necessaria sunt ad saluandam naturam sensitiuam, ac proindè inter sensus externos solùm sensus tactus, sub quo gustus etiam comprehenditur, loco motiuum autem importat gradum sentiendi perfectorum animalium, quæ mouentur motu progressiuo, & habent alios sensus: ad hoc autem per accidens est, quòd vno vel altero sensu externo careant, per se autem quòd habeant omnes illos, qui ad motum progressiuum accommodatum rei, quæ viuit desiderantur: & ita per hoc non multiplicatur nouus gradus, aut modus viuendi, qui sub loco motiuo non continetur.

38 Vnde non erit necesse alios gradus pro sensitiuis præter tres, vel quatuor sensus, &c. assignare; quia omnia hæc sensitiua sub loco motiuo continentur, vt supra diximus, diuisio hæc tantùm datur per primos, & generales modos viuendi, & eleuandi se suprà naturam inanimatam, quorum priores sint separabiles à posterioribus. Et his autem primis & generalibus viuendi modis, primus incipit à vegetatiuo; post hunc protinùs subsequitur sensitiuum, per sensum tactus præcisè si loquamur de sensibus externis: post quem statim subsequitur alios eleuatior, scilicèt loco motiuum, quia omnia animalia habentia alium, vel alios sensus externos vltrà tactum (sub quo etiam comprehenditur gustus) habent rationem loco motiui, ac proindè animalis perfecti, vt animal perfectum in præsenti sumitur: & tandem post hunc vltimo loco additur intellectiuum, qui est gradus omnium nobilissimus.

Ad secundum principale negandum est antecedens; quia loco motiuum sumitur secundùm quod determinatè dicit principium intrinsecum motus vitalis secundùm locum, ratione cuius anima moueatur ab vno in alium locum adæquatum, ac proindè ad consequendam rem distantem, qui motus solet progressiuus appellari: at loco motiuum sic sumptum conuenit animalibus, sed pertinentibus ad certum gradum, sub quo comprehenduntur omnia animalia, quæ habent principium intrinsecum prædicti motus perfecti, siuè volent, siuè natent, siuè gradiantur.

39 Quæ solutio desumitur ex D. Thom. in hoc 2. lib. 6. his verbis: *Nam motiuum non est sine sensitiuo, sensitiuum autem potest esse sinè motiuo; aliqua enim habentium sensum habent etiam motum secundum locum, sed aliqua non habent: sed intelligendum est de motu progressiuo animalium secundùm quòd animalia moue-*

tur de loco ad locum. Hic enim motus non inest omnibus animalibus, sed qua carent hoc motu, habent aliquem motum localem, scilicèt dilatationis, & constrictionis sicut apparet, in ostreis.

Ad primam confirmationem patet ex dictis, negandam esse minorem, quandoquidem sensitiuum tantùm petit ea, quæ sunt necessaria ad saluandam naturam sensitiuam: loco motiuum autem addit notum, & perfectiorem gradum prædictæ naturæ iam explicatum, ac proindè exigit potentias sensitiuas ad motum vitalem secundùm locum, quo deueniatur in obiectum distans exequendum. Vtrum autem præter has potentias sensitiuas requiratur alia in membris externis, & an hæc sit actiua, vel passiua, vel solùm passiua, per quam reddantur idonea ad obediendum potentiis sensitiuis suo modo imperantibus, & actiuè elicientibus prædictum motum, alia quæstio est infrà disp. 7. n. 28. & sequentib. explicanda.

40 Ad secundam confirmationem constat etiam ea dictis, quòd concesso antecedenti debet negari assumptum consequentis, nam in eo supponitur loco motiuum sumi prout abstrahit à loco motiuo, siue imperfecto, siue perfecto, qualiter appetitiuum sumendum esset, si peculiarem gradum vitæ constitueret, cùm tamen non sumatur nisi pro loco motiuo perfecto, vt ea D. Th. vidimus, ad hoc autem iuxta ea, quæ ibidem Sanctus Doctor. lect. 3. iam citata docet, constat posse separari sensitiuum, ita vt sensitiuum sine loco motiuo reperiatur.

Ad tertium respondetur, quòd licèt ea, quæ in modo appetendi distinguuntur, quæ in modo appetendi distinguuntur, differant etiam in gradu essendi, non tamen èconuerta, nam ea, quæ in peculiari gradu essendi differunt, possunt in ratione communiori conuenientiam habere, vt in ratione entis, & ita poterunt habere communem modum appetendi. Adde appetitum naturalem desumi, per ordinem ad extrinsecum dirigens per intellectum, & ita potest esse idem modus appetendi generaliter sumptus, licèt in perfectione essendi magnum intercedat discrimen.

Ad vltimum dicendum est, in præsenti non fieri sermonem de omni vita, sed tantùm de ea quæ prouenit à forma substantiali informante, vel ea se informatiua: at intellectiuum siue Angelicum, siue Diuinum, non prouenit à prædicta forma, vt ea se constat, & ideò gradus intellectiuus (de quo in præsenti) tantùm est vnicus.

QVÆSTIO III.

Quomodo anima vegetatiua, & sensitiua, & vtraque in rationali contineantur.

EA, quæ in duobus præcedentibus quæstionibus dicta sont, non parùm ex his, quæ in hac dicuntur elucidata manebunt, & ideò meritò post illas duas hanc statim mouemus.

Explicatio tituli.

§. I.

41. IN quæstionis titulo aliquid vt certum supponitur, & aliquid in controuersiam vocatur. Supponitur enim animam vegetatiuam contineri vtramque in sensitiua, & vtramque in rationali: tùm quia cùm homo viuat tam vita rationali, quàm sensitiua, & vegetatiua, vt experientia constat, oportet vt in eo sit tam anima rationalis, quàm vegetatiua, & sensitiua, cumque in eo tantùm sit vnica substantialis forma, sc. rationalis, vt 1. Phys. disp. 4. n. 61. & 1. de Generat. disp. 2. n. 44. & deinceps, & eadem disp. n. 112. ostendimus: fit indè, vt anima rationalis debeat aliquo modo continere vegetatiuam, & sensitiuam, quod idem cum proportione de anima sensitiua dicimus, quandoquidem quoduis animal viuit non solùm vita sensitiua, sed etiam vegetatiua, & similiter in quouis composito substantiali, nequit esse nisi vnica tantùm substantialis forma, vt loco citato probauimus.

Tum etiam, quia vt ea Arist. c. 2. huius libri, & D. Tho. ibidem quæst. præced. diximus gradus vitæ talem ordinem inter se seruant, quòd posterior nequit à præcedentibus separari, sed necessariò debet illos includere: ac proindè anima, quæ est principium posterioris gradus, v. g. anima rationalis, debet continere aliquo modo eas, quæ sunt principium præcedentium, quales sunt anima vegetatiua, & sensitiua, alioqui non posset tribuere effectus earum.

42 Vocamus autem in dubium, qualis sit hæc continentia, an formalis, an verò virtualis, & si formalis sit, an formalis solùm, an verò formalis, & eminens simul; & licèt in titulo, solùm de animabus ipsis inquisitum sit, nihilominùs, quia quoad hoc eodem proportionali modo de illis, ac de gradibus viuendi ab eis modo dicto ortum ducentibus philosophandum est. Ideò quod de animabus dixerimus, debet etiam ad prædictos gradus vitæ proportionaliter applicari.

Cæterùm, vt quid, per quamuis ex his continentiis importetur, meliùs capiatur, notandum est, continentiam vnius in altero posse primò diuidi in continentiam virtualem & formalem: tunc aliquid continet aliud virtualiter, quando præhabet illud seclusis totaliter, vel ex parte imperfectionibus, ita tamen, vt diffinitio, & esse formale rei contentæ non conueniat continenti; quo pacto Deus dicitur virtualiter continere hominem, quia præhabet id, quod est in eo perfectionis sine imperfectionibus tamen, quamuis diffinitio, & esse formale hominis non conueniat Deo, & hoc etiam modo dicitur numerus maior continere minorem. Vndè in hoc modo continendi est sua latitudo, & diuersitas, nam vt ex se constat, diuersimodè continetur homo in Deo virtualiter, ac numerus minor in maiori, quamuis vtrobique sit sua virtualis continentia, vt ex dictis patet; tunc autem aliquid dicitur contineri in alio formaliter, quandò habet perfectionem, & rationem formalem illius, ita vt diffinitio, & esse formale rei contentæ conueniant continenti, qua ratione albedo continet colorem, quia esse formale, & diffinitio coloris competit ipsi.

43 Hæc autem continentia formalis rursus diuiditur in continentiam formalem solùm, & formalem & eminentem simul ad priorem tantùm desideratur, quòd habeat in se illud, quod est de conceptu, & ratione formali rei contentæ; ad posteriorem verò requiritur, vt res continens sit perfectioris entitatis, & magis illimitatæ, ita vt simul contineat rationem formalem alterius, vel aliarum rerum, quæ inter se, vel à prædicta entitate distinguuntur, dùm in naturis inferioris conditionis, ac proindè limitato modo sunt, & ita eminentia consistit in defectu prædictæ limitationis, qua ratione practicum, & speculatiuum continentur in scientia diuina, quia illa simplex formalitas scientiæ Dei, ita est practica, vt simul sit speculatiua, & ita est speculatiua, vt simul sit practica, & consequenter caret limitatione ad esse solummodò practicum, vel ad esse tantùm speculatiuum, quæ inueniuntur in omnibus ferè habitibus creatis, in quibus practicum, & speculatiuum limitato modo inueniuntur.

44 Cæterùm,

44. Cæterùm, quia anima vegetatiua, & sensitiua possunt dupliciter considerari; primò genericè, seu quasi genericè, & secundùm istam rationem, prior dicit primum & radicale principium vegetandi, siuè alias habeat esse simul principium sentiendi, & ratiocinandi, siuè tantùm sit principium vegetandi, atque adeo sic considerata nullam differentiam sui contractiuam continet actu, sed omnes in potentia: & ita quantùm est ex se nullam excludit, sed indifferenter potest contrahi, vel intra proprium gradum ad esse vegetatiuum tantùm, id est descendendo ad varios modos formales vegetandi tantùm, sci ad varias species plantarum; vel ascendendo ad superiorem gradum, per additionem saltem differentiæ altioris ordinis, vt per esse sensitiuum vt quo, & cum præcisione sumptum ad animam sensitiuam, & similiter anima sensitiua dicit primum, & radicale principium sentiendi, siuè alias sit simul principium ratiocinandi, siuè tantùm sentiendi, ac proindè sic considerata potest eodem proportionali modo, quo anima vegetatiua contrahi; vel secundò possunt considerari contractum sumptæ, & vt illa est specificata ad animam vegetatiuam tantùm, veiu variis speciebus plantarum contingit, & hæc animam sensitiuam tantùm, vt in diuersis speciebus brutorum accidit, ideò titulus de his animabus vtroque modo sumptis intelligendus est, nimirum quodammoddò ambæ vtroque modo consideratæ in rationali includatur, & similiter quodammodò, & vegetatiua in sensitiua contineatur.

45. Ratio autem ob quam vtramque animam, scil. vegetatiuam, & sensitiuam secundùm duas illas rationes consideramus, est, quia id ipsum cum proportione reperitur, vt *quo* in formis substantialibus, quod inuenitur vt *quod* in compositis ex illis constitutis. Quarè sicut id, quod habet vitam vegetatiuam, & in coordinatione prædicamentali appellatur viuens (quandoquidem viuens significat, id quod habet primum illum gradum in quo viuentia separantur à non viuentibus, qui nullus est alius præter gradum vegetabilium) & id quod habet vitam sensitiuam, & in coordinatione prædicamentali nuncupatur animal, possunt sumi, vel genericè, ac proindè, vt viuens, v. g. est contrahibile per viuens tantùm, vt in plantis, aut ascendendo ad altiorem ordinem, scilicèt per sensitiuum, &c. vt ex arbore prædicamentali in Logica cap. de specie adducta constat; vel secundò possunt sumi secundùm quod sunt contracta, per speciales differentias, ita eodem proportionali modo in anima vegetatiua, & sensitiua philosophandum erat.

Proponitur prima sententia.

§. II.

46. PRima sententia asserit, animam vegetatiuam, nullo modo contineri formaliter in sensitiua, aut vtramque in rationali, sed solùm virtualiter. Pro qua solet referri Caiet. lib. 2. de Anima cap. 3. & 1. p. qu. 76. art. 4. Toletus lib. 2. huius operis q. 3. Petrus Martinez eodem lib. & alij. Probatur primò testimonio Aristot. ibidem text. 31. his verbis. *Similiter autem se habent ei, quod de figuris est, & quæ secundum animam sunt, semper enim in eo quod est consequenter, est in potentia quòd prius est in figuris, & in animatis, vt in tetragano quidem trigonum est, in sensitiuo autem vegetatiuum.* Quæ verba sic explicat D. Thom. ibidem lect. 5. in fine. *Et quia dixerat, quòd eodem modo se habet ratio animæ, sicut ratio figuræ ostendit conuenientiam inter vtramque; & dicit quòd similiter se habent figura & animæ ad inuicem: in vtrisque enim illud quod est prius, & in potentia in eo, quod est consequenter: manifestum est enim in figuris, quòd trigonum, quod est prius, est potentia in tetragono.*

Quarè cum id quod solùm in potentia continetur in alio, non contineatur in eo formaliter (alioquin esset actu ibidem) sed ad summum virtualiter, quatenùs continens potest præstare id quod res contenta præstaret si actu, & formaliter esset ibidem: consequens est, vt anima prior, quæ solùm in potentia dicitur contineri in posteriori, vt vegetatiua in sensitiua, contineatur ad summum in ea solùm virtualiter, non verò formaliter.

47. Confirmatur ex D. Thom. 1. p. q. 76. art. 4. vbi sic ait: *Nulla alia forma substantialis est in homine, nisi sola anima intellectiua, & quod ipsa, sicut virtute continet animam sensitiuam, & nutritiuam: ita virtute continet omnes inferiores formas, & facit ipsa sola quidquid imperfectiores formæ in aliis faciunt: & similiter est dicendum de anima sensitiua in brutis, & de nutritiua in plantis & vniuersaliter de omnibus perfectioribus respectu imperfectarum.*

Secundò probatur ratione, nam rationale formaliter sumptum, non includit formaliter sensibile, nec sensibile eodem modo acceptum continet formaliter vegetabile: ergò nec anima rationalis formaliter considerata, continebit formaliter vegetatiuam, & sensitiuam, aut vegetatiuam sensitiua. Antecedens patet, quoniam differentiæ inferiores formaliter, & cum præcisione sumptæ non continent superiores, vt in Logica disp. 7. num. 41. diximus: ergò rationale secundùm quod dicit differentiam atomam cum præcisione consideratam, non continebit formaliter sensibile, nec sensibile includet vegetabile, vt sunt differentiæ superiores cum præcisione sumptæ, constituentes viuens, & animal.

Consequentia autem probatur, nam licèt differentiæ sumantur proximè à tota entitate rei, attamen vt à primo, & radicali principio accipiuntur à forma substantiali: & ita si rationale, vt tale non includit formaliter sensibile, signum erit, quòd nec anima rationalis, vt talis animam sensitiuam formaliter continebit.

48. Tertiò anima rationalis non potest formaliter includere vegetatiuam, & sensitiuam: ergo nec sensitiua vegetatiuam, & per consequens nulla ex his animabus in alia formaliter continebitur. Hæc secunda consequentia patet ex priori, prior verò ex paritate rationis: antecedens autem etiam constat, nam anima formaliter vegetatiua, & sensitiua est formaliter materialis, sicut & operationes quarum est principium, sunt formaliter materiales: at anima rationalis est formaliter spiritualis, quia est principium operationum puræ spiritualium, scil. intelligendi, & volendi, & modus operandi est iuxta modum essendi: ergo cùm vna, & eadem forma nequeat simul esse spiritualis, & materialis formaliter: fiet indè, vt anima rationalis, non possit esse formaliter vegetatiua, & sensitiua.

Quartò, nam cùm dicitur animam priorem, v. g. vegetatiuam contineri formaliter in posteriori, exempli causa in sensitiua, vel est sensus, quòd ita vna contineatur in alia, vt propria ratio prioris, sit propria ratio posterioris, & non solùm habeant esse vnam tertiam rationem: vel est sensus, vtramque rationem contineri in vna ratione superiori; at neutro ex his modis potest anima prior contineri formaliter in posteriori: ergo nullo. Consequentia patet, quoniam non apparet, quoniam alio modo præter eos, qui in maiori recensentur, possit vnum formaliter includere, aut esse aliud. Minor autem quoad priorem partem, scil. quod anima posterior non

contineat formaliter priorem, ex eo quòd ratio vnius sit formaliter ratio alterius, non videtur indigere probatione, quoniam anima rationalis distinguitur formaliter à vegetatiua, & sensitiua & similiter istæ duæ eodem modo inter se distinguuntur, quandoquidem habent distinctas differentias: ergo nulla potest esse hoc modo formaliter alia. Quoad secundam verò partem etiam constat, quia sic non saluaretur vnam animam esse formaliter aliam, sed quòd ambæ sint vna; illa tertia ratio.

Refertur secunda sententia.

§. III.

49. SEcunda sententia asserit animam sensitiuam, v. g. secundùm suam rationem genericam, scilicet quasi genericam consideratam, continere formaliter vegetatiuam sumptam etiam quasi genericè: at eandem animam sensitiuam secundùm suam rationem differentialem atomam spectatam, non continere formaliter vegetatiuam vllo modo sumptam ex eo quod anima sensitiua, vt talis non importat aliquam differentiam atomam tribuentem peculiare esse vegetatiuum; sed aliam differentiam altioris gradus dantem præcisè talitatem sensitiuæ. Ita Suarez 2. tom. summæ Theologiæ tract. 3. de Anima lib. 1. c. 6. num. 7. & alij. Sententia hæc quoad priorem eius partem, scilicet animam, v. g. sensitiuam secundùm suam rationem generalem consideratam continere formaliter vegetatiuam, quasi genericè sumptam, constabit ex his quæ pro nostra n. 53. dicemus.

Quoad secundam verò partem probatur primò, nam si anima sensitiua secundùm suam rationem differentialem, & atomam contraheret essentialiter animam vegetatiuam tribuendo ei distinctum essentialiter modum vegetandi, per quem in esse vegetatiuo distingueretur essentialiter ab alijs animabus vegetatiuis, scilicet plantis in sua ratione atoma constitutis; tunc anima vegetatiua equi, v. g. esset constituta in quadam specie vltima animæ vegetabilis non transcendentis gradum plantæ; ergo eo ipso non posset simul habere rationem animæ sensitiuæ.

50. Antecedens ex se constare videtur, quia specialis modus vegetandi pertinet ad ordinem vegetandi præcisè, Ordo autem vegetandi præcisè non transcendit gradum plantarum. Consequentia autem probatur, quia non alia ratione anima plantæ nequit contrahi per sensitiuam, nisi quia est constituta in specie atoma, per differentiam etiam atomam non transcedentem gradum plantæ: ergo si anima vegetabilis equi contrahitur per differentiam atomam, non transcendentem gradum vegetabilem, non poterit cõtrahi per differentiam eleuantem illam ad superiorem gradum sensitiuæ, ac proindè, nec habere simul speciem, aut quasi speciem animæ sensitiuæ.

Confirmatur primò, nam genus subalternum immediatè contentum sub viuenti constituto per animam vegetatiuam, vt sic, nullum est aliud præter animal, quod constituitur per animam sensitiuam vt sic, vt ex arbore prædicamentaliter in Logica c. de specie adducta constat: ergo differentia subalterna, quæ per se contrahit animam vegetabilem, vt sic ad esse sensitiuæ; tantùm erit ratio differentialis animæ sensitiuæ vt talis, ergo etiam ratio differentialis, & atoma per quam anima vegetabilis contrahitur in equo ad animam rationem animæ; nonerit peculiaris aliqua differentia, non transcendens gradum vegetabilem, sed quæ constituat illam in ratione atomo animæ præcisè sensitiuæ.

51. Prima consequentia ex antecedenti apertè sequitur, nam eodem proportionali modo in concretis & in eorum formis philosophandum est: ergo si animal præcisè constituitur in esse animalis, per sensibile tanquam per differentiam, non verò per aliquam differentiam subalternam, quæ non transcendat ordinem, seu gradum vegetatiuum, & ideò definitur per hoc, quod sit viuens sensibile; fiet indè, vt eodem proportionali modo de anima sensitiua, per quam constituitur, philosophari debeat.

Ex quo etiam secunda consequentia satis constat, quoniam sic se habet differentia atoma trahens animam vegetabilem ad atomam speciem; ac differentia subalterna eiusdem ordinis trahens illam ad speciem subalternam; ergo si hæc non tribuit specialem modum vegetandi essentialiter, & subalternè ab alijs modis vegetandi distinctum, nec etiam illa tribuet specialem modum vegetandi essentialiter atomè ab alijs diuersum.

Confirmatur secundò: tum quia ratio differentialis est conceptus omninò simplex, vtpotè in quam, & in rationem entis tota metaphysica compositio tandem resoluitur: ergo anima sensitiua secundùm suam rationem differentialem atomam, non potest tribuere specialem, & atomum modum vegetandi. Patet consequentia, nam alioquin non esset conceptus omninò simplex, sed ex duabus rationibus differentialibus coalesceret, alia quidem pertinente ad altiorem ordinem, scilicèt sensitiuum; alia verò non transcendente ordinem vegetatiuum: tum etiam, quia aliàs differentia illa atoma animæ sensitiuæ, quæ ex vi sua tribuit præcisè talem modum vegetandi esset, & non esset differentia atoma prædictæ animæ: esset quidem vt supponitur; non esse autem, quia nequiret constituere animam in esse sensitiuæ, vt talis, quandoquidem id quod rem altioris ordinis formaliter constituit, debet ad eundem ordinem pertinere: at vegetatiuum infra ordinem sensitiuorum est, & ita nunquam pertingere poterit ad constituendum formaliter, & differentialiter sensitiuum, aut animam sensitiuam vt talem.

52. Secundò principaliter, nam si anima rationalis secundùm suam rationem differentialem atomam tribueret aliquem specialem, & atomum modum sentiendi, fieret indè, vt potentiæ sensitiuæ hominis distinguerentur specie essentiali à potentiis sensitiuis bruti: hoc autem est apertè falsum: ergo, &c. Sequela videtur certa, quoniam tunc anima rationalis conueniret cum anima bruti in gradu sentiendi vt sic, & haberet specialem modum radicalem sentiendi essentialiter distinctum à modo radicali sentiendi brutorum, & ita deberent ei correspondere potentiæ sensitiuæ, quæ genericè conuenirent cum potentiis sensitiuis brutorum, & distinguerentur speciè ab illis, sicut quia Angeli conueniunt gradu intellectiuo radicali, & distinguuntur specie intra illum: ideò intellectus eorum solùm conueniunt genericè, & distinguuntur specificè. Falsitas autem consequentis constat, quia potentiæ sensitiuæ hominis, & brutorum, habent idem obiectum, & eodem modo immutantur ab illo: ergo erunt eiusdem speciei atomæ, quandoquidem hæc ex obiectis, & modo immutandi illorum desumitur.

Vera

Vera D. Thom. sententia aliquibus conclusionibus explicata.

§. IV.

53. Dicendum tamen est primò, animam rationalem saltem secundùm suas rationes, quasi genericas consideratam, id est secundùm eas rationes, secundùm quas vniuocè, seu quasi vniuocè conuenit cum anima bruti, & plantæ, esse formaliter vegetatiuam, & sensitiuam, atque adeò continere formaliter vtramque animam secundùm gradum genericum consideratum, quod idem cum proportione de anima sensitiua respectu vegetatiuæ dicimus. Ita D. Thom. qu. de Anima art. 11. vbi sic inquit: *Nulla forma substantialis vnitur materiæ, mediante alia forma substantiali, sed forma perfectior dat materiæ quidquid dabat forma inferior, & adhuc amplius. Vndè anima rationalis dat corpori humano quidquid dat anima sensibilis brutis, & vegetabilis plantis, & vlterius aliquid & propter hoc ipsa est in homine, & vegetabilis, & sensibilis, & rationalis.*

Constat autem, quod si anima rationalis solùm virtualiter, non verò formaliter esset vegetabilis, & sensibilis, non diceretur absolutè vegetabilis, & sensibilis: sicut quia Deus solùm virtualiter continet hominem, ideò non dicitur absolutè homo, sed quòd virtualiter illum contineat. Vnde Sanctum Doctorem sequuntur Bañez 1. part. q. 76. art. 4. dub. 2. Suarez loco citato, Con. Rubio, & Murcia, & plures alij in hoc 2. l. ad c. 3. eiusdem.

54. Ratio autem fundamentalis huius assertionis desumitur ex D. Thom. loco citato, quæ potest ad hanc formam reduci. Nam anima rationalis v. g. tribuit homini esse vegetatiuum, & sensitiuum formaliter: ergo ipsa est formaliter vegetatiua, & sensitiua, saltem secundùm suas rationes, quasi genericas iam explicatas considerata. Antecedens probatur: tum quia id docent communiter Philosophi: tùm etiam quia homini conueniunt proprietates, gradus sensitiui, formaliter sumpti, scilicèt potentiæ formaliter sensitiuæ, & eiusdem rationis cum potentiis sensitiuis bruti, secundùm quod est animal, quales sunt sensus. Constat autem proprietates formales alicuius naturæ formaliter talis, non posse conuenire, nisi eidem naturæ, non verò alteri, quæ solùm virtualiter illam contineat, sicut proprietates formales ignis non possunt formaliter conuenire soli, licèt virtualiter contineat naturam eiusdem ignis.

Tùm etiam, quia homini absolutè, & simpliciter conuenit diffinitio gradus sensitiui, seu animalis, scilicèt quòd sit viuens sensibile, ac proindè habebit formaliter esse sensitiuum. Consequentia autem probatur, quoniam nihil potest esse formaliter tale, nisi à forma quæ sit formaliter talis, quandoquidem effectus formalis primarius cuiusuis formæ non potest prouenire nisi a forma, quæ formaliter sit talis, & ideò communiter docent Philosophi, & Theologi, quod huiusmodi effectus non possunt produci à Deo sine prædicta forma.

55. Occurrit Caiet. non esse necessarium quòd forma habeat denominationem quam tribuit composito, & ita licèt anima rationalis tribuat homini esse formaliter vegetatiuum, & sensitiuum, nihilominùs ipsa non erit formaliter vegetatiua, & sensitiua, sicut licet tribuat eidem homini esse formaliter corporeum, & materiale, nihilominùs non est formaliter corporea, & materialis, alioqui non esset purè spiritualis, siquidem repugnat vnum, & idem esse simul quid spirituale, & quid corporeum.

Sed contrà, nam licèt forma non habeat vt *quod* denominationem, quam tribuit suo composito; nihilominùs non potest non habere illam vt *quo*: ergo licèt anima rationalis non sit formaliter vegetatiua vt *quod*, erit tamen vegetatiua & sensitiua vt *quo* imò absolutè, & simpliciter dicitur formaliter vegetatiua, quoniam hæc nomina vegetatiui, & sensitiui significant, iuxta communem vsum, id quod est vegetatiuum, & sensitiuum, siuè vt *quo*, siuè vt *quod*. Antecedens autem probatur: tum quia effectus virtualiter talis repugnat prouenire, nisi à forma virtualiter talis vt *quo*. Et ita in Sole esse virtualiter calidum nequit prouenire nisi à forma, quæ solùm virtualiter sit calida vt *quo*, qualis est lux eiusdem Solis: ergo è contra effectus formaliter talis non poterit prouenire nisi à forma, quæ vt *quo* sit etiam formaliter talis.

Tùm etiam, quia non esset ratio ob quam lux Solis, non tribueret Soli esse formaliter calidum, si ex forma virtualiter tali vt *quo*, posset prouenire effectus formaliter talis, & consequenter esse formaliter calidum vt *quod*: tum denique, quia cum forma non causet, nisi per exhibitionem suæ propriæ entitatis, atque adeò dando suum esse eo modo, quo illud habet: indè, vt si ipsa solùm habet virtualiter, & vt *quo* aliquem effectum, tunc solùm tribuat composito vt habeat illud virtualiter vt *quod*, & similiter si habuerit illum formaliter vt *quo*, communicabit composito, quòd habeat ipsum formaliter, & vt *quod*. Confirmatur primò, quia aliàs homo, & equus non essent vniuocè animalia, quandoquidem animæ sensitiuæ, quibus constituuntur in esse animalis, non haberent eandem rationem formalem.

56. Confirmatur secundò, nam quoties forma solùm virtualiter & vt *quo* est talis, debet habere aliquod esse formale & vt *quo*, ratione cuius præhabeat illud esse virtualiter tale, quandoquidem omne esse virtualiter contentum in aliqua re, debet præhaberi in aliquo esse formali illius. At si Anima rationalis saltem secundùm suas rationes, quasi genericas considerata, scil. vt vniuocè conuenit cum anima vegetatiua plantæ, & sensitiua bruti, contineret solùm virtualiter animam vegetatiuam, & sensitiuam quasi genericè sumptas, non haberet aliquod esse formale, ratione cuius illas contineret: ergo nec etiam virtualiter easdem præhaberet.

Maior enim consequentia patent. Minor verò probatur, nam in primis illud esse formale ratione cuius eas contineret, nec esset ratio formæ substantialis, aut formæ mixti vt sic, cùm hæc ratio sit ignobilior ratione animæ vegetatiuæ, continens autem virtualiter aliud, non est ignobilius illo, nec etiam esset ratio differentialis, & atoma animæ rationalis: nam cum conueniat vniuocè cum aliis animabus, vt suprà disp. 4. num. 12. diximus, non potest rationem animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ præcirè secundùm suam rationem differentialem habere; alioqui potiùs differret, quàm conueniret cum illis: ergo cum non appareat in anima rationali alia ratio formaliter talis; ratione cuius contineret virtualiter vegetatiuam præter prædictas, vt intuenti constabit; fiet inde, quod non esset in ea aliquod esse formale, ratione cuius virtualiter contineret vegetatiuam, & sensitiuam, atque adeò si semel eas continet, vt suprà ostendimus, debet eas formaliter continere.

57. Neque id quod pro se adducit Caietan. ei fauet, sed potiùs ipsi aduersatur, quoniam licet anima rationalis non sit formaliter corporea vt

quod, non potest tamen non esse formaliter corporea vt *quo*. Nam ad hoc satis est, vt constituat hominem in esse corporei, & materialis, quamuis ipsa non sit talis vt *quod*, sicut quamuis eadem anima nequeat esse subiectum formaliter tale receptiuum quantitatis vt *quod*, nihilominùs potest formaliter, & vt quo habere esse constitutiuam hominis in esse subiecti *quod*, formaliter talis in ordine ad recipiendam quantitatem. Vnde aliæ formæ materiales duplici titulo sunt corporeæ, nimirùm tam vt *quo*, quatenùs toti hoc ipsum præstant, quàm suo modo vt *quod*, quatenùs per hoc præcisè significatur, quod sua entitatis in esse, fieri, & conseruari à materia pendet. At anima rationalis priori modo est corporea, non verò posteriori quia eius entitas est spiritualis ex eo quod à materia in suo esse non pendet, vt infrà dicemus.

Neque apparet aliquod inconueniens in hoc quod aliquid sit vt *quo* formaliter corporeum non verò vt *quod*, sicut nihil obest dari formam aliquam, quæ formaliter sit alba vt *quo*, non autem vt *quod*. Quare esse corporeum vt *quo* abstrahit ab hoc quod sit quid spirituale vt *quod*, vel corporeum suo modo vt *quod*; sicut etiam anima vegetatiua, & sensitiua, quasi genericè sumptæ, debent ab vtroque abstrahere.

58 Dicendum est secundò animam rationalem habere ratione suæ atomæ rationis differentialis, quod includat esse vegetatiuum, & sensitiuum, secundùm quod hæc duo dicunt talem modum vegetandi, & sentiendi vt simul principium ratiocinandi, atque adeò, vt constituta per suam atomam rationem differentialem erit formaliter eminenter in sensu explicato vegetatiua, sensitiua, & rationalis, quod idem cum proportione de anima sensitiua respectu vegetatiuæ dicimus. Ita Bañes loco citato, & est communis inter Iuniores Thomistas.

Et sanè videtur sequi ex his, quæ ex D. Thom. in præced. assertione diximus. Nam si anima rationalis quatenus conuenit cum anima vegetatiua plantæ, & sensitiua bruti in generali ratione principij vegetandi, & sentiendi, includit per modum rationis, quasi genericæ animæ animam vegetatiuam, & sensitiuam generatim etiam acceptam, consequens erit, vt secundùm suam rationem differentialem constituatur, etiam per specialem modum vegetandi, & sentiendi, qui simul sit principium ratiocinandi, quoniam principium vegetandi, & sentiendi vt sic, debent contrahi per speciales modos vegetandi, & sentiendi, sicut natura intellectualis vt sic, non potest non contrahi per diuersos modos, seu rationes differentiales intellectualitatis.

59 Confirmatur, & explicatur: nam ratio differentialis, & atoma animæ rationalis duo habet, saltem ex parte nostri modi concipiendi, distincta. (Primum) est, quòd sit differentia per se contractiua animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ, quasi genericæ sumptarum. Secundum est, quod in potentia, & in confuso ita contineatur per se directè intra totam latitudinem earum, vt simul trahat eas ad altiorem gradum, atque adeò ad hoc, vt actu formaliter pertineant ad ordinem intellectiuum, quatenùs per prædictam differentiam contractæ sunt. Vndè, ex quo capite talis differentia contrahit principium vegetandi, & sentiendi vt sic, debet addere specialem modum vegetandi, & sentiendi, & ex quo capite contrahit prædictum principium trahendo illud ad altiorem gradum, debet tribuere altius esse ratione cuius prædictæ animæ actu, & formaliter pertineant ad ordinem intellectiuum.

60 Confirmatur, & explicatur secundò, nam vegetatiuum vt sic, per se, directè diuiditur in vegetatiuum tantùm, & in vegetatiuum & sensitiuum simul, non tamen habens altius esse, ac tandem in vegetatiuum, sensitiuum, & rationale simul; & similiter sensitiuum vt sic, per se directè diuiditur in sensitiuum tantùm, & sensitiuum, & intellectiuum simul, ergo vegetatiuum vt sic, potest, & debet contrahi. Tùm per rationem differentialem, quæ tantùm tribuat specialem modum vegetandi; non verò aliquod aliud esse ad altiorem ordinem spectans, vt in plantis contingit. Tùm etiam per rationem differentialem, quæ simul tribuat specialem modum vegetandi, & aliud altius esse, scilicèt sensitiuum simul, sistendo tamen ibi: Tùm denique per aliam differentiam, quæ tribuat duo prædicta sine limitatione; ac proindè communicando quoddam esse, quod simul habeat specialem modum vegetandi. & sentiendi, ac tandem sit principium ratiocinandi, Ergo etiam hoc ipsum cum proportione in animabus, per quas prædicti gradus constituuntur, dicendum erit. Vtraque consequentia ex antecedenti videtur constare, antecedens autem etiam liquet, nam cùm inter animantia, quæ sunt principium vegetandi, alia sint vegetatiua tantùm, alia vegetatiua, & sensitiua simul, sed non ampliùs; alia tandem vegetatiua, sensitiua, & intellectiua simul, consequens est, vt vegetatiuum, & sensitiuum modo dicto in antecedenti possint, & debeant diuidi.

Sicut quia habitus scientificus per se directè diuiditur, vt multi valdè probabiliter volunt, in habitum scientificum speculatiuum tantùm, & practicum tantùm; ac tandem practicum, & speculatiuum simul; qualis est nostra Theologia, & habitus luminis gloriæ; ideò debet contrahi per diuersas differentias, quarum duæ sint limitatæ, & contrahant prædictum habitum ad esse speculatiuum; vel practicum, tali, vel tali modo scientificè: alia verò illimitata, quæ eleuet prædictum habitum ad esse practicum, & speculatiuum simul.

61 Dicendum est tertiò, animam rationalem, ratione suæ vltimæ differentiæ non continere formaliter cæteras alias animas vegetatiuas plantarum, & sensitiuas brutorum, quatenùs tales sunt, benè tamen aliquo modò virtualiter. ita communiter Philosophi. Assertio hæc quoad priorem partem ferè non indiget probatione, quandoquidem animæ plantarum, & brutorum, vt talium constituunt plantam, & brutum; constat autem animam rationalem non posse constituere prædicta composita.

Quoad 2. verò partem etiam liquet; nam vt ex dictis num. 41. constat, tunc aliquid continet aliquo modò virtualiter aliud, quandò aliquo modo præhabet illud seclusis totaliter, vel ex parte imperfectionibus, ita tamen, vt diffinitio, & esse formale rei contentæ non conueniat continenti: sed anima rationalis præhabet hoc modo esse vegetatiuum plantarum, & sensitiuum brutorum; ergo continebit aliquo modo virtualiter prædictas animas. Minor probatur, quoniam tribuit, sicut illæ peculiarem modum vegetandi, & sentiendi, seclusis tamen imperfectionibus limitationis ad esse vegetatiuum, aut sensitiuum solummodò, & ita diffinitio, & esse formale animarum brutorum, & plantarum illi non competit, ergo, & cætera.

Diluuntur argumenta primæ sententiæ.

§. V.

62. AD primum respondetur, similitudinem adductam ab Aristot. inter figuras ex vna parte, & animas ex alia, consistere in continentia absolotè sumpta, non verò in modo continendi; nam conueniunt in hoc, quod sicuti triangulus continetur in quadrangulo, non cum actuali termino trianguli excludente quadrangulum, sed cum actuali termino eiusdem quadranguli; ita anima vegetatiua in communi continetur in intellectiua non contracta, & terminata per differentiam suæ ordinis, & excludente differentiam alterius ordinis, sed terminata per rationem differentialem eminentiorem, quæ simul dicat peculiarem modum vegetandi, sentiendi, & intelligendi.

Cæterùm, cùm hoc stat discrimen in modo huius continentiæ, quoniam deficiente actuali termino trianguli excedente quadrangulum, & eius terminum, non manet ratio formalis illius, & ideò non continetur formaliter in quadrangulo: at verò deficiente termino ordinis vegetatiui limitante illum ad esse vegetatiuum tantùm, manet ratio formalis animæ vegetatiuæ genericè sumptæ, & ideò potest contineri formaliter in anima intellectiua.

63. Vel secundò poterit responderi tam ad hoc argumentum, quàm ad eius confirmationem, Aristot. & D. Thom. tantùm loqui de continentia virtuali iam explicata animæ vegetatiuæ in sensitiua, & vtriusque in rationali secundùm quod illa est contracta ad animam vegetatiuam tantùm, & hæc ad sensitiuam solummodò. Cæterùm ex his duabus solutionibus ad testimonium Arist. adductis, illa prior est magis consonamenti illius; nam dum enumerauit has animas, non intellexit per vegetatiuam, eam per quam constituitur planta, sed illam quæ est principium esse vegetatiui genericè sumpti; quod satis expressit, dicens posteriores animas non separari à prioribus; hoc autem nequit intelligi si priores animæ verbi gratia, vegetatiua sumatur, vt contracta ad esse plantæ.

Ad secundum distinguendum est antecedens, & concedendum si intelligatur de sensibili vt sic, quatenùs dicit differentiam subalternam animalis, & de rationali cum præcisione sumptum, quatenùs denotat solam differentiam atomam hominis, secùs verò si intelligatur de sensibili quatenùs denotat specialem modum sensibilitatis prouenientem à sola anima rationali vt tali; nam iste excludit limitationes sensibilitatis, & dicit tale esse sensibile, quod simul sit rationale: & eodem proportionali modo distinguendum est consequens. Nec contrà hoc habent vllam vim probationes ibidem adductæ: quia prædictum esse sensibile, quod dicimus contineri in rationali cùm præcisione sumpto, non est differentia subalterna animalis, vt ex se constat, sed atoma hominis quod idem cum proportione de peculiari esse vegetatiuo, & sensitiuo contento in anima rationali dicendum est.

64. Ad tertium negandum est antecedens, & ad probationem patet ex dictis, animam vegetatiuam tantùm, & sensitiuam tantùm esse corpoream, & materialem, tam vt *quo*, quàm suo modo vt *quod*, secùs verò anima quæ est vegetatiua sensitiua, & rationalis simul; hæc enim licèt vt *quo* sit corporea, & materialis, non tamen vt *quod*, quoniam sic sumpta habet esse spirituale, vt n.57. explicatum est.

Ad quartum respondetur, quòd si loquamur de anima vegetatiua, quasi genericè sumpta, & collata cum anima verbi gratia sensitiua, secundùm suam integram, & atomam quasi speciem; tunc vtraque non constituet aliquam vnam tertiam rationem; sed anima sensitiua erit formaliter vegetatiua, licèt inadæquatè, quia includit illam per modum rationis quasi genericæ. Nam sicut, non obstante quòd equus, & animal distinguantur virtualiter per modum includentis, & inclusi, hæc propositio est vera: equus est animal, ex eo quod animal includitur in equo per modum rationis genericæ: ita quia anima vegetatiua modo nuper dicto sumpta, habet se ad instar generis respectu sensitiuæ. Ideò non obstante distinctione virtuali inter vtramque proportionaliter intercedente, erit propter eandem rationem vera hæc propositio: Anima sensitiua est formaliter vegetatiua.

65. Si verò anima vegetatiua, quasi genericè sumpta, comparetur cum sensitiua, præcisè quoad suam rationem differentialem, tunc vna non erit formalissimè in altera, sed ambæ per identitatem non excludentem distinctionem virtualem in vtramque constituent, & erunt identicè vna tertia ratio, scilicet species illa, quæ ex ambabus resultat. Tandem, si esse vegetatiuum dicat specialem rationem vegetandi, quæ simul sit etiam ratio sentiendi, ac proindè, quæ conueniat animæ sensitiuæ ratione suæ vltimæ differentiæ; tunc vtraque ratio erit vna, & eadem ratio formalis, quæ solùm distinguatur ex parte nostri modi concipiendi, seu tantùm penes explicitum, & implicitum.

Soluuntur argumenta secundæ sententiæ.

§. VI.

66. AD primum, negandum est antecedens; & ad probationem dicendum est, specialem modum vegetandi, qui formaliter eminenter est talis non pertinere præcisè ad ordinem vegetandi, sed simul ad ordinem verbi gratia sensitiuum. Vnde, cùm specialis modus vegetandi proueniens ab anima sensitiua, sit formaliter eminenter talis; fiet indè vt transcendat gradum plantarum.

Ad primam confirmationem, concesso antecedenti distinguendum est consequens; & si sensus illius sit, quòd differentia subalterna per se contrahens animam vegetabilem, vt sic, ad esse sensitiuæ, tantùm sit ratio differentialis animæ sensitiuæ vt talis, modo tamen supra insinuato, & adæquatè sumpta, concedenda est consequentia, quia prædicta ratio sit sumpta, dicit etiam formaliter eminenter subalternum modum vegetandi, qui simul sit principium sentiendi. Si verò sensus prædicti consequentis fuerit, quòd anima vegetabilis, vt sic, contrahatur ad esse animæ sensitiuæ, per solam prædictam rationem differentialem inadæquatè acceptam, tunc neganda est consequentia.

67. Ex quo etiam constat, negandam esse secundam consequentiam statim subsumptam quoad posteriorem eius partem, quoniam eodem proportionali modo philosophandum est de ratione differentiali, & atoma, per quam anima vegetabilis contrahitur in equo ad atomam rationem animæ, ac de differentia subalterna, quæ modo dicto, prædictam animam contrahit. Nec contrà hæc habet vim probatio primæ consequentiæ, quoniam etiam animal constituitur in esse animalis per sensibile, quod formaliter eminenter sit sensibile, & simul dicat peculiarem, & subalternum modum vegetandi, per quæ ad probationem secundæ consequentiæ satis constat.

Ad secundam confirmationem, quoad priorem eius partem, & primo ad primam probationem in eadem contentam respondetur distinguendo antecedens: & si illa particula omninò *simplex* excludat distinctionem virtualem, transeat antecedens; si autem excludat etiam eminentiam, negandum est, & deinde distinguendum est consequens, *non potest tribuere specialem, & atomum modum vegetandi*, quia tantùm formaliter sit talis, concedenda est consequentia. Qui formaliter eminenter specialis modus vegetandi, atque adeò simul sit principium sentiendi, debet negari.

Et ad probationem in contrarium neganda est sequela, quoniam licèt ratio differentialis animæ sensitiuæ sit in se eminens, non tamen coalescit ex duabus rationibus differentialibus virtualiter distinctis, sed in illa, hoc quod est tribuere specialem modum vegetandi, & principium sentiendi, sunt duæ rationes inadæquatæ vnius & eiusdem formalissimæ rationis differentialis, ita vt ex parte nostri modi concipiendi tantùm distinguantur seu secundum implicitum & explicitum.

68. Ad eam sanè proportionalem modum, quo nostra Theologia, vel lumen gloriæ secundùm suas rationes differentiales sunt conceptus simplices cum eminentia tamen, & ita constituunt habitum formaliter eminenter practicum, ac proinde simul speculatiuum; & ita hæ duæ rationes non distinguuntur virtualiter in prædictis habitibus, sed sunt duæ rationes inadæquatæ eiusdem formalissimæ rationis, quæ solùm ex parte nostri modi concipiendi, seu (quod idem, quoad præsens attinet est) solùm penes explicitum, & implicitum, distinguuntur quatenùs intellectus vnico conceptu, potest concipere lumen gloriæ, vt est speculatiuum, nihil concipiendo de virtute practica, quam habet, & rursùs per alium conceptum potest intelligere idem lumen quoad virtutem practicam, nihil intelligendo de virtute speculatiua, quæ formaliter, & eminenter in eo est, quamque per primum conceptum intellexerat.

Ex quo ad secundam probationem eiusdem confirmationis satis constat, quandoquidem differentia atoma animæ vegetatiuæ, licèt tribuat peculiarem, & atomum modum vegetandi; nihilominùs semper ob rationem dictam; est formaliter eminenter sensitiua; & ideò modo explicato transcendit gradum vegetatiuum, & per consequens poterit esse differentia atoma prædictæ animæ, vt tribuit esse sensitiuum.

69. Ad secundum principale dicendum est; quòd licèt anima rationalis secundùm suam differentialem, & atomam rationem, tribuat specialem & atomum modum sentiendi, modo supra explicato, non tamen hinc fit, vt omnes potentiæ sensitiuæ hominis, distinguantur specie essentiali ab omnibus potentiis sensitiuis brutorum: nam quædam ex illis proueniunt ex anima rationali secundùm aliquam rationem generalem animæ sensitiuæ, secundùm quam conuenit cum animabus brutorum, quales sunt, exempli causa, quinque sensus externi; & ita non est necesse, vt prædictæ potentiæ specie essentiali distinguantur. Quædam verò oriuntur ab illa, vt speciali modo est sensitiua, & simul rationalis, quales sunt potentiæ materiales ridendi, & fleodi, quæ homini, vt tali conueniunt, quæque proindè sunt potentiæ sensitiuæ, & suo modo rationales, & ideò nequeunt aliis ab homine competere; quædam tandem proueniunt ab eadem anima, vt præcisè exprimit gradum intellectiuum, & hæ sunt intellectus, & voluntas.

70. Quare, licèt in Angelis optimè inferatur ex diuersitate specifica principij radicalis intellectiui, diuersitas etiam specifica, & essentialis principij formalis intelligendi, & volendi, quia non habent alias potentias præter istas, & hæ secundùm suas rationes atomas oriuntur ab eisdem Angelis, vt habent diuersum modum intellectualitatis radicalis. Attamen in animalibus bruti, & hominis, ex diuersitate specifica peculiaris, & atomi modi sentiendi cuilibet conuenienti, non licèt colligere diuersitatem omnium potentiarum ab eisdem ortum ducentium, quoniam plures potentiæ realiter inter se, & ab aliis distinctæ dimanant ab eis secundùm aliquam rationem in qua conueniunt, & aliæ secundùm alias in quibus differunt.



DISPVTATIO V.

De diuisibilitate, & indiuisibilitate animarum.

POSTQVAM explicuimus numerum animarum, & modorum viuendi, restat, vt explicemus an omni animæ conueniat esse indiuisibilem, an verò aliquæ earum sint diuisibiles, aliquæ verò indiuisibiles: nam vt ex statim dicendis constabit, hæc diuisibilitas, vel indiuisibilitas, est veluti proprietas quædam animæ. Vnde meritò post explicationem eorum, quæ ad essentiam animæ spectent, ad eam declarandam accedimus.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm omnis anima, etiam rationalis, sit diuisibilis.

NOn loquimur de diuisibilitate entitatiua, siue in partes substantiales, & entitatiuas; nam quid quoad hoc dicendum sit, satis constat, tam ex dictis in Log. disput. 13. num. 30. quàm 1. de Generat. disput. 5. num. 32. sed de diuisibilitate, seu extensione quantitatiua, an nimirum quæuis anima beneficio quantitatis possit reddi diuisibilis, & extensa, ita vt sicut quantitas per se primò reddit extensum, & diuisibile compositum viuens in quo est, ita saltem secundariò tribuat suum effectum formalem animæ, per quam prædictum compositum constituitur, ac proindè reddat illam in suo toto extensam, & diuisibilem.

Refertur

Refertur duplex sententia.

§. I.

1. PArtem vniuersaliter affirmantem tuentur Cleantes, & Crisypus, quos citat. D. Gregor. Nissen. 2. lib. de Anima cap. 2. Gandauensis, quam refert Nymphus ibidem ad text. secundum q. de diuisibilitate animæ rationalis. Iandunus, & Pomponatius, quos refert Toletus 2. de Anima asserentes secundùm principia Philosophiæ, omnem animam esse diuisibilem, de rationali autem sola fide oppositum teneri, pro qua etiam sententia numerari debent Gerardus quidam, quem refert Argentinas 1. dist. 8. q. 2. art. 1. & denique alij, quos adducit Sixtus Senensis lib. 1. Bibliothecæ sanctæ annotat. 8.

Probatur primò, nam vtraque pars siue hominis, siue alterius viuentis abscissa per tempus aliquod seipsam mouet, ac proindè viuit; ergo signum est, omnem animam saltem in suo toto, & ad diuisionem eius esse diuisibilem, & extensam. Antecedens patet, nam D. Pauli capite legitur, quod amputatum ter saltauerit, & in singulis saltibus nomen Iesu inuocauerit, similésque saltus in capitibus eorum, qui omninò iugulati intereunt, cernuntur: & per eo sequens potiori ratione corpus ipsum truncum, quod est maior pars hominis, etiam viuet; & tandem plures videmus vermiculos diuisos secundùm quamuis partem se mouere, & arborem abscissam secundùm vtramque partem viuere, & pristinum virorem conseruare. Consequentia verò probatur, quia alioqui non posset in partibus abscissis, & separatis permanere, eiusque vitam, & proprium motum tribuere.

2. Confirmatur: si ab homine abscindatur aliqua pars verbi gratia nasus, & statim iterum ei coniungatur, tunc facta consolidatione illius partis, non minùs viuit, ac anteà viuebat; ergo signum est, quòd etiam paruo illo tempore, quo mansit diuisa à toto homine, reuerà viuebat, atque adeò animam rationalem, per quam informatur, esse ad diuisionem totius diuisibilem.

Hæc vltima consequentia patet ex priori: prior verò ex antecedenti, nam si nasus ille vitam amisisset, ac proindè paruo illo tempore non informaretur anima rationali, non posset iterùm recuperare naturaliter vitam, & eadem anima informari. Quia à priuatione ad habitum, non est naturaliter regressus, vt 2. de Generat. disp. 13. num. 5. diximus. Maximè etiam, quia à forma cadaueris qualem haberet materia; nam in eo tempore, quo mansisset à toto homine separata, & sine vita ab anima proueniente, non potest immediatè transire ad formam viuam, vt in aliis cadaueribus experientia ipsa testatur.

3. Secundò quæuis anima recipitur in materia extensa, & diuisibili; ergo poterit reddi extensa, & diuisibilis. Antecedens probatur, quoniam recipitur in materia, siue proximè, & immediatè, siue remotè, & mediatè affecta quantitate: materia autem quouis ex his modis affecta quantitate redditur extensa, & diuisibilis per illam. Consequentia autem ex antecedenti videtur constare, nam cùm vnumquodque recipiatur ad modum recipientis, & sit proportionatum, commensuratumque ipsis, fiet indè, vt id quod recipitur in materia extensa, & diuisibili, debeat esse diuisibile, & extensum diuisibiliterque & extensè in illa recipi.

Confirmatur: quoniam quantitas viuentis non recipitur in materia prima nudè sumpta, sed in toto viuenti, & per consequens etiam in anima illud constituente: ergo prædicta anima, quæcumque illa sit, reddetur extensa, & diuisibilis ab eadem quantitate, quandoquidem repugnat quantitatem recipi in aliquo, tanquam in subiecto connaturali, vt in præsenti contingit, & non tribuere ei suum effectum formalem.

Tertiò, si quæ esset anima indiuisibilis, & inextensa, plura indè sequerentur absurda. Primum quod ibidem secundùm se totum moueretur, & quiesceret; vt constat in manu mota, cùm quiescit pes; tunc enim anima hîc quiesceret, & ibi moueretur. Secundum, quod idem motibus contrariis simul moueretur, vt si dextra manus sursum ascendat, sinistra verò deorsum moueatur. Tertium, quod abscissa manu verbi gratia hominis, tunc anima, quæ illam informabat confugiat ad alias partes in quibus iam præerat, quia cùm non desinat esse, nec possit manere separata à corpore (alioqui simul esset separata, & informaret, corpus) nec denique valeat partes materiæ discontinuas informare; fiet indè, vt ad partes in quibus præexistebat, confugiat; hoc autem esse impossibile satis constat; quandoquidem quod semel anima informatur, eamque in se conseruat, non potest iterùm eadem informari.

4. Secunda asserit, animam rationalem esse indiuisibilem: cæteras verò animas, etiam animalium perfectorum esse diuisibiles, & extensas. Ita Scotus in 4. sentent. dist. 44. quæst. 2. art. 1. Durand. 1. sentent. dist. 8. part. 2. quæst. 5. Iandunus lib. 2. de Anima q. 6. Apolinaris q. 6. Marsilius lib. 1. de Generat. quæst. 20. Albertus da Saxonia q. 12. cui videtur fauere Capreolus in 2. dist. 5. q. 1. ad vltimum totius quæst. eamque iudicat probabiliorem, Suar. disp. 15. suæ Metaphysic. sect. 10. num. 32. eandem tenet Rubio lib. 2. huius operis cap. 2. tract. de modo, quo anima informat corpus q. 5. & alij.

Sententia hæc, quoad animam rationalem constabit ex his, quæ pro nostra adducemus; quoad alias verò animas patet ex probationibus pro præcedenti sententia adductis: & deinde peculiariter suaderi potest primò, quoniam omnes istæ animæ sunt materiales, & corporeæ, vt communiter admittunt omnes Philosophi; ergo erunt extensæ, & diuisibiles. Antecedens satis liquet ex his quæ 1. Physic. disp. 7. num. 32. diximus.

Consequentia autem probatur: Tùm, quia ideò anima rationalis est indiuisibilis, quia est spiritualis: Tùm etiam, quia id, quod est materiale, non potest non sapere conditiones materiæ, quarum potissima est, esse saltem in suo toto extensam, & diuisibilem à quantitate. Tùm denique, quia ad hoc, vt aliquid sit materiale, non satis est, quod pendeat à materia, sed insuper desideratur quòd sit extensum, & diuisibile; & ideò accidentia spiritualia possunt recipi in subiecto corporeo, & ab illo pendere; vt 2. Physic. disp. 4. n. 49. diximus; & nihilominùs non ob aliam rationem, non sunt materialia, sed spiritualia, nisi quia non sunt extensa, & diuisibilia.

5. Secunda, nam prædictæ animæ non habent operationem aliquam, quæ non sit extensa, & diuisibilis; ergo possunt, & debent esse extensæ & diuisibiles. Antecedens non videtur indigere probatione. Consequentia autem ex anteced. constat; quoniam modus operandi est iuxta modum essendi; ergo illud, cuius modus operandi, est operari extensè, & diuisibiliter, poterit, & debebit habere modum essendi extensum, & diuisibilem.

Confirmatur primò, nam ex eo quod anima rationalis potest elicere aliquam operationem indiuisibilem, qualis est intellectio, & volitio, colligimus optimè à posteriori eam esse indiuisibilem; ergo

è contrà

è contrà ex eo, quòd omnes operationes aliarum animarum sunt extensæ, & diuisibiles, colligemus prædictas animas extensas, & diuisibiles etiam esse.

Confirmatur secundò, quoniam prædictæ animæ fiunt per actionem extensam, & diuisibilem, vt ex se constat; ergo sunt extensæ, & diuisibiles. Consequentia patet. Tùm quia inter actionem, & terminum debet esse debita proportio, & commensuratio; & ita toti actioni extensæ, & diuisibili debet correspondere aliquis terminus totalis, & diuisibilis; & parti actionis, pars etiam termini diuisibilis: Tùm etiam, nam si actio esset diuisibilis, & extensa, è contrà verò terminus indiuisibilis, & inextensus; tunc talis terminus subitò, & indiuisibiliter produceretur, & ita non restaret aliquid, quod per posteriores partes eiusdem actionis efficeretur.

6. Tertiò, quia aliàs eadem forma posset esse causa principalis saltem, vt *quo* producendi, & educendi se ipsam de potentia materiæ; hoc autem communiter reiicitur ab omnibus Philosophis; ergo, &c. Sequela probatur, nam dum leo verbi gratia nutritur, acquirit nouam partem materiæ; & per consequens anima illius nouiter de potentia prædictæ materiæ educitur: alioqui prædicta anima informaret aliquam materiã, de cuius potentia non educeretur, quod quidem pugnat cum forma materiali, & soli formæ spirituali conceditur: at talis eductio, vtpotè ab interno principio, & facta per nutritionem est ab anima eiusdem leonis; ergo si hæc non est extensa, & diuisibilis, saltem per quantitatem; fiet indè, vt eadem simplex forma secundùm se totam educat se ipsam ex potentia illius partis materiæ, denuoque se per modum principij principalis producat.

Confirmatur: repugnat eandem formam materialem secundùm se totam pendere, & educi ex omnibus, & singulis materiæ partibus: sed necessariò secundùm vnam partem debet pendere, & educi ab vna parte materiæ, & secundùm aliam ab alia: sed si formæ materiales non essent extensæ & diuisibiles, saltem beneficio quantitatis, penderent secundùm se totas ab omnibus, & singulis partibus materiæ; non verò secundùm vnam sui partem ab vna parte materiæ, & secundùm aliam ab alia; ergo quæuis forma materialis debet esse extensa, & diuisibilis per quantitatem. Consequentia cum maiori, non videntur indigere probatione. Maior autem etiam constat; nam aliàs abscissa quauis parte ab aliquo viuente periret omninò forma illius, cuius oppositum experientia testatur.

Eligitur vera sententia Arist. & D. Thom.

§. II.

7. Dicendum tamen est; animam rationalem, & animas animalium perfectorum esse indiuisibiles; secùs verò cæteras alias animas. Assertio hæc est Arist. Tùm in lib. de senect. & iuuentute cap. 1. & vbi postquam de animabus imperfectis dixit, esse quasi animalia multa inter se cohærentia: loquens deindè, de animalibus perfectis subdit: *At quæ optima fabricatione constant haud quaquam viuere dissecta queunt, quod eorum natura quam maximè potest vna habeatur.* Vbi vt vides, prædictis formis tribuit, quàm maximam vnitatem, non essent autem quàm maximè vnæ, si possent ad diuisionem quantitatis diuidi, præcipuè cum hoc, quod est habere tantam vnitatem, vt nunquam possint per diuisionem fieri plures, non pugnet cum eorum natura, vt ex dicendis constabit.

Tum etiam in hoc 2. lib. cap. 2. text. 20. vbi solis animabus plantarum, & animalium imperfectorum tribuit prædictam diuisibilitatem his verbis: *Nam, vt plantæ nonnullæ diuisæ seiunctæ videntur viuere; propterea quòd anima, quæ est in istis actu quidem in vnaquaque planta est vna, potentia verò plures; sic, & circa alias videmus animæ differentias fieri cum inciduntur animantium; ea quæ insecta vocamus, vtraque namque partium, & sensum habet, & motu locali scietur.*

8. Quæ verba sic explicat D. Thom. ibidem lect. 4. *In plantis quædam partes diuisæ ab eis, & separatæ ab aliis partibus videntur viuere, & hoc manifestatur per hoc quòd ramusculi abscissi inseruntur, vel plantantur, & coalescunt, quod non esset nisi remaneret in eis vita, & per consequens anima, quæ est principium viuendi, quod contingit tanquam in vnaquaque planta, anima sit vna in actu, & multiplex in potentia*, vt infra. *Quia anima plantæ imperfecta est in ordine animarum, non requirit magnam diuersitatem in partibus. Vnde anima totius potest saluari in aliqua partium, & sic etiam videmus in aliis differentiis animæ, sicut in entomis decisis, id est in animalibus, quæ decisa viuunt, quia vtraque partium habet sensum, quòd patet ex hoc, quod retrahit se, si pungitur, & etiam habet motum secundum locum, vt ad sensum apparet.*

Quòd etiam docet idem S. Doctor quæst. de Anima artic. 10. vbi postquam triplicem totalitatem (quæ potest conuenire formis) & inter eas totalitatem quantitatiuam distinxit, sic ait: *Planum est etiam, quòd non diuiditur diuisione continui, præcipuè anima animalium perfectorum; quæ decisa non viuunt, secus enim esset fortè de animabus animalium annulosorum: relinquitur igitur quòd in anima hominis, & cuiuslibet animalis perfecti, non potest accipi totalitas, nisi secundùm perfectionem speciei, & secundùm potentiam seu virtutem.* Et hoc etiam tenet idem S. Doctor 1. part. quæst. 76. artic. 8. vbi Caiet. Bañes, & Ripa, & 2. contra Gentes cap. 72. & ibidem Ferrar. Albertus Magnus lib. de Anima cap. vlt. & lib. 2. cap. 7. D. Bonauentura in 1. sentent. distinct. 18. Herueus distinct. 8. quæst. 4. Astudillo 1. de Generat. quæst. 15. Iabellus quæst. 4. Suarez tom. 2. summæ Theologiæ tract. 3. de Anima lib. 1. cap. 13. & denique omnes Thomistæ, vt testatur Bañez loco citato.

9. Cæterùm, vt assertio hæc, & eius probatio, meliùs capiatur, notandum est ex Bañes, quòd licèt ex animalibus aliqua dicantur perfecta, ex eo quod in eis reperiuntur omnes, aut ferè omnes vires, tam exteriores, quàm interiores, vt sunt illa, quæ habent motum localem; alia verò imperfecta, quæ solùm habent sensum tactus, gustus, & aliquam imperfectam phantasiam, carentque memoria, & motu locali progressiuo, vt sunt ostrea, & conchilia, nihilominùs non loquimur de perfectione, & imperfectione animalium in hoc sensu, sic enim plura sunt animalia perfecta, quæ decisa viuunt, & quorum animæ sunt diuisibiles, vt apes, & colubri: sed animalia imperfecta vocamus illa, quorum partes decisæ viuunt, vt sunt lacertæ, & formicæ, &c. siue habent motum localem, siue non: perfecta verò, quorum partes separatæ simul viuere nequeunt, vt equi, & leones.

His ergo suppositis, probatur assertio ratione desumpta ex D. Thoma locis citatis. Nam animæ animalium perfectorum, v. g. equi, non conseruantur post diuisionem in partibus, benè tamen cæteræ animæ: ergo hæ erunt diuisibiles, & illæ omninò indiuisibiles censendæ sunt, maximè verò forma hominis, quæ quippè spiritualis, debet se prorsus indiuisibiliter materiæ communicare.

Antecedens patet, quia nunquam in vtraque parte

te diuisa equi, adhuc animam ipsius perseuerare vidimus, sed statim saltem secundùm vnam partem moti, è contrà verò lacertam partitam eodem modo viuere, & secundùm ambas partes se mouere experimur: & ita si in quauis ex illis partibus pungatur, se retraxit, quod quidem satis indicat sentire ibidem dolorem; alioquin minimè se retraheret. Consequentia verò probatur, quia quod est diuisibile, potest in vtraque parte manere facta diuisione.

10. Respondetur aduersarij, non ideò animas animalium perfectorum non posse in quauis parte conseruari, quia indiuisibiles sint, quia quo forma est perfectior, eo maiori accidentium, & organorum indiget comitatu, organa verò cum certis ædibus distributa sint, statim pereunt diuisione facta, explicantque hoc, exemplo minimi naturalis aquæ, cuius forma est extensa & diuisibilis, quamuis factas diuisione statim pereat ex defectu debitæ quantitatis.

Sed contrà; nam forma extensa non est necesse, vt pereat per solam diuisionem sui totius, sed potest manere in vtraque parte diuisa: ergo si animæ animalium perfectorum non possunt manere sub vtraque parte, seu extremo diuisionis, non erunt extensæ, & diuisibiles. Consequentia patet; antecedens verò probatur, quoniam natura, non ad aliud videtur instituisse formas diuisibiles, nisi ad hoc, vt ad diuisionem quantitatis diuiderentur; & sic sub partibus illis quantitatis diuisis, ipsæ etiam per accidens diuisæ possent sub illis per aliquod saltem tempus manere, vt constat in omnibus formis, quæ à cunctis, diuisibiles & extensæ censentur, qualis est forma ignis, & aliæ similes.

11. Confirmatur; nam formis diuisibilibus debuit natura tribuere talem conditionem, ipsæque tales ad sui conseruationem debent petere dispositiones, vt in partibus scissis paruo aliquo tempore inueniri possint; ergo signum est, quòd formæ illæ, quarum requisitæ dispositiones in partibus diuisis nulla ratione inueniri possunt, non sunt partibiles: Antecedens probatur, quoniam natura nihil facit per se, aut per accidens diuisibile: nisi illud quod potest saltem modo dicto conseruari in partibus diuisis, licèt per accidens aliud contigat; aliàs illa non esset diuisio, sed corruptio; ergo formis diuisibilibus debuit natura tribuere talem conditionem, & dispositiones, vt in partibus diuisis saltem per aliquod paruum tempus possint conseruari.

12. Ex quo etiam fit, instantiam illam de minimo naturali aquæ nihil obesse, tum quia minimo illo diuiso potest forma aquæ extensa, & diuisibilis per aliquod breue tempus, & via corruptionis in vtraque parte perseuerare, cum tamen formæ animalium perfectorum nequeant, nec per aliquod instans in ambabus partibus diuisis conseruari: Tum etiam, quia adhuc gratis admisso non posse formam aquæ post diuisionem illius minimi in partibus diuisis manere; hoc tamen esset per accidens, ex eo quod forma illa esset sub quantitate minima; non autem per se, & ita dum non est sub prædicta quantitate, potest in partibus diuisis perseuerare: at formis animalium perfectorum per se conuenit non posse permanere in vtraque parte diuisa, ita vt oppositum, nec per accidens possit eis competere.

Quomodo autem formæ animalium imperfectorum, quæ secundùm suam entitatem substantialem intra id genus substantiæ, seu à se indiuisibiles, id est carentes partibus substantialiter diuersis, ac proindè erat secundùm suam entitatem substantialem, aliquid simplex in infimo simplicitatis gradu, possint ratione quantitatis diuidi, & fieri duæ, vt sic dicamus, formæ integræ, iam supra in lib. de Generat. disp. 5. q. 5. id explicuimus, videantur ibidem dicta, nam eis ignoratis non poterunt, quæ in hac quæstione diximus, exactè intelligi.

Fit obuiam argumentis primæ sententiæ.

§. III.

13. AD primum respondetur, nullam ex instantiis ibidem adductis conuincere intentum nam in primis ad id, quod de saltibus capitis D. Pauli, & inuocatione nominis IESV ab eodem facta adducitur, satis constat; nam saltus illi quippe longè maiores, quàm hi, qui naturaliter fieri possunt facti fuerunt, diuina virtute, & similiter loquutio illa non est necesse quòd fuerit vitalis, licèt specimen vitalitatis habuerit ad eum sanè proportionalem modum, quo loquutio, quæ fit ab Angelis in corporibus aëreis, & ab eisdem assumptis, non est vitalis, licet talis videatur.

Ad illud de motibus capitum, eorum hominum, qui iugulati intereunt, dicendum est; paruum illum motum non esse vitalem, sed prouenire ab extrinseco agente, ab agitatione nimirum spirituum vitalium & aliorum ibidem concurrentium, quod est breuitate, & modo talis motus satis apertè colligitur; etenim homo (quod idem de quolibet alio animali perfecto dicimus) tempore abscissionis capitis valdè angitur, & summa, qua potest vi spiritus vitalis ad succurrendum læsioni illi immittit, qui spiritus sanguinem nutrimentalem puriorem magna quoque vi impellunt, & conquatiunt, talisque sanguis sic motus & in capite abscisso perseuerans non enim forma viua totius compositi informatur vt in seq. disp. num. 9. dicemus caput ipsum in virtute impulsus ab spiritibus vitalibus, & motione cordis eiusdem hominis impressi mouetur Vnde, quò robustiores sunt homines, qui sic moriuntur, eo caput abscissum maiori impetu mouetur propter maiorem vim impressam prædicto sanguini ab spiritibus vitalibus, & motione prædicta; atque adeò propter maiorem spirituum vitalium, & eiusdem sanguinis instrumentalis agitationem. Vnde, ex prædicto motu capitis nulla ratione colligitur, aut motum illum esse vitalem quippè qui non procedit à principio intrinseco, vt à ca[...]a principali, aut caput illud anima informari.

14. Ad vltimam autem instantiam de animalibus imperfectis, & plantis constat ex dictis non esse contra nos. Ad confirmationem duplicem solutionem adhibet Bañes 1. de Generat. cap. 4. quæst. 8. art. 4. in solutione ad nonum, & vtramque desumpsit ex Caiet. in hoc 2. l. c. 1. circa tertiam conclus. quæst. 2. Prima est, quòd illa caro abscissa iterum toti vnita, nunquam recuperat vitam, quam priùs habuit, sed videtur viuere eadem vita, quoniam facilè conglutinatur alteri parti, & habet dispositiones maximè conformes illi, & licet hæc solutio displiceat aliis, & contra eam obiiciant, quòd illa pars reunita verè sentit, & cùm ingenti cruciatu separatur ab altera, ac proindè habet eandem vitam, & continuitatem, quam anteà, nihilominùs hoc contra prædictam solutionem, quæ satis probabilis est, non vrget, nam quod illa pars aliquando videatur sentire, hoc non prouenit ex eo quod ipsa sentiat, sed quia altera pars viua cui illa denuo est coniuncta, læditur propter vtriusque coniunctionem, & maximam contiguitatem; sicut cum capilli euelluntur, causatur dolor propter carnem cui inhærent; non verò ex eo quod ipsi sentiant.

15. Secunda solutio est; quòd illa pars iterùm reunita viuit eadem vita, quam antea habuit, & ad probationem

bationem in contrarium respondetur, nullum esse inconueniens, quòd à priuatione ad habitum fiat regressio in aliqua parte alicuius totius licèt hoc in ipso toto repugnet. Vnde, si moriatur homo, vel planta, impossibile est quòd naturaliter iterùm acquirat eandem vitam; at verò in parte hominis, vel plantæ, nec id est impossibile nec inconueniens.

Potestque hoc explicari exemplo, & ratione: exemplo quidem, nam siquis partem sui abscissam comederit; tunc illa materia partialis, quæ semel diuisa non informatur forma hominis, potest post digestionem, & conuersionem eius in substantiam aliti eadem formari forma, quæ antea informabatur.

Ratione verò, nam vt dicitur postprædicamentis ex hoc prouenit quòd à priuatione ad habitum non fiat regressus, quia non relinquitur virtus ad producendum talem habitum; ex eo quod ille habet à natura determinatum modum suæ generationis: at verò respectu aliquarum partium abscissarum remanet virtus in toto animali ad eas reunendas, quia propter sui imperfectionem non habent vnum modum tantùm suæ generationis. Vnde, aliæ partes perfectiores, vt cor, caput, &c. plura ob sui perfectiorem requirunt ad sui generationem, & sic tantùm habent vnum connaturalem modum suæ productionis, propter quod in eis non potest fieri talis regressus.

16 Ex quo etiam ad id quod ibidem additur, scilicet à forma cadaueris non posse immediatè transiri ad formam viuam, satis constat: nam id est verum, quando totum aliquod viuens moritur & in cadauer transit, non tamen quando prædicta forma actu perseuerat in composito viuo, & pars materiæ ab illo abscissa eidem (modo tamen alibi dicto) vnitur; maximè quando illa coniunctio fit statim post abscissionem, quando perseuerant in illa dispositiones debitæ similes illis, quas anteà prædicta materia dum erat præexistenti vnita, habebat.

Ad secundum concedendum est antecedens, & neganda consequentia: & ad probationem dicendum est, quòd vt anima recipiatur proportionatè ad materiam extensam, modo alibi dicto, per quantitatem, satis est quòd sit radicaliter extensa, vt *quo*, sicut in anima rationali constat, quæ licèt sit spiritualis, ac proindè inextensibilis, nihilominùs, quia est radicaliter extensa vt *quo*, iuxta ea, quæ 1. de Gener. disp. 3. n. 67. & 68. diximus, ideò potest proportionatè ad materiam recipi.

17. Ad confirmationem constat ex dictis loco citato ex 1. de Generat. Ad tertium neganda est sequela quoad omnes eius partes; & ad duo priora inconuenientia dicendum est, quòd licèt repugnet eandem formam indiuisibilem secundùm se totam, ratione sui ac per se moueri motibus contrariis, aut moueri simul, & quiescere; non tamen quòd secundum se totam, sed per accidens ratione, scilicet diuersarum partium corporis, & organorum, in quibus motus ille, & quies recipiuntur, nec non, & propter diuersa loca, quæ per accidens etiam ratione harum diuersarum partium occupat, possit motibus contrariis moueri, aut simul quiescere, vt constat in corpore Christi Domini sub speciebus consecratis existente, qui propter eandem proportionalem rationem potest per accidens simul moueri in vna hostia, & in alia quiescere, vel in vna sursum ferri, & in alia descendere.

Ad tertium denique inconueniens in eadem sequela illarum dicendum est, non sequi animam illam confugere ad alias partes eiusdem viuentis, sed solum quòd desinat informare partem abscissam, quam antea informabat, sicut ex eo, quod species sacramentales desinant, non sequitur corpus Christi Domini sub illis antea existens confugere ad alias species sub quibus est, aut ad cœlum in quo residet, sed solùm quòd desinet esse sub prædictis speciebus; & similiter si digitus eiusdem Christi Domini separaretur à Verbo, non indè fieret Verbum confugere ad alias partes illius humanitatis, sed solum quòd cessaret vnio inter digitum illum, & personam verbi.

Satisfit fundamentis secundæ sententiæ.

§. IV.

18. Ad primum verò pro secunda sententia respondetur quòd licet formæ brutorum perfectorum sint materiales, atque adeò dependeant à materia, in esse, fieri, & conseruari, nihilominus non sunt omninò immersæ in illa, sed aliquo modo sunt eleuatæ supra eandem ex eo quod quasi accedunt ad perfectionem supremarum formarum, scilicet rationalium, iuxta illud, supremum infimi attingit infimum supremi, & ita habent modum essendi, modumque operandi aliquo modo similem animæ rationali, atque adeò aliquo modo eleuatum supra materiam, vt alibi Deo dante dicemus. Vnde, non est necesse, quòd ad extensionem materiæ reddantur extensæ, & diuisibiles, quia hic modus extensionis, & diuisibilitatis solùm potest conuenire formis, quæ sunt magis immersæ in eadem materia, non verò his quæ magnam affinitatem cum anima rationali habent, quales sunt animæ animalium perfectorum.

Vnde, ad formam argumenti concesso antecedenti neganda est consequentia, & ad primam probationem respondetur, quòd licet ex spiritualitate colligatur indiuisibilitas, non tamen tanquam à ratione adæquata, quia etiam potest prouenire à materiali eleuata modo sibi debito iam explicato, suprà materiam. Vnde, ex spiritualitate formæ substantialis solùm colligitur adæquatè indiuisibilitas à materia independens. Ad secundam verò patet ex dictis quomodo sapere conditiones materiæ quo ad hoc, quod est esse quid extensum, & diuisibile ratione quantitatis, non est proprium cuiusuis formæ materialis, sed illarum, quæ non accedunt valdè ad perfectionem supremarum formarum, scilicet rationalium: at animæ animalium perfectorum ad haec accedunt, & ita non sunt extensibiles per quantitatem.

19. Ad tertiam tandem probationem dicendum est, accidens spirituale de se permanens non posse recipi in subiecto corporeo, benè tamen accidens de se fluens, & modum accidentis intentionalis habens, vt 2. Physic. disp. 12. num. 22. diximus: tunc tamen prædictum accidens non erit spirituale ex eo præcisè, quod sit indiuisibile, sed ob rationes loco citato adductas.

Ad secundum transeat antecedens, sed neganda est consequentia, & ad probationem dicendum est, quòd ad hoc, vt verificetur modum operandi esse iuxta modum essendi in animabus animalium perfectorum, ac proinde, vt operatio eorum sit extensa, satis est prædictas animas esse virtualiter extensas, licet non formaliter, sicut ad hoc vt sol calefaciat sufficit habere talem modum essendi, vt in eo virtualiter contineatur idem calor.

20. Ad primam confirmationem concedendum est antecedens, & neganda consequentia, & ratio disparitatis est, nam cùm indiuisibilitas operationis pertineat ad perfectionem ipsius, & eleuationem à materia, impossibile est quod à principio diuisibili, & extenso, atque adeò imperfectiori magisque in materia

materia immerso otiatur; aliàs excederet talis operatio perfectionem, & eleuationem sui principij principalis, & radicalis, quod implicat: at verò cum diuisibilitas, & extensio operationum, imperfectionem, & materialitatem ipsarum importet; benè potest fieri, quod à principio formaliter indiuisibili, & inextensè, & eminenter, ac virtualiter diuisibili, & per consequens perfectiori, prædictæ operationes procedant. Vndè, etsi ex operationibus indiuisibilibus, & spiritualibus animæ, indiuisibilitas, ac spiritualitas eiusdem colligatur, non tamen ex operationibus materialibus, & diuisibilibus materialitas, & diuisibilitas eiusdem colligi debet.

Ad secundam confirmationem respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam; & ad vtramque probationem dicendum est nullam ex illis quoad præsens aliquid conuincere, nam productio animarum animalium perfectorum non terminatur per se primò ad illas, sed ad terminum primarium executionis, scil. ad accidentia per quæ antecedenter ad instans generationis suo modo vltimatè disponitur materia. Vndè, ipsæ animæ tantùm fiunt per naturalem sequelam, vt 2. Phys. disp. 10. num. 69. diximus: constat autem satis esse ad proportionem requisitam inter actionem & terminum, & ad hoc vt actio extensa, & diuisibilis habeat semper aliquid extensum, & diuisibile à se producendum, quòd terminus primarius illius, seu prædicta accidentia sint extensa, & diuisibilia, quamuis terminus secundarius, nimirum (prædicta forma) sit indiuisibilis, & inextensus.

21. Ad tertium neganda est sequela, & ad probationem concessa maiori, quoad priorem partem, neganda est quoad posteriorem: nam cum animæ animalium perfectorum sint medium quoddam inter animas imperfectas, & magis dependentes à materia, & animas perfectas ab ea nullo modo dependentes, scilicet rationalis, participant de vtroque extremo, & ita cum illis prioribus conueniunt in hoc, quod absolutè, & simpliciter pendent à materia, & educuntur ab illa, ab his verò posterioribus participant quod possint informare aliquam partem materiæ; & si ab illa non educatur, sed solùm ex aliis partibus cum quibus in prima sui generatione vnitæ sunt.

Per quod ad probationem secundæ partis eiusdem antecedentis satis constat. Ex quo ad confirmationem neganda est maior intellecta de partibus materiæ, cum quibus forma materialis, & perfecta in prima sui productione comproducta est, nam sicut anima rationalis tota vnitur toti materiæ, & tota singulis partibus illius, absque eo quod extendatur à quantitate, ita forma materialis, & perfecta attingens quodammodò perfectionem animæ rationalis tota vnitur toti materiæ, & tota cuilibet parti absque eadem extensione quamuis diuerso modo, ac anima rationalis, quia hæc vnitur, sed non educitur secundum suam entitatem de potentia materiæ; illa verò vnitur, & educitur modo dicto.

22. Et ad probationem in contrarium negandum est; hinc fieri, quod abscissa quauis parte materiæ v. g. manu, ab animali perfecto pereat ipsa forma, quandoquidem propter eleuationem licèt non omnimodam, quam dicebamus habere supra materiam participat, quod licèt in fieri pendeat & educatur ab illis partibus materiæ, quas primo in prima sui productione informauit, tamen in facto esse, & conseruari non pendet ab hac determinata parte materiæ v. g. manu, sed ab illis partibus, quæ necessariæ sunt ad veritatem naturæ, animalis perfecti, & sine quibus naturaliter dari nequeat: ita tamen, vt tota ab omnibus illis, & tota à singulis partibus sit dependens.

Quomodò autem eadem forma queat pendere, aut informare secundùm se totam, totam materiam, & quamuis partem absque eo quod extendatur per quantitatem, explicari potest duobus exemplis; quorum primo vsus fuit D. Augustinus 6. de Trinitate cap. 5. Dei, scilicet nostri, qui est indiuisibiliter præsens toti huic vniuerso diuisibili, & singulis partibus ipsius, taliter vt totus in toto vniuerso, totusque in quauis illius parte sit; secundo verò vtitur D. Thom. in qu. de Anima art. 10. ad 18. Angeli videlicet operantis in aliquo spatio diuisibili, qui indiuisibiliter est illi præsens, taliter vt totus Angelus in toto illo, & totus in quauis illius parte sit, non enim substantia eius spiritualis, ac proindè indiuisibilis potest formaliter extendi commensuratè ad totum spatium, sed modo dicto debet illi correspondere.

23. Illud tamen in calce huius confirmationis, & quæstionis pro maiori vtriusque luce, notandum est nimirùm; Quòd cum dicimus animam perfectam totam vniri, aut informare totam materiam, & totam partem illius, non sit sensus formalis: ita vt sensus sit, prædictam animam informare partes materiæ, vt partes sunt, aut totam materiam, vt habet totalitatem ex his partibus integralibus coalescentem, quia cùm materia, vt pars entitatiua, siue integralis, sit effectus formalis partis quantitatis & eadem, vt est tota totalitate entitatiua, siue integrali, sit etiam effectus totius quantitatis, non potest anima subiectari in illa, secundùm istam rationem, nec de eius potentia sic considerata educi, quandoquidem nulla forma substantialis potest de potentia quantitatis educi, aut in ea recipi, licèt quantitas recepta in toto composito disponat modo alibi dicto pro receptione formæ substantialis.

Quare sensus prædictæ propositionis tantum est, quòd tota anima perfecta secundùm eandem prorsus entitatem substantialem informat materiam, quæ aliàs est tota totalitate entitatiua, & integrali ratione totiùs quantitatis, & similiter informat secundùm eandem entitatem simplicem materiam, quæ aliàs ratione partium quantitatis dicetur pars, & habere multitudinem partium. Vndè, licèt informet substantiam, quæ est in tota materia, & in partibus eius, non tamen eandem, vt est modo dicto tota, aut pars.

Diximus secundùm suam eandem prorsus entitatem, vt innueremus id quod in lib. de Generat. disp. 5. quæst. 4. latius explicuimus nimirum quòd licet aliæ formæ, imò & quæuis materia prima sit tota sub tota quantitate & tota sub partibus eius, non tamen secundùm eandem prorsus entitatem substantialem, sed secundùm diuersam non quidem actu, aliàs esset in ea distinctio partium intra lineam substantiæ, sed secundùm eandem actu, & diuersam in potentia. Sed de his, & de eorum radice videantur omninò, quæ loco citato in lib. de Generat. diximus.

DISPVTATIO VI.

De Anima quoad suam informationem.

Licet plura possent in hac disp. discuti: primò, an plures animæ possint simul informare eandem materiam: secundò, an sub diuersis partibus ethetogeneis viuentium sint distinctæ animæ: tertiò, an anima vniatur corpori mediante alia forma corporeitatis, aut mixti realiter distincta ab illa: quartò an vniantur corpori mediis aliquibus dispositionibus accidentalibus: quintò an informatio sit modus substantialis ex natura rei & secluso intellectu distinctus ab eadem anima: & an anima rationalis sit spiritualis, vel corporea: cæterùm, quia de primo egimus 1. Phys. disp. 4. num. 61. & de tribus sequentibus satis constat, ex his quæ 1. de Generat. disput. 12. num 44. 68. & 79. diximus: & de vltimo latè 1. Phys. disput. 6. num. 20. & 48. disseruimus; ideò ab his omnibus in hac disp. supersedendum, & de aliis, de quibus ibi sermonem plenè non instituimus, agendum erit.

QVÆSTIO PRIMA.

AN SANGVIS, ET RELIQVI HVMORES INFORMENTVR eadem anima, qua totum compositum, in quo reperiuntur?

PRo tituli intelligentia notandum est: in homine v.g. quatuor reperiri humores, nimirum sanguinem, pituitam, plegmam, flauam bilem, seu colerам, & melancholiam, seu atram bilem quibus in aliis viuentibus carentibus his humoribus, vel toto, vel ex parte, vt in pisce, vel planta, alij veluti humores correspondent: nam loco v.g. sanguinis habent medullam, vel aliam substantiam liquidam ad veritatem, & integritatem naturæ pertinentem, &c. Discutiemus autem quæstionem hanc maioris claritatis gratia, præcipuè quoad sanguinem, quia inter humores est nobilior: attamen quod de sanguine dictum fuerit, id ipsum de aliis humoribus proportione seruata intelligendum est.

Sententia negans.

§. I.

2. PArtem negantem tuentur D. Bonauent. in 4. dist. 44. q. 2. art. 1. ad secundum. Ricardus art. 1. q. 2. Durandus q. 2. ad secundum. Paludan. q. 1. art. 2. n. 28. Capreolus q. 2. art. 3. ad quartum Scoti contra primam conclusionem. Et Scotus ipse in 4. dist. 10. q. 1. art. 1. Soto art. 3. Abulens. paradox. 4. q. 40. Galenus l. 4. de vsu partium. Suarez tom. in tertiam part. disp. 16. sect. 6. Vazquez ibid. disp. ... Rubio in hoc. 2. l. cap. 3. tract. de modo, quo anima informat corpus. q. 8. n. 14.

Probatur primò, nam sanguis est alimentum animalis, ergo nequit ab anima illius informari. Antecedens est Arist. l. 8. de partibus animalium cap. 5. illudque communiter docent Medici, qui addunt alios humores, vt pituitam deficiente sanguine, etsi non ita facilè, & bene, nihilominus absolutè posse esse animalis alimentum. Consequentia verò probatur. Tum ex Arist. qui 1. l. de Generat. text. 2. & 38. & 3. de Anima text. 45. inquit alimentum ab anima non informari: Tum etiam quia conuersio, & transmutatio substantialis alimenti in substantiam aliti non est à viuente, & animato in viuens eiusdem rationis: Alioquin antequam in substantiam aliti transmutaretur haberet naturam ipsius aliti: ergò si sanguis est alimentum animalis, nec viuet, nec anima illius informabitur.

3. Secundò, sanguis est discontinuus à reliquis partibus corporis viui, ergò non poterit anima illius informari: consequentia satis constat: Tum ex se, tum ex his, quæ in 1. Phys. disp. 4. num. 65. & deinceps diximus. Antecedens autem videtur esse Arist. l. 2. de partibus animalium c. 3. in fine vbi inquit: *Non enim sanguis continuus carni, neque cognatus est, sed in corde, ac venis, quasi in vase continetur*, & ratio illud suadet quoniam sanguis est mollis, & fluxibilis, reliquæ verò partes sunt duræ, & nullo modo fluxibiles; ergo repugnat eas cum sanguine continuari, sicut propter eandem rationem repugnaret decurrentem aquam cum terra influxibili esse continuam.

Tertiò, nam sanguis à vena in vas continuo fluxu erumpens, est totus eiusdem speciei, habetque eandem formam, sed extra venam non informatur anima, ergo neque intra. Maior patet, nam totus ille sanguis continuatur ducto illo continuo sanguinis à vena ad vas, ac proindè totius erit eiusdem speciei, eademque forma gaudebit. Minor autem etiam constat, alioqui anima simul informaret corpus animalis, & aliquid quod est extra prædictum corpus, atque adeò simul esset intra, & extra corpus, quod quidem repugnantiam inuoluit.

4. Quartò potest, hæc eadem sententia argumento theologico suaderi, quia alias sanguis Christi Domini esset ex vi verborum consecrationis panis, & directè sub speciebus eiusdem panis: hoc autem videtur absurdum, ergo illud &c. Sequela patet, quoniam ex vi verborum illorum, & directè ponitur sub prædictis speciebus totum corpus Christi Domini, atque adeò ex vi eorundem omnes eius partes integrales ad ipsius perfectam, & absolutam integritatem pertinentes ibidem erunt; at si sanguis informaretur eadem anima, esset vtique vera pars integralis prædicti corporis, vt ex se constat, & ex infra dicendis amplius patebit; ergo erit ibidem ex vi verborum & directè non minùs, quàm aliàs partes illius. Absurditas autem consequentis satis liquet, ex Concil. Trid. sess. 13. c. 3. Vbi diffinitur corpus sub specie panis, & sanguinem sub specie vini ex vi verborum existere, ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis solùm poni per concomitantiam.

5 Confirmatur

5 Confirmatur duplici testimonio D. Thom. 3. p. q. 21. art. 5. ad primum asserit, quod ideò Verbum diuinum non assumpsit naturam humanam de carne, aut osse beatæ virginis, ne minueret illius naturam, anferens, id quod actu erat pars humanitatis ipsius, bene tamen de saoguine, quia sanguis non est actu, sed potentia humani corporis pars, ergo sentit sanguinem non informari actu forma viua totius, alias esset actu pars illius, infirmaque maneret ratio S. Doct. Et 1. part. q. vltima art. 1. ad tertium, constituens diserimen inter humidum radicale, & nutrimentale, inquit; quòd radicale est id in quo fundatur virtus speciei: nutrimentale verò, est illud quod nondum peruenit ad participandam naturam speciei, quamuis sit in via, & in potentia ad hoc & huiusmodi esse sanguinem, ergo sentit illud non informari anima totius viuentis; tum quia alioqui perfectè participaret naturam speciei, sicut humidum radicale propter hanc informationem illam participat: Tum etiam, quia vt modo dicebamus, sanguis non esset pars animalis in via, & in potentia, sed in actu.

Animaduersio notatu digna.

§. II.

6. PRo huius quæstionis decisiooe notandum est, duplicem sanguinem esse necessario distinguendum, alium nutrimentalem taotummodò humorem, scilicèt sanguinem, parum decoctum, parumque depuratum, qui veram rationem sanguinis non habet, quamuis in colore, & aliquibus aliis accideotibus sit illi similis, tendatque ad formam sanguinis acquirendam, hunc autem sanguinem, ideò nutrimentalem tantummodo appellamus, quia solùm deseruit ad hoc, vt ex illo aliæ partes corporis nutriantur; alium verò naturalem, & per se ad integritatem humani corporis requisitum, qui ex priori sanguine per maiorem decoctionem, & elaborationem virtutis efformatiuæ sanguinis fit, & ideò longè purior euadit, qui licèt ad aliquo modo alendum totum animal deseruiat, vt iam explicauimus, nihilominùs munus hoc non est adæquatum ipsi, sed vltrà hoc habet, vt ad integritatem animalis pertineat. Vndè, licèt in patria non indigeat homo alimento iuxta illud Apostoli 1. Corint. 15. *Seminatur corpus animale, resurget autem spirituale.* Nihilominùs beatus resurget cum vero sanguine, vt ita saluetur integritas humanæ naturæ, vt docet D. Thom. 3. part. q. 54. art. 2. ad secundum, & tertium. Hanc autem sanguinis diuisionem satis innuit idem Ang. Doct. quodlib. 5. art. 5. & eam amplectuntur eius discipuli, Caiet. 3. p. q. 54. art. 2. Siluester. in rosa aurea q. 33. Bañes 1. de Gener. c. 4. q. 8. art. 5. notabili 2. Aluarez disp. 28. de Incarnat. Nazarius 3. p. q. 5. art. 2. controuersia vnica, & plures alij ex iunioribus Thomistis; debetque prædicta diuisio proportionaliter ad alios humores, vt benè notauit Bañes applicari, quatenùs omnes illi v. g. pituita debet distingui io eam quæ veram rationem pituitæ habet; & in humorem pituitosum parùm decoctum, & veram rationem pituitæ non habentem.

7. Nec deest suum verisimile signum ad hanc sanguinum multiplicitatem adhibendam; nam sicut ad hoc, quòd denuò anima generetur debet priùs materia pluribus formis eam veluti disponeotibus actuari, & hoc prouenit ex eo quod animalis forma ita perfecta est, vt non nisi gradatim ad eam ascendere liceat; ita ad hoc, quod cibus per nutritionem in substantiam alti conuertatur, formaque animalis informetur, necesse est, vt priùs formam chili, deindè formam sanguinis nutrimentalis, qui solùm per analogiam, & similitudinem ad verùm sanguinem sit talis; acquirat, vt ita forma sanguinis veri & naturalis, quæ nihil est aliud, quàm forma totius viuentis, vt n. 10. probabimus; possit actuari, & viuere.

Et meritò formæ non ita perfectæ veluti disponentes materiam ad prædictam nutritionem animalis desiderantur, ac sunt illæ, quæ ad primam generationem illius requiruntur; nam sicut minùs requiritur ad hoc, vt animal nutriatur, quàm ad hoc, vt denuò generetur; quandoquidem generatio terminatur ad totum animal producendum; nutritio verò supponit illud iam productum, & solùm terminatur ad nouam partem substantiæ modo alibi dicto, seu ad substantiam, quæ aliàs est pars beneficio quantitatis: ita minùs desideratur ex parte eorum, quæ præcedunt, & veluti disponunt ad eandem nutritiooem; atque adeò ad hoc, vt alimentum ab anima totius animalis informetur.

8 Nec obstant tria illa, quæ contra hanc sanguinum diuisionem obiicit Suarez. Primum, quod, hoc quod est, vnum esse puriorem altero non essentialem, sed accidentalem, argui distinctionem. Secundùm verò totum sanguinem animalis esse continuum; vt in sanguine è veoa effuso ad sensum patet, & ideò totus erit vnus, & eiusdem speciei. Tertium tandem, quia si sanguis impurior potest esse animalis cibus; quanto meliùs hoc ipsum habebit ille, qui purior est; & consequeoter sanguis nutrimeotalis distioctus à naturali redundabit?

Non itaque hæc obstant; nam sanguis naturalis noo habet vtcumque maiorem puritatem supra nutrimentalem, sed puritatem, vt sic dicamus substantialem causatam ex fortissima quadam decoctione substantialiter transmutante sanguinem nutrimentalem. Vndè, puritas accidentalis indè deriuata habet se per modum propriæ passionis respectu illius, quæ proindè diuersam in prædicto sanguioe arguit essentiam. Per quod etiam ad secundam patet. Vndè prædicti sanguines tantùm erunt inter se contigui, & non vtcumque sed ita, vt sint inter se permixti, seu confusi, & in potis vnius, alter quantùm fieri possit intromittatur.

Ad tertium verò ex infra dicendis, n. 2. constabit quomodò puritas, vt sic dicamus substantialis; & accidentalis conueniens sanguini naturali obstet ad hoc, vt possit esse alimentum aoimalis, ita vt relicta propria forma substantialiter in illud transmutetur.

Assertio prior pro vera Arist. & D. Thomæ sententia.

§. III.

9. HIs verò suppositis dicendum est primò sanguinem notrimeotalem non informari anima illius compositi in quo est; sed alia forma substantiali, ac proindè non esse veram partem animalis. Assertionem hanc satis innuit Aristot. 3. de historia Animalium, cap. 19. vt testatur Bañes vbi supra; & Diu. Thom. loco citato, eamque tuentur Doctores n. 6. adducti; & quidem quoad posteriorem partem maoifestè deducitur ex priori, quandoquidem certum est, per animam alicuius animalis informari quamlibet partem illius. Quoad priorem verò sequitur etiam ex his, quæ ibidem diximus; nam cùm sanguis iste non sit plenè decoctus, nequit quandiu manet crudus informari anima viuentis in quo est, siquidem nullus humor denuò ab animali acquisitus potest informari anima, nisi media

nutritione: nutrio autem non nisi media perfecta concoctione alimenti, introducit formam aliti in illud. Nec necesse erit assertionem hanc amplius suppositis his, quæ num. citato diximus comprobare.

Assertio posterior pro eadem sententia, & primum eius fundamentum.

§. IV.

10. Dicendum est secundò, sanguinem naturalem informari saltem imperfectè, idest secundùm esse vegetabile anima totius viuentis in quo est. Assertio hæc sumitur ex sacra Scriptura, tum Leuitici 17. anima carnis in sanguine est tum etiam Matthei 16. ad Galat. 1. ad Eph. 6. ad Hebræos 2. vbi homo solet appellari caro, & sanguis acceptis partibus pro ipso toto, vt expositores, & præcipuè D. Thom. adnotarunt. Vndè sicut caro est actu pars hominis, & proptereà anima rationali illius informatur: ita etiam hoc idem de sanguine naturali cum proportione dicendum est. Et hoc ipsum potest colligi ea Tridentino loco citato, vbi inquit sanguinem Christi Domini esse sub speciebus panis ex vi illius conuexionis, qua partes corporis inter se copulantur: supponit ergo sanguinem esse partem corporis humani, atque adeò anima illius informari.

Eandem etiam docet Innocentius III. in quadam extrauaganti de celebratatione missarum, vbi dicit, de latere Christi Domini sanguinem, & aquam exiisse, vt esset signum, constare ex quatuor elementis & habere quatuor humores quod est de ratione, & compositione veri corporis humani, quale verbum assumpsit. Et Caius Papa in decretali ad Felicem, qui vt damnaret dicentes, quòd Christus Dominus non assumpsit veras partes naturæ humanæ, inquit: *Si Christus veras partes naturæ humanæ non assumpsit, quo sanguine redempti essemus*; Vbi clarè supponit sanguinem esse partem naturæ humanæ, & consequenter informari anima totius. Quod etiam tuentur August. epist. 146. & lib. de spiritu, & anima cap. 25. & 33. Damascenus lib. 2. de fide cap. 12. & alij ex patribus.

11. Deindè, hoc idem tenent Aristot. 3. de historia Animalium cap. 19. vbi loquens de sanguine inquit: *Palpitat intra venas sanguinis animalium omnium pulsisque simul vndique mouetur, solusque omnium humorum sparsus per totum corpus animalium est, & semper quandiu vita seruatur, sanguis animatur, & feruet.* Et primo de historia Animalium cap. 1. enumerans partes varias eorum asserit: *Partes autem animalium similares, aut molles, & humidæ; aut siccæ & solidæ: molles, vt sanguis.* Et ideò illo libro 3. agens de omnibus partibus animalis differit etiam de sanguine, tanquam de vera parte ipsius, & addit: *Quòd nutritur & augetur,* quæ sunt opera vitæ, idem etiam tuetur D. Thom. 3. part. quæst. 54. artic. 2. his verbis: *Manifestum est autem quòd ad naturam corporis humani pertinent carnes, & ossa, & sanguis, & alia huiusmodi*, & in 4. distinct. 44. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 3. ad 2. *Sicut membra seruientia generationi erunt, post resurrectionem ad integritatem humanæ naturæ, non ad operationem; ita & humores erunt in corpore, non ad restaurationem deperditi, sed integritatem humanæ naturæ.* Quod etiam asserit in solutione ad 3. & 3. part. quæst. 44. art. 2. ad 3. nec non quæst. 76. artic. 1. ad 2. & alibi sæpè, quem communiter sequuntur eius discipuli suprà relati.

Rationem verò fundamentalem huius assertionis tetigit D. Thom. loco citato ex 4. sentent. & aliis locis. Vt autem hæc meliùs intelligatur, notandum est primò ex eodem S. Doct. ibidem, quòd sicut vniuersum hoc quatuor constat elementis, ita homo (quod idem de reliquis animalibus perfectis dicendum est) quatuor constat quasi elementis, scilicèt sanguine, pituita, & vtraque bile, tam atra, quàm flaua, seu melancolia, & cholera. Dicuntur autem humores isti quasi elementa ea eo, quòd hæc in illis virtualiter manent, habentque inter se similitudinem. Nam sanguis est calidus, & humidus sicut aër, cui in corpore humanæ comparatur. Pituita frigida, & humida sicut aqua. Flaua vilis, seu colera calida simul & arida sicut ignis. Atra denique, seu melancolia frigescit cum ariditate, sicut terra.

12. Secundò notandum est ex eodem Angelico Doct. & ea Caiet. 1. part. qu. 119. artic. 1. in solutione ad tertium, & 3. part. quæst. 54. artic. 2. nec non ex Bañes quæst. citata, sanguinem & reliquos humores habere duplicem proportionem ad corpus animalis, alteram quidem partis integrantis, imperfectæ tamen ad totum: alteram verò viæ ad terminum, ex eo quod talibus gaudet dispositionibus, vt sint capaces formæ totius, imperfecto tamen modo, & simul sint materia transiens respectu partium perfectiùs participantium naturam eiusdem totius, quales sunt caro, nerui, &c. non secùs (proportione tamen seruata) ac elementa quæ in mundo sunt partes in potentia, & materia transiens respectu mixtorum, & simul sunt partes in actu, & materia permanens respectu vniuersi.

Hinc ergo ratio D. Thom. sic formatur: nam ita comparantur quatuor humores ad hominem, v. g. sicut quatuor elementa ad vniuersum: et quatuor elementa habent duplicem illam habitudinem partis componentis, imperfectæ tamen, & materiæ transeuntis mixtorum, ex quibus ipsa generatur: ergo etiam humores vtramque habitudinem respectu hominis scilicèt partis imperfectæ, & materiæ, ea qua aliæ partes aluntur, habebunt: ergo saltem imperfectè, & secundùm esse vegetabile informabuntur anima eiusdem hominis.

Maior patet: tùm quia homo est mundus quidam minor (quod etiam suo modo aliis animabus perfectis, & sanguine constantibus competit.) Vnde eo proportionabili modo comparabuntur ad illum prædicti humores, quo elementa ad vniuersum: tum etiam, quia cùm compositio ex quatuor humoribus pertineat (modo iam insinuato) ad compositionem ex quatuor elementis: fit indè, vt prædicti humores, mediis quibus elementa manent in homine, debeant habere eam proportionem respectu illius, quam elementa respectu vniuersi, quod componunt. Minor autem ea se patet, prima verò consequentia ex vtraque præmissa apertè sequitur.

13. Vltima verò ea priori etiam liquet, nam sicut vniuersum hoc tantùm est vnum vnitate ordinis, & ideò elementa hoc ipso quod sint partes illius, imperfectæ tamen, debent habere suas formas substantiales imperfectas, cum habitudine tamen ordinis ad formam totius vniuersi, ratione cuius quodammodò, & proportionatè ad naturam vnitatis prædicti totius, & partium informantur partialiter eadem forma: ita quia totum animal est vnum quid; non solùm vnitate ordinis, sed etiam vnitate strictiori, atque adeò vnitate vnius, & eiusdem formæ physicæ, scilicèt eiusdem animæ: ideò humores, qui sunt partes imperfectæ totius animalis informabuntur eadem anima saltem imperfectè, scilicet secundùm esse vegetabile.

Confirmatur ratione desumpta ex eodem S. Doctore, quia sanguis habet plures, & diuersos motus in animali, ita vt modò versus vnam, modò versus aliam partem

partem media apprehensione & appetitu per se mouetur, & ideò in erubescentibus fugit ad faciem, in timentibus, & irascentibus ad cor: tandem in gaudentibus per totum corpus diffunditur: ergo saltem imperfectè formabitur eadem anima, qua totum viuens. Patet consequentia, nam ex vi apprehensionis, & appetitus solùm mouentur per se loquendo ea, quæ eadem forma substantiali informantur, & hoc non ob aliud, nisi propter naturalem colligationem, quam ex vi vnius, & eiusdem formæ substantialis, qua actuantur inter se habent, sicut ex vi partium nobiliorum huius vniuersi mouentur reliquæ, non ita perfectæ v. g. elementa ob naturalem colligationem, & subordinationem, quam habent in ratione partium respectu vniuersi, propter quod vna, & eadem forma quodammodò, vt iam tetigimus informantur.

14. Confirmatur & explicatur secundò ex eodem Angelico Doctore, nam sanguis est organum, & instrumentum medio quo viuens aliquas operationes vitales exercet, vt ex iam dictis, & infra dicendis constabit: ergo habet in se vitam substantialem ab anima prouenientem. Patet consequentia inductione generali ex omnibus aliis organis desumpta, qualia sunt manus, oculi, pedes, &c. quæ hoc ipso quòd sint organa ad exercendas operationes vitales, viuunt vita substantiali.

Confirmatur tandem, nam sicut elementa sunt partes vniuersi, & ad eius integritatem spectant, ita humores sunt partes animalis, & de veritate, ac integritate illius: sed ob hanc rationem elementa informantur partialiter forma totius vniuersi: ergo etiam humores informabuntur saltem imperfectè forma totius viuentis, scilicèt anima. Maior quoad priorem partem non indiget probatione, quoad posteriorem verò etiam patet, nam propter hanc rationem in generali resurrectione resurgemus cum quatuor humoribus, vt testatur D. Thom. loco citato ex 4. sentent, & ex 3. p. quæst. 54. sicut etiam propter eandem Christus Dominus resurrexit, & est in cœlo cum eisdem humoribus, vt ibidem docet D. Thom. alioqui sub speciebus panis non esset per naturalem concomitantiam sanguis Christi: siquidem tantùm est sub illis ex eo quod prædictus sanguis, vera pars est modò in corpore Christi. Minor autem ex se, & ex dictis patet. Consequentia autem ex supradictis, ex vtraquè præmissa satis constat.

Secundum fundamentum posterioris assertionis.

§. V.

15. Secundò probatur assertio ratione theologica, ex Diuo Thoma desumpta, nam Verbum Diuinum immediatè sanguinem assumpsit: ergo sanguis informatur anima rationali. Antecedens est ita apud omnes Theologos certum, vt merito P. Suarez 1. tomo in 3. part. D. Thom disput. 15. sect. 6. concl. 1. censeat absque errore in fide oppositum sustineri non posse.

Consequentia verò, quam idem Suarez non esse legitimam credit sic probatur, quia verbum diuinum vnicam tantummodò naturam humanam assumpsit alioqui non semel, sed bis incarnatum fuisset, ergo omnis natura à verbo assumpta est humana, & consequenter constat essentialiter illa forma, scilicèt anima, quæ hominem constituit.

Nec refert si cum aliquibus dixeris, quòd est verbum Diuinum duas partiales naturas assumpserit, illam scilicèt quæ præcisè ex anima rationali & ex materia, & alteram, quæ ex forma sanguinis, aliáque eiusdem materiæ portione consurgit, nihilominus vnam totalem humanam ex his duobus coalescentem assumpsit.

16 Nam contrà hoc est quòd ex dictis naturis nequit aliqua natura totalis, & per se vna coalescere: ergò vel dicendum est, verbum duplicem naturam assumpsisse (quod iuxta iam dicta admitti non debet) vel sanguinem minimè immediatè assumptum ab eo fuisse, & hoc quàm sit falsum, iam asseruimus, vel tandem eundem sanguinem anima rationali informari: antecedens probatur, tùm quia anima rationalis est forma omninò perfecta, imò in ratione formæ omnium perfectissima: ergo hoc ipso quòd materiæ vniatur, efficiet vnum per se completum, & ita quidquid huic composito aduenerit, non vnum per se cum illo, sed per accidens tale faciet.

Tùm etiam, quia si sanguis est altera natura specie distincta ab ea, quæ ex anima rationali, & materia præcise consurgit: fiet indè, vt siue intrà venas, siue extrà venas omninò separatus sit, nihilominùs eandem prorsus formam retineat, eo sanè modo quo saliuæ, quæ anima rationali non informatur, sed alterius est naturæ eandem retinet intrà, & extrà corpus formam: at dum extrà venas omninò separata est, non potest non esse compositum quodam, totalem habens naturam, quòd proindè cum alia natura, ita perfecta nequit vnam per se naturam facere: ergò idem de eo, cùm intrà venas continetur dicendum est.

17 Accedit quod hoc ipso, quòd sanguis non informatur anima necesse est illum informari formæ, vt sic dicamus mortua: at duæ formæ, quarum vna viua, & alia mortua est continuari nequeunt, vt in virga, cuius medietas sicca, & mortua, & alia medietas viradis, & viua sit constat: ergò, &c.

Neque etiam satisfacit alia solutio quam adhibet Suarez, scilicèt sanguinem non esse substantiam moraliter diuersam à natura humana, sed vnam eandemque cum illa reputari. Nam contrà hoc est, quòd in physica assumptione naturæ, reali terminatione eiusdem non ea præcisè quæ moraliter, & iuxta hominum existimationem esse creduntur, sed multò magis illa, quæ reuerà in physico rigore à Verbo Diuino terminantur pensanda sunt: ergo si physicè, & in rigore loquendo sanguis est natura realiter, & specie à rationali diuersa, & illa absolutè fuit assumpta à verbo: fiet indè quòd absolutè etiam, & in rigore dicendum sit, Verbum Diuinum duplicem naturam nimirum rationalem, & sanguineam, imò & vtramque totalem terminasse, atque adeò sicuti ob communicationem idiomatum verum in rigore fuit, hominem illum esse Deum, sic idem de sanguine verè, & propriissimè dici poterit, quod sanè à nullo conceditur, quia hæc denominatio solius hominis, non vero animæ rationalis, aut cuiusuis alterius, partis propria est.

18 Nec obstat si contrà rationem hanc ex eodem Suarez obiicias, quemlibet sanguinem corporis Christi Domini, & ab illo in passione effusum verè fuisse immediatè vnitum verbo, at non propterea informatur anima rationali, vt de sanguine nutrimentali diximus: ergo ex vnione hypostatica sanguinis naturalis inefficaciter colligitur huiusmodi sanguinem informari ab anima rationali. Minor cum consequentia satis constant, maior autem probatur: tùm quia scriptura, Concilia, & Patres significantes Christi sanguinem fuisse verbo vnitum indiffinitè loquuntur, indiffinita autem loquutio æquiualet vniuersali: tùm etiam, quia totus

sanguis à Christo effusus, quicumque ille sit, fuit infiniti valoris. Vnde Clemens 6. diffiniuit quamlibet guttam sanguinis effusi habuisse infinitum valorem propter vnionem ad verbum: tùm denique, quia teste D.Thom.3. part.quæst.54. artic. 2. & quodl. 5. artic. 5. Christus Dominus in resurrectione totum sanguinem à se effusum reassumpsit: ergò totus ille fuerat anteà Verbo Diuino hypostaticè vnitus. Nihil enim in resurrectione reassumpsit, quod anteà non assumpsisset: ergò cùm effuderit etiam sanguinem nutrimentalem, fiet indè, vt hic etiam fuerit verbo vnitus.

19 Non itaque hoc obstat, neganda est enim maior, & ad primam probationem transeat, indiffinitam illam loquutionem æquiualere vniuersali, dummodò intelligatur, vt intelligi debet, de sanguine qui absolutè simpliciter, & sinè addito sit talis; at soli sanguini naturali hoc conuenit, non verò nutrimentali, qui solùm cum addito nutrimentalis, & per analogiam ad naturalem dicitur sanguis: ex quo ad secundam probationem satis constat, Clementem solùm loqui de sanguine simpliciter dicto, scilicèt naturali, qui solus est infiniti valoris propter vnionem ad verbum, atque adeò per modum rei oblatæ, seu per modum pretij, quamuis effusio sanguinis nutrimentalis, fuerit infiniti valoris satisfactorij, & meritorij, non quidem ex parte rei effusæ, sed ex parte offerentis, & effundentis, vt 3. p. quæst. 1. art. 2. docent Theologi.

Per quod ad tertiam probationem patet, quamuis pro maiori eius solutione possit cum Caietan. quæst. 54. iam citata addi, tempore passionis, nihil sanguinis nutrimentalis fuisse in Christo Domino, quia per copiosissimum illum sudorem sanguineum, quem ante illum habuit, totum ferè sanguinem nutrimentalem exsudauit, & si aliquæ illius reliquiæ remanserunt, eas tempore illo intermedio inter sudorem, & passionem concoxit, & in sanguinem naturalem conuertit.

Respondetur argumentis primæ sententiæ.

§. VI.

20. AD primum concesso antecedenti, neganda est consequentia, si consequens intelligatur de sanguine naturali: & ad primam probationem dicendum est Aristotelem in illis locis loqui, vel de alimento crudo, & non plenè decocto, qualis est sanguis nutrimentalis; vel si de alimento plenè decocto, qualis est sanguis naturalis, intelligatur; tantùm vult alimentum istud non informari perfectè ab anima, sed vel solùm secundùm gradum vegetabilem radicaliter sumptum (vt multi probabiliter volunt, de quo alibi) aut si secundùm omnes gradus radicaliter acceptos informatur, non tamen perfectè, id est, vt est actu radix potentiarum sensitiuarum, & cætera.

Ex quo ad secundam probationem satis constat: solùm enim probat, vel sanguinem naturalem, iuxtà probabilem sententiam viuere duntaxat vita vegetatiua radicali, vel saltem non viuere per animam, vt dat omnes gradus vitæ, & simul est actualis radix potentiarum vitalium eis correspondentium, vt infrà num. 45. ex Aristot. & D. Thomæ mente magis explicabitur. Vndè solùm ex eo sequitur, vel quod nutritio illa sit quodammodò substantialis, quatenùs per hoc denotatur nutritionem illam terminari ad eandem animam, quæ anteà erat in alimento, non qualitercumque, sed vt tribuit gradum perfectiorem, vel quod saltem sit mutatio quædam, & nutritio accidentalis, per quam sanguis prædictus transit ad hoc quod est habere animam, prout est radix actualis potentiarum sensitiuarum, quarum antea radix actualis non erat.

21. Nam cum sanguis naturalis habeat: tùm habitudinem partis imperfectæ: tùm etiam vitæ ad terminum, potest vno ex duobus modis prædictis esse alimentum animalis, & transmutari in alias partes simulque conseruare rationem partis imperfectè tamen, atque adeò informari per animam. Cæterùm cùm hoc stat, vt nutritio quæ fit ex sanguine nutrimentali, humorè scilicèt sanguineo iam dicto, sit cum omni rigore nutritio substantialis, per quam materia alimenti transit è propria forma non viua, ad formam aliti viuam, ac proindè realiter distinctam à præcedenti.

Nec refert si contrà hæc obiicias, elementa cum quibus quatuor humores habent similitudinem, reuera transire ab vna in aliam formam substantialem quoties deseruiunt, vt materia respectu mixtorum: ergo si quatuor humores debent habere eandem habitudinem ad corpus animalis, quam elementa ad vniuersum, fiet indè, vt non possint actu informari vllo modo per animam, vt ità valeant transire ab vna in aliam formam substantialem. Non itaque hoc refert, quoniam vt ex dictis constat, hæc proportio non debet esse omnimoda, sed proportionalis, & iuxtà naturam extremorum, non posset autem esse iuxtà naturam illorum, si in elementis non essent propriæ formæ specie distinctæ à formis mixtorum, quia vnitas totius vniuersi est vnitas coalescens ex pluribus suppositis aliàs integris, quatenùs sunt vnum vnitate ordinis: at verò vnitas animalis est arctior, & strictior, & ita petit quòd omnes eius partes informentur per eandem animam.

22 Ad secundum negandum est antecedens, intellectum de sanguine naturali, & ad primam probationem ex testimonio Aristotel. desumptam dicendum est, Aristotelem solùm velle sanguinem non continuari immediatè cum omnibus partibus corporis secùs tamen mediatè, nam sanguis habet quasdam partes crassiores, quas Medici fibras vocant, & sanguis cum illis continuatur, postmodùm verò illæ fibræ continuantur venis, & venæ carni, &c. Hæ autem partes in sanguine Taurorum, & Asinorum, qui vt ait Aristot. spissior est, & crassior manifestè cernuntur, quamuis non ita appareant in hominis sanguine, quia omnium purissimus est.

Cæterùm in corpore illius semper saluatur, quod partes subtiliores continuantur, cum magis crassis, & durioribus non immediatè per se ipsas, sed per alias, quæ sint quasi medium inter vtrasque & cum quibus ratione maioris similitudinis sanguis ipse dicitur habere cognationem, non tamen cum carne, non quidem absolutè, sed in collatione ad eam cognationem, quam cum prædictis fibris habet.

23. Nec id quod ibidem additur, scilicèt sanguinem esse in venis tanquam in vase obstat, sicut etiam nihil obest quod medullæ eodem proportionali modò contineantur in ossibus, ad hoc vt cum illis continuentur. Vndè loquutio illa de continentia sanguinis in corde, ac venis tanquam in vase non est rigorosa, sed latior, quia continentia rigorosa alicuius in alio, tanquam in vase petit, vt continens non sit continuatum cum re contenta. Per quod etiam ad secundam probationem satis constat. Adde testimonium hoc Arist. posse exponi de sanguine nutrimentali, & sic intellectum non est contra nos, vt ex dictis constat.

Ad tertium dicendum est, sanguinem naturalem

è vena

è vena in vase effusum posse continuari ductu illo sanguinis, sed quia dispositiones illius facillimè alterantur, hoc ipso quod intra totum animal non sit, ideò eadem facilitate sanguis ille discontinuatur, licèt ad sensum videatur continuus. Vnde non mirum, quòd paruo illo tempore informetur eadem anima, qua totum corpus, quia licèt secundùm aliquid sui, sit aliquo modo extrà animal, sufficit vt secundùm alias partes ratione, quarum continuatur cum partibus eiusdem animalis, sit intrà illud.

24. Ad quartum neganda est sequela, & ad probationem dicendum est, quòd ex vi verborum consecrationis panis, tantùm est sub speciebus corpus Christi, cum omnibus suis partibus solidis, non tamen fluidis, & quæ destinatæ sunt, ad hoc vt etiam sint materia aliarum partium, quia prædicta verba non vtcumque significant corpus, sed per modum cibi, cui aptæ sunt partes solidæ, non verò fluidæ, qualis est sanguis, &c.

Vnde postquàm Concil. Trident. diffiniuit corpus Christi esse ex vi verborum consecrationis panis sub speciebus illius, & sanguinem ex vi verborum consecrationis vini, sub speciebus vini, addidit, sanguinem Christi Domini esse sub speciebus panis ex vi illius connexionis, qua partes corporis inter se copulantur. Vnde sentit: tùm quòd sanguis sit pars corporis: tùm quòd non sit ex vi verborum: tùm etiam, quòd non omnes partes corporis Christi sint ex vi verborum sub speciebus panis, atque adeò ad hoc, vt iuxta communem modum concipiendi, & loquendi verificetur esse ibi absolutè, & simpliciter corpus Christi Domini per modum cibi, non est necessarium esse ibidem partes fluidas qualis est sanguis; quomodo autem & in quo sensu verificetur esse ex vi verborum partes corporis Christi Domini sub speciebus, & plura his similia, quæ prima facie videntur denotare distinctionem partium intrà lineam substantiæ in animalibus, aut in quibusuis aliis compositis substantialibus, debet intelligi iuxta ea quæ 1. de Generat. disp. 5. n. 32. & deinceps latè diximus.

25. Ad confirmationem respondetur D. Thomam in priori illo testimonio solùm velle sanguinem non esse actu partem solidam corporis Beatæ Virginis, esse tamen destinatam à natura ad hoc, vt possit esse materia aliarum partium. Nam vt suprà tetigimus partes illæ, quæ non transmutantur in alias partes vocantur partes in actu, sicut, & quæ modo dicto in alias transmutantur, dicuntur partes in potentia, quamuis etiam aliquando possint secundùm aliam considerationem vocari partes in actu: nam cùm sint medium quoddam inter cibum non conuersum in substantiam aliti, & alias partes actuales modo explicato perfectiores vt caro, participant naturam vtriusque extremi, & ideò collatæ cum cibo nondum conuerso in substantiam aliti nuncupantur partes in actu, comparatæ verò cùm aliis partibus perfectioribus, dicuntur partes in potentia, & ita iuxta communem modum loquendi, non dicitur per diminutionem earum diminui absolutè, & simpliciter corpus, vt patet cum per venæ scissionem aliquid sanguinis naturalis foras erumpit, & ab animali separatur, nam tunc, vt constat, non dicitur absolutè, & simpliciter corpus diminui.

26. Per quod etiam ad secundum testimonium satis liquet, ideo enim sanguis dicitur esse in via, & in potentia ad participandam naturam speciei, quia licèt informetur anima secundùm esse vegetatiuum, vno ex modis suprà expositis, nihilominùs ex eo quod simul habet habitudinem materiæ, & viæ ad alias partes, non dicitur secundùm hanc rationem participare naturam speciei; videantur ea quæ infrà num. 45. 60. & deinceps dicemus, vbi etiam explicabimus in quo sensu sit verum etiam iuxta nostram sententiam sanguinem solùm informari anima secundùm esse vegetabile.

QVÆSTIO II.

Vtrùm dentes, semen, lac fœminarum, vngues, ac capilli eadem anima qua totum animal in quo sunt, informentur.

DE his solis, quæ in titulo recensentur potest esse specialis difficultas, an informentur eadem anima, qua compositum in quo sunt: nam de aliis partibus, vt carne, neruis, & similibus ex se constat, debere per animam totius viuere, & ideò quoad eas cuncti, vel ferè cuncti Philosophi in parte affirmatiua conueniunt: de spiritibus autem vitalibus, ac animalibus, in quibus poterat esse aliquod dubium, patet ex his quæ quæst. præced. diximus, nam spiritus isti sunt sanguis quidam purissimus, quorum primi, scilicet vitales à corde, secundi verò, nimirum animales, à cerebro elaborati, & decocti sunt.

Vnde non minùs, quàm sanguis ipse anima totius compositi, in quo sunt informabuntur, quippè qui solùm accidentaliter, vt alibi Deo dante dicetur, à prædicto sanguine differunt. Quare ad exactam notitiam eorum ad quæ informatio animæ totius viuentis se extendit, solùm quæstio ista desiderabatur.

Diuisio quæstionis quoad dentes, semen, & lac.

§. I.

27. DIcendum est primò, dentes viuere anima totius in quo sunt. ita Aristot. 2. de Generatione animalium cap. 4. Idemque innuit D. Thom. in 4. dist. 44. quæst. art. 2. quæstiuncula 1. ad 3. quos sequuntur Valesius lib. 2. controuersiarum. Bañes 1. de Generatio. cap. 4. quæst. 8. art. 4. conclus. 3. Nazarius 3. part. quæst. 5. art. 2. controuers. vnica in tertiam partem illius, & alij plures ex recentioribus, ac tandem omnes Thomistæ, vt testatur Bañes ibidem.

Rationem fundamentalem huius assertionis tetigit D. Thom. loco citato, nam dentes habent operationem vitæ, quandoquidem eos per intus sumptionem nutriri, & augeri, venulasque siuè neruos, per quos alimentum attrahant, habere conspicimus: ergo informantur anima, ac proindè, eadem qua totum viuens. Prima consequentia patet ex antecedenti, quia nihil corporeum potest exercere opera vitæ, nisi, formetur anima, quæ est radix totius vitæ. Secunda verò consequentia ex hac apertè sequitur, nam cùm per se pertineant ad integritatem animalis in quo sunt, non possunt non, si semel viuunt, informari eadem anima, qua totum viuens, quandoquidem in vno, & eodem viuenti non potest esse, nisi vnica tantùm anima, vt ex dictis in lib. de Generat. disp. 2. n. 44. & sequentibus constat.

28. Dicendum est secundò semen, aut lac fœminarum non informari eadem anima, qua totum compositum in quo sunt. Assertionem hanc docet Arist. 2. de Generatione, animalium cap. 4. ante finem, & D. Thom. de potentia quæst. 3. art. 9. ad nonum, & loco citato ex 4. sentent. in solut. ad secundum Albert. Magnus lib. 7. suæ Philosophiæ Conimbr. 1. de Generat. & communiter Philosophi.

Rationem autem fundamentalem tradidit D. Thom. loco relato ex 4. sent. nam semen, & lac non pertinent

ad integritatem, & esse indiuidui in quo sunt, sed solùm ordinantur ad perfectionem, & conseruationem speciei in alio indiuiduo: ergo non informantur eadem anima, qua viuens in quo reperiuntur. Antecedens ex se constat, nam ex semine, per actum generationis producitur aliud indiuiduum: ex lacte autem per actum nutritionis, nutritur fœtus iam productus. Consequentia autem probatur quia ea solùm, quæ pertinent ad integritatem, & perfectionem indiuidui, in quo sunt informantur eadem numero anima.

29. Nec refert si obiicias, luxuriosos esse vt in plurimum macros, & debilitatos ex emissione seminis, & similiter etiam fœminas nutrices ex elaboratione, & emissione lactis; at si lac, & semen non pertinerent ad integritatem indiuidui, non esset cur istæ, & illi debilitarentur, ex eo quod istæ ex suo lacte pueros alant; illi verò semen emittant: ergo, &c. Confirmatur, nam spadones censentur homines manci, & imperfecti, hoc autem non aliundè, nisi quia eis deest semen: ergo signum est illud pertinere ad integritatem animalis in quo reperitur.

Non igitur hoc refert, quoniam id non prouenit ex eo quod semen, aut lac informentur eadem anima, qua totum animal in quo sunt; ac proinde, nec ex eo quod sint partes illius, sed quia, quo plus seminis emittitur, eò plus alimenti, quod in substantiam aliti conuertendum erat, consumitur per conuersionem in semen factam à virtute efformatiua eiusdem seminis, & residente in viuente à quo decidendum est: quòd idem cum proportione de lacte dicitur, nam licèt per se loquendo semen fiat ex residuo alimenti facta nutritione: attamen per accidens, quando fit nimia emissio seminis, fit etiam ex eo, quod in substantiam aliti conuertendum erat.

Ad confirmationem respondetur, non ideò spadones censeri mancos, & carere integrate membrorum pertinente ad perfectionem indiuidui, quia eis desit semen, sed quia eis præciduntur nerui, qui sunt seminis fabri, & ita pueri non censentur manci, & imperfecti ex eo quod non habeant semen.

Resoluitur quæstio quoad capillos & vngues.

§. II.

30. Dicendum est tertiò capillos, & vngues informari eadem anima, quo totum animal in quo sunt. Ita Arist. 1. de Anima text. 79. & lib. 3. cap. 13. vbi capillos appellat partes animalis. Et lib. de historia Animalium c. 12. in principio, vbi ad tantam duritiem aliquando peruenire vngues docet, vt nihil differant ab ossibus, his verbis: *Quod idem vnguibus etiam euenit, quippè in nonnullis animalium genus vnguium, præ nimia duritudine nihilo ab ossibus differat.* Quare cùm certum sit ossa informari eadem anima, qua animal, in quo sunt, certum id etiam erit de vnguibus, & lib. 3. de historia animalium agens de partibus illorum, agit etiam de pilis, & vnguibus, vt de partibus earundem.

Idem etiam tenet D. Thom. loco citato ex 4. sententiarum in solutione ad 3. quæst. 2. his verbis. *Capilli, & vngues nutriuntur, & augentur, & sic patet, quòd aliquam operationem participant, quod non posset esse, nisi essent partes aliquo modo ab anima perfecta, & quia in homine non est, nisi vna anima, scilicet anima rationalis: constat quòd ab anima rationali perfecta sunt,* Vnde hanc eandem sententiam sequuntur Iabetus lib. 2. de Anima q. 10. Nazarius vbi supra Bañes 1. de Generatione loco citato, assertione 1. & communiter Thomistæ, vt ipse ibidem testatur Rubio in hoc 2. lib. cap. 3. tract. de modo, quo anima informat corpus, n. 128. & alij plures.

31. Vt autem ratio, quam ad hanc assertionem comprobandam tradit D. Thomas meliùs intelligatur, notanda est similitudo illa animæ ad corpus animatum ex vna parte, & artis ad artificiatum ex alia, quam quæstiuncula citata tetigit Doctor. Angelicus, his verbis. *Dicendum quòd anima habet se ad corpus animatum, sicut ars ad artificiatum, & ad partes eius, sicut ars ad sua instrumenta: Vnde & corpus animatum organicum dicitur: ars autem vtitur instrumentis quibusdam ad operis intenti executionem, & hæc instrumenta sunt de prima intentione artis. Vtitur etiam aliis instrumentis ad conseruationem principalium instrumentorum, & hæc sunt de secunda intentione artis, sicut ars militaris vtitur gladio ad bellum, & vagina ad gladij conseruationem: ita etiam in partibus corporis animati, quædam ordinantur ad operationes animæ exequendas, sicut cor, hepar, manus & pes. Quædam autem ad conseruationem aliarum partium, sicut folia sunt ad cooperimentum fructuum; ita etiam capille, & vngues sunt in homine ad custodiam aliarum partium. Vnde sunt de secunda perfectione corporis humani, quamuis non de prima.*

32. Hinc ergo sequens deducitur ratio, nam intra sphæram artis debent contineri: tum ipsum artificiatum: tum instrumenta deseruientia ad operia intenti executionem: tum denique alia instrumenta ad conseruationem principalium instrumentorum requisita, licèt hæc sint de secundaria intentione eiusdem artis: ergo etiam intra sphæram virtutis informatiuæ animæ debet esse: tum totum corpus animatum: tum etiam instrumenta, seu partes per prius deseruientia ad operis intenti executionem: ac tandem alia instrumenta seu partes, quæ ad conseruationem principalium partium, seu organorum desiderantur, quamuis hæc etiam intra latitudinem partium, & organorum sint de secundaria intentione eiusdem animæ, & virtutis informatiuæ illius: ergo non solum extenditur ad informandas præcipuas partes, & organa corporis animati, sed etiam ad informandos capillos, & vngues. Antecedens patet ex notabili, quod ex D. Thom. adduximus: Prima verò consequentia constat; tum ex nuper dictis ex eodem S. Doctore: tum etiam, quia sicut ars esset imperfecta, nisi extenderetur tam ad opus per se primo intentum, quam ad vsum instrumentorum, quæ principaliter deseruiunt ad prædicti operis executionem, nec non & eorum, quæ ad conseruationem prædictorum instrumentorum desiderantur, quamuis non nisi ordine quodam ad hæc extendatur, ita anima esset imperfecta, quoad vim informandi, nisi extenderetur, tam ad totum corpus animatum, & partes, seu organa principaliora illius, quam ad alias partes, seu organa minus principalia, necessaria tamen ad conseruationem principalium organorum, & instrumentorum eiusdem corporis animati. Secunda verò consequentia, etiam constat, quoniam capilli, & vngues instituta sunt à natura ad conseruationem aliarum partium, vt capitis, & manus, vt ex se constat: quomodo autem, & in quo sensu partes corporis animati, vt manus, & vngues, &c. dicantur informari anima, an nimirum in sensu formali, id est quatenùs partes sunt: an verò in materiali, id est illæ, quæ alias partes sunt, & quomodo, constat ex his, quæ in Logica disp. 11. n. 40. & in lib. de Generat. disp. 5. num. 76. diximus.

33. Confirmatur, & explicatur ratione quàm idem S. Doctor in verbis relatis innuit, nam folia in arboribus viuunt, & ab intrinseco nutriuntur, quòd ex organizatione, & ve natiuo diuersitate, qua gaudent, sumi potest, at quod folia in arboribus, id capilli

in animalibus præstant, & sicut illa in perfectionem, & ornatum arborem in suamque protectionem, & conseruationem à natura tribuuntur, & ita capilli ad hoc manus instituti sunt: ergo non minus hi, quàm illa viueot.

Coofirmatur secundò, nam hoc idem indicant fibræ, seu venulæ, quæ in capillis (vt benè notauit Vales. lib.2. controuers. medicarum c.5.) versus inferiorem partem apparent, per quas cum carne continuantur, & alimentum sugunt, & hoc ipsum potest de vnguibus suaderi quia eas nutriri & crescere per intus sumptionem conspicimus.

Obiectiones contra hanc vltimam assertionem, & solutio earum.

§. III.

34. SEd Toletus lib.2. de Anima cap.2. quæst.4. & alij oppositum sentientes, nobis primò obiiciunt, quòd capilli & vngues fiunt ex cibi excrementis, quæ per virtutem expulsiuam in extremitates corporum reiiciuntur; at ea quæ informantur anima, non fiunt ex his, quæ natura negligit, qualia sunt excrementa, sed ex his potiùs, qoæ seligit; ergò, &c. Et confirmari potest ex eo quòd ideò præcisè saliua, & sudor non informaotur anima, quia excrementa sunt, ergo, &c.

Secundò, quia vngues, & capilli non augeotur eo modo, quo cæteræ partes animalis, nam quo magis scinduntur, eo magis crescunt, nec versus omnem partem, sed solùm versus loogitudinem prolongantur, cuius oppositum in aliis partibus cernitur. Confirmatur, oam in senibus, vbi vis outritiua est debilior, plus crescunt, quod satis indicat, noo per intus sumptionem, nec ex vi facultatis nutritiuæ animalis accrementum suscipere. Confirmatur secundò, quia eodem modo in homine mortuo, & viuo prolongantur, vt experientia docet in hominibus, qui suspensi intereunt.

Tertiò, quia alioqui capilli Christi Domini informati fuissent per animam illius, & consequenter essent immediatè vniti verbo: at hoc est falsum: ergo, &c. Sequela non indiget probatione, quandoquidem certum est apud Theologos fuisse assumptum à verbo quidquid per animam Christi Domini informabatur. Minor verò etiam constat; nam alioqui quiuis capillus ab eo separatus maneret Verbo vnitus, cùm id quod semel assumpserit, nunquam dimiserit, at hoc Theologi non admittent: ergo, &c.

35. Ad primum horum respondetur quòd sicuti partes animalis se inuicem in perfectione excedunt, ita solet contingere, vt perfectiores sibi ad nutritionem sumant id, quòd purius in cibo est, relicto illo, quòd impurius, & imperfectius in eo fuerit. Vnde hoc, quod remanet, licèt sit superfluum, aut veluti excrementum cibi respectu illius nobilioris partis, nihilominùs non est simpliciter superfluum, aut excrementum, sed potest aliis partibus, vt verum alimentum deseruire: & huius generis sunt illa per quæ vngues, capillique accretionem suscipiunt, & meritò sanè, nam sicuti minùs nobiles animalis partes sunt, ita non ex eo quod est in cibo nobilius, sed ex derelicto (vt sic dicamus) aliarum partium petunt augeri.

Ad confirmationem respondetor, quòd id ex quo sudor, saliuáue gignitur, sont simpliciter superfluitates, & excrementa ad nihilom naturæ deseruientia, & ideò illud à se natura suo modo expellere conatur, & id quod ex eo generatur non viuit: secùs verò id ex quo capilli, & vngues generantur. Quæ solutio desumitur ex D. Thom. quæstiuncula citata ad primum, vbi constituens discrimen inter superfluitates, ex quibus fiunt sudor, & vrina, & eas ex quibus generantur capilli, & vngues, sic inquit: *Dicendum quod illæ superfluitates, scilicet ex quibus generantur sudor, & vrina, expelluntur à natura, quasi ad nihilum valentes; secùs autem de aliis superfluitatibus, quas sibi natura retinet ad generationem capillorum, & vnguium quibus indiget ad membrorum conseruationem.*

36. Ad secuudùm diceodum est, non esse necessarium, vt eodem prorsus modo omnes partes animalis augeantur. Vnde quod capilli eo magis crescant, quo plus scinduntur, non probat per intus sumptionem non augeri, sed solùm quod non aluntur ex eo quod est præcipuum, & vt sic dicamus magis substantiale alimento, sed ex eo quòd veluti superfluum, & quasi excrementitium est, quod quidem in substantiam aliti facilius potest conuerti. Nec verum est, quòd capilli versus omnem dimensiooem non augeantur. Num reuerà tam secundùm latitudinem quàm secundùm profunditatem, & longitudioem crescunt, quamuis secundùm priores duas dimensiones sit tenue illud augmentum, quod mirum non est: tum quia alioqui fini ad quem à natura instituti sunt, non possent rectè deseruire: tum etiam, quia sicuti sunt imperfectæ partes animalis, sic imperfecto modo nutriri petunt.

Ad primam confirmationem respondetur, quod cum plus humoris terrei, & crassi, quo capilli aluntur, & meliùs crescunt in senibus, inueniatur, & illa terrestrias, & crassitiea non sit tanta, vt excedat facultatem nutritiuam eorundem, possunt in illis plus quam in iuuenilibus crescere.

37. Ad secundam confirmationem de capillis mortuorum respondetur, quod sæpè non crescunt, licèt creuisse videantur, quamuis ob extenuationem aliarum partium magis apparere soleant, si tamen aliquando ita prolongentur, vt extenuatio partium non videatur ad id sufficieos; tunc diceodum est, quod sicut capilli animalia mortui, non sunt nisi æquiuocè capilli, ita non crescunt, vt veri capilli, & per intus sumptionem; sed solùm per iuxta positionem, vt lapides crescere solent iuxta ea, quæ in 1. de Gener. disp.6. n.12. diximus, atque adeò diuersimodè ac antea. Nos autem, non quia capilli augeantur, sed quia modo proprio viuentium tale accrementum suscipiunt, colligimus eos viuere.

Ad tertium concedimus sequelam, ex eo tamen non benè colligitur capillos à Verbo Diuino dimissos non fuisse, cum à corpore Christi Domini fuere separati, nam illa Theologorum maxima scilicet, quod semel assumpsit, nunquam dimisit, intelligenda est de partibus principalibus humanitatis Christi Domini, non verò de aliis minus principalibus, & quæ ab eius humanitate separatæ fuerunt, qualea sunt aliqui capilli, aut aliquid vnguium, imò neque maxima illa intelligenda est de minutissimis illis, & imperceptibilibus carnis particulis, quas vi caloris naturalis sæpè deperdidit. Quandoquidem certum est, has dimitti à verbo, vbi primò deperdebantur.

QVÆSTIO III.

Vtrum anima secundum diuersam substantialiter rationem sit sub diuersis, aut in diuersis partibus corporis?

38. POstquam explicuimus ea, ad quæ virtus informatiua animæ se extendit, restat vt explicemus secundùm eandem substantialiter rationem ad omnes

omnes illas extendatur: & licèt quæstio hæc ferè constet ex his quæ in Logica disp.13. à num.28. vsque ad 41.& 1.de Generat.disp.5.num.32. & deinceps diximus: nihilominùs vt occurratur aliquibus obiectionibus, quas aduersarij contra sententiam D. Thomæ congerunt, & mens eiusdem S.Doctoris magis pateat, ideò visum est eam excitare.

Consultò autem in titulo inquisiuimus, an anima secundùm diuersam substantialiter rationem, sit sub diuersis partibus corporis, non verò, an diuersimodè informet illas, quoniam in nostra sententia, quam locis citatis fusè explicuimus, in quaque substantia omnem distinctionem partium entitatiuarum intra lineam substantiæ, seu à se negamus, certum est animam non informare diuersas partes materiæ, quia ad hoc requirebatur quòd materia secundùm se, & intra propriam lineam haberet partes entitatiuas, quandoquidem solùm substantia, & partes, quæ secundùm id quod de formali afferunt sunt substantiales; possunt esse aptæ ad hoc, vt informentur per formam substantialem. Quamuis quia materia cuiusuis compositi, licèt sit formaliter intra propriam lineam,indiuisibilis est, tamen non solùm virtualiter, sed etiam realiter potentialiter multiplex, vt ibidem explicuimus.

Ideò posset etiam inquiri, an anima secundùm diuersam substantialiter rationem informet eandem materia,vt hanc multiplicitatem, non solum virtualem, sed etiam realem potentialem habet.

Cæterùm ex eo quod substantia tantùm habeat partes ratione quantitatis, ac proindè,vt habet rationem partis, dicat compositum quoddam suo modo coalescens ex quantitate tanquam ex ratione formali in recto importata, & ex substantia tanquam ex ratione materiali, & in obliquo adducta, non tollitur, immò ponitur, quòd eadem substantia, secundùm ea, quæ intra propriam lineam habet, sit sub eisdem, aut in eisdem partibus, quandoquidem substantia est sub suo accidenti, & subiectum includitur in composito, aut quasi composito ex antecedenti,&eodem subiecto coalescente.

Vnde relinqui videtur locus ad Inquirendum, an anima secundùm diuersam substantialiter rationem, sit sub prædictis, aut in prædictis partibus, an verò secundùm eandem, quamuis prædicta anima sit omnino indiuisibilis in partes substantiales, & entitatiuas, vt in anima rationali contingit.

Vtimur autem hoc modo inquirendi potiùs quàm illo priori, vt in illo aliqualiter abstrahamus à duplici illa opinione, quarum vna tribuit materiæ partes substantiales intra suum genus; alia verò eas illi denegat; quamuis quæstionem hanc ionitendo in nostra sententia prædictas partes ei denegante decidemus.

Proponitur opinio affirmatiua.

§. I.

39. PArtem affirmatiuam tuentur Suarez tom. 2. Summæ Theologiæ tract.3.lib.1.cap.2. num.13. Rubio in hoc 2. lib. cap.3. tract. de modo quo anima informat corpus quæst.7.num.198. quibus fauent Antonius Andreas 7. Meth. quæst.17. Paulus Venetus de Anima cap.5.& 1.de Generat. text.26. Probatur primò testimonio D.Thom. quæst.de spiritualibus creaturis art.4. ad 14. vbi inquit. *Caro mea cum carne tua magis conuenit secundum rationem speciei, quàm caro mea cum esse meo:* Ergo signum est, animam secundùm diuersam substantialiter rationem esse in carne, & inesse, alioqui non esset vnde illa maior conuenientia specifica, ac proindè substantialis desumeretur.

Confirmatur ex eodem S. Doct. quæst. de Anima art.9. ad 14. his verbis. *Licèt anima sit forma simplex secundùm essentiam, est tamen multiplex virtute secundùm quod est principium diuersarum operationum, & quia forma perficit materiam non solum quantum ad esse, sed etiam ad operandum; ideò oportet, quòd licèt anima sit vna forma, quòd partes corporis diuersimodè perficiantur ab ipsa, & vnaquaque, secundùm quòd competit eius operationi.* Constat autem partes corporis non posse diuersimodè perfici ab anima, nisi secundùm diuersam substantialiter rationem sit sub illis, aut in illis.

40. Secundò probatur ratione, nam in hoc distinguuntur viuentia à non viuentibus, quòd illa necessariò petunt diuersitatem partium & organorum, secus verò ista: ergo anima secundùm diuersam substantialiter rationem debet esse in diuersis partibus corporis. Antecedens constat ex definitione animæ, quæ ideò definitur per corpus organicum, quia proprium est corporis informari, per illam scilicet corporis animati habere diuersitatem partium, & organorum. Consequentia autem probatur, quoniam non posset anima esse caussa huius diuersitatis organorum, si secundùm eandem substantialitee rationem esset in omnibus partibus corporis.

Nec refert si dicas diuersitatem hanc organorum non esse substantialem, sed accidentalem, ac proindè, non esse necessariam,vt anima diuersimodè substantialiter,sed solùm accidentaliter in illis sit.

Nam contra hoc est, quòd anima per se primò respicit corpus organicum tanquam primum perfectibile, & ideò per illud tanquam per subiectum ab eadem formatum peculiariter diffinitur: ergo corpus vt organicum, debet esse intra lineam substantiæ, quandoquidem actus substantialis, & primum perfectibile illius pertinent ad idem genus; ergo prædictum corpus erit organicum,saltem ex eo quod anima diuersimodè substantialiter sit in eius partibus, alioquin non posset vllum organizationis,aut diuersitatis substantialis genus habere.

41. Tertiò,nam modus essendi,quem habet anima in corde, est diuersus specie ab eo secundùm quod est in capite, & sic de aliis: ergo anima secundùm diuersam substantialiter rationem erit in vna, & in alia parte. Consequentia patet, nam cum modus essendi, quem habet anima in partibus corporis sit substantialis sicut ipsa, oportet vt ex diuerso modo essendi, quem habet in illis, colligatur esse ibidem secundùm diuersam substantialiter rationem. Antecedens autem probatur,nam ab anima prout in corde, procedunt speciales operationes, quæ ab eadem prout in capite non oriuntur, & è contra, vnde ab ea prout est in capite dimanant, per naturalem sequelam sensus interiores,& exteriores, non tamen prout in corde residet: ergo secundùm diuersum modum essendi est in hac,& in illa parte, alioqui non esset ratio, cur prædicti sensus dimanent ab illa in capite, & non in corde.

Nec refert si dixeris, hoc prouenire ex eo quod tantùm in capite sunt illæ dispositiones,quæ ad hanc dimanationem desiderantur, non verò ex eo quod anima secundùm diuersam substantialiter rationem, aut diuerso substantialiter modo sit in diuersis partibus corporis.

Nam contra hoc est: tum quòd istæ dispositiones, etiam oriuntur ab anima: si ergo eundem modum essendi in corde habet, quid obstat, quò minùs ibidem non resultent? tum etiam, quia si amittatur in capite illa dispositio ad visum requisita, poterit

poterit ibidem ab anima recuperari, & non alibi: ergo ſignum eſt, animam diuerſimodè has, & illas partes informare.

42. Confirmatur ratione, ex hac eadem ſolutione deſumpta, nam diuerſæ proprietates accidentales arguunt formas à quibus communicantur, eſſe ſaltem virtualiter diuerſas, nam ſicut accidentia propria à formis, ſic, & diuerſæ partialiter proprietates à formis ſaltem partialiter, virtualiter diuerſis debent ortum ducere, ac proindè à formis, quæ ſecundùm diuerſam virtualiter rationem ſubſtantialem in illis ſint, at in diuerſis partibus organicis ſunt diuerſæ proprietates accidentales: ergo ibidem ſunt plures virtualiter formæ, & ſecundùm diuerſam virtualiter rationem ſubſtantialem informantes. Minor probatur, nam durities, ſiccitas & denſitas, maximè ſunt propria oſſibus, ſimiliter cor ex ſua natura eſt calidum, & exſiccatiuum, cerebrum verò eſt frigidum, & habet actionem humectandi, & ſic de aliis, ergo, & cætera.

Quartò, nam anima rationalis non tribuit cuiuis parti corporis, tam eſſe vegetatiuum, quàm eſſe ſenſitiuum, & intellectiuum: ergo ſecundùm diuerſam ſubſtantialiter rationem, erit in partibus corporis humani. Conſequentia videtur certa, antecedens autem etiam conſtat, quoniam capillus vegetatur, & non ſentit, & manus ſentit, ſed non intelligit: ergo capillus habet ab anima eſſe vegetatiuum, non verò eſſe ſenſitiuum, & manus eſſe vegetatiuum, & ſenſitiuum, non autem intellectiuum.

43. Nec refert ſi cū aliquibus dixeris, quod etſi capilli non viuant vita ſenſitiua in actu ſecundo, id eſt non eliciant actum vitalem ſenſationis, eo quòd ex defectu diſpoſitionum deeſt illis potentia, proximè ſenſitiua; nihilominùs viuunt vita ſenſitiua, & radicali, quia informantur anima rationali per modum formæ ſimpliciſſimæ omnes hos gradus præhabente.

Nam contra hoc eſt: tum quòd aliàs ſuperfluè anima rationalis tribueret eſſe ſenſitiuum radicale capillis, ſi ſemel nequeunt naturaliter ad actum ſecundum ſentiendi reduci, quandoquidem eſſe eſt propter operari. Vnde vbi impoſſibilis fuerit operatio ad aliquod eſſe ſubſequuta, non poteſt ibidem tale eſſe reperiri.

Tum etiam quia anima rationalis eſt forma eminens, & multiplex virtute; vt docet D. Thom. 1. part. quæſt. 76. art. 5. ergo poteſt eſſe in diuerſis partibus corporis ſecundùm diuerſos gradus, & modos eſſendi ſubſtantialiter diuerſos non minùs; quàm ſi eſſet actu plures; ſiquidem proprium eſt formæ eminentis præſtare actu, & eminenter ſine diſtinctione ex parte ſui, id quod formæ minùs perfectæ, & actu diſtinctæ præſtarent; ac proindè poterit in vna parte eſſe tantummodo ſecundùm eſſe vegetatiuum radicaliter ſumptum, & in alia ſecundùm eſſe vegetatiuum, & ſenſitiuum tantùm.

44. Vltimò, nam ſi pars integra corporis, verbi gratia, manus à viuente abſcindatur, nequit per naturam recuperari, quantumuis tale viuens, plus alimenti decoquat, & in propriam ſubſtantiam illud conuertat; ergo ſignum eſt, animam prædicti viuentis eſſe diuerſo ſubſtantialiter modo in diuerſis partibus corporis, atque adeò manum illam eſſe irrecuperabilem ex eo quod prædictus modus eſſendi irrecuperabiliter amiſſus eſt. Hæc ſecunda conſequentia patet, quia ſi anima non amiſiſſet modum eſſendi ſubſtantialiter diuerſum, ab eo quem ante habebat in manu abſciſſa, non eſſet cur non poſſet prædictam manum recuperare.

Prima verò conſequentia ex antecedenti conſtat, nam ad recuperationem manus tantùm deſideratur debita materia, & forma, vna cùm debito modo eſſendi illius in materia denuò acquiſita: at talis recuperatio non deeſt ex defectu nouæ materiæ, quia ſupponimus viuens deſumere, & concoquere ſufficiens alimentum ad illam, neque ex parte formæ, ſiquidem abſciſſa manu, nihilominùs forma ipſa non perit: ergo prouenit ex eo quòd anima erat diuerſo ſubſtantialiter modo in prædicta manu, & hic per naturam irrecuperabilis eſt.

Difficultatis nodus ex mente D. Thom. diſſoluitur.

§. II.

45. Dicendum tamen eſt, animam non eſſe ſecundùm diuerſam ſubſtantialiter rationem, ſub diuerſis aut in diuerſis partibus corporis, ſed omnem diuerſitatem, & etherogeneitatem in eiſdem repertam, ſolùm prouenire ex diuerſis accidentibus. Ita D. Thom. 1. part. quæſt. 76. art. 5. ad tertium, his verbis: *Partes animalis, vt oculus, manus, caro & os, & huiuſmodi, non ſunt in ſpecie, ſed totum, & ideò non poteſt dici propriè loquendo, quòd ſint diuerſarum ſpecierum, ſed quod ſint diuerſarum diſpoſitionum.* Vbi vt vides, totam diuerſitatem partium animalis in ſolam diuerſitatem diſpoſitionum refundit: & art. 8. in ſolut. ad quintum aſſerit. *Vna pars corporis dicitur principalior, quàm alia, propter potent as diuerſas, quarum ſunt organa partes corporis: quæ enim eſt principalioris potentiæ organum eſt principalior pars corporis, vel quæ etiam eidem potentiæ principalius deſeruit.* Vbi diſcrimen, & exceſſum vnius partis ſupra aliam non in aliud, quàm in diuerſitatem potentiarum, & accidentium reducit.

Et in 4. diſtinct. 44. quæſt. 1. art. 2. quæſtiuncula 2. ad tertium; nam poſtquam dixit capillos, & vngues eſſe partes animalis, quæ aliquo modo ab anima perficiuntur volens explicare quid illis deſit quo minus anima rationalis non ſit in illis perfectè addidit. *Et quia in homine non eſt niſi vna anima, ſcilicet anima rationalis, conſtat, quòd ab anima rationali perfectu ſunt, quamuis non vſque ad hoc, quòd operationem ſenſus participent, ſicut nec oſſa.* Vbi apertè innuit, illud quod deeſt capillis ratione cuius dicitur anima eſſe imperfectè in illis, non eſſe aliquid ſubſtantiale, ſed ſolùm quòd non participent operationem ſenſus, ac proindè, nec potentiam proximam ad ſentiendum quorum vtrumque eſt accidens.

Vnde S. Doctorem ſequuntur eius diſcipuli, Capreolus in 2. diſtinct. 15. quæſt. ad 6. Caietan. 2. lib. de Anima quæſt. 1. Heruens in tract. de vnitate formarum quæſt. 18. Sonzinas 8. Metaphyſic. quæſt. 10. Sotus 9. Phyſic. quæſt. 3. ad 8. Baſies 1. de Generat. quæſt. 8. c. 4. & communiter Iuniores Thomiſtæ, & ex aliis Gregorius in 2. diſt. 16. & 17. q. 1. Fonſeca 7. Meth. cap. 17. quæſt. 1. Conimb. 1. de Generat. c. 22. & plures ex recentioribus.

46. Prior huius aſſertionis ratio apertè deducitur ex his, quæ ex Ariſtot. & D. Thom. diximus in Logica diſp. 15. num. 30. & in lib. de Generat. diſp. 5. num. 32. Vbi oſtendimus ſubſtantiam intra propriam lineam non habere vllam diſtinctionem partium entitatiuarum. Hinc ergo ſequens formatur ratio, nam ſi anima ſecundùm diuerſam ſubſtantialiter rationem, eſſet in diuerſis partibus corporis, non poſſet non habere partes entitatiuas intra lineam ſubſtantiæ, & non qualeſcumque, ſed ethereogeneas, ethereogeneitate ſubſtantiali: ergo cùm oſtenſum ſit non eſſe in ſubſtantia vllam partium entitatiuarum diſtinctionem intra lineam eiuſdem ſubſtantiæ, planè ſit animam

non

non esse secundùm diuersam substantialiter rationem in diuersis partibus corporis.

Consequentia patet, antecedens autem probatur, nam hoc ipso quòd anima esset secundùm diuersam substantialiter rationem in osse, & in carne, non posset non caro, & os substantialiter, & ethereogeneè, distingui, quandoquidem eo ipso participarent ob anima diuersum effectum substantialem: ergo cùm non distinguerentur, per modum duarum substantiarum totalium, & diuersæ rationis deberent distingui tanquam duæ partes entitatiuæ, & diuersæ rationis quæ intra lineam substantiæ componunt vnam, & eadem substantiam totalem.

47. Confirmatur, nam diuersitas substantialis, solum potest prouenire, vel ex parte materiæ, atque adeò ita vt sit materialis, & indiuidualis, vel ex parte formæ, ac proinde, ita vt sit formalis, & specifica: at in præsenti non potest ab vllo ex prædictis capitibus prouenire, ergo, &c. Minor quoad primam partem patet, quia materia est eiusdem rationis in omnibus partibus: imò vt loco citato diximus, est indiuisibilis intra lineam substantiæ, seu à se. Vnde ea immultiplicata, & non diuisa per quantitatem, non potest esse radix diuersitatis materialis, seu intra lineam substantiæ. Quoad secundam verò partem etiam constat quoniam vbi est eadem indiuisibilis materia, & forma substantialis, debet esse idem effectus intra lineam substantiæ, quia quoties forma est in aliqua materia, vt in subiecto connaturali, non potest non quidquid in se substantiale habet, prædictæ materiæ communicare: ergo non poterit ibidem aliqua diuersitas ex parte formæ, siue formalis, & specifica interuenire. Sed hæc ampliùs in sequenti ratione elucidabuntur.

48. Secunda fundamentalis ratio ex doctrina eiusdem S. Doctoris sæpè ab eo repetita desumitur, quæ potest sub hac forma proponi: repugnat aliquid esse re ipsa, sub aliquo certo, & determinato genere, & quod non sit sub aliqua terminata, & atoma specie, sub illo contenta: sed partes, puta caro, os, caput, &c. sunt re ipsa sub determinato genere, scilicet sub viuente: ergo debent esse sub determinata specie atoma, & non vtcumque, sed participando ab anima rationali, tam esse vegetatiuum, quàm sensitiuum, & intellectiuum radicale, ac proinde, anima non erit secundùm diuersam substantialiter rationem in prædictis partibus. Hæc vltima consequentia patet ex priori, quandoquidem in anima, vt tali, tantùm inueniuntur hæ tres rationes substantiales vna cum ratione indiuiduali ipsius.

49. Prior verò quoad primam partem, scilicet prædictas partes debere esse sub aliqua determinata specie atoma ex vtraque præmissa aperte constat, quoad secundam, verò partem, scilicet debere esse, sub illa participando, ab anima rationali, tam esse vegetatiuum, quàm sensitiuum, & intellectiuum atomum etiam liquet, quoniam species atoma proueniens ab anima rationali affert esse vegetatiuum, sensitiuum, & rationale modo supra disp. 4. num. 50. explicato. Nam sicut anima rationalis per eandem indiuisibilem formalitatem absque vlla virtuali distinctione dicit secundùm suam rationem, quasi atomam, peculiarem modum vegetandi, simul & sentiendi, ac tandem principium ratiocinandi; ita quidquid ab illa participat naturaliter hanc specificationem, debet omnes has rationes participare, vel nullam. Minor autem non indiget probatione. Maior verò etiam constat, quoniam repugnat esse in rerum natura aliquod, v.g. animal quod non sit re ipsa rationale, vel irrationale, puta bos, vel leo, &c. & sic de aliis quæ sub aliquo certo genere continentur.

Nec refert triplex solutio, quæ ab aliquibus adhiberi solet. Prima est, maiorem solum esse veram de his, quæ sunt directè, & perfectè, sub aliquo genere vt homo, non verò de iis, quæ reductiuè, & imperfectè sub illo continentur, qualia sunt partes illius. Vnde materia prima est secundùm se, & præcisè considerata reductiuè sub genere corporis, non tamen sub aliqua determinata specie illius, quia non est maior ratio, ob quam ad hanc potiùs, quàm ad illam speciem atomam reducatur.

50. Secunda est, quòd licèt hinc conuincatur animam esse in quauis parte secundùm omnes gradus, non tamen secundùm eundem modum essendi, seu secundùm eandem vnionem, sed secundùm vniones indiuidualiter diuersas.

Tertia est, quia id quod participat indirectè, & reductiuè aliquam speciem, non participat illam perfectè, atque adeò, nec quidquid intra secundùm suam rationem atomam, vel differentialem continetur. Vnde licèt anima nostra secundùm suam rationem differentialem sit simul vegetatiua, sensitiua, & rationalis, non ideò partes, vt manus, & ossa totum hoc participabunt.

51. Non itaque hoc refert, nam prior solutio satis impugnata est in l. Physic. disp. 3. n. 74. Vbi ostendimus, quòd eo modo, quo aliquid à parte rei est sub certo genere, debet etiam esse sub aliqua certa, & determinata specie infima illius, quoniam ideò repugnat aliquod indiuiduum completum immediatè sub genere poni, quia inter vtrumque mediat species, sed inter principia generis, & indiuidui, necessario mediant principia speciei, vt talis: ergò sicut ob illud non potest re ipsa dari indiuiduum completum participans immediatè rationem generis, sic neque poterit dari indiuiduum incompletum, & partiale, seu partem indiuidui immediatè sub genere positam; sed debet necessariò sub aliqua specie infima immediatè collocari. Vnde, licet daremus partes substantiæ, vt manus, pertinere reductiuè ad genus substantiæ, deberent etiam pertinere ad aliquam speciem atomam illius. Deinde secunda solutio etiam deficit: Tum quia, quod principaliter intendimus, est non posse animam secundùm diuersam substantialiter rationem in actu primo importatam, esse in diuersis partibus corporis: at si anima est in quauis parte secundùm omnes gradus, non poterit secundùm diuersam formaliter rationem in actu primo importatam esse in illis, vt intuenti constabit: Tum etiam quia hoc ipso quod anima rationalis sit secundùm totam suam entitatem indiuidualem, & totaliter in quauis parte, nihil obest, quo minùs etiam modus vnionis ei correspondens, sit etiam totus, & totaliter in quauis parte: maximè quia ea, quæ ad genus substantiæ pertinent, habent prædictum modum essendi indiuisibiliter, vt in l. de Gener. ostendimus, &c.

52. Et similiter tertia solutio, imò etiam prior, vt ad præsens applicatur facilè corruit: Tum, quia sicut non est contra rationem partis quantitatis, quod participat totam essentiam, & speciem quantitatis; quia essentia illius est talis conditionis, vt petat esse tota in tota quantitate, & partibus eius: ita non erit contra rationem partis, substantiæ, v. g. manus hominis, quod participet totam speciem substantialem illius, quia forma à qua talis specificatio prouenit, est talis naturæ, vt hoc ipso, quod secundùm suam vltimam rationem sit in illa parte debet esse in ea secundùm omnia, quæ secundùm eandem rationem dicit; idem secundùm quod tribuit specialem modum radicalem vegetandi, sentiendi, & ratiocinandi, ex eo quod hæ rationes in illa neque etiam virtualiter distinguuntur.

Tum

Tum etiam, quia aliud est loqui de partibus substantiæ scil. osse, manu, &c. secundùm id quod habent intra lineam substantiæ, seu secundùm se; aliud verò secundùm id quod habent ratione quantitatis, & aliorum accidentium, secundùm quæ distinguuntur in ratione partium, & organorum; nam si loquamur de eis secundùm priorem rationem, tunc sicut non habent rationem partium intra lineam substantiæ ita non participant imperfectè, & reductiuè rationem atomam ab anima prouenientem, sed perfectè, quia tota materia, & forma, totalitate substantiali, & physica est indiuisibiliter sub tota quantitate, & sub qualibet parte illius, sicut tota essentia albedinis totalitate essentiæ est in tota niue, & in qualibet parte illius.

Si verò fiat sermo de eis secundùm rationem posteriorem; tunc sicut non dicunt de formali aliquid pertinens ad genus substantiæ, sed solùm ad genus quantitatis, & aliorum accidentium; ita secundùm id quod de formali important, nec ponuntur sub genere viuentis, nec sub aliqua specie atoma ab anima rationali prouenienie, nec ad illam formaliter reducuntur. Vndè nulla ex his solutionibus benè inspecta, potest rationi D. Thom. applicari.

53 Ex quo etiam corruit alia solutio à quibusdam adhibita; scilicet animam rationalem, quantumuis simplicissimam, non esse in quibusuis partibus corporis secundùm tres gradus substantiales, scilicet secundùm esse vegetatiuum, sensitiuum, & intellectiuum, qui ab ea, tali proueniunt, ex defectu dispositionum quibus plures ex his partibus carent, quia forma non communicat ea quæ indiuisibiliter habet, nisi subiecto dispositio; non secùs, ac licèt ab eadem anima indiuisibili plures potentiæ vitales dimanent, nihilominus ex defectu dispositiuum non communicantur omnes quibusuis partibus, sed quædam vni, & quædam aliis.

Nam hæc solutio satis corruit ex dictis, quandoquidem hoc ipso, quod tota materia, & forma, totalitate physica, & substantiali, indiuisibiliter sit sub qualibet parte quantitatis, seu in qualibet parte corporis, vt ostensum est, non potest non in quauis ex illis reperiri sufficiens dispositio, ad hoc, vt tam materia, quàm forma secundùm totam suam essentiam, & rationem atomam in omnibus illis reperiatur; sicut ex eò, quòd tota albedo totalitate essentiæ & qualitatis sit tota niue, & in qualibet parte illius; non potest non reperiri sufficiens dispositio in tota niue, & in qualibet parte illius ad illam secundùm totam suam essentiam recipiendam.

54 Nec exemplum illud de potentiis vitalibus, quod in hac solutione adducitur ei fauet. Est enim aperta disparitatis ratio, nam potentiæ vitales vt visus, & auditus, non sunt in toto animali, & in quauis parte illius; sed visus est in oculo, & auditus in aure, & ideò non est necesse quòd dispositiones requisitæ ad auditum sint in oculo, & è contra.

Cæterùm, cum tota materia, & forma, totalitate physica, & substantiali sit in toto homine, & in qualibet parte illius, vt iam diximus; ideò dispositiones ad prædictam formam secundum totam suam essentiam habendam debent in quauis parte corporis reperiri: sicut si visus esset in toto homine, & in qualibet parte illius, & similiter auditus; tunc dispositiones requisitæ ad vtramque ex his potentiis secundùm totam suam essentiam habendam, essent in qualibet parte eiusdem hominis.

55 Quæ impugnatio est adeò efficax, vt contra hanc solutionem inteosum probaret, quamuis materiæ, & animæ proprias partes entitatiuas daremus, quia anima etiam in eo euentu haberet partes eiusdem rationis substantialis, ex eo quòd quæuis pars illius participaret totam speciem atomam prædictæ animæ, iuxta ea quæ disput. 4. num. 58. diximus. Quare, cùm esset in partibus materiæ, quæ sunt eiusdem rationis, vt in subiecto connaturali peteret ibidem easdem dispositiones secundùm speciem in ordine ad eas substantialiter informandas; ac proindè ex defectu dispositionum non esset in illis secundùm diuersam essentialiter rationem substantialem.

Enodatio argumentorum opinionis affirmatiuæ.

§. III.

56. AD primum respondetur D. Thomam solùm loqui de maiori conuenientia specifica accidentali non verò substantiali, & essentiali. Ad confirmationem respondetur, S. Doctorem solùm velle, quòd anima diuersimodè partes corporis perficiat, diuersitate accidentali, non verò substantiali, quatenus ab ea diuersæ potentiæ proximæ, diuersæque dispositiones accidentales in ordine ad distinctas operationes fluunt. Vndè, postquam dixit, quòd licèt anima sit vna forma; nihilominus perficit partes corporis, addidit, *vnamquamque perficit secundùm quod competit eius operationi*. Ad hoc autem satis est, vt diuersum esse accidentale diuersæque potentiæ proximæ ab illa in prædictis partibus fluant.

Ad secundùm benè respondetur ibidem; & ad probationem in contrarium dicendum est animam definiri per corpus organicum organizatione radicali, non verò organizatione formali; licèt autem corpus, formaliter organizatum sit extra lineam substantiæ, non tamen, vt habet radicalem organizationem. Cæterùm vt corpus sit hoc modo organicum, non desideratur, vt anima, secundùm diuersam formaliter rationem substantialem, sit in his, & in illis partibus, vt ex dictis constat, & ex statim dicendis ampliùs constabit; sicut nec requiritur, quòd anima habeat diuersas partes entitatiuas, vt in anima rationali iuxta communem Doctorum sententiam constat.

Ad tertium negandum est antecedens intellectum de diuerso modo essendi substantiali: secùs verò, si de diuerso modo essendi accidentali intelligatur; quatenus ab anima diuersa accidentia, diuersæque potentiæ in his, & in illis partibus fluunt: ita tamen vt quæuis combinatio horum accidentium quantumuis diuersa ab alia habeant se per modum dispositionis, ad hoc vt anima sit tota totalitate, vt sic dicamus, essentiæ, seu secundùm omnes gradus, & modum vnionis substantialis in omnibus, & singulis partibus animalis.

57 Et ad probationem in contrarium dicendum est, quòd licèt anima, eodem substantiali modo sit in diuersis partibus corporis, nihilominus potest reddi sufficiens ratio, ob quam, hæc potiùs accidentia quàm illa in vna parte, & non in alia ab eadem dimaneant. Hæc autem ratio non aliundè, meliùs desumi potest, quàm ex natura eiusdem animæ, & totius viuentis, propter quod à natura instituta est; quoniam hoc ipso, quod anima sit forma eminens & viua, vt *quo*, & viuens sit compositum eminens supra alia composita inanimata, petunt, vt licèt anima sit vna, & eadem simplicissima à forma, & eodem substantiali modo informet omnes partes: nihilominùs cum hac identitate, & iuxta naturam eiusdem viuentis sit radix plurium, & diuersarum operationum, nec non, & potentiarum vitalium multipliciumque aliarum dispositionum, ac proindè multorum, ac satis dissimilium organorum, quando-

quidem vna, & eandem pars corporis ob sui limitationem, & oppositarum dispositionum repugnantiam, quæ ad varias operationes exercendas requiruntur, non potest esse sufficiens organum ad tot tamque varias, & dissimiles operationes eliciendas.

58 Ratio verò, ob quam cum hac diuersitate accidentali, debeat necessariò esse identitas omnimoda substantialis in anima, patet: Tum, ex dictis pro assertione: Tum etiam, quia si anima prout est in osse, siue prout habet vim essendum in illo, esset speciè essentiali, vel realiter, vel virtualiter distincta à se ipsa, vel ab aliqua alia prout est in carne; tunc non haberet veram rationem animæ, secundùm eam rationem formalem, secundùm quam esset v. g. in osse; quandoquidem quæuis pars ossis in se spectata est homogenea, & consequenter si forma substantialis, quæ in eo reperitur, & secundum eam rationem formalem, secundùm quam in eo est, non habet esse eiusdem prorsus essentiæ, & rationis formalis, cum ea quæ est in aliis partibus, sed distincta formaliter ab illa: non erit talis forma secundùm prædictam rationem vera anima, siquidem hæc, vt talis debet esse radix diuersorum organorum, & instrumentorum vitæ.

Diximus autem *iuxta viuentis naturam*, quia etsi in qualibet parte viuentis quantum attinet ad substantialia, nulla sit formalis diuersitas, nihilque in vna parte reperiatur, quod in alia non sit, nihilominus ex ipsa natura illius viuentis propter quod anima intenditur, potissimè desumendum est, cur potiùs hæc organa, & non illa, nec non & multiplicitas eorundem organorum ab anima fluat. Vndè, quia natura viuentis postulat, vt habeat diuersa organa, quorum aliqua sint, vt sic dicamus, in loco superiori vt caput: alia verò in loco infimo, vt pedes: alia autem, quæ sint solida, & dura, vt in eis veluti in columnis firmissiis totum animalis ædificium innitatur, & sic de aliis: ideò prædicta organa, & cum diuersitate iam explicata, nec non, & in debitis sedibus distributa, & collocata ab anima dimanant; non tamen vtcumque sed vt virtuti seminali generantis, vt in formis materialibus contingit, vel virtuti creatiuæ Dei (vt in anima rationali accidit) & productiuæ totius compositi subordinatur, ac proinde nulla alia huius (vt sic dicamus) distributionis potentiarum, & accidentium in quibusdam potiùs quàm in aliis partibus corporis causitæ, potior ratio præter iam assignatam quærenda est.

59 Quòd adeò verum est, vt etiam aduersarij ad hanc eandem animæ, & corporis animati naturam, tanquam ad rationem, & regulam primam in hoc ordine recurrere debeant, nam cùm in homine vnicam tantùm constituant animam; & hanc tam secundùm gradum vegetatiuum, quàm sensitiuum asserant esse in aure, & in oculo, non possunt aliam reddere rationem, ob quam sit in oculo radix potentiæ visiuæ, & in aure auditiuæ, nisi quia diuersò substantialiter modo, seu per diuersam substantialiter vnionem est in illis.

Si autem ab eis rursus petatur cur cum anima rationali, secundùm virtutem informatiuam, secundùm quam est in vtraque parte sit eadem, quia ipsa prout est radicaliter visiua, non distinguitur à se ipsa, prout est radicaliter auditiua, alioqui tot essent in anima distinguendi gradus, & rationes substantiales inter se distinctæ, quot sunt potentiæ ab ea dimanantes: quod quidem falsum & absurdum est, vt communiter docent Philosophi, tunc non possunt aliam reddere rationem (vt de facto nullam aliam reddunt) nisi quod hæc est animæ hominis natura, vt petat diuersa organa, diuersasque potentias vitales, & quod eadem anima ob sui eminentiam, sit in se vna, & simul sit radix distinctarum informationum substantialium, nec non, & diuersorum organorum, & potentiarum vitalium: quare quod ipsi de anima nostra respectu diuersæ vnionis substantialis dicunt, id nos de omnibus animabus ob rationes adductas, & respectu diuersorum accidentium, & modorum essendi accidentalium (in quibus solummodo diuersitatem concedimus) asserendum putamus.

60 Nec obest, id quod ibidem adducitur, scilicet diuersas proprietates arguere diuersam saltem virtualiter formam. Nam id ad summum est verum de diuersis proprietatibus, aut quasi proprietatibus adæquantibus formam, non verò de illis, quæ eandem non adæquant, vt in præsenti contingit. Diximus, quasi proprietatibus, quia prædicta accidentia recepta non sunt proprietates huius, potiùs partis quàm illius quoad substantialia, quæ afferunt, cùm substantialia sint eadem, licèt semper concomitentur substantialia illa, prout sunt in prædictis partibus & illas connotant, & ob hanc rationem possunt dici quasi esse proprietates huius potiùs partis, quam alterius propter similitudinem, quam quoad hoc cum proprietatibus habent.

Ad quartum benè respondetur ibidem: Tum quia plures dispositiones, & alia accidentia requiruntur ad hoc quod aliquid in actu secundo sentiat, quam ad hoc, vt sit radicaliter in actu primo sensitiuum, & ideò ex defectu talium dispositionum, & potentiarum proximarum poterit contingere, quòd aliqua pars sit radicaliter sensitiua, & nihilominùs in actum secundum exire nequeat: Tum etiam, quia sicut ad hoc, vt aliquid participet omnes gradus animæ v. g. sensitiuæ, non desideratur, vt ei omnes potentiæ, omnesque operationes talis animæ communicentur, vt patet in oculo, qui eundem gradum, quem auditus participat, & consequenter radicaliter, etiam est auditiuus, & nihilominùs oculus nunquam audit, nec auditus videbit, ita æquè benè contingere poterit, vt aliquid sit in actu primo, & radicaliter sensitiuum, quod tamen ex defectu facultatum proximarum non possit vim suam radicalem ad actum secundùm reducere.

61 Et ad primam probationem in contrarium negandа est sequela, quia superest alius finis propter quem anima sit in tali parte secundùm prædictum esse substantiale, scilicet, vt prædicta pars habeat esse radicaliter in actu primo vegetatiuum, sensitiuum, & intellectiuum, vt ita anima per modum formæ viuæ possit tota, totalitate essentiæ esse in omnibus, & singulis numero partibus, vt explicatum est.

Nec oppositum conuincit probatio sequelæ ibidem adducta, nam vt constat ex his, quæ in lib. Phys. disput. 20. n. 17. diximus, maxima illa, nimirum *quod esse est propter operari*, tantùm est vera de rebus, vt habent suas potentias, immediatè operatiuas, nam mediis illis, & non aliter sunt propter operationem.

Vndè, licèt in ea parte organica in qua impossibilis naturaliter fuerit aliqua operatio vitalis, nequeat reperiri esse substantiale, & radicale, vna cum potentiis vitalibus immediatè elicitiuis prædictæ operationis, nihilominùs potest ibidem inueniri totum esse substantiale, omnesque gradus essendi substantiales, qui ab anima prouenium, absque eo, quòd sint ibi quæuis potentiæ vitales, & operationes, quæ ab anima, vt à principio radicali *quo* possunt procedere.

Nam cùm anima, & quoduis esse substantiale ab ea proueniens sit radix operandi iuxta exigentiam naturæ totius viuentis, & hæc petat, vt prædicta forma, prædictumque esse non habeat in quacumque parte,

parte, in qua reperitur esse principium omnium operum prædicti viuentis, alioqui periret diuersitas partium, & organorum ipsius, vt supra dicebamus: inde est, quòd anima, & esse substantiale ab ea proueniens possit esse alicubi, vbi non sit naturaliter possibilis est defectu potentiæ proximæ aliqua operatio, quæ ab eadem forma quantum est ex parte virtutis radicalis oriri poterat.

62. Potestque hoc explicari exemplo essentiæ diuinæ, quæ licèt sit primum principium *quo* communicationis ad intra, & tota, ac totaliter secundùm essentialia communicetur tribus personis diuinis, nihilominus prout est in filio, non est principium *quo* generandi, nec prout est in Spiritu sancto habet esse principium *quo* spirandi, & hoc non aliundè, nisi quia est principium communicationis ad intra iuxta propriam exigentiam, & personarum, in quibus est. Vndè, quia est iuxta exigentiam illius, & personarum eius, vt in prima persona sit in actu secundo primum principium *quo* generandi, & in secunda persona non sit principium generandi, benè tamen spirandi vna cum prima: at tandem in tertia, vt non sit in ea principium vllius communicationis ad intra, ideò quamuis sit in omnibus illis secundùm omnia essentialia, nihilominus pater habet ab illa quòd generet: filius verò, quòd generetur (quia ratione illius, vt à patre sibi communicatæ, procedit vt genitus) & insuper quod vna cum patre spiret spiritum Sanctum; ac tandem spiritus Sanctus non habet ab ea, quòd se alteri personæ communicet, sed quòd ordine, alibi explicando; sit intelligens, & amans intellectione, & volitione essentiali: ita ergo, proportione seruata, in anima collata cum partibus diuersis in quibus reperitur, philosophandum est.

Ad secundam verò probationem eiusdem sequelæ, concesso antecedenti, neganda est consequentia; ad cuius probationem patet ex dictis, quomodò ex eminentia animæ supra alias formas, non sequatur eam secundùm diuersam substantialiter rationem, fore in diuersis partibus corporis, sed solùm secundum distinctam virtutem, seu vim agendi proximam, propter quod à D. Thom. appellatur forma eminens, & multiplex virtute.

63. Ad vltimum respondetur, quod licèt aliquæ partes non possint per naturam recuperari, vt manus; nihilominus aliæ per eandem naturam sunt recuperabiles; vt apparet in pueris, qui integros dentes auulsos recuperant, & in aliis, qui vnguem omninò deperditam, & similiter partem carnis solent acquirere; ac tandem in plantis; quæ amputatis ramis, iterùm illos producunt. Vndè, quòd manus sit irrecuperabilis, non prouenit ex eo, quòd diuersæ partes eiusdem formæ, quæ sint tales intra lineam substantiæ in diuersis partibus materiæ sint, aut ex eo quod eadem anima secondùm diuersam substantialiter rationem in illis sit; alioqui nec dentes, nec vngues, nec rami amputati recuperari possent: sed ex intrinseca limitatione, & natura talis viuentis, & virtutis; eius; & ex peculiari natura illius partis excellentioris ratione cuius prædictum damnum resarciri nequit.

DISPVTATIO VII.

De potentiis animæ in generali.

EXPLICATA iam natura, & essentia animæ, nec non, & modo informandi, quo informat subiectum; oportet de potentiis vitalibus, ab eadem dimanantibus sermonem texere; quia verò ea, quæ sunt vniuersaliora priùs tradenda sunt, iuxta ea, quæ in lib. Phys. disp. 1. & 1. de Generat. in Proœmio illius, & disp. 1. nec non & in aliis logicæ pluribus locis diximus: ideò primo loco de eisdem potentiis in generali agimus.

Et licèt ad completam notitiam eorum, quæ ad potentias animæ in generali spectant, plura essent discutienda. Primò quidem, an potentiæ animæ distinguantur realiter ab essentia illius. Secundò: an anima saltem per diuinam potentiam possit operari sine prædictis potentiis. Tertiò: an potentiæ istæ habeant tantam connexionem cum anima, vt nequeant ab illa etiam per absolutam Dei potentiam separari. Quartò: an dimanent ab essentia animæ per naturalem resultantiam Quintò: an hæc resultantia sit vera actio medians, inter illas, & animam. Sextò: vtrum vna potentia animæ oriatur ab ea mediante alia: Septimò: an specificatio, & distinctio istarum potentiarum sumatur ab actibus, & obiectis. Octauò: quot sint genera potentiarum animæ. Nonò: quod si subiectum illarum, an nimirum sola anima, an verò totum viuens; ac proindè, an omnes potentiæ animæ remaneat in ea à corpore separata, nihilominus quia decisio sex priorum difficultatum ex dictis in lib. Phys. disput. 10 ferè per totam constat; ideò solùm de tribus vltimis sermonem in hac disput. ex professo instituimus.

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM POTENTIÆ ANIMÆ SVMANT SVAM VNITATEM, & distinctionem ab actibus, & obiectis?

QVamuis in titulo solùm fiat mentio de potentiis animæ, seu ab anima, vt tali profluentibus, quia solæ istæ ad præsentem disputationem per se spectant; nihilominus, quæ de eis dixerimus debent etiam proportione seruata ad omnes alias potentias à quacumque essentia dimanentes, applicari.

2. Vt autem titulus meliùs intelligatur, notandum est primò, non esse sensum illius an actus, & obiecta constituant intrinsecè potentias animæ, & eas sic constituendo tribuant illis suam vnitatem, & distinctionem: nam certum est actus, & obiecta non posse hoc modo constituere, & distinguere po-

tentias, siquidem omnia ista per se, & directè pertinant ad distinctas species, & multoties ad distincta genera; sed solum an talis vnitas, & distinctio sumatur ab eisdem radicaliter, siuè tanquam ab extrinseco specificatiuo, seu re per se inspecta; ita, vt licèt prædicti actus, & obiecta non sint quid intrinsecum respectu potentiarum; nihilominus habitudo earum ad illa sit intrinseca, & essentialis, & ratione eiusdem habeant suam essentiam, vnitatem, & distinctionem.

3 Secundò, notandum est ex D. Thom. 1. p. q. 77. art. 3. quòd potentiæ vitales animæ sunt in duplici differentia: aliæ nimirum passiuæ, aliæ verò actiuæ, ex quibus illæ priores non dicuntur tales, quia sint omnino actiuitatis: alioqui non essent potentiæ vitales, vt ex dictis lib. 7. Phys. constat, sed quia priùs quàm agant debent pati passione perfectiua, & recipere aliquid ab obiecto, ratione cuius possint illud attingere: quo pacto sensus & intellectus, dicuntur potentiæ vitales passiuæ eo quod priùs quàm vitaliter agant, debent modo supra tacto, & infra dicendo recipere speciem impressam, media qua tanquam virtute agendi ex parte obiecti se tenente illud obiectum percipiant, & ideò obiectum dicitur principium, & causa mouens respectu sensationis, & intellectionis: è contrà verò istæ posteriores dicuntur actiuæ, quia non oportet, vt priùs quàm agant patiantur, seu recipiant aliquid ab obiectis circa quæ operantur, eo quod obiectum comparatur ad illas præcisè tanquam terminus, & finis, per easdem productus: terminus autem, & finis per aliquam potentiam actiuam productus non est necesse, vt ponat aliquid in eadem potentia ratione cuius participet vim completam ad operandum, & attingendum illum.

Vndè S. Doctor. loco citato inquit: *Obiectum autem comparatur ad actum potentiæ passiuæ sicut principium, & causa mouens: color enim inquantum mouet visum, est principium visionis, ad actum autem potentiæ actiuæ comparatur obiectum, vt terminus, & finis, sicut augmentatiuæ virtutis obiectum est quantum perfectum, quod est finis augmenti*, quod etiam docuit 2. de Anima lect. 6. dicens: *Omnis enim animæ operatio, vel est actus potentiæ actiuæ, vel passiuæ: obiecta quidem potentiarum passiuarum comparantur ad operationem earum, vt actiua quia reducunt potentias in actum, sicut visibile visum, & omne sensibile sensum: obiecta verò potentiarum actiuarum comparantur ad operationes ipsarum vt fines.* Titulus ergo quæstionis de omnibus potentiis vitalibus siue actiuis, siue passiuis, intelligendus est.

Opinio negans.

§. I.

PArtem negantem tuentur Scotus in 2. d. 16. quæst. vnica, Philoponus, Apolinaris, & Paulus Venetus 2. de Anima text. 33. Caiet. Thienensis ad text. 29. Iandunus quæst. 7. & alij.

4 Probatur primò, nam actus sunt posteriores quàm potentiæ; ergo potentiæ non sumunt ab illis suam essentiam, vnitatem, & distinctionem; ergo neque ab obiectis. Hæc vltima consequentia patet ex priori: Tum, quia obiecta non possunt tribuere potentiis aliquid ex prædictis, nisi mediis actibus, ex eo quod non nisi mediis illis respiciuntur: ergo si actus hæc non tribuunt, neque etiam obiecta: Tum etiam, quia obiectum non minùs quàm actus solet esse quid posterius, quàm potentia, vt constat in obiecto augmentationis, scilicet in quantitate maiori, quæ est obiectum potentiæ augmentatiuæ, & ea posterior siquidem per illam producitur. Prima verò consequentia ex antecedenti patet, nam si actus sunt posteriores potentiis, supponent eas cum propria essentia, specificatione, vnitate, & distinctione; ac proindè, non poterunt hæc illis tribuere. Antecedens autem non indiget probatione, quandoquidem actus producuntur a propriis potentiis; ac proindè sunt posteriores, quàm ipsæ.

5 Nec refert, si dixeris, quod licèt actus stat posteriores in genere causæ efficientis, quàm potentiæ, nihilominus sunt priores in genere causæ finalis, & ita possunt easdem specificare; ac proindè, distinctionem tribuere. Nam contra hoc est: Tum quòd actus sunt imperfectiores quàm potentiæ, & ita non possunt ex natura sua esse finis earum, quandoquidem perfectiùs non ordinatur per se ad imperfectiùs tanquam ad finem, nam hæc esset peruersa ordinatio: Tum etiam quia res secundùm suam essentiam præcisam ab omni existentia, quo pacto de potentiis modò loquimur, non respiciunt causam finalem ex eo, quod sicut secundùm essentialia præcisè non respiciunt causam efficientem, ita nec finalem; quia hæ duæ extrinsecæ causæ mutuò sibi correspondent, sicut & intrinsecæ inter se collatæ mutuam inter se correspondentiam habent, vt in lib. Phys. disput. 14. num. 42. diximus.

Secundò, nam multoties obiecta potentiarum essentialiter, & realiter inter se distinctarum sunt realiter idem; è contrà verò obiecta vnius, & eiusdem potentiæ sunt essentialiter, & realiter distincta; ergo signum est potentias non desumere suam essentiam, vnitatem, & distinctionem à prædictis obiectis. Consequentia patet, nam si ex eis hæc desumerent, distinguerentur essentialiter, & realiter iuxta distinctionem prædictorum obiectorum: Antecedens autem patet; nam intellectus, & voluntas; quæ sunt duæ potentiæ essentialiter, & realiter condistinctæ, habent vnum, & idem realiter obiectum scilicet verum, & bonum; & similiter visus est vnica, & eadem potentia, & terminatur ad obiecta specificè, & realiter distincta omnium, ad album, & nigrum, & alios colores.

6 Confirmatur, nam ab eadem potentia, vt ab eodem intellectu plures actus distincti specificè, non solùm materialiter, & in esse entis, sed etiam formaliter procedunt; ergo intellectus non habebit ab illis propriam vnitatem, & distinctionem. Consequentia patet ex dictis; antecedens autem probatur, nam ab illo actus fidei, scientiæ, & opinionis oriuntur: at hos actus specie essentiali, & formali distingui, satis liquet; quandoquidem per diuersa formaliter media, nempe testimonium dicentis, demonstrationem, & rationem probabilem attingunt sua obiecta.

Tertiò quia alioqui habitus, & potentiæ essent eiusdem speciei, hoc autem est apertè falsum, vt communiter docent Philosophi, ergo, &c. sequela probatur, quia etiam habitus sumerent suam specificationem ab obiectis, siquidem ad illa per se ordinantur non minus quàm potentiæ.

Nec refert, si dixeris habitum, & potentiam non respicere idem prorsus obiectum, sed formaliter diuersum, quatenùs potentia respicit illud sub ratione communiori, & magis extensa: habitus verò sub ratione magis limitata, sicut intellectus habet pro obiecto ens in tota latitudine, Philosophia verò tale ens, scilicet ens mobile.

7 Nam contra hoc est: indè saltem fieri, quòd habitus sit pars subiectiua potentiæ; ac proindè quòd sit species quædam potentiæ; hoc autem est manifestè falsum, alioquin esset, & non esset habitus,

vt

vt ex se constat, ergo, &c. Sequela patet, nam sicut se habet limitatio in obiecto habitus ad obiectum potentiæ; ita limitatio in habitu ad potentiam; sed obiectum habitus, ratione huius limitationis comparatur ad obiectum potentiæ, vt species, vel pars subiectiua illius; vt obiecto intellectus, & habitus Philosophiæ constat: ergo etiam ratione similis limitationis, quæ est in habitu respectu potentiæ, erit idem habitus pars subiectiua seu species quædam potentiæ.

Confirmatur, nam si semel habitus, & potentiã suam speciem ab obiectis modò dicto desumunt, non possunt non eam inter se proportionem habere, quam obiecta ad inuicem collata retinent; ergo sicut obiectum habitus est pars subiectiua obiecti potentiæ; ita habitus erit etiam pars subiectiua, & specie quædam potentiæ.

Vltimò: ratio specifica & vnitas rei ab vno tantùm est desummenda: ergò spetificatio, & vnitas potentiarum ad summum desumetur ex solis actibus, aut ex solis obiectis, non verò ex vtroque simul. Consequentia patet. Antecedens etiam liquet; quia essentia, & vnitas rei est vnica; ad vnicam autem essentiam & vnitatem, sufficit vnum specificatiuum; quod etiam tribuat vnitatem.

Nec refert si dixeris; actus & obiecta reputari pro vno, & eodem specificatiuo; quia actus subordinatur obiecto, ex eo quod ab illo suam desumit speciem: nam contra hoc est, quòd vt in logica disputat. 16. numer. 18. diximus, actio, vt actio specificatur à principio actiuo; non verò ab obiecto quod est terminus illius; ergo actio, seu actus, & obiectum non comparabuntur propter hanc rationem, vt vnum, & idem specificatiuum, ex eo quod vnum subordinetur alteri, vt specificatiuo.

Præfertur sententia Aristot. & D. Thomæ.

§. II.

8. Dicendum tamen est primò potentias animæ sumere suam specificationem, vnitatem, & distinctionem, specificam ab actibus, & obiectis formaliter sumptis. Ita Aristot. in hoc 2. lib. text. 33. his verbis: *Priores potentiis actus, & operationes secundùm rationem sunt; & adhuc his priora sunt opposita siuè obiecta.* Ex quibus verbis sic arguit D. Thom. 1. p. quæst. 77. art. 3. in argumento sed contra *Posteriora distinguuntur secundum priora. Sed Philosophus dicit. de Anima, quòd priores potentiis actus, & operationes secundùm rationem sunt, & adhuc his priora sunt opposita, siue obiecta ergo potentiæ distinguuntur secundùm actus, & obiecta.*

Et text. 22. his verbis: *Sensitiuo enim esse & opinatiuo alterum, siquidem, & sentire ab ipso opinari; similiter autem, & aliorum vnumquodque dicta sunt.* Vbi D. Thom. lect. 4. *Cuiuslibet enim potentiæ ratio est secundùm ordinem ad actum vnde necesse est, si actus sint diuersi secundùm speciem, quod potentiæ habeant diuersam rationem speciei; & hoc est quod dicit, quod alterum est esse sensitiuo, & opinatiuo, id est intellectiuo, id est altera est ratio vtriusque potentiæ, si sentire est alterum ab opinari, & similiter est de prædictis aliis potentiis.*

Et hoc ipsum docet idem S. Doctor, loco cit. ex 1. p. his verbis: *Potentia secundùm id quod potentia est, ordinatur ad actum, vnde oportet rationem potentiæ accipi ex actu, ad quem ordinatur, & per consequens oportet, quòd ratio potentiæ diuersificetur, vt diuersificatur ratio actus ratio autem actus diuersificatur secundùm diuersam rationem obiecti, &c. Vnde, necesse est, quòd potentiæ diuersificentur secundùm actus, & obiecta.*

Et tandem vt explicaret id quod vltimo loco in assertione dicitur, scilicèt quomodo prædicta distinctio, & vnitas non sumitur ab obiecto materialiter, seu in esse rei, sed formaliter sumpto, id est secundùm illam rationem secundùm quam per se primò inspicitur, addidit. *Non quæcumque diuersitas obiectorum diuersificat potentias animæ, sed differentia eius ad quod per se potentia respicit: sicut sensus per se respicit passibilem qualitatem, quæ per se diuiditur in colorem, sonum, & huiusmodi, & ideo alia potentia sensitiua est coloris, scilicet visus, & alia soni, scil. auditus.* Quod etiam docuit 1. p. q. 59. art. 2. dicens: *Potentiæ non diuersificantur secundum materialem distinctionem obiectorum, sed secundùm formalem distinctionem quæ attenditur secundùm rationem obiecti.* Ac tandem idem tenet in 1. dist. 17. q. 2. art. 4. in corp. & dist. 44. q. 1. art. 1. & q. de Anima, art. 12. quos cæteri alij Philosophi exceptis his, quos pro sententia negante retulimus, sequuntur; & ideò ab eis in particulari referendis abstinendum est.

10. Ratio autem fundamentalis iam tacta est in locis modò relatis, quæ tamen maioris claritatis gratia, potest sub hac forma proponi, & magis explicari. Nam potentiæ vitales animæ sunt per se primò propter operationes; ergo ab ilis sumunt suam vnitatem, & distinctionem specificam, ergo etiam ab obiectis formalibus earundem. Hæc vltima consequentia patet ex priori; nam actus specificantur ab obiectis, quia sunt propter productionem, vel consequutionem eorum, vt inductiuè in omnibus actibus, seu operationibus constat; ergo si potentiæ specificantur, & distinguuntur per actus, non poterunt non saltem mediatè desumere suam speciem, vnitatem, & distinctionem ab eisdem obiectis. Prima verò consequentia ex antecedenti constat, quia vnumquodque accipit suam vnitatem, & distinctionem specificam ab eo, ad quod secundùm suam essentiam per se primò ordinatur, ita vt hoc habeat tum rationem finis, tum etiam rationem causæ formalis extrinsecæ specificantis, vt inductiuè constat.

Antecedens autem probatur, & explicatur ex his, quæ ex D. Thoma in lib. Phys. disputat. 10. diximus, scilicet potentias operatiuas quippè, quæ sunt accidentia, & substantiæ entia tribui à natura propter indigentiam eiusdem substantiæ; & ita quia substantia per se, & immediatè habet esse simpliciter ex eo quod per se, & immediatè est immediatum principium essendi; ideò accidentia; & potentiæ operatiuæ non tribuuntur ei à natura ad hoc vt sic, nec intenduntur per se primò propter esse.

11. Cæterùm, quia eadem met substantia non potest esse immediatum principium operandi, atque adeò, neque esse primò, nec immediatè propter operationem, quod quidem ad rationem principij immediatè operatiui requiritur, vt loco citato ostendimus; ideò tribuuntur ei à natura potentiæ operatiuæ, quæ sint immediatum principium operandi, quæque sint per se primò institutæ, propter operationes eiusdem substantiæ: & ideò prædictæ potentiæ non possunt non respicere per se primò easdem operationes; & esse propter illas.

Confirmatur & explicatur ratione, quam innuunt Aristotel. & D. Thom. nam potentiæ essentialiter habent esse proportionatæ, & commensuratæ ad eliciendos actus in ordine ad obiecta; ergo habebunt suam specificationem, vnitatem, & distinctionem ab illis. Antecedens patet, quia potentiæ essentialiter habent deseruire substantiæ ad eliciendos actus in ordine ad obiecta; ergo prædictæ potentiæ essentialiter debent esse proportionatæ, & com-

mensuratæ in ordine ad vtrumque, quandoquidem id quod essentialiter habet deseruire in ordine ad aliud, debet necessariò esse commensuratum, & proportionatum in ordine ad illud.

Consequentia autem etiam liquet; nam id quod essentialiter est commensuratum in ordine ad aliud & essentialiter habet ad illud deseruire, non potest, non habere suum esse in ordine ad ipsum, ac proindè ab eo suam essentiam, & distinctionem accipere: tum etiam, quia ideò instrumenta artis suam desumunt essentiam, & distinctionem ab operibus artificiosis, quia sunt essentialiter coaptata, & commensurata cum illis, habentque essentialiter ad illa deseruire: ergo cùm potentiæ sint essentialiter commensuratæ, & coaptatæ in ordine ad actus, & obiecta, & ad illa essentialiter deseruiant, non poterunt non ab eisdem suam essentiam, & distinctionē capere.

12. Confirmatur tandem ratione, quam innuunt idem Arist. & D. Thom. 2. de Anima lect. 6. Nam potentia vitalis quatenus talis est, nequit definiri quidditatiuè, nisi per ordinem ad operationem, & obiectum formale; quod respicit; ergo habet suam essentiam, vnitatem, & distinctionem specificam ab illis. Consequentia patet: tum ex se, tum etiam ex dictis in explicatione tituli huius quæstionis. Antecedens autem probatur; nam tota essentia eius sita est in hoc, quòd sit principium proximum, & immediatum, quo viuens se ipsum mouet, seu vitaliter operatur circa aliquod obiectum: ergo nequit quidditatiuè definiri nisi per ordinem, & ad operationem, & ad tale obiectum.

Dicendum est secundò. Non solùm vnitas, & distinctio specificata, verùm vnitas, & distinctio realis potentiarum debet ab actibus realiter distinctis, & obiectis formalibus desumi, & per consequens ab obiectis formalibus formaliter distinctis. Assertionem hanc quoad priorem eius partem, scilicèt distinctionem realem potentiarum sumi ex distinctione reali actuum, docuit D. Thom. 1. p. q. 77. artic. 3. vbi ex hoc quod esse, & operari in creaturis, distinguuntur realiter, colligit potentiam, quæ per se primò est ad esse, scilicet substantiam, etiam realiter distingui à potentia, quæ per se primò ordinatur ad operari, scilicet à potentia immediatè operatiua, vt latiùs in lib. Phys. disp. 10. à nu. 22. vsque ad 28. ostendimus: Et deinde quòd ad prædictam distinctionem sufficiat distinctio formalis obiectorum formalium, est eiusdem S. Doctoris, in eadem 1. p. q. 59. art. 2. ad 2. vbi postquam dixit, potentias non distingui secundùm materialem distinctionem obiectorum, sed secundùm formalem, & vt in esse obiecti considerantur, statim intulit, quòd hoc ipso quòd obiecta formalia formaliter distinguantur, debent potentiæ (supposita tamen distinctione reali actuum) realiter distingui. Vnde inquit: *Et ideò diuersitas secundùm rationem boni, & veri sufficit ad diuersitatem intellectus, & voluntatis*; quem communiter sequuntur ferè omnes Philosophi, & ita superuacaneum esset illos sigillatim recensere.

13 Ratio verò præcipua huius assertionis innuitur à D. Thoma loco citato, quæ potest sub hac forma proponi: nam si diuersitas formalium obiectorum, & distinctio realis actuum adæquatorum in illa tendentium non esset legitimum argumentum diuersitatis realis potentiarum, nulla esset sufficiens ratio, ob quam cogeremur plures potentias in eodem subiecto existentes, realiter distinguere: hoc autem est apertè falsum, & contra communem Philosophorum consensum: ergo diuersitas formalium obiectorum, & distinctio realis actualis actuum adæquatorum ad id sufficiet, & per consequens ex parte obiectorum formalium solum desiderabitur distinctio formalis eorum.

Prima consequentia ex maiori & minori apertè sequitur, secunda verò ex hac priori, siquidem ad rationem obiecti formalis vt talis sufficit distinctio formalis illius, à quouis alio obiecto, vt in exemplo intellectus, & voluntatis, nimirùm vero & bono, cernere licèt: quare si aliquando obiecta formalia distinguantur realiter, tunc talis distinctio non desiderabitur formaliter, & ratione sui ad distinctionem realem potentiarum, sed vel materialiter se habebit, vel solùm desiderabitur, ex eo quòd obiecta formalia non possunt ratione suæ limitationis habere proprias rationes formales essentialiter distinctas, nisi etiam ibidem realis distinctio intercedat, vt in obiectis externorum sensuum inter se collatis constat.

Maior autem ratione patet, quia cum non possit sumi earum distinctio ex parte subiecti cum habeant idem commune subiectum, vt in intellectu & voluntate, constat: fit inde vt solum possit accipi ex parte actuum, & obiectorum formalium, quandoquidem, vt intuenti patebit, non apparet aliquod aliud caput, vnde sumatur.

14. Confirmatur ratione insinuata à S. Doct. q. 78. citata & desumpta ex exemplo visus, & auditus, quæ hoc ipso, quod mediis diuersis realiter actibus respiciant distincta obiecta formalia, debent etiam realiter distingui, ita vt talis distinctio ex eisdem obiectis formalibus, vt à prima radice prouenniant; ergo, &c. Antecedens patet, nam formalissima ratio obiecti harum potentiarum desumitur ex diuersis modis, quibus immutant, & determinant prædictas potentias, ad hoc vt eliciant distinctos realiter actus adæquatos: at hoc ipso quod obiectum visibile, v. g. immutet, & determinet, diuerso modo potentiam visiuam, ac obiectum audibile, & ad hoc vt eliciat diuersum realiter actum adæquatum, exposcit necessariò vnicam sibi specialem potentiam, ac proinde realiter ab aliis distinctam, quandoquidem ex vitalis modi immutandi postulat potentiam in tali organo, talibus dispositionibus, nimirum, luce, transparentia, & aliis affectam, quæ tamen ab obiecto audibili, & modo immutandi auditum non petuntur; ergo, &c.

Confirmatur tandem, quoniam hoc ipso quòd obiecta formalia sint formaliter distincta, & ad modum immutandi, & terminandi quem habent, desiderentur realiter distincta organa, tunc prædicta obiecta sunt radices distinctorum realiter organorum, vt in exemplis obiecti visibilis, & audibilis constat; ergo signum est quod obiecta formalia potentiarum, & exigentia actus adæquatos realiter distinctos quibus attinguntur, habent maximam vim ad distinguendum realiter potentias, siquidem hoc ipso quòd sint talia, sunt radices distinctionis realis organorum, ac proinde multo magis ab eis distinctio realis potentiarum orietur, siquidem istæ per priùs ad eadem obiecta terminantur.

Occurritur argumentis sententiæ negatiuæ.

§. III.

15. AD primum benè respondetur ibidem, & ad primam probationem in contrarium patet ex dictis disp. 2. num. 7. Ad secundam verò probationem, quod licèt demus essentiam substantiæ completæ cum præcisione sumptam, non respicere aliquid tanquam causam finalem: secus tamen dicendum est in accidentibus, quæ sunt per se

primò

primò instituta à natura ob indigentiam substantiæ, & vt illi deseruiant. Nam hæc essentialiter sunt propter substantiam & ordinantur vt ad finem (modo tamen iam explicato) ad id, in ordine ad quod indiget substantia, vt ordinentur: & ita non mirùm, quòd potentiæ vitalea animæ essentialiter habeant pro fine, & iuxta modum explicatum, eas operationes, propter quas à natura institutæ sunt: quia id natura substantiæ, cui famulantur exigit. Ac proindè nec mirum quod ab eisdem etiam specificentur: nam vt suprà tetigimus, vnumquodque per se primò, & essentialiter ordinatum ad aliud, haber ab illo specificari; ita vt hoc habeat: tum rationem causæ finalis, tum formalis extrinsecæ, & specificatiuæ illius.

Ad illud autem de mutua correspondentia causæ finalis, & efficientis respondetur, satis esse ad hanc correspondentiam, quòd talis essentia, vt est sub existentia, debeat necessariò ita habere causam efficientem, vt quando producenda fuerit, sit eadem causalitas vtriusque causæ, sc. eademmet actio, seu agere, quod prout à fine sit causalitas finis, & prout ab efficiente sit causalitas efficientis. Sicut ob hanc rationem causæ intrinsecæ nimirum materia, & forma habeant eandem realiter identicè causalitatem, scilicet eandem vnionem, quæ provt à forma est causalitas formæ, & provt à materia est causalitas materiæ; non autem requiritur, vt hoc ipso quòd aliqua res secundùm suam essentiam respiciat aliquid vt finem, & tanquam id, à quo modo dicta specificetur, quod respiciat etiam essentialiter causam efficientem; quia hæc causa potest esse magis extrinseca, quàm finalis, & per consequens, quàm materialis, & formalis intrinseca.

16. Ad secundum concesso antecedenti neganda est consequentia, & ad probationem dicendum est: quòd licèt vnius, & eiusdem potentiæ sint plura, & diuersa obiecta materialia, & inadæquata, nihilominus obiectum adæquatum, & formale à quo vnitas, & distinctio potentiæ desumitur, semper est vnum, & idem formaliter, & in esse obiecti, vt in potentia visiua cernere licèt, cuius obiecta inadæquata differunt specie materialiter, & in esse rei conueniunt in vna, & eadem ratione tamen formali obiectiua, sc. in esse visibili.

Nec verum est id quod hac eadem probatione innuitur, sc. quod si ex obiectis formalibus, & modo dicto desumeretur distinctio realis potentiarum, tunc distinguerentur, iuxta distinctionem prædictorum obiectorum, & ita obiecta formalia, quæ solum formaliter distinguuntur, vt verum, & bonum, non possent causare realem distinctionem in potentiis eis correspondentibus, scilicet in intellectu, & voluntate. Nam vt ex D.Thom. diximus, distinctio formalis obiectorum formalium, & adæquatorum, & exigentium distinctos realiter actus adæquatos quibus attingantur, est satis proportionata ad hoc, vt realem distinctionem in potentiis causent.

Potestque hoc explicari tum ex eo, quòd distinctio formalis obiectorum non causat distinctionem realem in potentiis per modum constitutiui formalis, & intrinseci, sed per modum primæ radicis à qua veluti diuersi rami, scilicet diuersæ potentiæ suo modo procedunt; constat autem non requiri tantam distinctionem in prima radice, quantam in ramis ab eadem originatis: tum etiam, quia hoc ipso quod obiecta formalia & adæquata, & prædicta obiecta realiter distinctos exigentia habeant formaliter, seu virtualiter distingui; tunc ita realiter inspiciuntur ab vna potentia, ac si non essent inter se identificata, & ideò intellectus ita realiter respicit verum, ac si non esset ibi bonum sub ratione boni, voluntas autem ita realiter inspicit bonum, ac si non esset ibi verum sub ratione veri. Vnde, non nimirum, quòd hæc distinctio formalis obiectorum, & isti distincti modi, quo respiciuntur, & terminant, sint satis ad hoc, vt potentiæ realiter distinguantur, quandoquidem realis distinctio obiectorum, si ibi esset, non posset ob aliam rationem requiri ad distinctionem potentiarum, nisi vt ipsæ realiter respicerent vnum obiectum non respiciendo realiter aliud.

17. Quæ omnia eleganter, & vnico fere Verbo tetigit D.Thom. 1.part.quæst.59.art.2. ad secundum & quæst. 77. art. 3. ad tertium, vbi cùm sibi obiecisset sæpè esse idem obiectum diuersarum potentiarum, vt constat in obiecto cognoscitiuæ, & appetitiuæ, quæ mediis diuersis realiter actibus ad sua obiecta tendunt, responder his verbis: *Dicendum, quòd nihil prohibet id quod est subiecto idem esse diuersum secundùm rationem*, id est secundùm distinctam virtualiter rationem formalem, *& ideò potest ad diuersas potentias animæ pertinere.*

Ad confirmationem negandum est antecedens, & ad probationem dicendum est, quòd licèt actus fidei, scientiæ, & opinionis in esse rei, & secundùm suas peculiares rationes considerati distinguantur formaliter specificè, & ita sit in eis quid formale, quod attingant sua obiecta per distincta illa media; nihilominus totum hoc est materiale respectu illorum, quatenus formaliter attinguntur à potentia, & eam specificant, quia habent attingi, & specificant eam sub quadam ratione magis eleuata, in qua omnes illi specificè conueniunt. Sed de his videantur ea, quæ in l. de Gener. disput.4. num.151. & 170. diximus.

18. Ad tertium benè respondetur ibidem, & ad impugnationem neganda est sequela, ad cuius probationem concessa maiori, distinguenda est minor, & concedenda, si intelligatur de obiecto potentiæ, & habitus in esse rei; secùs verò in esse obiecti: nam licèt obiectum potentiæ, & habitus possint in esse rei comparari per modum rationis superioris, & inferioris; atque adeò obiectum habitus secundùm istam considerationem possit esse pars subiectiua obiecti potentiæ; nihilominùs in esse obiecti vtrumque habet esse vltimatè constitutum in sua ratione specifica, & atoma, quamuis ratio specifica obiecti, potentiæ sit eleuatior & eminentior; & ita nequeunt per modum rationis superioris, & inferioris, seu per modum totius potentialis, & partis subiectiuæ comparari. Ac proindè, nec habitus, & potentia, quæ ex obiectis in esse obiecti consideratis specificantur. Per quod etiam ad confirmationem satis patet.

19. Ad vltimam, optima est solutio ibidem adducta, si tamen rectè intelligatur.

Etenim actus potentiæ vitalis v. g. actiuæ, licèt in esse rei specificetur à principio actiuo, à quo elicitur; attamen in esse actus specificantis formalissimè sumpti essentialiter includit, vt non habeat suam essentiam per ordinem ad suum principium actiuum, scilicet potentiam, sed per ordinem ad obiectum, vt est terminus prædictæ potentiæ, quia sicut potentia specificatur ab obiecto, vt à termino, siue vt ab obiecto terminatiuo; ita respicit suum actum specificantem, vt est id *quo* prædictus terminus fit, seu vt est consequutio obiecti, ac proindè, vt talis actus ad prædictum obiectum per modum consequutionis eiusdem tendit, quod idem cum proportione de potentiis vitalibus passiuis dicendum est; nam intellectus v. g. specificatur à suo obiecto formali terminatiuo, & fæcundatur ab illo in esse obiecti motiui sumpto, vt consequatur ipsum, id est vt percipiat illud, ac proindè,

vt intentionaliter tendat ad ipsum, vt ab obiectum terminatiuum, seu intellectum ab illa; & ita intellectio vt specificans prædictam potentiam intellectiuam necessariò inuoluit, vt habeat suam essentiam per ordinem ad obiectum terminatiuum illius.

Et ad probationem in contrarium constat: Tum ex his, quæ in Logica disput. & num. statim referendis diximus: Tum etiam ex his, quæ modo dicebamus.

Vndè meritò D. Thom. qui locis citatis in logica disp. 16. num. 11. affirmat, actum, seu actionem, specificari à suo principio actiuo, asserit. 1. part. quæst. 77. art. 3. quod ex duobus recipit speciem actio, sc. ex principio, siue obiecto, vt habet rationem principij actiui, vel ex fine siue termino, idest ex eodem obiecto, vt habet rationem termini. Hoc autem dixit S. Doct. Tum propter ea, quæ, in Logica loco citato diximus (quæ quidem omnino videnda sunt:) Tum etiam ob illa, quæ nunc de actibus potentia vitalis diuersimodè, sc. vel in esse rei, vel in actus specificantis asseruimus.

QVÆSTIO II.

Quod sint genera potentiarum animæ.

Titulus huius quæstionis non de qualibuscumque potentiis animæ, sed de eis, quæ ab illa, vt anima est, fluunt, ac proinde, de solis potentiis vitalibus intelligendus est.

Ex mente Arist. & D. Thom. quæstio deciditur.

§. I.

20. Dicendum ergo est, genera potentiarum animæ esse quinque, scilicet, vegetatiuum, sensitiuum, loco motiuum, intellectiuum, & appetitiuum. Ita Aristot. in hoc 2. l. cap. 3. text. 27. his verbis: *Potentias autem diximus vegetatiuam, sensitiuum, appetitiuum, motiuam secundum locum, intellectiuum.* D. Th. ibidem lect. 5. & 1. part. quæst. 78. art. 1. Vbi innixus in hoc testimonio Aristot. docet, & probat, quinque esse genera potentiarum animæ, quæ iam numerata sunt. Idem etiam tenet de verit. art. 2. ad secundum, & quæst. de Anima art. 13. & alibi sæpè, quos sequuntur Caiet. & Bañes loco citato ex 1. part. Suarez 2. tom. summæ Theologiæ tract. 3. l. 1. c. 7. Ferrara 2. de Anima. q. 5. Conimbr. c. 3. q. 2. art. 1. Toletus q. 6. Rubio c. 2. tract. de pluralitate animarum q. 1. num. 14. Murcia disp. 2. q. 5. Zanardus lect. 14. quæst. 11. & communiter Philosophi.

Rationem autem fundamentalem huius assertionis tetigit D. Thom. loco citato ex 1. part. quæ potest ad hanc formam reduci. Nam potentiæ sumunt suam vnitatem genericam ab obiectis: sed quinque sunt genera obiectorum, circa quæ potentiæ Animæ versantur, ergo totidem erunt genera prædictarum potentiarum. Maior cum consequentia ex se, & ex iam dictis constant. Minor autem explicatur, & probatur à S. Doctore sic: Nam obiectum operationis Animæ in triplici ordine potest considerari. Primus, & minus communis dicit corpus vnitum vel intus susceptiuum, in quod semper anima vegetatiua operatur, & huic correspondet potentia vegetatiua. Secundus importat aliud obiectum vniuersalius, nimirum corpus sensibile, licèt non sit per se ipsum vnitum viuenti, sed per sui imaginem, seu speciem; & circa hoc versatur potentia sensitiua. Tertius denique dicit aliud obiectum magis vniuersale, ambiens non solum corpus vnitum modo dicto & corpus sensibile; sed etiam quodcunque ens, & huic correspondet potentia intellectiua, quæ ad quoduis ens terminari potest.

21. Cæterum, quia potentia intellectiua & sensitiua non solùm circa sibi coniuncta, sed etiam circa remota, & absentia versari potest; ideò obiectum vtriusque debet habere aliam rationem terminandi animæ potentias, & eius actus; nimirum quatenus est bonum animalis nondum re ipsa possessum. Et hoc adhuc dupliciter: primò secundùm quod terminat actum intentionis, &c. secundò quatenus idemmet bonum terminat exequutionem, & acquisitionem sui, & ad illud secundùm priorem rationem terminatur potentia appetitiua; cuius præcipuus actus est intendere modo sibi debito bonum sibi conueniens; & similiter circa illud met secundùm posteriorem considerationem versatur potentia loco motiua, quæ animalibus, in quibus est, tribuitur à natura ad hoc, vt bonum illud quod iam erat intentum possit re ipsa adipisci & possideri.

Confirmatur ratione desumptà ex eodem S. Doct. lect. 5. iam citata, quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam tot debent esse genera operationum viuentium, quo petit eorum esse, vt est principium operandi: sed esse viuentium sic sumptum, petit quinque genera actionum; ergo totidem debent dari, & consequenter totidem potentiarum genera.

Hæc vltima consequentis patet ex priori; & ex iam dictis; quandoquidem potentiæ sumunt suam vnitatem, & distinctionem genericam ex vnitate, & distinctione generica operationum. Prima verò consequentia & maior ex se constant. Minor autem, quia longiori expositione eget, ideò discursu aliquantulum fuso sic ostenditur, & explicatur ab Angelo Doctore. Nam ex viuentibus ea, quæ sunt inferiora, scilicet vegetabilia tantùm habent esse satis materiale, quod per materiam ita est contractum, & terminatum, vt prædicta viuentia ratione illius tantùm possint esse id, quod ex se sunt, non verò possint fieri alia; quamuis habeant aliquam eleuationem supra esse aliarum rerum, ex eo quòd possunt esse principium mouendi, & immutandi seipsa: & hoc esse petit peculiare genus operationis vitalis, sc. vegetationem per quod se ipsa vegetant.

22. Alia verò viuentia habent esse magis eleuatum, & immateriale; ratione cuius possunt recipere formas intentionales, & immateriales, quibus mediis fiant quodammodo, & in esse intentionali aliæ res: & hoc dupliciter, vel ita vt recipiant aut efficiant formas intentionales penitus immateriales scilicet species intelligibiles: & his viuentibus necessariò correspondet aliud genus operationum, scilicet operatio intellectus; vel ita vt recipiant formas intentionales, quæ non sint penitus immateriales; quamuis habeant satis depurationis à materia, quales sunt species sensibiles: & his viuentibus, quatenus per tales formas sensibiles operantur, debet correspondere aliud genus operationis, scilicet cognitio sensitiua.

Cæterum, quia ex vnaquaque forma sequitur aliqua inclinatio, & ex inclinatione operatio, sicut ex forma naturali ignis sequitur inclinatio ad locum qui est sursum; secundùm quam ignis dicitur leuis, & ex hac inclinatione sequitur operatio scilicet motus, qui est sursum; ideò ad formam, tam sensibilem, quam intelligibilem potest subsequi sua proportionata inclinatio, quæ nihil est aliud, vt communiter docent Philosophi, quàm appetitus vitalis, & in actu secundo, siue sensibilis, siue intellectualis, qui est quartum genus

genus operationis viuentis; & ex hac inclinatione sequitur vltimum genus operationis vitalis, nimirum motus localis ordinatus ad consequendum id, quod appetitum est.

Obiectiones contra prædicta.

§. II.

23. SEd obiicies primò: quod tantùm tria sunt animarum genera, & quatuor viuendi modi; ergo tantùm tria, vel ad summum quatuor debent esse potentiarum genera. Antecedens constat ex dictis disp.4. num.7.& 28. Consequentia vero quoad primam partem liquet, nam quidquid in proprietatibus, & potentiis animæ est, fluit ab essentia eiusdem animæ: ergo si genera animarum tantùm sunt tria, non poterunt indè potentiæ nisi secundùm triplex genus distinctæ oriri.

Quoad secundam verò partem non minus videtur perspicua: nam potentiæ vitales institutæ sunt ad hoc, vt opera vitæ exerceant, ergo si tantùm sunt quatuor viuendi modi, tantùm erunt quatuor modi vitaliter operandi, ac proinde solummodo quadruplex potentiarum vitalium genus poterit assignari.

Confirmatur: nam intellectiuum non potest constituere aliquod genus potentiæ, ergo, &c. Antecedens constat; quia intellectiuum non continet sub se plures potentias intellectiuas specie distinctas, sed solùm numericè, siquidem omnes potentiæ intellectiuæ ab anima intellectiua dimanantes solo numero distinguuntur.

24. Secundò, quia ad illud, quod est commune omnibus potentiis, non debet aliquod speciale potentiæ vitalis genus deputari, sed appetere conuenit cuilibet potentiæ animæ, visus enim concupiscit visibile conueniens, & ideò Eccles.46. dicitur *gratiam, & speciem desiderauit oculus tuus, & super hæc virides sationes*, & in vniuersum quælibet res bonum sibi conueniens desiderat, ergo, &c.

Tertiò, nam vel sensitiuum, & intellectiuum non debent numerari, vt diuersa genera potentiarum, vel appetitiuum per appetitum sensitiuum debuit etiam numerari, vt aliud genus potentiæ distinctum ab appetitiuo, secundùm appetitum rationalem; ergo vel sex, vel tantùm quatuor erunt genera potentiarum animæ. Consequentia patet; antecedens autem probatur, nam sicut appetitus sensitiuus, & rationalis conueniunt in ratione appetitiui, ita sensitiuuo, & intellectiuum continentur sub cognoscitiuo vt sic, & quemadmodum intellectiuum dicit perfectissimam, & spiritualem virtutem cognoscitiuam, & sensitiuum solùm imperfectam & materialem; ita appetitiuum appetitu rationali dicit vim appetendi spiritualem valdè perfectam, & subsequutam ad nobilissimam illam virtutem cognoscendi; appetitiuum verò, appetitu sensitiuo virtutem appetendi materialem imperfectam, & ad virtutem cognoscendi imperfectam subsecutam; ergo si appetitiuum per appetitum sensitiuum, & rationale tantùm constituit vnicum genus potentiæ, etiam cognoscitiuum per potentiam sensitiuam & rationalem constituet vnicum tantummodo genus potentiæ, vel si hæc duo duplex genus potentiæ constituunt; etiam appetitiuum per duplicem appetitum iam dictum duo potentiarum genera importabit.

Secundò, nam loco motiuum non potest constituere aliquod genus potentiæ distinctum à sensitiuo, vel intellectiuo, & appetitiuo, ergo, &c. Antecedens probatur, quoniam vt docet Aristot.3. de Anima text. 48. & sequentibus, vsque ad 58. & ibidem D. Thom. principium mouens in animalibus est sensus, aut intellectus, & appetitus; ergo loco motiuum non distinguetur à sensitiuo, vel intellectiuo, & appetitiuo.

Soluuntur obiectiones propositæ præter vltimam.

§. III.

25. AD primum respondetur, quòd si ex eodem capite multiplicitas animarum animatorum, & potentiarum eius desumeretur, necesse esset assignari tot animas, quot animata, nec non, & tot potentias vitales vnica excepta appetitiua, quæ ob rationem supra dictam nequit gradum vitæ constituere. Cæterùm (vt iam diximus) ex diuerso capite hæc accipiuntur, nam numerus animarum ex modo excedendi formas naturales; animatorum verò ex modis viuendi, quorum vnus sine alio reperitur; potentiarum tandem ea diuersitate operationem vitalium, & obiectorum desumitur. Vnde, non mirum quòd animæ sint tres, animata quatuor: potentiæ verò vitales quinque, cum modi excedendi formas naturales ad tria membra modi verò viuendi separabiles ad quatuor: ac tandem modi generales diuersarum operationum vitæ, & obiectorum illorum ad quinque membra reducantur.

Adde parum referre, quod potentiæ vitales excedant animarum, an animatorum multitudinem, sunt enim potentiæ animæ veluti instrumenta, potest autem vnum agens pluribus quasi instrumentis vti, & plures operationes essentialiter diuersas habere.

Ad confirmationem negandum est antecedens, & ad probationem negari etiam debet antecedens, nam vt infra lib.3. dicemus intellectus diuiditur in plures species scilicet intellectum agentem, & possibilem.

26. Ad secundum concedenda est maior, & distinguenda minor, & si intelligatur de appetitu innato, id est per modum cuiusdam ponderis naturalis ad proprium obiectum, qui consequitur ad formam naturalem concedenda est, nec aliud probatio ibidem adiuncta conuincit, si autem intelligatur de appetitu elicito, id est per modum actus secundi vitalis, & modo sibi debito consecuti ad formam apprehensam, de quo duntaxat in præsenti loquimur, neganda est, vnde respectu illius ob rationes iam dictas debet assignari quoddam genus potentiæ vitalis. Quæ solutio desumitur ex D. Thom. 1.part. quæst.78. art.1. ad tertium his verbis. *Appetitus naturalis est inclinatio cuiuslibet rei in aliquid ex natura sua. Vnde naturali appetitu quælibet potentia desiderat sibi conueniens, sed appetitus animalis consequitur formam apprehensam & ad huiusmodi appetitum requiritur spiritualis animæ potentia.*

Ad tertium respondetur verum esse inter appetitum sensitiuum, & intellectualem ea vna parte, & inter virtutem cognoscitiuam sensitiuam, & intellectualem ea alia reperiri eam proportionem quoad conuenientiam, & disconuenientiam, quæ ibidem refertur.

27. Cæterum hoc non obstante adest sufficiens fundamentum ad hoc, vt potius sensitiuum, & intellectiuum constituant duo genera potentiarum, quam appetitiuum, nam inter potentiam appetitiuam sensibilem, & intellectualem seu pertinentem ad partem animæ intellectiuam, est peculiaris quædam conuenientia, scilicet quod ambæ tendunt in rem singularem, vt suo loco dicemus, quæ tamen conuenientia, non est inter sensum cognoscitiuum, & intelle-ctum:

ctum ! nam vt lib.3. huius operis dicemus, intellectus est vniuersalium, sensus verò singularium, & ideò ratione huius conuenientiæ possunt peculiari titulo fundare vnicum genus potentiarum animæ. Adde quòd appetitus sumptus peculiariter pro appetitu rationali, constituit speciem iosimam appetitus, & ita noo est accommodatus ad hoc, vt numeretur, vt sextum genus potentiarum animæ, & ita vt omnia membra huius diuisionis continerent aliquod genus potentiæ vitalis, debuit nomine appetitiui intelligi appetitioum provt abstrahit, tam ab apperito sensitiuo, quàm rationali.

Occurritur vltimæ obiectioni.

§. IV.

28. AD vltimam vero respondetur primò, non esse improbabile quod motus localis, & vitalis animalium requirat aliquam potentiam executiuam distioctam à potentia cognoscitiua, & appetitiua, quamuis motus iste subordinetur, & imperetur ab his duabus potentiis, quod innuere videtur D. Thom. vnic. de anima, art.13. ad 3. his verbis. *Dicendum quòd intellectus, & appetitus mouent sicut imperantes motum, sed oportet esse potentiam motiuam, quæ motum exequatur, secundùm quam scilicet membra sequuntur imperium appetitus, & intellectus, vel sensus.* Et de potentia quæst.6. art.3. ad secundum, sic ait. *Formæ rerum naturalium in mente Angelica existentes sunt magis actuales, quàm formæ, quæ sunt in materia, & propter hoc sunt immediatum principium perfectioris operationis quæ est intelligere: operationis verò, quæ est actio materiam transmutans, non sunt immediatum principium; sed mediante voluntate, & voluntas mediante, virtute, & virtus immediatè mouet motum localem, quo motu mediante est causa alterum motuum; & est causa aliqua inductionis formæ in materia*, & ideò hunc dicendi modum sequitur Nazarius 1. part. q.54. art.5. & eum, vt probabilem in via D. Thomæ tuentur Caiet. Zumel, Ripa, & Molina, vt idem Nazarius refert.

29. Secundò respondetur ex eodem Angelico Doctore loco citato ex 3. de Anima lectione 15. Verum esse, quod in brutis potentia sensitiua, seu phantasia, & appetitus sensitiuus sunt principia motus localis & vitalis eorundem, & similiter in hominibus intellectus, & appetitus rationalis, ita quidem, vt illemet actus, quo appetitus, verbi gratia absolutè, & efficaciter appetit motum localem, membrorum animalis, vt hic & ounc executioni mandandum sit virtualiter transiens, & ita mediante eo eliciat prædictum motum, & motus iste ad eundem appetitum, non quidem tanquam actio ad agens, sed tanquam effectus ad idemmet agens comparetur, vt docent Capreolus in 1. distinctione 1. quæst.2. ad argomenta Aureoli contra primam conclusionem, & præcipuè ad primum Ferrara 2. contra Gen. c.82. & Bañes 1. part. q.78. art.1. dub.2.

Hic tamen non sequitur, non esse quioque genera potentiarum animæ, quia, vt benè notauit Caiet. 3. de Anima cap.6. distinctio inter has potentias non est necesse, vt sit realis, sed satis est, vt sit formalis, siue virtualis: & ita licèt aliæ potentiæ distinguantur realiter, nihilominùs distinctio, quæ est inter potentiam appetitiuam, & motiuam secundùm locum non est realis, tanquam inter duas res, sed formalis, & virtualis secundum diuersas rationes, vt statim magis explicabimus.

Vtrùm autem intellectus concurrat taotùm vt dirigens, & solus appetitus vt eliciens, ac proindè appetitus sit causa proxima, & immediata; intellectus autem solùm mediata, vt aliqui ex Thomistis volunt, vel intellectus per actus imperij concurrat formaliter, & proximè eliciendo prædictum motum: appetitus verò mediatè, quatenùs efficaciter mouet, & applicat intellectum, & ex hac motione habet vim, & efficacitatem ad hoc vt efficaciter imperet, & eliciat motum localem, vt vult Ferrara 3. de Anima qu. 19. & plures ex discipulis D. Thom. alia quæstio est præsens superans institutum quæ 1. part. quæst. 14. art. 8. & quæst. 19. art.4. & 12. quæst. 17. solet à Theologis discuti.

30. Nec obstat, si contra hæc obiicias: tum ea, quæ ex D. Thom. quæstione de Anima, iam citata in priori solutione adduximus, & similiter ea, quæ idem S. Doctor 1. part. q.78. art.1. ad quartum asserit, nam postquam dixit: *Quod quamuis sensus, & appetitus sint principia mouentia in animalibus perfectis*, addidit: *Non tamen sensus, & appetitus in quantum huiusmodi sufficiunt ad mouendum, nisi superadderetur eis aliqua virtus: nam in immobilibus animalibus est sensus, & appetitus, non tamen habent vim motiuam: hæc autem vis motiua non solum est in appetitu, & sensu, vt imperante motum, sed est in ipsis partibus corporis, vt sint habilia ad obediendum appetitui animæ mouentis, cuius signum est quòd quando membra remouentur à sua dispositione naturali, non obediunt appetitui ad motum.* Vnde sicut virtus, quæ ponitur in oculo ad obediendum appetitiui imperanti visionem, debet esse elicitiua visionis: ita virtus, quæ ponitur io membris ad obediendum eidem appetitiui dum imperat motum localem, debet esse elicitiua eiusdem motus localis.

Tum etiam, quod idem Angelicus Doctor in hac solutione, & alibi sæpè docet, quòd appetitus in animali imperat motum: in doctrina autem ipsius, actus imperandi distinguitur ab actu elicito, ac proindè si appetitus imperat prædictum motum, non elicit illum: tum denique, quia si appetitiuom noo distinguitur realiter à loco motiuo, non est vnde distinguatur formaliter. Nam sicut intellectus practicus, & speculatiuus non sont duo intellectus formaliter distincti, sed vnus, & idem simplicissimus, qui simul versatur circa res speculabiles, & dirigit ad opus, v.g. motum localem progressiuum hominis: ita appetitus ex eo, quòd sit causa eiusdem motus localis, non erit distincta formaliter potentia à se ipso, provt est præcisè appetitus.

31. Non itaque hæc obstant: non quidem duo priora testimonia; nam ipse D. Thom. se explicuit tum secundo contra Gentes c.82. io fine, vbi inquit: *Non mouet anima brutalis, nisi per sensum & appetitum, nam virtus quæ dicitur exequens motum, facit membra esse obedientia imperio appetitus. Vnde magis sunt virtutes perficientes corpus ad moueri, quàm virtutes mouentes.* Tum etiam 1. part. quæst.75. art.3. ad 3. inquiens: *Vis motiua exequens motum est, per quam membra corporis redduntur habilia ad obediendum appetitui, cuius actus non est mouere, sed moueri.* Vnde membra non obediunt appetitiui quoad motum localem, & vitalem, eo modo, quo oculus obedit illi ad videndum: sed ea ratione qua (proportione tamen seruata) lapis obedit generanti impellenti illom ad motum localem in centrum, si grauitas non instrumentaliter actiuè, sed solùm passiuè, & disponendo lapidem ad talem motum concurrat: vnde motus ille eatenus dicitur à graui exerceri, quateous medio illo mouetur in centrum.

Nec etiam illud, quod de imperio appetitus obiicitur, obest, quia nomen imperij oon accipitur à Diuo Thoma, vt distinguitur contra hoc, quod est elicere:

elicere : ſicut cum dicitur actum humilitatis imperari à charitate , & elici à virtute humilitatis : ſed pro motioοe efficaci , qua intellectus, vel ſenſus, & appetitus mouent efficaciter corpus ſecundùm locum ; cuique corpus ipſum ooo reſiſtit , ſed media virtute paſſiua in membris exiſtente , qua redditur habile ad obediendum illi motioni , obedit illi,& modo nuper explicato exequitur prædictum motum.

32. Nec tandem id , quod vltimo loco adducitur, obſtat : quoniam vt ex dictis conſtat , negandum eſt antecedens ex eo, quod potentia loco motiua reſpicit ſuum proprium,& formale obiectum,quatenùs diſtincta ab appetitiοa ; & ei correſpondet proprius, & peculiaris actus virtualiter diſtinctus ab actu correſpondente potentiæ appetitiuæ vt tali. Nam idemmet actus , verbi gratia appetitus , vt eſt immanens: & appetitio obiecti , correſpondet appetitiuo : vt autem habet efficacitatem ad mouenda membra, & ratione illius , eſt virtualiter tranſiens , ac proindè connotat motum localem animalis , vt effectum eiuſdem appetitus, debet correſpondere potentiæ locomotiuæ.

33. Et ad probatioοem in contrarium dicendum eſt quòd ſicut ex hoc , quòd calor ignis , & calor animalis ſecundùm ſe ſint eiuſdem ſpeciei , & nihilominùs in igne habeat vim , & efficacitatem ad hoc , vt ſit productiuus alterius ignis per modum virtutis inſtrumentariæ , & in aliquibus animalibus ad producendum eodem modo aliud animal , in aliis verò careat hac efficacitate ; colligimus prædictum calorem , vteſt virtus ignis, habere aliquam formalitatem , ratione cuius reddatur efficax ad producendum ignem,quam tamen non habet,vt eſt virtus animalis, aut ſecundùm quod eſt in animalibus infœcundis , & è contra vt io lib. Phyſicorum diſputatione 10. n.19. diximus. Ita ex eo quod , verbi gratia appetitus ſenſitiuus mobilium, & immobilium animalium ſit eiuſdem ſpeciei ſecundùm ſe ſumptus , & in illis habeat illam efficacitatem ad mouenda membra illorum io ordine ad motum localem perfectum , & diſtinctum à motu dilatationis, & conſtrictionis, io his verò oon habeat prædictam efficacitatem ; infertur io illis habere aliquam formalitatem maioris efficacitatis, & virtutis, qua illa hæc poſteriora carent:hinc tamen noo ſit, vt obiectio intendit, quòd intellectus practicus , & ſpeculatiuus debeant formaliter diſtingui , vt duo intellectus , propter rationem lib.3. huius operis tradendam.

QVÆSTIO III.

Quodnam ſit ſubiectum potentiarum animæ.

EX dictis,tam in hac diſputat. quàm in locis in ea relatis conſtat, quæ ſit cauſa efficiens potentiarum animæ,quæ finalis , quodque ſit ſpecificatiuum, tam intrinſecum , quàm extrinſecum,quod ad cauſam formalem ſpectat. Quare ſolùm reſtabat de ſubiecto, ſeu cauſa materiali earum iu hac vltima quæſtioοe ſermonem texere.

Duplex ſententia refertur.

§. I.

34. PRima ſententia aſſerit, potentias vitales animæ ſubiectari in illa. Pro hac refertur Scotus in 2. diſtinct. 12. quæſt. 3. & ibidem Gregorius Ariminenſis, Iandunus lib.2.de Anima quæſt.7. Paulus Venetus in ſumma de Anima cap.4. Probatur primò, teſtimonio Auguſtin. lib.12. ſuper Geneſ. ad litteram cap.46. aſſerentis , quòd *Non corpus , ſed anima ſentit per corpus, quo tanquam nuntio anima ipſa vtitur* : ergo operatio ſeotiendi à ſola anima verè, & propriè fit,atque adeò in ipſa ſola erunt potentiæ ſenſitiuæ, & corporeæ, & conſequenter omnes aliæ.

Secundò, oam potentiæ vitales debent eſſe tanquam in ſubiecto in eo à quo tanquam à principio dimanant , alioqui oon eſſent vitales, de quarum ratione eſt, quòd ſint coniunctæ cum ſuo primo , & radicali principio vitæ,ſed potentiæ vitales oriuntur ab anima , tanquam à primo fonte totius vitæ : ergo in illa,vt in ſubiecto erunt.

35. Secunda ſententia aſſerit, omnes potentias vitales,& corporeas in ſola materia prima recipi : hanc teoent aliqui ex bis , quos in lib. de Generat. diſp.2. num.73. retulimus pro ſententia aſſerente accidentia diſponentia ad ioτroductiοoem formæ ſubſtantialis ſubiectari in ſola materia prima, quibus videtur ſubſcribere Franciſcus Suarez tom.2. ſummæ Theologicæ tract.3.lib.2.cap.3.n.3.

Probant primò, nam potentiæ vitales hominis , vt viſus, & auditus,&c. ſubiectantur in ſola materia prima : ergo etiam potentiæ vitales aliorum viuentium. Conſequentia probatur , nam ſi materia prima in homine ſe ſola habet vim ad hoc,vt ſit ſubiectum adæquatum potentiarum vitalium illius, non eſt cur hoc materiæ primæ aliorum viuentium denegetur, quandoquidem in omnibus illis materia eſt eiuſdem rationis. Antecedens autem ſuadetur , quia accidens corporeum nequit recipi in ſubiecto ſpirituali , ſed tantùm in ſubiecto corporeo , alioqui non eſſet debita proportio inter accidens,& eius ſubiectum: ergo cùm in hoοine anima ſit ſpiritualis, non recipientur io illa potentiæ vitales corporeæ, & conſequenter in ſola materia prima,vt in ſubiecto erunt.

Secundò probatur, & confirmatur ſimul ratio præcedens , naio ſi prædictæ potentiæ in materia , & anima ſimul tanquam in ſubiecto reciperentur, iam eſſent io duplici ſubiecto realiter diſtincto : hoc autem repugnat , quandoquidem vnicum realiter accidens vnicum tantùm realiter ſubiectum,à quo indiuiduetur, habere poteſt : ergo, &c.

Communis , & vera ſententia.

§. II.

36. VT communem,& veram ſententiam explicemus , notandum eſt , duplex eſſe potentiarum vitalium genus , alias organicas , alias verò noo organicas : illæ priores ſunt , quæ medio organo corporeo , tanquam inſtrumento coniuncto ſuas operationes exercent, vt viſus, qui medio oculo,ſiue pupilla,tanquam organo viſionem elicit : poſteriores verò illæ dicuntur, quæ non operantur per organum corporeum , eo quòd ſunt potentiæ pùre ſpirituales , ac proiodè propter ſuam magnam perfectionem,& eleuationem ſupra materiam nequeunt dependere à corpore in ſuo eſſe , oeque per illud, tanquam per organum , & inſtrumentum coniuoctum operari , quales ſunt intellectus, & voluntas.

Dicendum ergo eſt primò , potentias non organicas ſubiectari immediatè in ipſa anima , cuius ſunt potentiæ, ſcilicet in anima rationali : organicas verò in coniuncto ex corpore,& anima,& oon in ſola anima, vt in ſubiecto adæquato. Ita Ariſtot.2.de Anima text.122. & lib.1. cap.1. nec non lib.2.de ſomno, & vigilia,vt refert D.Thom. 1.part.quæſt.77.art.5. io argumeot. ſed contra bis verbis : *Sed contra eſt, quòd Philoſophus*

losophus dicit in lib. de somno, & vigilia, quòd sentire non est proprium animæ, neque corporis, sed coniuncti: potentia ergo sensitiua est in coniuncto, sicut in subiecto: non ergo sola anima est subiectum omnium potentiarum suarum. Idem tenet S. Doctor in eodem articulo in corpore illius, vbi sic inquit: *Manifestum est autem ex supradictis, quòd quædam operationes sunt animæ, quæ exercentur sine organo corporali, vt intelligere, & velle. Vnde potentiæ, quæ sunt harum operationum principia, sunt in anima sicut in subiecto: quædam verò operationes sunt animæ, quæ exercentur per organa corporalia, sicut visio per oculum, auditus per aurem, & simile est de omnibus alijs operationibus nutritiuæ, & sensitiuæ partis, & ideò potentiæ, quæ sunt talium operationum principia, sunt in coniuncto, sicut in subiecto, & non in anima sola.* Quod etiam docet art.8. eiusdem quæstionis in argumentu sed contra, vbi refert testimonium quoddam ex libro de Ecclesiasticis dogmatibus, his verbis: *Ex duabus tantum substantiis constat homo. Anima cum ratione sua, & carne cum sensibus suis.* Et de spiritualibus creaturis art.4. ad tertium, & art.2. ad 20.& opuscul.3.cap.89.& 92. quos sequuntur plures, & grauissimi Philosophi, quos in lib. de Generat. disp.2. num.68. & 76. pro nostra sententia retulimus.

37. Rationem autem fundamentalem huius assertionis adduxit Angelicus Doctor. loco citato ex art.5. quæst.77. quæ potest sub hac forma proponi. Nam illud est subiectum *quod* potentiarum vitalium, quod per se primò,& vt *quod* per illas operatur: sed anima est quæ per se primò, & vt *quod* intelligit, & vult per intellectum, & voluntatem, quæ sunt potentiæ non organicæ: & coniunctum ex anima, & corpore est id quod eodem modo operatur per poteotias organicas: ergo illæ recipientur tanquam in subiecto *quod* in sola anima: istæ vero in coniuncto ex anima, & corpore.

Maior patet tum exemplo: tum etiam ratione. Exemplo quidem, nam ideò ignis est subiectum *quod* caloris, quia est id quod per se primò, per illum calefacit. Ratione verò, nam cùm potentiæ vitales sint operatiuæ, & tribuant per se primò suum effectum formalem suo proprio, & connaturali subiecto *quod*, consequens erit, vt illud sit subiectum *quod* earundem, quod per se primò potest per illas operari. Minor autem quoad primam partem etiam constat, nam cùm anima rationalis existat,& subsistat vt *quod*, vt suo loco dicemus, & sit naturæ intellectualis, debet per se primò habere operationes talis naturæ, scilicet intelligere, & velle, quæ fiunt mediis potentiis non organicis,scilicet intellectu,& voluntate. Et deiode quoad secundam partem etiam liquet, nam cùm operatio potentiarum organicarum sit corporea, & dependens à materia, non potest non exerceri medio organo corporeo, & ita nequit visio exerceri, nisi mediante oculo, nec auditio nisi mediante organo auditus, vt communiter docent Philosophi,vt suo loco ampliùs ostendemus ex eo, quod proprium est solius operationis purè spiritualis, non fieri dependenter à corpore, vt instrumento coniuncto per quod elicienda sit.

38. Confirmatur, nam potentiæ organicæ vtpotè corporeæ, & extensibiles præsupponunt in subiecto immediato *quod* quantitatem, non minùs, quàm reliqua accidentia corporea,& extensibilia, exiguntque etiam certas dispositiones in illo, vt per eas operari possint,vt experientia constat: ergo nequeunt immediatè in sola materia subiectari, aut forma. Patet consequentia, nam in his sic sumptis, neque quantitas, neque reliquæ dispositiones, sed solùm in toto composito recipiuntur,vt ex dictis in lib.de Generat. disp.2. num.76. & sequentibus constat, & deindè, potentiæ non organicæ vtpotè spirituales, & independentes à materia, nequaquam in subiecto corporeo, sed spirituali, quod nullum aliud præter ipsam animam esse potest, recipi debent; maximè, quia prædictæ potentiæ institutæ sunt à natura ad hoc, vt etiam animæ in statu separationis deseruiant; constat autem quòd si subiectarentur in toto, perireot eo pereunte, & ita nequirent animæ in statu separationis deseruire.

Nec refert, si contra rationem fundamentalem obiicias: ex ea potiùs sequi potentias non organicas subiectari in toto coniuncto, scilicet in homine, quoniam operationes eius, scilicet intelligere, & velle, magis sunt operationes totius compositi, quàm animæ rationalis. Et ideò Aristot. lib.1. de Anima cap.4. text.64. inquit: *Melius fortassis non dicere animam misereri, aut addiscere; aut intelligere, sed hominem per animam.* Et D. Thom.1. part. quæst.75. art.2. ad secundum asserit. *Potest dici quòd anima intelligit, sicut oculus videt, sed magis propriè dicitur, quòd homo intelligat per animam:* ergo si illud est proprium subiectum alicuius potentiæ, quod per eandem propriè operari asseritur, rectè inferretur; potentias etiam non organicas in toto composito subiectari.

39. Non itaque hoc refert, quia vt benè notauit Caiet.1.part. quæst.77. art.5. dupliciter potest aliquid esse principium *quod* alicuius operationis, vel ita vt ratione sui, & non per communicationem ab alio, tanquam à principio formali realiter à se distincto hoc habeat, & nihilominùs sit simul forma, & ratio qua aliquid easdem operationes eliciat vt *quod*, vel ita vt ratione alicuius principij formalis in illo inclusi, & ab eodem realiter distincti, operantisque vt *quod*, hoc ipsum participet.

Inter hos autem duos modos eliciendi operationes per modum priocipij *quod*, duplex intercedit discrimen. Primum est, quod id, quod priori modo illas elicit, habet per se primò, & immediatè esse principium *quod* earundem, noo verò quod posteriori modo est causa earum, & ita illi debent per se primo inhærere potentiæ elicitiuæ prædictarum operationum, non verò isti,ex eo quòd solùm secundariò eas elicit, id est, quatenùs primum principium earum, vt *quod*, necessariò includitur in ipso.

Secundum est, quòd id cui priori modo conoenit esse principium *quod*, potest etiam competere esse subsistens vt *quod*, non tamen esse suppositum, seu personam, qoia ad subsistendum, vt *quod* non requiritur, vt subsistens habeat naturam integram, & completam, secùs tamen ad hoc, vt sit suppositum, seo (quod intellectualibus idem est) ad hoc vt sit persona. Quare cum Aristot. & D. Thom. asserunt, potiùs totum hominem, quàm animam dicere, aut intelligere vt *quod*, loquuntur de principio *quod* posteriori modo, & per modum suppositi, seu personæ non verò do principio *quod* priori modo, secundùm quam rationem potiùs anima, quàm totus homo intelligit, & vult. Vnde potentiæ non organicæ, scilicet intellectus, & voluntas debent animæ per se primo inesse, homini autem non nisi secundariò, & mediatè, quatenùs includit animam rationalem, vt formam sui, cui per se primò insuot, quippè quæ per se primò, per illas operatur.

Fit obuiam argumentis aliarum sententiarum.

§. III.

40. Ad primum primæ sententiæ respondetur ex D. Thom. 1. part. quæst. 77. art. 5. ad tertium, Diuum Augustinum non fuisse ibi loquutum assertiuè, sed recitatiuè, referendo nimirum sententiam Platonis existimantis, quòd sentire est propria solius aoimæ operatio, cuius Philosophi opinionibus in rebus Philosophicis solet Augustinus modo recitatiuo vti.

Ad secundùm respondetur, quòd licèt omnes potentiæ vitales oriantur ab anima tanquam à principio *quo*, non tamen vt à principio *quod*, sed à toto composito, & ideò illæ, quæ ab eadem, vt à principio *quo*, solummodo resultant, quales sunt potentiæ organicæ, ac proinde potentiæ correspondentes plantis, & omnibus brutis non possunt in illa, vt in subiecto *quod* recipi, sed tantùm vt in subiecto *quo*.

41 Ad primum verò secundæ sententiæ constat ex dictis in libro de Generatione disputat. 3. num. 67. negandum esse antecedens, & ad probationem, verum esse accidens corporeum, non posse recipi in subiecto spirituali, quatenùs spirituali, & tanquam in subiecto *quod* totali, aut primariò: secùs tamen vt in subiecto spirituali, quatenus corporeo vt *quo*, & tanquam in subiecto partiali *quo* habenti rationem subiecti secundarij; sic enim optimè seruatur proportio inter subiectum, & accidens corporeum. Quare cùm anima hominis, quantumuis sit in se spiritualis, nihilominùs sit corporea vt *quo*, & non habeat esse subiectum totale, & primarium prædictorum accidentium: inde est, vt possit esse subiectum *quo* illorum, ac proindè totum compositum erit subiectum *quod* receptiuum eorundem. Sed circa hæc videantur illa, quæ 10 lib. Physic. disput. 6. num. 47. vsque ad 51. diximus, vt explicaremus, quomodo licèt anima nostra sit spiritualis, nihilominus possit in ea subiectari vnio eiusdem ad corpus, vt informatio est, quamuis talis vnio sit quid corporeum; nam eodem proportionali tamen modo in præsenti quoad receptionem accidentium corporeorum, quæ in anima rationali recipiuntur, debet philosophari.

Ad secundum dicendum est: veram esse maiorem intellectam de duplici subiecto partiali, & *quo* realiter distincto: secùs verò de duplici subiecto *quod* totali, & primariò, & deinde neganda est minor, & ad probationem dicendum est quòd vnitati vnius, & eiusdem accidentis non derogat multiplicitas realis plurium subiectorum *quo*, & partialium, dummodo subiectum *quod* totale, & primarium sit vnicum, & idem.

DISPVTATIO VIII.

De anima vegetatiua, & eius potentiis.

1. Hactenus explicata natura animæ vt sic, & potentiarum eius generaliter sumptarum meritò statim ad animæ vegetatiuæ quidditatem, & potentias explicandas descendimus: tum quia communior, & vniuersalior est, quandoquidem quæuis anima sensitiua, aut rationalis debet esse vegetatiua, vt disput. 4. num. 53. diximus, non tamen è contrà: tum etiam, quia vt optimè notauit Diuus Thomas in hoc 2. libro lectione 7. sicut esse naturale est fundamentum esse sensibilis, & intelligibilis; ita anima vegetatiua est fundamentum sensitiuæ, & rationalis, & licèt ad exactam huius animæ, & potentiarum eius notitiam plura essent tradenda de nutritione, augmentatione, & generatione, quæ sunt propriæ operationes illius, vt statim dicemus, nihilominùs, quia de his satis fusè in lib. de Generatione egimus, ideò solùm de illis, de quibus ibidem ex professo, non disputauimus, agendum in hac disp. erit.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit anima vegetatiua, & quo eius operationes?

2. Prior huius quæstionis pars meliùs intelligetur, si priùs posterior decidatur & ideò de numero operationum animæ vegetatiuæ primo loco agemus. Vt autem vtrumque meliùs explicemus, notandum est, viuentia esse in triplici differentia, quædam adeò perfecta, vt nomquã ex putrefactione, sed ex parte, virtute seminis, cõcurrente etiam virtute cœlesti efformentur, qualia sunt homo, & equus, &c. Quod quidem teste Arist. Problem. 13. sect. 10. & Problem. 16. eiusdem sectionis, prouenit ex eò quod hæc viuentia ob sui perfectionem postulant, vt non breuiter, sed longo temporis interuallo, pluribusque dispositionibus eorundem efformatio duret. Vndè cùm materia exterior illaque v. g. terræ putrefactio, non possit tanto tempore, & cum debitis aliis circumstantiis, ac dispositionibus conseruari: sit indè, vt neque huiusmodi viuentia possint ex ea fieri. Alia verò sunt, quæ ob sui imperfectionem ex putri materia semper procreantur, cuius generis sunt, vt vult Bañes, anguillæ, & alia, tunc tamen debent materiæ medio lumine, & calore solis, qui est veluti semen respectu talis generationis, disponi, de quorum etiam animalium generatione meminit idem Philosophus 6. lib. de historia Animalium, cap. 15. & 16. Alia tamen sunt viuentia veluti media, quæ modò per generationem, modò ex putrefactione fiunt, vt mures vespæ, & alia, quorum meminit Arist. 7. Phys. cap. 7.

Explicatur numerus operationum animæ vegetatiuæ.

§. I.

4. His ergo suppositis, dicendum est primò, si loquamur de operationibus proprijs, omni, & soli animæ vegetatiuæ, generalissimè sumptæ conuenientibus, non est necesse plures alias præter nutritionem, & augmentationem enumerare; si verò de his, quæ oriuntur ab eadem anima paulò strictiùs sumpta, quatenùs nimirum determinatur ad animas primi, & posterioris generis, tunc erunt tres, nutritio nimirum, augmentatio, & generatio.

Assertionem hanc quoad vtramque partem docent communiter Philosophi cum Arist. & D. Thom. & quidem quoad priorem satis constat, ex his quæ ex Aristot. diximus, quandoquidem anima vegetatiua communissimè sumpta non habet tantam vim, & perfectionem, vt possit generare sibi simile: cumque ex alio capite videamus omne viuens nutrire, & augere se, fit indè, non esse necessarium, alias illius operationes præter iam dictas enumerare, nam vt ex statim dicendis constabit, anima vegetatiua solum poterat vltra enumeratas habere aliam, scilicet generationem.

Quoad secundam verò partem est etiam Arist. relati à D. Thom. 1. p. q. 78. art. 2. his verbis: *Sed contra est, quòd Philosophus dicit in secun. de Anima, quòd opera huius animæ*, scilicet vegetatiuæ de qua loquimur, *sunt generare, & alimento vti, & iterum augmentum facere.* Quem sequitur S. Doctor ibidem, q. de Anima art. 13. Et 2. huius operis, lect. 9. vbi loquens de operationibus animæ vegetatiuæ contractæ ad animas iam dictas, sic ait: *Prima eius operatio est nutritio, per quam saluatur aliquid vt est. Secunda autem operatio est augmentum, quo aliquid proficit in maiorem perfectionem secundum quantitatem. Tertia autem est generatio.*

4. Rationem autem fundamentale tetigit D. Th. vna cum Arist. locis cit. quæ potest ad hanc formã reduci, nam obiectũ animæ vegetatiuæ, de qua loquimur, est corpus viuens per illam; sed ad huiusmodi corpus tres animæ operationes iam dictæ requiruntur, & sufficiunt: ergo totidem eidem animæ assignandæ erunt.

Maior constat, quia finis vegetatiui, vt habet virtutem operatiuam, est conseruatio proprij esse, siue in indiuiduo, siue in specie: & ita obiectum illius tantum erit corpus viuens, per animam vegetatiuam, siue illud sit idem numero, siue idem secundùm speciem, quia per corpus sic sumptum conseruatur proprium esse vegetatiuum, tam in indiuiduo, quã in specie, & ideò idem S. Doctor q. citata ex 1. p. art. 1. docet in hoc distingui obiectum vegetatiui ab obiecto sensitiui, & intellectiui, quòd obiectum intellectiui est vniuersalissimum, scilicet omne ens; sensitiui verò minùs amplum, nimirum corpus sensibile, siue separatum, siue coniunctum cum sensitiuo: vegetatiuĕ autem adhuc minus amplum, scilicet corpus animæ vnitum, siue sit vnitum eidem animæ secundùm numerum, siue eidem secundùm speciem.

5. Minor autem quoad primam partem, scilicet ad huiusmodi corpus desiderari prædictas operationes, probatur, & explicatur, nam ad prædictum corpus est in primis necessaria vna operatio, per quam esse acquirat, scilicet generatio, vt ita species vegetatiui in eo conseruetur; alia verò per quam in esse indiuiduali conseruetur nimirum nutritio, ratione cuius, id quod de propria substantia vi caloris naturalis deperditur, instauratur, vt in lib. de Generat. disp. 5. n. 2. & 3. ostendimus: alia tandem per quam ad debitam ad quantitatem requisitam ad illius operationes rectè exercendas perducatur, videlicet augmentatio. Quoad secundam verò partem, id est quod hæ operationes sufficiant, etiam liquet, quoniam vt intuenti constabit, nullum aliud operationis genus desideratur ad prædictam conseruationem præter iam enumeratas: ergo, &c.

Obiectiones contra dicta, & enodatio earum.

§. II.

6. Sed obijcies primò generationem, non esse propriam operationem animæ vegetatiuæ, siquidem conuenit formis inanimatis, vt formæ ignis; & alijs: ergo operationes illius ad summum erunt nutritio, & augmentatio.

Confirmatur, nam Arist. in hoc 2. lib. text. 34. solum dixit, duo esse opera vitæ vegetatiuæ scilicet generare, & alimento vti, ac proinde malè numerantur tres.

Secundò obijcies, dari plures alias operationes animæ vegetatiuæ, qualis est digestio, & concoctio cibi, attractio illius ad stomachũ, sed hæ nõ comprehenduntur, sub tribus enumeratis: ergo, &c. Minor probatur, quia nulla ex his actionibus terminatur ad corpus viuum, vt ex se constat, at tres actiones enumeratæ ad illud immediatè terminantur: ergo, &c.

7. Ad primam ex his obiectionibus, respondetur ex D. Th. 4. contra Gent. c. 11. & 1. p. q. 78. art. 2. ad secundum, vbi sic ait: *Dicendum, quod generatio in rebus inanimatis est totaliter ab extrinseco, sed generatio viuentium, est quodam altiore modo, per aliquid ipsius viuentis, quod est semen in quo est aliquod principium corporis firmatiuum.* Quibus etiam consentit etiam id, quod idem S. Doctor 2. de Anima lect. 7. docet, de his verbis: *Generare est opus animæ vegetatiuæ, & dicitur naturalissimum quia in hoc conueniunt, etiam cùm alijs rebus inanimatis, quæ generationem habent, licèt alio modo, habent enim inanimata generationem ab extrinseco generante, sed viuentia à principio intrinseco in quantum generantur ex semine, quod proficit in rem viuam:* tum etiam id: quod afferit 1. part. q. 27. artic. 2. vbi definit generationem viuentium, per hoc quòd sit origo viuentis à viuenti, à principio coniuncto in similitudinem naturæ.

Explicatur hoc, etenim licèt viuentia, & non viuentia generent, aliter tamen, & aliter, quia generatio non viuentium fit totaliter ab extrinseco, quatenùs generans non manet in genito, nec secundùm naturã numericam, nec secundùm aliquid sui, quòd priùs habuerit eandem numero formam, quam habet generans, & ita nullo modo est idem mouens, & motum, neque illa generatio est actio vitalis, de cuius ratione est, vt idem moueat seipsum, ac proindè quod talis actio sit immanens, sed est actio quædam transiens in externam materiam.

8. At generatio viuentium fit ab intrinseco, quatenùs si viuens sit perfectissimum, tunc generans est omnino idem secundùm naturã numericã cum genito, & solù distinctum in persona, ex eo, quod sine hac distinctione, nõ posset generatio perfici, vt cõtingit in Deo respectu Verbi Diuini: si autem viuens non habeat summam perfectionem in ratione viuentis, tunc licèt deficiat, ab hoc quod generans sit ita internsecum genito, vt maneat in illo secundùm propriam naturam numericam, & consequenter ab hoc, quòd generando habeat, & vt sic dicamus, moueat ita intrinsecè seipsum, vt intra se, & absque distinctione perficiatur omnimodè generatio; nihilominus semper illa generatio fit aliquo modo ab intrinseco, quatenus generans, v. g. homo incipit opus generationis formando semen de propria substantia, scilicet de sanguine defæcato, qui ad integritatem propriæ naturæ

naturæ pertinet, & eadem numero anima rationali informatur, & ita respectu talis actionis idemmet suppositum est mouens, & motum, talisque actio potest esse vitalis, & immanens. Quia vt lib. de Generat. disp. 2. num. 15. & sequentibus diximus, generatio, prout est actio recipitur in passo circa quod versatur, quodque per illam corrumpendum est. Cæterùm cum hoc stat, vt notauit D. Thom. 4. contra Gent. cap. 11. vt prædicta actio in sui initio sit magis ab intrinseco, quàm in fine, siue in progressu illius.

9 Nec refert, si obiicias semen fieri ex superfluo alimenti, vt communiter docent Philosophi: ergo non fieri ex sanguinem naturali. Patet consequentia, quia sanguis iste, non habet rationem alimenti, siquidem alimentum non est vera pars aliti: benè tamen prædictus sanguis, vt ex dictis disput. 6. n. 10. constat. Non itaque hoc refert, nam vt disp. citata num. 10. diximus, duplex est alimentum in animali, v. g. in equo, aliud quòd non est vera pars illius, sed substantialiter conuertendum est in ipsum, ac proindè, ante conuersionem non actuatur per eandem numero formam, quam habet animal: aliud verò, quòd est vera pars animalis, licèt imperfecta, modo tamen disput. citata quæst. 1. explicato, & ita collatum præcise cùm animali solùm accidentaliter conuertendum est in alias partes ipsius, quia omnes illæ informantur per eandem anima, secundùm omnem gradum eius, & solùm differunt accidentaliter, ex eo quod etherogeneitas, & diuersitas partium viuentis, non est formaliter substantialis, sed solùm accidentalis, vt disput. citat. diximus.

10 Vndè, licèt sanguis naturalis non possit habere rationem prioris alimenti, benè tamen posterioris, & ita semen potest fieri ex superfluo illius, id est ex superfluo illo prædicti sanguinis, quod licèt possit accidentaliter conuerti in alias partes, non tamen de facto conuertendum est in illas, quia tanta copia prædicti sanguinis elaborata est, quanta sufficiat ad hoc, vt maneat in ratione sanguinis naturalis, & ad hoc, vt deseruiat pro alendis accidentaliter pluribus aliis partibus animalis, ac tandem ad hoc, vt ex illo per veram transmutationem substantialem, pro efformatione fœtus fiat semen, quod aliam formam substantialem habet, vt ita generatio illa sit generatio propria viuentibus, petens esse à principio coniuncto, id est saltem facta ex aliquo, quòd re vera priùs pertineat ad substantiam generantis.

Nec obstat si vrgeas, quòd natura non procedit à perfectioribus ad imperfectiora; sed potiùs è contra: ergo ad productionem seminis humani, non procedit à sanguine naturali, qui informatur anima rationali ad semen, quod ignobiliori forma actuatur. Respondetur enim, quòd licèt natura non intenderet, nec efficeret transitum illum sanguinis naturalis in priorem formam, scilicet seminis, si ibi sistendum esset, benè tamen quando in ea non sistitur, sed talis transmutatio tendit ad productionem alterius indiuidui, & conseruationem speciei.

11 Ad confirmationem respondetur, quòd licèt Aristot. loco ibidem citato, non numerauit, nisi duas operationes animæ vegetatiuæ, scilicet generare, & alimento vti; nihilominùs postea se explicuit in text. 36. & sequentibus, quòd sub alimento vti intelligeret nutritionem, & augmentationem, & ita ex professo differit de ipso alimento, tanquam de speciali opere animæ vegetatiua, refutans Philosophos, qui non ad animam, sed ad alia principia recurrerebant, vt propriam causam augmenti viuentium assignarent.

Ad secundam obiectionem respondetur, omnes illas operationes contineri sub tribus enumeratis,

non quidem tanquam partes subiectiuas illarum, vt obiecto intendit, sed tanquam aliquid, quòd ad easdem reducitur, ex eo quod illis deseruiunt, & ad illas ordinantur. Vnde etiam in opere generationis reperiuntur aliæ actiones iuxta ea, quæ D. Thom. opusc. 43. ex Galeno refert, vt seminatio in qua duo includuntur, scilicet productio, & præparatio seminis in propriis vasibus, & emissio eius ad locum aptum generationis. & similiter interuenit ibidem immutatio, & dispositio partium seminis, ex quibus fœtus est formandus permiscendo semina, & alterando illa ac tandem formando ex eisdem fœtum. Vtrùm autem omnibus his actionibus, & aliis similibus correspondeant propriæ potentiæ realiter distinctæ, vel aliquibus ex illis correspondeant; aliis verò non, ex alibi dicendis constabit.

Traditur ex dictis difinitio animæ vegetatiuæ

§. III.

12. EXquibus inferendum, & dicendum est secundò, animam vegetatiuam communissimè sumptam optimè definiri per hoc, sit primum principium, quo viuens augere se ipsum; animam verò vegetatiuam strictius sumptam, prout trahitur ad animas primi, & posterioris generis, rectè etiam explicari per hoc, quòd sit primum principium generandi aliud viuens sibi simile, secundùm speciem.

Assertio hæc quo ad priorem partem apertè sequitur ex his quæ ex Arist. diximus, namquæuis formæ substantialis definitur per hoc, quòd sit primum principium alicuius operationis sibi propriæ, maximè cùm operatio illa est talis conditionis, vt ei aliæ operationes ab eadem forma procedentes deseruiant sed augmentatio est propria operatio animæ vegetatiuæ communissimè sumptæ, vt ex dictis constat, & ei cæteræ aliæ operationes eiusdem animæ quodammodò deseruiunt, vt ex statim dicendis patebit, ergo anima vegetatiua optimè per eam definietur.

13 Quoad secundam verò partem etiam constat assertio; nam in primis eam Aristotel. in hoc 2. lib. text. 49. vbi loquens de Anima vegetatiua strictiùs sumpta, & prout trahitur ad animas iam dictas, sic inquit: *Erit vtique prima anima generatiuum talis, quale ipsum est.* Cuius rationem tengit idem Philosophus ibidem dicens. *Quoniam autem à fine appellari omnia iustum est finis autem est generasse quale ipsum, erit vtique anima generatiuum, &c.* Quam rationem, & definitionem explicat optimè D. Thom. lectione citata, vbi loquens de Anima vegetabili paulo strictiùs, & modo explicato sumpta, & simul nostram primam assertionem elucidans, sic inquit: *Ad cuius definitionis intellectum secundum est, quòd inter tres operationes animæ vegetabilis, est quidam ordo; nam prima eius operatio est nutritio, per quam saluatur aliquid vt est. Secunda autem operatio, & perfectior est augmentum, quo aliquid proficit in maiorem perfectionem, & secundum quantitatem, & secundum virtutem. Tertia autem perfectissima & finalis est generatio, per quam aliquid iam quasi in seipso perfectum existens, alteri esse, & perfectionem tradit, tunc enim vnumquodque maximè perfectum, vt in 4. Meteororum dicitur, cùm potest facere alterum tale quale ipsum est. Quia igitur iustum est, quòd omnia definiantur, & denominentur à fine: finis autem operum animæ vegetabilis est generare alterum tale, quale ipsũ est: sequitur quod ipsa sit cõueniẽs definitio primæ animæ, scilicet vegetabilis vt sit generatiua alterius similis secũdũ speciẽ.*

14 Potest autem hæc eadem perfectio generationis supra alias operationes animæ vegetatiuæ, & quomodo generatio habet se ad instar finis respectu illarum explicari, & confirmari ex eo, quod hoc

mensuratæ in ordine ad vtrumque, quandoquidem id quod essentialiter habet deseruire in ordine ad aliud, debet necessariò esse commensuratum, & proportionatum in ordine ad illud.

Consequentia autem etiam liquet; nam id quod essentialiter est commensuratum in ordine ad aliud & essentialiter habet ad illud deseruire, non potest, non habere suum esse in ordine ad ipsum, ac proindè ab eo suam essentiam, & distinctionem accipere: tum etiam, quia ideò instrumenta artis suam desumunt essentiam, & distinctionem ab operibus artificiosis, quia sunt essentialiter coaptata, & commensurata cum illis, habentque essentialiter ad illa deseruire: ergo cùm potentiæ sint essentialiter commensuratæ, & coaptatæ in ordine ad actus, & obiecta, & ad illa essentialiter deseruiant, non possunt non ab eisdem suam essentiam, & distinctionē capere.

12. Confirmatur tandem ratione, quam innuunt idem Arist. & D. Thom. 2. de Anima lect. 6. Nam potentia vitalis quatenus talis est, nequit definiri quidditatiuè, nisi per ordinem ad operationem, & obiectum formale; quod respicit; ergo habet suam essentiam, vnitatem, & distinctionem specificam ab illis. Consequentia patet: tum ex se, tum etiam ex dictis in explicatione tituli huius quæstionis. Antecedens autem probatur; nam tota essentia eius sita est in hoc, quòd sit principium proximum, & immediatum, quo viuens se ipsum mouet, seu vitaliter operatur circa aliquod obiectum: ergo nequit quidditatiuè definiri nisi per ordinem, & ad operationem, & ad tale obiectum.

Dicendum est secundò. Non solùm vnitas, & distinctio specificata, verùm vnitas, & distinctio realis potentiarum debet ab actibus realiter distinctis, & obiectis formalibus desumi, & per consequens ab obiectis formalibus formaliter distinctis. Assertionem hanc quoad priorem eius partem, scilicèt distinctionem realem potentiarum sumi ex distinctione reali actuum, docuit D. Thom. 1. p. q. 77. artic. 3. vbi ex hoc quod esse, & operari in creaturis, distinguuntur realiter, colligit potentiam, quæ per se primò est ad esse, scilicet substantiam, etiam realiter distingui à potentia, quæ per se primò ordinatur ad operari, scilicet à potentia immediatè operatiua, vt latiùs in lib. Phys. disp. 10. à nu. 22. vsque ad 28. ostendimus: Et deinde quòd ad prædictam distinctionem sufficiat distinctio formalis obiectorum formalium, est eiusdem S. Doctoris, in eadem 1. p. q. 59. art. 2. ad 2. vbi postquam dixit, potentias non distingui secundùm materialem distinctionem obiectorum, sed secundùm formalem, & vt in esse obiecti considerantur, statim intulit, quòd hoc ipso quòd obiecta formalia formaliter distinguantur, debent potentiæ (supposita tamen distinctione reali actuum) realiter distingui. Vnde inquit: *Et ideò diuersitas secundùm rationem boni, & veri sufficit ad diuersitatem intellectus, & voluntatis*; quem communiter sequuntur ferè omnes Philosophi, & ita superuacaneum esset illos sigillatim recensere.

13 Ratio verò præcipua huius assertionis innuitur à D. Thoma loco citato, quæ potest sub hac forma proponi: nam si diuersitas formalium obiectorum, & distinctio realis actuum adæquatorum in illa tendentium non esset legitimum argumentum diuersitatis realis potentiarum, nulla esset sufficiens ratio, ob quam cogeremur plures potentias in eodem subiecto existentes, realiter distinguere: hoc autem est apertè falsum, & contra communem Philosophorum consensum: ergo diuersitas formalium obiectorum, & distinctio realis actualis actuum adæquatorum ad id sufficiet, & per consequens ex parte obiectorum formalium solum desiderabitur distinctio formalis eorum.

Prima consequentia ex maiori & minori apertè sequitur, secunda verò ex hac priori, siquidem ad rationem obiecti formalis vt talis sufficit distinctio formalis illius, à quouis alio obiecto, vt in exemplo intellectus, & voluntatis, nimirùm vero & bono, cernere licèt: quare si aliquando obiecta formalia distinguantur realiter, tunc talis distinctio non desiderabitur formaliter, & ratione sui ad distinctionem realem potentiarum, sed vel materialiter se habebit, vel solùm desiderabitur, ex eo quòd obiecta formalia non possunt ratione suæ limitationis habere proprias rationes formales essentialiter distinctas, nisi etiam ibidem realis distinctio intercedat, vt in obiectis externorum sensuum inter se collatis constat.

Maior autem ratione patet, quia cum non possit sumi earum distinctio ex parte subiecti cum habeant idem commune subiectum, vt in intellectu & voluntate, constat: fit inde vt solum possit accipi ex parte actuum, & obiectorum formalium, quandoquidem, vt intuenti patebit, non apparet aliquod aliud caput, vnde sumatur.

14. Confirmatur ratione insinuata à S. Doct. q. 78. citata & desumpta ex exemplo visus, & auditus, quæ hoc ipso, quod mediis diuersis realiter actibus respiciant distincta obiecta formalia, debent etiam realiter distingui, ita vt talis distinctio ex eisdem obiectis formalibus, vt à prima radice proueniant; ergo, &c. Antecedens patet, nam formalissima ratio obiecti harum potentiarum desumitur ex diuersis modis, quibus immutant, & determinant prædictas potentias, ad hoc vt eliciant distinctos realiter actus adæquatos: at hoc ipso quod obiectum visibile, v. g. immutet, & determinet, diuerso modo potentiam visiuam, ac obiectum audibile, & ad hoc vt eliciat diuersum realiter actum adæquatum, exposcit necessariò vnicam sibi specialem potentiam, ac proinde realiter ab aliis distinctam, quandoquidem ex vitalis modi immutandi postulat potentiam in tali organo, talibus dispositionibus, nimirum, luce, transparentia, & aliis affectam, quæ tamen ab obiecto audibili, & modo immutandi auditum non petuntur; ergo, &c.

Confirmatur tandem, quoniam hoc ipso quòd obiecta formalia sint formaliter distincta, & ad modum immutandi, & terminandi quem habent, desiderentur realiter distincta organa, tunc prædicta obiecta sunt radices distinctorum realiter organorum, vt in exemplis obiecti visibilis, & audibilis constat; ergo signum est quod obiecta formalia potentiarum, & exigentia actus adæquatos realiter distinctos quibus attingantur, habent maximam vim ad distinguendum realiter potentias, siquidem hoc ipso quòd sint talia, sunt radices distinctionis realis organorum, ac proinde multo magis ab eis distinctio realis potentiarum orietur, siquidem istæ per priùs ad eadem obiecta terminantur.

Occurritur argumentis sententiæ negatiuæ.

§. III.

15. AD primum benè respondetur ibidem, & ad primam probationem in contrarium patet ex dictis disp. 2. num. 7. Ad secundam verò probationem, quod licèt demus essentiam substantiæ completæ cum præcisione sumptam, non respicere aliquid tanquam causam finalem: secus tamen dicendum est in accidentibus, quæ sunt per se

primò

primò instituta à natura ob indigentiam substantiæ, & vt illi deseruiant. Nam hæc essentialiter sunt propter substaotiam & ordinantur vt ad finem (modo tamen iam explicato) ad id, in ordine ad quod indiget substantia, vt ordineatur: & ita non mirùm, quòd potentiæ vitales animæ essentialiter habeant pro fine, & iuxta modum explicatum, eas operationes, propter quas à natura institutæ sunt: quia id natura substantiæ, cui famulantur exigit. Ac proindè nec mirum quod ab eisdem etiam specificentur: nam vt suprà tetigimus, vnumquodque per se primò, & essentialitet ordioatum ad aliud, habet ab illo specificari; ita vt hoc habeat: tum rationem causæ finalis, tum formalis extrinsecæ, & specificatiuæ illius.

Ad illud autem de mutua correspondentia causæ finalis, & efficientis respondetur, satis esse ad hanc correspondentiam, quòd talis essentia, vt est sub existentia, debeat necessariò ita habere causam efficientem, vt quando producenda fuerit, sit eadem causalitas vtriusque causæ, sc. eademmet actio, seu agere, quod prout à fine sit causalitas finis, & prout ab efficiente sit causalitas efficientis. Sicut ob hanc rationem causæ intrinsecæ oimirum materia, & forma habeant eandem realiter identicè causalitatem, scilicet eandem voionem, quæ prout à forma est causalitas formæ, & prout à materia est causalitas materiæ; non autem requiritur, vt hoc ipso quòd aliqua res secundùm suam essentiam respiciat aliquid vt finem, & tanquam id, à quo modo dicta specificetur, quod respiciat etiam essentialiter causam efficientem; quia hæc causa potest esse magis extrinseca, quàm finalis, & per consequens, quàm materialis, & formalis intrinseca.

16. Ad secundum concesso antecedenti neganda est coosequentia, & ad probationem dicendum est, quòd licèt vnius, & eiusdem potentiæ sint plura, & dioersa obiecta materialia, & inadæquata, nihilominus obiectum adæquatum, & formale à quo vnitas, & distinctio potentiæ desumitur, semper est vnum, & idem formaliter, & in esse obiecti, vt in potentia visiua cernere licèt, cuius obiecta inadæquata differunt specie materialiter, & in esse rei conueniunt in vna, & eadem ratione tamen formali obiectiua, sc. in esse visibili.

Nec verum est id quod hac eadem probatione innuitur, sc. quod si ex obiectis formalibus, & modo dicto desumeretur distinctio realis potentiarum, tunc distinguereotur, iuxta distinctionem prædictorum obiectorom, & ita obiecta formalia, quæ solum formaliter distinguuntur, vt verom, & bonom, non possent causare realem distinctionem in potentiis eis correspondentibus, scilicet in intellectu, & voluntate. Nam vt ex D. Thom. diximus, distinctio formalis obiectorum formalium, & adæquatorum, & exigentium distinctos realiter actus adæquatos quibus attingantur, est satis proportionata ad hoc, vt realem distioctionem in potentiis causent.

Potestque hoc explicari tum ex eo, quòd distinctio formalis obiectorum non causat distinctionem realem in potentiis per modum constitutiui formalis, & intrinseci, sed per modum primæ radicis à qua veluti diuersi rami, scilicet diuersæ potentiæ suo modo procedunt; constat autem non requiri tantam distinctionem in prima radice, quantam in ramis ab eadem originatis: tum etiam, quia hoc ipso quod obiecta formalia & adæquata, & prædicta obiecta realiter distinctos exigentia habeant formaliter, seu virtualiter distingui; tunc ita realiter inspiciuntur ab vna potentia, ac si non essent inter se identificata; & ideò intellectus ita realiter respicit verum, ac si non esset ibi bonum sub ratione boni, voluntas autem ita realiter inspicit bonum, ac si non esset ibi verum sub ratione veri. Vnde, non nimirum, quòd hæc distinctio formalis obiectorum, & isti distincti modi, quo respiciuntur, & terminant, sint satis ad hoc, vt potentiæ realiter distinguantur, quandoquidem realis distinctio obiectorum, si ibi esset, non posset ob aliam rationem requiri ad distinctionem potentiarum, nisi vt ipsæ realiter respicerent vnum obiectum non respiciendo realiter aliud.

17. Quæ omnia eleganter, & vnico fere Verbo tetigit D. Thom. 1. part. quæst. 59. art. 2. ad secundum & quæst. 77. art. 3. ad tertium, vbi cùm sibi obiecisset sæpè esse idem obiectum diuersarum potentiarum; vt constat in obiecto cognoscitiuæ, & appetitiuæ, quæ mediis diuersis realiter actibus ad sua obiecta tendunt, respondet his verbis: *Dicendum, quòd nihil prohibet id quod est subiecto idem esse diuersum secundùm rationem*, id est secundùm distinctam virtualiter rationem formalem; *& ideò potest ad diuersas potentias animæ pertinere.*

Ad confirmationem negandum est antecedens, & ad probationem dicendum est, quòd licèt actus fidei, scientiæ, & opinionis in esse rei, & secundùm suas peculiares rationes considerati distinguantur formaliter specificè, & ita sit in eis quid formale, quod attingant sua obiecta per distincta illa media; nihilominus totum hoc est materiale respectu illorum, quatenus formaliter attinguntur à potentia, & eam specificant, quia habent attingi, & specificant eam sub quadam ratione magis eleuata, in qua omnes illi specificè conueniunt. Sed de his videantur ea, quæ in l. de Gener. disput. 4. num. 131. & 170. diximus.

18. Ad tertium benè respondetur ibidem, & ad impugnationem neganda est sequela, ad cuius probationem concessa maiori, distinguenda est minor, & concedenda, si intelligatur de obiecto potentiæ, & habitus in esse rei; secùs verò in esse obiecti; nam licèt obiectum potentiæ, & habitus possint in esse rei comparari per modum rationis superioris, & inferioris; atque adeò obiectum habitus secundùm istam considerationem possit esse pars subiectiua obiecti potentiæ; nihilominùs in esse obiecti vtrumque habet esse vltimatè constitutum in sua ratione specifica, & atoma, quamuis ratio specifica obiecti, potentiæ sit eleuatior & eminentior; & ita nequeunt per modum rationis superioris, & inferioris, seu per modum totius potentialis, & partis subiectiuæ comparari. Ac proindè, nec habitus, & potentia, quæ ex obiectis in esse obiecti consideratis specificantur. Per quod etiam ad confirmationem satis patet.

19. Ad vltimam, optima est solutio ibidem adducta, si tamen rectè intelligatur.

Etenim actus poteotiæ vitalis v. g. actiuæ, licèt in esse rei specificetur à principio actiuo, à quo elicitur; attamen in esse actus specificantis formalissimè sumpti essentialiter includit, vt non habeat suam essentiam per ordinem ad suum principium actiuum, scilicet potentiam, sed per ordinem ad obiectum, vt est terminus prædictæ potentiæ, quia sicut potentia specificatur ab obiecto, vt à termino, siue vt ab obiecto terminatiuo; ita respicit suum actum specificantem, vt est id *quo* prædictus terminus fit, seu vt est consequutio obiecti, ac proindè, vt talis actus ad prædictum obiectum per modum consequutionis eiusdem tendit, quod idem cum proportione de potentiis vitalibus passiuis dicendum est; nam intellectus v. g. specificatur à suo obiecto formali terminatiuo, & fæcundatur ab illo in esse obiecti motiui sumpto, vt consequatur ipsum, idest vt percipiat illud, ac proindè

vt intentionaliter tendat ad ipsum, vt ab obiectum terminatiuum, seu intellectum ab illa; & ita intellectio vt specificans prædictam potentiam intellectiuam necessariò inuoluit, vt habeat suam essentiam per ordinem ad obiectum terminatiuum illius.

Et ad probationem in contrarium constat: Tum ex his, quæ in Logica disput. & num. statim referendis diximus: Tum etiam ex his, quæ modo dicebamus.

Vndè meritò D. Thom. qui locis citatis in logica disp. 16. num. 11. affirmat, actum, seu actionem, specificari à suo principio actiuo, asserit. 1. part. quæst. 77. art. 3. quod ex duobus recipit speciem actio, sc. ex principio, siue obiecto, vt habet rationem principij actiui, vel ex fine siue termino, idest ex eodem obiecto, vt habet rationem termini. Hoc autem dixit S. Doct. Tum propter ea, quæ, in Logica loco citato diximus (quæ quidem omnino videnda sunt:) Tum etiam ob illa, quæ nunc de actibus potentia vitalis diuersimodè, sc. vel in esse rei, vel in actus specificantis asseruimus.

QVÆSTIO II.

Quod sint genera potentiarum animæ.

Titulus huius quæstionis non de qualibuscumque potentiis animæ, sed de eis, quæ ab illa, vt anima est, fluunt, ac proinde, de solis potentiis vitalibus intelligendus est.

Ex mente Arist. & D. Thom. quæstio deciditur.

§. I.

10. Dicendum ergo est, genera potentiarum animæ esse quinque, scilicet, vegetatiuum, sensitiuum, loco motiuum, intellectiuum, & appetitiuum. Ita Aristot. in hoc 2. l. cap. 3. text. 27. his verbis: *Potentias autem diximus vegetatiuum, sensitiuum, appetitiuum, motiuum secundum locum, intellectiuum.* D. Th. ibidem lect. 5. & 1. part. quæst. 78. art. 1. Vbi innixus in hoc testimonio Aristot. docet, & probat, quinque esse genera potentiarum animæ, quæ iam numerata sunt. Idem etiam tenet de verit. art. 2. ad secundum, & quæst. de Anima art. 13. & alibi sæpè, quos sequuntur Caiet. & Bañes loco citato ex 1. part. Suarez 2. tom. summæ Theologiæ tract. 3. l. 1. c. 7. Ferrara 2. de Anima. q. 5. Conimbr. c. 3. q. 2. art. 1. Toletus q. 6. Rubio c. 2. tract. de pluralitate animarum q. 1. num. 14. Murcia disp. 2. q. 5. Zanardus lect. 14. quæst. 12. & communiter Philosophi.

Rationem autem fundamentalem huius assertionis tetigit D. Thom. loco citato ex 1. part. quæ potest ad hanc formam reduci. Nam potentiæ sumunt suam vnitatem genericam ab obiectis: sed quinque sunt genera obiectorum, circa quæ potentiæ Animæ versantur, ergo totidem erunt genera prædictarum potentiarum. Maior cum consequentia ex se, & ex iam dictis constant. Minor autem explicatur, & probatur à S. Doctore sic: Nam obiectum operationis Animæ in triplici ordine potest considerari. Primus, & minùs communis dicit corpus vnitum vel intus susceptiuum, in quod semper anima vegetatiua operatur, & huic correspondet potentia vegetatiua. Secundus importat aliud obiectum vniuersalius, nimirum corpus sensibile, licèt non sit per se ipsum vnitum viuenti, sed per sui imaginem, seu speciem; & circa hoc versatur potentia sensitiua. Tertius denique dicit aliud obiectum magis vniuersale, ambiens non solum corpus vnitum modo dicto & corpus sensibile, sed etiam quodcunque ens, & huic correspondet potentia intellectiua, quæ ad quoduis ens terminari potest.

11. Cæterum, quia potentia intellectiua & sensitiua non solùm circa sibi coniuncta, sed etiam circa remota, & absentia versari potest; ideò obiectum vtriusque debet habere aliam rationem terminandi animæ potentias, & eius actus; nimirum quatenus est bonum animalis nondum re ipsa possessum. Et hoc adhuc dupliciter: primò secundùm quod terminat actum intentionis, &c. secundò quatenus idemmet bonum terminat exequutionem, & acquisitionem sui, & ad illud secundùm priorem rationem terminatur potentia appetitiua; cuius præcipuus actus est intendere modo sibi debito bonum sibi conueniens; & similiter circa illudmet secundùm posteriorem considerationem versatur potentia loco motiua, quæ animalibus, in quibus est, tribuitur à natura ad hoc, vt bonum illud quod iam erat intentum possit re ipsa adipisci & possideri.

Confirmatur ratione desumptâ ex eodem S. Doct. lect. 5. iam citata, quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam tot debent esse genera operationum viuentium, quo petit eorum esse, vt est principium operandi: sed esse viuentium sic sumptum, petit quinque genera actionum; ergo totidem debent dari, & consequenter totidem potentiarum genera.

Hæc vltima consequentia patet ex priori; & ex iam dictis; quandoquidem potentiæ sumunt suam vnitatem, & distinctionem genericam ex vnitate, & distinctione generica operationum. Prima verò consequentia & maior ex se constant. Minor autem, quia longiori expositione eget, ideò discursu aliquantulum fuso sic ostenditur, & explicatur ab Angelo Doctore. Nam ex viuentibus ea, quæ sunt inferiora, scilicet vegetabilia tantùm habent esse satis materiale, quod per materiam ita est contractum, & terminatum, vt prædicta viuentia ratione illius tantùm possint esse id, quod ex se sunt, non verò possint fieri alia, quamuis habeant aliquam eleuationem supra esse aliarum rerum, ex eo quòd possunt esse principium mouendi, & immutandi seipsa: & hoc esse petit peculiare genus operationis vitalis, sc. vegetationem per quod se ipsa vegetant.

12. Alia verò viuentia habent esse magis eleuatum, & immateriale, ratione cuius possunt recipere formas intentionales, & immateriales, quibus mediis fiant quodammodo, & in esse intentionali aliæ res: & hoc dupliciter, vel ita vt recipiant aut efficiant formas intentionales penitus immateriales scilicet species intelligibiles: & his viuentibus necessariò correspondet aliud genus operationum, scilicet operatio intellectus; vel ita vt recipiant formas intentionales, quæ non sint penitus immateriales; quamuis habeant satis depurationis à materia, quales sunt species sensibiles: & his viuentibus, quatenus per tales formas sensibiles operantur, debet correspondere aliud genus operationis, scilicet cognitio sensitiua.

Cæterum, quia ex vnaquaque forma sequitur aliqua inclinatio, & ex inclinatione operatio, sicut ex forma naturali ignis sequitur inclinatio ad locum qui est sursum; secundùm quam ignis dicitur leuis, & ex hac inclinatione sequitur operatio scilicet motus, qui est sursum; ideò ad formam, tam sensibilem, quam intelligibilem potest subsequi sua proportionata inclinatio, quæ nihil est aliud, vt communiter docent Philosophi, quàm appetitus vitalis, & in actu secundo, siue sensibilis, siue intellectualis, qui est quartum genus

genus operationis viuentis; & ex hac inclinatione sequitur vltimum genus operationis vitalis, nimirum motus localis ordinatus ad consequendum id, quod appetitum est.

Obiectiones contra prædicta.

§. II.

23. SEd obiicies primò: quod tantùm tria sunt animarum genera, & quatuor viuendi modi; ergo tantùm tria, vel ad summum quatuor debent esse potentiarum genera. Antecedens constat ex dictis disp. 4. num. 7. & 28. Consequentia vero quoad primam partem liquet, nam quidquid in proprietatibus, & potentiis animæ est, fluit ab essentia eiusdem animæ ergo si genera animarum tantùm sunt tria, non poterunt indè potentiæ nisi secundùm triplex genus distinctæ oriri.

Quoad secundam verò partem non minus videtur perspicua: nam potentiæ vitales institutæ sunt ad hoc, vt opera vitæ exerceant, ergo si tantùm sunt quatuor viuendi modi, tantùm erunt quatuor modi vitaliter operandi, ac proinde solummodo quadruplex potentiarum vitalium genus poterit assignari.

Confirmatur: nam intellectiuum non potest constituere aliquod genus potentiæ, ergo, &c. Antecedens constat; quia intellectiuum non continet sub se plures potentias intellectiuas specie distinctas, sed solùm numericè, siquidem omnes potentiæ intellectiuæ ab anima intellectiua dimanantes solo numero distinguuntur.

24. Secundò, quia ad illud, quod est commune omnibus potentiis, non debet aliquod speciale potentiæ vitalis genus deputari, sed appetere conuenit cuilibet potentiæ animæ, visus enim concupiscit visibile conueniens, & ideò Eccles. 40. dicitur *gratiam, & speciem desiderauit oculus tuus, & super hæc virides sationes*, & in vniuersum quælibet res bonum sibi conueniens desiderat, ergo, &c.

Tertiò, nam vel sensitiuum, & intellectiuum non debent numerari, vt diuersa genera potentiarum, vel appetitiuum per appetitum sensitiuum debuit etiam numerari, vt aliud genus potentiæ distinctum ab appetitiuo, secundùm appetitum rationalem; ergo vel sex, vel tantùm quatuor erunt genera potentiarum animæ. Consequentia patet; antecedens autem probatur, nam sicut appetitus sensitiuus, & rationalis conueniunt in ratione appetitiui; ita sensitiuum, & intellectiuum continentur sub cognoscitiuo vt sic, & quemadmodum intellectiuum dicit perfectissimam, & spiritualem virtutem cognoscitiuam, & sensitiuum solùm imperfectam & materialem; ita appetitiuum appetitu rationali dicit vim appetendi spiritualem valdè perfectam, & subsequutam ad nobilissimam illam virtutem cognoscendi; appetitiuum verò, appetitu sensitiuo virtutem appetendi materialem imperfectam, & ad virtutem cognoscendi imperfectam subsecutam; ergo si appetitiuum per appetitum sensitiuum, & rationale tantùm constituit vnicum genus potentiæ, etiam cognoscitiuum per potentiam sensitiuam & rationalem constituet vnicum tantummodo genus potentiæ, vel si hæc duo duplex genus potentiæ constituunt; etiam appetitiuum per duplicem appetitum iam dictum duo potentiarum genera importabit.

Secundò, nam loco motiuum non potest constituere aliquod genus potentiæ distinctum à sensitiuo, vel intellectiuo, & appetitiuo, ergo, &c. Antecedens probatur, quoniam vt docet Aristot. 3. de Anima text. 48. & sequentibus, vsque ad 58. & ibidem D. Thom. principium mouens in animalibus est sensus, aut intellectus, & appetitus; ergo loco motiuum non distinguetur à sensitiuo, vel intellectiuo, & appetitiuo.

Soluuntur obiectiones propositæ præter vltimam.

§. III.

25. AD primum respondetur, quòd si ex eodem capite multiplicitas animarum animatorum, & potentiarum eius desumeretur, necesse esset assignari tot animas, quot animata, nec non, & tot potentias vitales vnica excepta appetitiua, quæ ob rationem supra dictam nequit gradum vitæ constituere. Cæterùm (vt iam diximus) ex diuerso capite hæc accipiuntur, nam numerus animarum ex modo excedendi formas naturales; animatorum verò ex modis viuendi, quorum vnus sine alio reperitur; potentiarum tandem ex diuersitate operationem vitalium, & obiectorum desumitur. Vnde, non mirum quòd animæ sint tres, animata quatuor: potentiæ verò vitales quinque, cum modi excedendi formas naturales ad tria membra modi verò viuendi separabiles ad quatuor: ac tandem modi generales diuersarum operationum vitæ, & obiectorum illorum ad quinque membra reducantur.

Adde parum referre, quod potentiæ vitales excedant animarum, an animatorum multitudinem, sunt enim potentiæ animæ veluti instrumenta, potest autem vnum agens pluribus quasi instrumentis vti, & plures operationes essentialiter diuersas habere.

Ad confirmationem negandum est antecedens, & ad probationem negari etiam debet antecedens, nam vt infra lib. 3. dicemus intellectus diuiditur in plures species scilicet intellectum agentem, & possibilem.

26. Ad secundum concedenda est maior, & distinguenda minor, & si intelligatur de appetitu innato, id est per modum cuiusdam ponderis naturalis ad proprium obiectum, qui consequitur ad formam naturalem concedenda est, nec aliud probatio ibidem adiuncta conuincit, si autem intelligatur de appetitu elicito, id est per modum actus secundi vitalis, & modo sibi debito consecuti ad formam apprehensam, de quo duntaxat in præsenti loquimur, neganda est, vnde respectu illius ob rationes iam dictas debet assignari quoddam genus potentiæ vitalis. Quæ solutio desumitur ex D. Thom. 1. part. quæst. 78. art. 1. ad tertium his verbis. *Appetitus naturalis est inclinatio cuiuslibet rei in aliquid ex natura sua. Vnde naturali appetitu quælibet potentia desiderat sibi conueniens, sed appetitus animalis consequitur formam apprehensam & ad huiusmodi appetitum requiritur spiritualis animæ potentia.*

Ad tertium respondetur verum esse inter appetitum sensitiuum, & intellectualem ex vna parte, & inter virtutem cognoscitiuam sensitiuam, & intellectualem ex alia reperiri eam proportionem quoad conuenientiam, & disconuenientiam, quæ ibidem refertur.

27. Cæterum hoc non obstante adest sufficiens fundamentum ad hoc, vt potius sensitiuum, & intellectiuum constituant duo genera potentiarum, quam appetitiuum, nam inter potentiam appetitiuam sensibilem, & intellectualem seu pertinentem ad partem animæ intellectiuam, est peculiaris quædam conuenientia, scilicet quod ambæ tendunt in rem singularem, vt suo loco dicemus, quæ tamen conuenientia, non est inter sensum cognoscitiuum, & intellectum:

ctum! nam vt lib.3. huius operis dicemus, intellectus eſt vniuerſalium, ſenſus verò ſingularium, & ideò ratione huius conuenientiæ poſſunt peculiari titulo fundare vnicum genus potentiarum animæ. Adde quòd appetitus ſumptus peculiariter pro appetitu rationali, conſtituit ſpeciem infimam appetitus, & ita non eſt accommodatus ad hoc, vt numeretur, vt ſextum genus potentiarum animæ, & ita vt omnia membra huius diuiſionis continerent aliquod genus potentiæ vitalis, debuit nomine appetitiui intelligi appetitiuum prout abſtrahit, tam ab appetitu ſenſitiuo, quàm rationali.

Occurritur vltimæ obiectioni.

§. IV.

28. AD vltimam vero reſpondetur primò, non eſſe improbabile quod motus localis, & vitalis animalium requirat aliquam potentiam executiuam diſtinctam à potentia cognoſcitiua, & appetitiua, quamuis motus iſte ſubordinetur, & imperetur ab his duabus potentiis, quod innuere videtur D. Thom. vnic. de anima, art.13. ad 3. his verbis. *Dicendum quòd intellectus, & appetitus mouent ſicut imperantes motum, ſed oportet eſſe potentiam motiuam, quæ motum exequatur, ſecundùm quam ſcilicet membra ſequuntur imperium appetitus, & intellectus, vel ſenſus.* Et de potentia quæſt.6. art.3. ad ſecundum, ſic ait. *Formæ rerum naturalium in mente Angelica exiſtentes ſunt magis actuales, quàm formæ, quæ ſunt in materia, & propter hoc ſunt immediatum principium perfectioris operationis quæ eſt intelligere: operationis verò, quæ eſt actio materiam tranſmutans, non ſunt immediatum principium; ſed mediante voluntate, & voluntas mediante, virtute, & virtus immediatè mouet motum localem, quo motu mediante eſt cauſa alterum motuum; & eſt cauſa aliqua inductionis formæ in materia*, & ideò hunc dicendi modum ſequitur Nazarius 1. part. q.54. art.5. & eum, vt probabilem in via D. Thomæ tuentur Caiet. Zumel, Ripa, & Molina, vt idem Nazarius refert.

29. Secundò reſpondetur ex eodem Angelico Doctore loco citato ex 3. de Anima lectione 15. Verum eſſe, quod in brutis potentia ſenſitiua, ſeu phantaſia, & appetitus ſenſitiuus ſont principia motus localis & vitalis eorundem, & ſimiliter in hominibus intellectus, & appetitus rationalis, ita quidem, vt illemet actus, quo appetitus, verbi gratia abſolutè, & efficaciter appetit motum localem, membrorum animalis, vt hic & nunc executioni mandandum ſit virtualiter tranſiens, & ita mediante eo eliciat prædictum motum, & motus iſte ad eundem appetitum, non quidem tanquam actio ad agens, ſed tanquam effectus ad idemmet agens comparetur, vt docent Capreolus in 1. diſtinctione 1. quæſt.2. ad argumenta Aureoli contra primam concluſionem, & præcipuè ad primum Ferrara 2. contra Gen. c.82. & Bañes 1. part. q.78. art.1. dub.2.

Hic tamen non ſequitur, non eſſe quinque genera potentiarum animæ, quia, vt benè notauit Caiet. 3. de Anima cap.6. diſtinctio inter has potentias non eſt neceſſe, vt ſit realis, ſed ſatis eſt, vt ſit formalis, ſiue virtualis: & ita licèt aliæ potentiæ diſtinguantur realiter, nihilominùs diſtinctio, quæ eſt inter potentiam appetitiuam, & motiuam ſecundùm locum non eſt realis, tanquam inter duas res, ſed formalis, & virtualis ſecundum diuerſas rationes, vt ſtatim magis explicabimus.

Vtrùm autem intellectus concurrat tantùm vt dirigens, & ſolus appetitus vt eliciens, ac proindè appetitus ſit cauſa proxima, & immediata, intellectus autem ſolùm mediata, vt aliqui ex Thomiſtis volunt, vel intellectus per actus imperij concurrat formaliter, & proximè eliciendo prædictum motum: appetitus verò mediatè, quatenùs efficaciter mouet, & applicat intellectum, & ex hac motione habet vim, & efficacitatem ad hoc vt efficaciter imperet, & eliciat motum localem, vt vult Ferrara 3. de Anima qu. 19. & plores ex diſcipulis D. Thom. alia quæſtio eſt præſens ſuperans inſtitutum quæ 1. part. quæſt. 14. art. 8. & quæſt. 19. art.4. & 12. quæſt. 17. ſolet à Theologia diſcuti.

30. Nec obſtat, ſi contra hæc obiicias: tum ea, quæ ea D. Thom. quæſtione de Anima, iam citata in priori ſolutione adduximus, & ſimiliter ea, quæ idem S. Doctor 1. part. q.78. art.1. ad quartum aſſerit, nam poſtquam dixit: *Quod quamuis ſenſus, & appetitus ſint principia mouentia in animalibus perfectis*, addidit: *Non tamen ſenſus, & appetitus in quantum huiuſmodi ſufficiunt ad mouendum, niſi ſuperadderetur eis aliqua virtus: nam in immobilibus animalibus eſt ſenſus, & appetitus, non tamen habent vim motiuam: hæc autem vis motiua non ſolum eſt in appetitu, & ſenſu, vt imperante motum, ſed eſt in ipſis partibus corporis, vt ſint habilia ad obediendum appetitui animæ mouentis, cuius ſignum eſt quòd quando membra remouentur à ſua diſpoſitione naturali, non obediunt appetitui ad motum.* Vnde ſicut virtus, quæ ponitur in oculo ad obediendum appetitiui imperanti viſionem, debet eſſe elicitiua viſionis: ita virtus, quæ ponitur in membris ad obediendum eidem appetitiui dum imperat motum localem, debet eſſe elicitiua eiuſdem motus localis.

Tum etiam, quod idem Angelicus Doctor in hac ſolutione, & alibi ſæpè docet, quòd appetitus in animali imperat motum: in doctrina autem ipſius, actus imperandi diſtinguitur ab actu elicito, ac proindè ſi appetitus imperat prædictum motum, non elicit illum: tum denique, quia ſi appetitiuum non diſtinguitur realiter à loco motiuo, non eſt vnde diſtinguatur formaliter. Nam ſicut intellectus practicus, & ſpeculatiuus non ſont duo intellectus formaliter diſtincti, ſed vnus, & idem ſimpliciſſimus, qui ſimul verſatur circa res ſpeculabiles, & dirigit ad opus, v.g. motum localem progreſſiuum hominis: ita appetitus ex eo, quòd ſit cauſa eiuſdem motus localis, non erit diſtincta formaliter potentia à ſe ipſo, prout eſt præcisè appetitus.

31. Non itaque hæc obſtant: non quidem duo priora teſtimonia; nam ipſe D. Thom. ſe explicuit tum ſecundo contra Gentes c.82. in fine, vbi inquit: *Non mouet anima brutalis, niſi per ſenſum & appetitum, nam virtus quæ dicitur exequens motum, facit membra eſſe obedientia imperio appetitus. Vnde magis ſunt virtutes perficientes corpus ad moueri, quàm virtutes mouentes.* Tum etiam 1. part. quæſt.75. art.3. ad 3. inquiens: *Vis motiua exequens motum eſt, per quam membra corporis redduntur habilia ad obediendum appetitui, cuius actus non eſt mouere, ſed moueri.* Vnde membra non obediunt appetitiui quoad motum localem, & vitalem, eo modo, quo oculus obedit illi ad videndum: ſed ea ratione qua (proportione tamen ſeruata) lapis obedit generanti impellenti illum ad motum localem in centrum, ſi grauitas non inſtrumentaliter actiuè, ſed ſolùm paſſiuè, & diſponendo lapidem ad talem motum concurrat: vnde motus ille eatenus dicitur à graui exerceri, quatenus medio illo mouetur in centrum.

Nec etiam illud, quod de imperio appetitus obiicitur, obeſt, quia nomen imperij non accipitur à Diuo Thoma, vt diſtinguitur contra hoc, quod eſt

elicere:

elicere : sicut cum dicitur actum humilitatis imperari à charitate, & elici à virtute humilitatis : sed pro motione efficaci, qua intellectus, vel sensus, & appetitus mouent efficaciter corpus secundùm locum ; cuique corpus ipsum non resistit, sed media virtute passiua in membris existente, qua redditur habile ad obediendum illi motioni, obedit illi,& modo nuper explicato exequitur prædictum motum.

32. Nec tandem id, quod vltimo loco adducitur, obstat : quoniam vt ex dictis constat, negandum est antecedens ex eo, quòd potentia loco motiua respicit suum proprium,& formale obiectum,quatenùs distincta ab appetitiua ; & ei correspondet proprius, & peculiaris actus virtualiter distinctus ab actu correspondente potentiæ appetitiuæ, vt tali. Nam idemmet actus, verbi gratia appetitus, vt est immanens: & appetitio obiecti, correspondet appetitiuo : vt autem habet efficacitatem ad mouenda membra, & ratione illius, est virtualiter transiens, ac proindè connotat motum localem animalis, vt effectum eiusdem appetitus, debet correspondere potentiæ loco motiuæ.

33. Et ad probationem in contrarium dicendum est quòd sicut ex hoc, quòd calor ignis, & calor animalis secundùm se sint eiusdem speciei, & nihilominùs in igne habeat vim, & efficacitatem ad hoc, vt sit productiuus alterius ignis per modum virtutis instrumentariæ, & in aliquibus animalibus ad producendum eodem modo aliud animal, in aliis verò careat hac efficacitate ; colligimus prædictum calorem, vt est virtus ignis, habere aliquam formalitatem, ratione cuius reddatur efficax ad producendum ignem,quam tamen non habet,vt est virtus animalis, aut secundùm quod est in animalibus infœcundis, & è contra vt in lib. Physicorum disputatione 10. n.19. diximus. Ita ex eo quod, verbi gratia appetitus sensitiuus mobilium, & immobilium animalium sit eiusdem speciei secundùm se sumptus, & in illis habeat illam efficacitatem ad mouenda membra illorum in ordine ad motum localem perfectum, & distinctum à motu dilatationis, & constrictionis, in his verò non habeat prædictam efficacitatem ; inferemus in illis habere aliquam formalitatem maioris efficacitatis, & virtutis, qua illa hæc posteriora carent:hinc tamen non fit, vt obiectio intendit, quòd intellectus practicus, & speculatiuus debeant formaliter distingui, vt duo intellectus, propter rationem lib.3. huius operis tradendam.

QVÆSTIO III.

Quodnam sit subiectum potentiarum animæ.

EX dictis,tam in hac disputat. quàm in locis in ea relatis constat, quæ sit causa efficiens potentiarum animæ,quæ finalis, quodque sit specificatiuum, tam intrinsecum, quàm extrinsecum,quod ad causam formalem spectat. Quare solùm restabat de subiecto, seu causa materiali earum in hac vltima quæstione sermonem texere.

Duplex sententia refertur.

§. I.

34. PRima sententia asserit, potentias vitales animæ subiectari in illa. Pro hac refertur Scotus in 2. distinct. 12. quæst. 3. & ibidem Gregorius Arimin. Iandunus lib.2.de Anima quæst.7. Paulus Venetus in summa de Anima cap.4. Probatur primò, testimonio Augustin. lib.12. super Genes. ad litteram cap.46. asserentis, quòd *Non corpus, sed anima sentit per corpus, quo tanquam nuntio anima ipsa vtitur* : ergo operatio sentiendi à sola anima verè, & propriè fit,atque adeò in ipsa sola erunt potentiæ sensitiuæ, & corporeæ, & consequenter omnes aliæ.

Secundò, nam potentiæ vitales debent esse tanquam in subiecto in eo à quo tanquam à principio dimanant, alioqui non essent vitales, de quarum ratione est, quòd sint coniunctæ cum suo primo, & radicali principio vitæ;sed potentiæ vitales oriuntur ab anima, tanquam à primo fonte totius vitæ : ergo in illa,vt in subiecto erunt.

35. Secunda sententia asserit, omnes potentias vitales,& corporeas in sola materia prima recipi : hanc tenent aliqui ex his, quos in lib. de Generat. disp.2. num.73. retulimus pro sententia asserente accidentia disponentia ad introductionem formæ substantialis subiectari in sola materia prima, quibus videtur subscribere Franciscus Suarez tom.2. summæ Theologicæ tract.3.lib.2.cap.3.n.3.

Probant primò, nam potentiæ vitales hominis, vt visus, & auditus,&c. subiectantur in sola materia prima : ergo etiam potentiæ vitales aliorum viuentium. Consequentia probatur, nam si materia prima in homine se sola habet vim ad hoc,vt sit subiectum adæquatum potentiarum vitalium illius, non est cur hoc materiæ primæ aliorum viuentium denegetur, quandoquidem in omnibus illis materia est eiusdem rationis. Antecedens autem suadetur, quia accidens corporeum nequit recipi in subiecto spirituali, sed tantùm in subiecto corporeo, alioqui non esset debita proportio inter accidens,& eius subiectum : ergo cùm in homine anima sit spiritualis, non recipientur in illa potentiæ vitales corporeæ, & consequenter in sola materia prima,vt in subiecto erunt.

Secundò probatur, & confirmatur simul ratio præcedens, nam si prædictæ potentiæ in materia, & anima simul tanquam in subiecto reciperentur, iam essent in duplici subiecto realiter distincto : hoc autem repugnat, quandoquidem vnicum realiter accidens vnicum tantùm realiter subiectum,à quo indiuiduetur, habere potest : ergo, &c.

Communis, & vera sententia.

§. II.

36. VT communem,& veram sententiam explicemus, notandum est, duplex esse potentiarum vitalium genus, alias organicas, alias verò non organicas : illæ priores sunt, quæ medio organo corporeo, tanquam instrumento coniuncto suas operationes exercent, vt visus, qui medio oculo,siue pupilla,tanquam organo visionem elicit : posteriores verò illæ dicuntur, quæ non operantur per organum corporeum, eò quòd sunt potentiæ purè spirituales, ac proindè propter suam magnam perfectionem,& eleuationem supra materiam nequeunt dependere à corpore in suo esse, neque per illud, tanquam per organum, & instrumentum coniunctum operari, quales sunt intellectus,'& voluntas.

Dicendum ergo est primò, potentias non organicas subiectari immediatè in ipsa anima, cuius sunt potentiæ, scilicet in anima rationali : organicas verò in coniuncto ex corpore,& anima,& non in sola anima, vt in subiecto adæquato. Ita Aristot.2.de Anima text.128. & lib.1. cap.1. nec non lib.2.de somno, & vigilia,vt refert D.Thom. 1.part.quæst.77.art.5. in argument. sed contra his verbis : *Sed contra est, quòd Philosophus*

losophus dicit in lib. de somno, & vigilia, quòd sentire non est proprium animæ, neque corporis, sed coniuncti: potentia ergo sensitiua est in coniuncto, sicut in subiecto: non ergo sola anima est subiectum omnium potentiarum suarum. Idem tenet S. Doctor in eodem articulo in corpore illius, vbi sic inquit: *Manifestum est autem ex supradictis, quòd quædam operationes sunt animæ, quæ exercentur sine organo corporali, vt intelligere, & velle. Vnde potentiæ, quæ sunt harum operationum principia, sunt in anima sicut in subiecto: quædam verò operationes sunt animæ, quæ exercentur per organa corporalia, sicut visio per oculum, auditus per aurem, & simile est de omnibus aliis operationibus nutritiuæ, & sensitiuæ partis, & ideò potentiæ, quæ sunt talium operationum principia, sunt in coniuncto, sicut in subiecto, & non in anima sola.* Quod etiam docet art.8. eiusdem quæstionis io argumento sed contra, vbi refert testimonium quoddam ex libro de Ecclesiasticis dogmatibus, his verbis: *Ex duabus tantum substantiis constat homo. Anima cum ratione sua, & carne cum sensibus suis.* Et de spiritualibus creaturis art.4. ad tertium, & art.2. ad 20.& opuscul.3.cap.89.& 92. quos sequuntur plures, & grauissimi Philosophi, quos in lib. de Generat. disp.2. num.68. & 76. pro nostra sententia retulimus.

37. Rationem autem fundamentalem huius assertionis adduxit Angelicus Doctor. loco citato ex art.5. quæst.77. quæ potest sub hac forma proponi. Nam illud est subiectum *quod* potentiarum vitalium, quod per se primò,& vt *quod* per illas operatur: sed anima est quæ per se primò, & vt *quod* intelligit, & vult per intellectum, & voluntatem, quæ sunt potentiæ non organicæ: & coniunctum ex anima, & corpore est id quod eodem modo operatur per poteorias organicas: ergo illæ recipientur tanquam in subiecto *quod* in sola anima: istæ verò in coniuncto ex anima, & corpore.

Maior patet tum exemplo: tum etiam ratione. Exemplo quidem, nam ideò ignis est subiectum *quod* caloris, quia est id quod per se primò, per illum calefacit. Ratione verò, nam cùm potentiæ vitales sint operatiuæ, & tribuant per se primò suum effectum formalem suo proprio, & connaturali subiecto *quod*, consequens erit, vt illud sit subiectum *quod* earundem, quod per se primò potest per illas operari. Minor autem quoad primam partem etiam constat, nam cùm anima rationalis existat,& subsistat vt *quod*, vt suo loco dicemus, & sit naturæ intellectualis, debet per se primù babere operationes talis naturæ, scilicet intelligere, & velle, quæ fiunt mediis potentiis non organicis,scilicet intellectu,& voluntate. Et deinde quoad secundam partem etiam liquet, nam cùm operatio potentiarum organicarum sit corporea, & dependens à materia, non potest non exerceri medio organo corporeo, & ita nequit visio exerceri, nisi mediante oculo, nec auditio nisi mediante organo auditus, vt communiter docent Philosophi,vt suo loco ampliùs ostendemus ex eo, quod proprium est solius operationis purè spiritualis, non fieri dependenter à corpore, vt instrumento coniuncto per quod elicienda sit.

38. Confirmatur, nam potentiæ organicæ vtpotè corporeæ, & extensibiles præsupponunt in subiecto immediato *quod* quantitatem, non minùs, quàm reliqua accidentia corporea,& extensibilia, exiguntque etiam certas dispositiones in illo, vt per eas operari possint,vt experientia constat: ergo nequeunt immediatè in sola materia subiectari, aut forma. Patet consequentia, nam in his sic sumptis, neque quantitas, neque reliquæ dispositiones, sed solùm in toto composito recipiuntur,vt ex dictis in lib.de Generat. disp.2. num.76. & sequentibus constat, & deindè, potentiæ non organicæ vtpotè spirituales, & independentes à materia, nequaquam in subiecto corporeo, sed spirituali, quod nullum aliud præter ipsam animam esse potest, recipi debent; maximè, quia prædictæ potentiæ institutæ sunt à natura ad hoc, vt etiam animæ in statu separationis deseruiant; constat autem quòd si subiectarentur in toto, perirent eo pereunte, & ita nequirent animæ in statu separationis deseruire.

Nec refert, si contra rationem fundamentalem obiicias: ex ea potiùs sequi potentias non organicas subiectari in toto coniuncto, scilicet in homine, quoniam operationes eius, scilicet intelligere, & velle, magis sunt operationes totius compositi, quàm animæ rationalis. Et ideò Aristot. lib.1. de Anima cap.4. text.64. inquit: *Melius fortassis non dicere animam misereri, aut addiscere, aut intelligere, sed hominem per animam.* Et D. Thom.1. part. quæst.75. art.2. ad secundum asserit. *Potest dici quòd anima intelligit, sicut oculus videt, sed magis propriè dicitur, quòd homo intelligat per animam:* ergo si illud est proprium subiectum alicuius potentiæ, quod per eandem propriè operari asseritur, rectè inferretur; potentias etiam non organicas in toto compositò subiectari.

39. Non itaque hoc refert, qoia vt benè notauit Caiet.1.part. quæst.77. art.5. dupliciter potest aliquid esse principium *quod* alicuius operationis, vel ita vt ratione sui, & non per communicationem ab alio, tanquam à principio formali realiter à se distincto hoc habeat, & nihilominùs sit simul forma, & ratio qua aliquid easdem operationes eliciat vt *quod*, vel ita vt ratione alicuius principij formalis in illo inclusi, & ab eodem realiter distincti, operantisque vt *quod*, hoc ipsum participet.

Inter hos autem duos modos eliciendi operationes per modum principij *quod*, duplex intercedit discrimen. Primum est, quod id, quod priori modo illas elicit, habet per se primò, & immediatè esse principium *quod* earundem, non verò quod posteriori modo est causa earum, & ita illi debent per se primo inhærere potentiæ elicitiuæ prædictarum operationum, non verò isti,ex eo quòd solùm secundariò eas elicit, id est, quatenùs primum principium earum, vt *quod*, necessariò includitur in ipso.

Secundum est, quòd id cui priori modo conuenit esse principium *quod*, potest etiam competere esse subsistens vt *quod*, non tamen esse suppositum, seu personam, quia ad subsistendum, vt *quod* non requiritur, vt subsistens habeat naturam integram, & completam, secùs tamen ad hoc, vt sit suppositum, seu (quod intellectualibus idem est) ad hoc vt sit persona. Quare cum Aristot. & D. Thom. asserunt, potiùs totum hominem, quàm animam dicere, aut intelligere vt *quod*, loquuntur de principio *quod* posteriori modo, & per modum suppositi, seu personæ non verò do principio *quod* priori modo, secundùm quam rationem potiùs anima, quàm totus homo intelligit, & vult. Vnde potentiæ non organicæ, scilicet intellectus, & voluntas debent animæ per se primo inesse, homini autem non nisi secundariò, & mediatè, quatenùs includit aoimam rationalem, vt formam sui, cui per se primò insunt, quippè quæ per se primò, per illas operatur.

Fit

Fit obuiam argumentis aliarum sententiarum.

§. III.

40. AD primum primæ sententiæ respondetur ex D. Thom. 1. part. quæst. 77. art. 5. ad tertium, Diuum Augustinum non fuisse ibi loquutum assertiuè, sed recitatiuè, referendo nimirum sententiam Platonis existimantis, quòd sentire est propria solius animæ operatio, cuius Philosophi opinionibus in rebus Philosophicis solet Augustinus modo recitatiuo vti.

Ad secundùm respondetur, quòd licèt omnes potentiæ vitales oriantur ab anima tanquam à principio *quo*, non tamen vt à principio *quod*, sed à toto composito, & ideò illæ, quæ ab eadem, vt à principio *quo*, solummodo resultant, quales sunt potentiæ organicæ, ac proindè potentiæ correspondentes plantis, & omnibus brutis non possunt in illa, vt in subiecto *quod* recipi, sed tantùm vt in subiecto *quo*.

41 Ad primum verò secundæ sententiæ constat ex dictis in libro de Generatione disputat. 3. num. 67. negandum esse antecedens, & ad probationem, verum esse accidens corporeum, non posse recipi in subiecto spirituali, quatenùs spirituali, & tanquam in subiecto *quod* totali, aut primariò: secùs tamen vt in subiecto spirituali, quatenus corporeo vt *quo*, & tanquam in subiecto partiali *quo* habenti rationem subiecti secundarij; sic enim optimè seruatur proportio inter subiectum, & accidens corporeum. Quare cùm anima hominis, quantumuis sit in se spiritualis, nihilominus sit corporea vt *quo*, & non habeat esse subiectum totale, & primarium prædictorum accidentium: inde est, vt possit esse subiectum *quo* illorum, ac proindè totum compositum erit subiectum *quod* receptiuum eorundem. Sed circa hæc videantur illa, quæ in lib. Physic. disput. 6. num. 47. vsque ad 51. diximus, vt explicaremus, quomodo licèt anima nostra sit spiritualis, nihilominus possit in ea subiectari vnio eiusdem ad corpus, vt informatio est, quamuis talis vnio sit quid corporeum; nam eodem proportionali tamen modo in præsenti quoad receptionem accidentium corporeorum, quæ in anima rationali recipiuntur, debet philosophari.

Ad secundum dicendum est: veram esse maiorem intellectam de duplici subiecto partiali, & *quo* realiter distincto: secùs verò de duplici subiecto *quod* totali, & primariò, & deinde neganda est minor, & ad probationem dicendum est quòd vnitati vnius, & eiusdem accidentis non derogat multiplicitas realis plurium subiectorum *quo*, & partialium, dummodo subiectum *quod* totale, & primarium sit vnicum, & idem.

DISPVTATIO VIII.

De anima vegetatiua, & eius potentiis.

1. SEMEL explicata natura animæ vt sic, & potentiarum eius generaliter sumptarum meritò statim ad animæ vegetatiuæ quidditatem, & potentias explicandas descendimus: tum quia communior, & vniuersalior est, quandoquidem quæuis anima sensitiua, aut rationalis debet esse vegetatiua, vt disput. 4. num. 53. diximus, non tamen è contrà: tum etiam, quia vt optimè notauit Diuus Thomas in hoc 2. libro lectione 7. sicut esse naturale est fundamentum esse sensibilis, & intelligibilis; ita anima vegetatiua est fundamentum sensitiuæ, & rationalis, & licèt ad exactam huius animæ, & potentiarum eius notitiam plura essent tradenda de nutritione, augmentatione, & generatione, quæ sunt propriæ operationes illius, vt statim dicemus, nihilominùs, quia de his satis fusè in lib. de Generatione egimus, ideò solùm de illis, de quibus ibidem ex professo, non disputauimus, agendum in hac disp. erit.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit anima vegetatiua, & quo eius operationes?

2. PRior huius quæstionis pars meliùs intelligetur, si priùs posterior decidatur & ideò de numero operationum animæ vegetatiuæ primo loco agemus. Vt autem vtrumque meliùs explicemus, notandum est, viuentia esse in triplici differentia, quædam adeò perfecta, vt numquã ex putrefactione, sed ex parte, virtute seminis, cõcurrente etiam virtute cœlesti efformentur, qualia sunt homo, & equus, &c. Quod quidem teste Arist. Problem. 13. sect. 10. & Problem. 16. eiusdem sectionis, prouenit ex eo quod hæc viuentia ob sui perfectionem postulant, vt non breuiter, sed longo temporis interuallo, pluribusque dispositionibus eorundem efformatio duret. Vndè cùm materia exterior illaque v. g. terræ putrefactio, non possit tanto tempore, & cum debitis aliis circumstantiis, ac dispositionibus conseruari: sit indè, vt neque huiusmodi viuentia possint ex ea fieri. Alia verò sunt, quæ ob sui imperfectionem ex putri materia semper procreantur, cuius generis sunt, vt vult Bañes, anguillæ, & alia, tunc tamen debent materiæ medio lumine, & calore solis, qui est veluti semen respectu talis generationis, disponi, de quorum etiam animalium generatione meminit idem Philosophus 6. lib. de historia Animalium, cap. 15. & 16. Alia tamen sunt viuentia veluti media, quæ modò per generationem, modò ex putrefactione fiunt, vt mures vespæ, & alia, quorum meminit Arist. 7. Phys. cap. 7.

Explicatur numerus operationum animæ vegetatiuæ.

§. I.

3. HIs ergo suppositis, dicendum est primò, si loquamur de operationibus propriis, omni, & soli animæ vegetatiuæ, generalissimè sumptæ conuenientibus, non est necesse plures alias præter nutritionem, & augmentationem enumerare; si verò de his, quæ oriuntur ab eadem anima paulò strictiùs sumpta, quatenùs nimirum determinatur ad animas primi, & posterioris generis, tunc erunt tres, nutritio nimirum, augmentatio, & generatio.

Assertionem hanc quoad vtramque partem docent communiter Philosophi cum Arist. & D. Thom. & quidem quoad priorem satis constat, ex his quæ ex Aristot. diximus, quandoquidem anima vegetatiua communissimè sumpta non habet tantam vim, & perfectionem, vt possit generare sibi simile: cumque ex alio capite videamus omne viuens nutrire, & augere se, fit indè, non esse necessarium, alias illius operationes præter iam dictas enumerare, nam vt ex statim dicendis constabit, anima vegetatiua solum poterat vltra enumeratas habere aliam, scilicet generationem.

Quoad secundam verò partem est etiam Arist. relati à D. Thom. 1. p. q. 78. art. 2. his verbis: *Sed contra est, quòd Philosophus dicit in secundo de Anima, quòd opera huius animæ*, scilicet vegetatiuæ de qua loquimur, *sunt generare, & alimento vti, & iterum augmentum facere*. Quem sequitur S. Doctor ibidem, q. de Anima art. 13. Et 2. huius operis, lect. 9. vbi loquens de operationibus animæ vegetatiuæ contractæ ad animas iam dictas, sic ait: *Prima eius operatio est nutritio, per quam saluatur aliquid vt est. Secunda autem operatio est augmentum, quo aliquid proficit in maiorem perfectionem secundum quantitatem. Tertia autem est generatio.*

4. Rationem autem fundamentale tetigit D. Th. vna cum Arist. locis cit. quæ potest ad hanc formã reduci, nam obiectũ animæ vegetatiuæ, de qua loquimur, est corpus viuens per illam; sed ad huiusmodi corpus tres animæ operationes iam dictæ requiruntur, & sufficiunt: ergo totidem eidem animæ assignandæ erunt.

Maior constat, quia finis vegetatiui, vt habet virtutem operatiuam, est conseruatio proprij esse, siue in indiuiduo, siue in specie: & ita obiectum illius tantum erit corpus viuens, per animam vegetatiuam, siue illud sit idem numero, siue idem secundùm speciem, quia per corpus sic sumptum conseruatur proprium esse vegetatiuum, tam in indiuiduo, quã in specie, & ideò idem S. Doctor q. citata ex 1. p. art. 1. docet in hoc distingui obiectum vegetatiui ab obiecto sensitiui, & intellectiui, quòd obiectum intellectiui est vniuersalissimum, scilicèt omne ens; sensitiui verò minùs amplum, nimirum corpus sensibile, siue separatum, siue coniunctum cum sensitiuo: vegetatiui autem adhuc minus amplum, scilicèt corpus animæ vnitum, siue sit vnitum eidem animæ secundùm numerum, siue eidem secundum speciem,

5. Minor autem quoad primam partem, scilicèt ad huiusmodi corpus desiderari prædictas operationes, probatur, & explicatur, nam ad prædictum corpus est in primis necessaria vna operatio, per quam esse acquirat, scilicèt generatio, vt ita species vegetatiui in eo conseruetur; alia verò per quam in esse indiuiduali conseruetur nimirum nutritio, ratione cuius, id quod de propria substantia vi caloris naturalis deperditur, instauratur, vt in lib. de Generat. disp. 5. n. 2. & 3. ostendimus: alia tandem per quam ad debitam ad quantitatem requisitam ad illius operationes rectè exercendas perducatur, videlicèt augmentatio. Quoad secundam verò partem, id est quod hæ operationes sufficiant, etiam liquet, quoniam vt intuenti constabit, nullum aliud operationis genus desideratur ad prædictam conseruationem præter iam enumeratas: ergo, &c.

Obiectiones contra dicta, & enodatio earum.

§. II.

6. SEd obiicies primò generationem, non esse propriam operationem animæ vegetatiuæ, siquidem conuenit formis inanimatis, vt formæ ignis; & aliis: ergo operationes illius ad summum erunt nutritio, & augmentatio.

Confirmatur, nam Arist. in hoc 2. lib. text. 34. solum dixit, duo esse opera vitæ vegetatiuæ scilicèt generare, & alimento vti, ac proindè malè numerantur tres.

Secundò obiicies, dari plures alias operationes animæ vegetatiuæ, qualis est digestio, & concoctio cibi, attractio illius ad stomachũ, sed hæ nõ comprehenduntur, sub tribus enumeratis: ergo, &c. Minor probatur, quia nulla ex his actionibus terminatur ad corpus viuum, vt ex se constat, at tres actiones enumeratæ ad illud immediatè terminantur: ergo, &c.

7. Ad primam ex his obiectionibus respondetur ex D. Th. 4. contra Gent. c. 11. & 1. p. q. 78. art. 2. ad secundum, vbi sic ait: *Dicendum, quod generatio in rebus inanimatis est totaliter ab extrinseco, sed generatio viuentium, est quodam altiori modo, per aliquid ipsius viuentis, quod est semen in quo est aliquod principiis corporis formatiuum.* Quibus etiam consonat: tum id, quod idem S. Doctor. 2. de Anima lect. 7. docet, de his verbis: *Generare est opus animæ vegetatiuæ, & dicitur naturalissimum quia in hoc conueniunt, etiam cum aliis rebus inanimatis, quæ generationem habent, licet alio modo, habent enim inanimata generationem ab extrinseco generante, sed viuentia a principio intrinseco in quantum generantur ex semine; quod proficit in rem viuam:* tum etiam id: quod asserit 1. part. q. 27. artic. 2. vbi definit generationem viuentium, per hoc quòd sit origo viuentis à viuente, à principio coniuncto in similitudinem naturæ.

Explicatur hoc, etenim licèt viuentia, & non viuentia generent, aliter tamen, & aliter, quia generatio non viuentium fit totaliter ab extrinseco, quatenùs generans non manet in genito, nec secundùm naturã numericam, nec secundùm aliquid sui, quòd priùs habuerit eandem numero formam, quam habet generans, & ita nullo modo est idem mouens, & motum, neque illa generatio est actio vitalis, de cuius ratione est, vt idem moueat seipsum, ac proindè quòd talis actio sit immanens, sed est actio quædam transiens in externam materiam.

8. At generatio viuentium fit ab intrinseco, quatenùs si viuens sit perfectissimum, tunc generans est omnino idem secundùm naturã numericã cum genito, & solũ distinctum in persona, ex eo, quod sine hac distinctione, nõ posset generatio perfici, vt cõtingit in Deo respectu Verbi Diuini: si autem viuens non habeat summam perfectionem in ratione viuentis, tunc licèt deficiat, ab hoc quod generans sit ita intrinsecum genito, vt maneat in illo secundùm propriam naturam numericam, & consequenter ab hoc, quòd generando habeat, vt sic dicamus, mouere ita intrinsecè seipsum, vt intra se, & absque distinctione perficiatur omnimodè generatio; nihilominus semper illa generatio fit aliquo modo ab intrinseco, quatenus generans, v. g. homo incipit opus generationis formando semen de propria substantia, scilicèt de sanguine defæcato, qui ad integritatem propriæ naturæ

naturæ pertinet, & eadem numero anima rationali informatur, & ita respectu talis actionis idemmet suppositum est mouens, & motum, talisque actio potest esse vitalis, & immanens. Quia vt lib. de Generat. disp. 2. num. 15. & sequentibus diximus, generatio, prout est actio recipitur in passo circa quod versatur, quodque per illam corrumpendum est. Cæterùm cum hoc stat, vt notauit D. Thom. 4. contra Gent. cap. 11. vt prædicta actio in sui initio sit magis ab intrinseco, quàm in fine, siue in progressu illius.

9 Nec refert, si obiicias semen fieri ex superfluo alimenti, vt communiter docent Philosophi: ergo non fieri ex sanguinem naturali. Patet consequentia, quia sanguis iste, non habet rationem alimenti, siquidem alimentum non est vera pars aliti: benè tamen prædictus sanguis, vt ex dictis disput. 6. n. 10. constat. Non itaque hoc refert, nam vt disp. citata num. 10. diximus, duplex est alimentum in animali, v. g. in equo, aliud quòd non est vera pars illius, sed substantialiter conuertendum est in ipsum, ac proindè, ante conuersionem non actuatur per eandem numero formam, quam habet animal: aliud verò, quòd est vera pars animalis, licèt imperfecta, modo tamen disput. citata quæst. 1. explicato, & ita collatum præcise cùm animali solùm accidentaliter conuertendum est in alias partes ipsius, quia omnes illæ informantur per eandem anima, secundùm omnem gradum eius, & solùm differunt accidentaliter, ex eo quod ethereogeneitas, & diuersitas partium viuentis, non est formaliter substantialis, sed solùm accidentalis, vt disput. citat. diximus.

10 Vndè, licèt sanguis naturalis non possit habere rationem primi alimenti, benè tamen posterioris, & ita semen potest fieri ex superfluo illius, id est ex superfluo illo prædicti sanguinis, quod licèt possit accidentaliter conuerti in alias partes, non tamen de facto conuertendum est in illas, quia tanta copia prædicti sanguinis elaborata est, quanta sufficiat ad hoc, vt maneat in ratione sanguinis naturalis, & ad hoc, vt deseruiat pro alendis accidentaliter pluribus aliis partibus animalis, ac tandem ad hoc, vt ex illo per veram transmutationem substantialem, pro efformatione fœtus fiat semen, quod aliam formam substantialem habet, vt ita generatio illa sit generatio propria viuentibus, petens esse à principio coniuncto, id est saltem tacta ex aliquo, quòd te vera priùs pertineat ad substantiam generantis.

Nec obest si vrgeas, quòd natura non procedit à perfectioribus ad imperfectiora; sed potiùs è contra: ergo ad productionem seminis humani, non procedit à sanguine naturali, qui informatur anima rationali ad semen, quod ignobiliori forma actuatur. Respondetur enim, quòd licèt natura non intenderet, nec efficeret transitum illum sanguinis naturalis in priorem formam, scilicet seminis, si ibi sistendum esset, benè tamen quando in ea non sistitur, sed talis transmutatio tendit ad productionem alterius indiuidui, & conseruationem speciei.

11 Ad confirmationem respondetur, quòd licèt Aristot. loco ibidem citato, non numerauit, nisi duas operationes animæ vegetatiuæ, scilicet generare, & alimento vti; nihilominùs postea se explicuit in text. 36. & sequentibus, quòd sub alimento vti intelligeret nutritionem, & augmentationem, & ita ex professo differit de ipso alimento, tanquam de speciali opere animæ vegetatiua, refutans Philosophos, qui non ad animam, sed ad alia principia recurrerebant, vt propriam causam augmenti viuentium assignarent.

Ad secundam obiectionem respondetur, omnes illas operationes contineri sub tribus enumeratis, non quidem tanquam partes subiectiuas illarum, vt obiecto intendit, sed tanquam aliquid, quòd ad easdem reducitur, ex eo quod illis deseruiunt, & ad illas ordinantur. Vnde etiam in opere generationis repetiuntur aliæ actiones iuxta ea, quæ D. Thom. opusc. 43. ex Galeno refert, vt seminatio in qua includuntur, scilicet productio, & præparatio seminis in propriis vasibus, & emissio eius ad locum aptum generationis. & similiter interuenit ibidem immutatio, & dispositio partium seminis, ex quibus fœtus est formandus permiscendo semina, & alterando illa attandem formando ex eisdem fœtum. Vtrùm autem omnibus his actionibus, & aliis similibus correspondeant propriæ potentiæ realiter distinctæ, vel aliquibus ex illis correspondeant; aliis verò non, ex alibi dicendis constabit.

Traditur ex dictis difinitio animæ vegetatiuæ

§. III.

12. EX quibus inferendum, & dicendum est secundò, animam vegetatiuam communissimè sumptam optimè definiri per hoc, sit primum principium, quo viuens augere se ipsum; animam verò vegetatiuam strictius sumptam, prout trahitur ad animas primi, & posterioris generis, rectè etiam explicari per hoc, quòd sit primum principium generandi aliud viuens sibi simile, secundùm speciem.

Assertio hæc quo ad priorem partem apertè sequitur ex his quæ ex Arist. diximus, nam quæuis formæ substantialis definitur per hoc, quòd sit primum principium alicuius operationis sibi propriæ, maximè cùm operatio illa est talis conditionis, vt ei aliæ operationes ab eadem forma procedentes deseruiant sed augmentatio est propria operatio animæ vegetatiuæ communissimè sumptæ, vt ex dictis constat, & ei cæteræ aliæ operationes eiusdem animæ quodammodò deseruiunt, vt ex statim dicendis patebit, ergo anima vegetatiua optimè per eam definietur.

13 Quoad secundam verò partem etiam constat assertio; nam in primis eam Aristotel. in hoc 2. lib. text. 49. vbi loquens de Anima vegetatiua strictiùs sumpta, & prout trahitur ad animas iam dictas, sic inquit: *Erit vtique prima anima generatiuum talis, quale ipsum est*. Cuius rationem tetigit idem Philosophus ibidem dicens. *Quoniam autem à fine appellari omnia iustum est finis autem est generasse quale ipsum; erit vtique anima generatiuum, &c.* Quam rationem, & definitionem explicat optimè D. Thom. lectione citata, vbi loquens de Anima vegetabili paulo strictiùs, & modo explicato sumpta, & simul nostram primam assertionem elucidans, sic inquit: *Ad cuius definitionis intellectum sciendum est, quòd inter tres operationes animæ vegetabilis, est quidam ordo; nam prima eius operatio est nutritio, per quam saluatur aliquid vt est. Secunda autem operatio, & perfectior est augmentum, quo aliquid proficit in maiorem perfectionem, & secundùm quantitatem, & secundùm virtutem. Tertia autem perfectissima & finalis est generatio, per quam aliquid iam quasi in seipso perfectum existens, alteri esse, & perfectionem tradit; tunc enim vnumquodque maximè perfectu, vt in 4. Meteororum dicitur, cùm potest facere alterum tale quale ipsum est. Quia igitur iustum est, quòd omnia definiantur, & denominentur à fine: finis autem operum animæ vegetabilis est generare alterum tale, quale ipsũ est: sequitur quod ipsa sit cõueniẽs definitio primæ animæ, scilicet vegetabilis vt sit generatiua alterius similis secũdũ speciẽ.*

14 Potest autem hæc eadem perfectio generationis supra alias operationes animæ vegetatiuæ, & quomodo generatio habet se ad instar finis respectu illarum explicari, & confirmari ex eo, quod hoc

proportionali modo comparantur, inter se potentia nutritiua, augmentatiua, & generatiua, cui prædictæ operationes correspondent: ac proindè eodem proportionali modo debent operationes eis correspondentes inter se comparari: siquidem id quod est in potentiis, debet splendere in actibus, & operationibus eis correspondentibus.

Hanc autem differentiam, excessum, & proportionem inter prædictas potentias explicuit optimè idem S. Doctor. 1. p. q. 78. art. 2. his verbis: *Est tamen quædam differentia attendenda inter has potentias: nam nutritiua, & augmentatiua habent suum effectum in eo in quo sunt; quia ipsum corpus vnitum animæ augetur, & conseruatur per vim augmentatiuam, & nutritiuam in eadem anima existentem: sed vis generatiua habet effectum suum non in eodem corpore, sed in alio, quia nihil est generatiuum sui ipsius: & ideo vis generatiua quodammodo appropinquat ad dignitatem animæ sensitiuæ quæ habet operationem in res exteriores, licet excellentiori modo, & validiori. Supremum enim inferioris naturæ attingit id quod est infimum superioris, vt patet per Dionys. in 7. c. de diuinis nomin. Et ideo inter istas tres potentias finalior, & principalior, & perfectior est generatiua, vt dicitur in 2. de Anima. Est enim rei iam perfectæ facere alteram qualis ipsa est: generatiuæ autem deseruiunt, & augmentatiua, & nutritiua, augmentatiuæ verò nutritiua.* Vnde non mirum, quòd prædicta anima vegetatiua potiùs per hoc, quòd est esse primum principium generandi, quam nutriendi, & augendi explicetur.

QVÆSTIO II.

Quænam ex his operationibus sit connaturalior animæ vegetatiuæ, seu viuenti per illam, & qua ratione;

Meritò postquam explicuimus numerum operationum vegetatiuæ, de eis inter se, & cùm anima vegetatiua collatis agimus: sic enim tam earum natura, quàm animæ, à qua oriuntur magis patefiet.

Refertur duplex sententia.

§. I.

15. Prima sententia asserit, generationem esse naturalissimum opus viuentis, & hoc ei conuenire ex eo quod est perfectissimum opus illius. Ita aliqui, quos refert Suarez tom. 2. sum. Theolog. tract. 3. l. 2. c. 7. n. 4. Fundamentum est, n. 1. generatio est productio substantiæ totalis, & requirens, quod generans sit in statu perfecto; nutritio verò est partialis aggeneratiu, fit que à viuente etiam imperfecto, quod idem de augmentatione, quæ est productio partialis, & maioris quantitatis dicimus: ergo generatio est perfectior operatio, quam nutritio, & augmentatio, ac proindè erit opus connaturalissimum viuenti. Patet hæc vltima consequentia, nam quò operationes alicuius naturæ sunt perfectiores, eo sunt magis illi connaturales, & ideò homini est magis connaturale intelligere, quàm sentire, ex eo quod intelligere est perfectior illius operatio.

16 Secunda sententia etiam asserit, generationem esse connaturalissimum opus animæ vegetatiuæ, non quidem ex eo, quòd sit perfectior operatio illius, aut ex eo, quòd anima vegetatiua vehementiùs in eam inclinetur, sed quia maximè à natura prouenit, id est, quia est opus maximè commune rebus naturalibus. Ita Suarez loco citato à numerò 5. vsque ad finem capitis. Quæ sententia, quoad vltimam eius partem constabit ex his, quæ pro nostra dicemus: quoad primam verò videtur perspicua, nam velle est imperfectiùs, quàm intelligere, vt ex dicendis lib. 5. constabit, & nihilominus homini non est magis connaturale intelligere, quàm velle, vt ex se patere videtur: ergo ex eo quod generatio sit perfectior operatio vegetatiuæ, malè colligitur eam esse connaturaliorem, quàm cæteras alias illius operationes.

Quoad secundam verò partem probatur primò, quia natura non magis inclinatur in opus generationis, quam nutritionis: ergo generatio non erit connaturalior animæ vegetatiuæ ex eo quod potius in eam inclinetur. Consequentia patet antecedens autem probatur, nam vtraque actio ordinatur ad conseruationem speciei; nam sicut generatio ad illam ordinatur, quia tendit ad productionem alterius indiuidui in eadem specie; ita nutritio tendens ad conseruationem indiuidui eiusdē speciei, ordinabitur etiam ad conseruandam speciem: ergo natura non magis propendit in illam, quàm in hanc operationem, quandoquidem natura ideò solùm poterat magis inclinari in generationem, quàm in nutritionem, vel augmentationem, quia illa respicit bonum commune scilicet bonum speciei, istæ verò bonum particulare, nimirum bonum indiuidui, quod nutritur, & augetur.

17 Confirmatur. Nam hoc ipso, quòd vtraque operatio ordinetur ad bonum speciei, debet natura fortius inclinari in illam, quàm in generationem: ergo &c. Antecedens probatur, nam ex quo capite vtraque operatio ordinatur ad bonum speciei, erit æqualis inclinatio à natura in vtramque; at ex quo capite, per nutritionem conseruatur species in proprio indiuiduo, per generationem verò in alieno, erit maior inclinatio naturæ in nutritionem, quàm in generationem, ex eo quod magis appetit res conseruationem speciei in se ipsa, quàm in alia, iuxta illud Aristot. 8. Ethicor. capit. 7. *Amabile quidem bonum, vnicuique autem proprium, & amicabilia ad alterum, ex amicabilibusque sunt ad se.*

Confirmatur, & explicatur secundò nam bonum commune solum præfertur particulari, ardentiusque appetitur, quando non possunt simul cohærere; quòd si in particulari bono includatur æquale bonum commune, tunc magis apetit natura illud bonum particulare, quàm aliud commune: at per actum nutritionis acquiritur bonum commune. scilicet conseruatio speciei, & insuper bonum proprium ipsius indiuidui, per actum verò generationis solùm acquiritur conseruatio speciei, non verò proprij indiuidui generantis: ergo natura potius inclinabitur in nutritionem, per quam bonum commune vna cum bono particulari indiuidui se ipsum nutrientis adipiscitur, quàm in generationem, per quam solùm bonum commune, non verò bonum proprium indiuidui generantis consequitur.

18 Minor cum consequentia satis constant; maior autem etiam liquet, potestque explicari exemplo lapidis, qui si vacuum replere possit descendendo, vel ascendendo potius inclinabitur ad illud replendum per descensum, quam per ascensum, ex eo quod replendo illud per descensum, consequitur simul bonum proprium & commune, scilicet repletionem vacui.

Tertiò, nam appetitus generationis, & nutritionis sūt ita inter se subordinati, vt ille prior non detur, nisi satiato hoc posteriori: ergò signum est, naturam fortius inclinari in nutritionem, quàm in generationem. Consequentia videtur perspicua, antecedens autem probatur, quia cum materia seminis sit superfluū alimenti, fit inde, vt viuens prius desumat id quod sibi est necessarium ad nutritionem, & deinde quod requirat ad generationem, & formationem seminis:

quod

quod quidem satis innuit viuens ordine quodam appetere nutritionem, & generationem, & non nisi expleto appetitu nutritionis appetere generationem.

Quartò, nam sæpè animalis pro conseruatione vitæ, & sanitatis desistunt actu generationis, ergo fortius inclinantur in conseruationem propriæ vitæ, quæ fit per nutritionem, quàm in generationem. Confirmatur, quia id, quod nociuum est rei, non potest ei esse connaturale; alioquin res connaturaliter in proprium damnum inclinaretur: sed generare est nociuum viuentibus, teste Arist. lib. de longitudine vitæ, cap. 5. vbi inquit, animalia salacia esse breuioris vitæ, quàm casta: ergo, &c.

Vera Arist. Et D. Tho. sententia aliquibus conclusionibus explicatur.

§. II.

19. Dicendum est primò generationem esse magis connaturalem animæ vegetatiuæ perfectæ, seu viuenti perfecto, quod per illam viuit, quàm nutritionem, augmentationem. Ita Arist. in hoc 2. l. text. 34. vbi loquens de Generatione inquit: *Hæc enim operatio maxime omnium operationis viuentibus est naturalis, viuentibus inquam hisce quæ sunt perfecta, non membris capta.* Vbi D. Tho. lect. 7. *Dicit ergo quod ideò generare est opus animæ vegetatiuæ, quia inter alia opera est magis naturale omnibus viuentibus.* Quos sequuntur communiter omnes Philosophi, & ideò ab eis in particulari referendis abstinendum est.

Ratio fundamentalis desumitur ex Arist. loco citato, & ex D. Tho. ibid. & 1. p. q. 78. art. 2. quam sub hac forma proponit Caiet. in præsenti. Naturalius est perfecto quod ei quatenus perfectum est conuenit, & ab eius est imperfectione remotius, quàm illud quod ei conuenit, quatenus à perfectione deficit: sed inter nutritionem, & generationem relatas ad viuens perfectum hoc interest, quòd generatio conuenit viuenti perfecto, quatenus perfectum est, imò & ex abundantia perfectionis eius: nutritio vero viuenti perfecto non conuenit, nisi quatenus à perfectione cadens restauratione eget: igitur viuens perfectum, vt sic magis inclinatur in generationem quàm in nutritionem.

20 Dicendum est secundo generationem esse operationem naturalissimam prædictis viuentibus, prouenit ex eo, quòd magis propendent in illam, quàm in alias operationes. Assertio hæc est Arist. loc. citat. vbi ex eo colligit, generationem esse opus naturalissimum viuentibus, quia maximè appetunt assimilari quoad possunt diuino esse, quoad perpetuitatem, & immortalitatem, ac proinde magis appetunt generationem, media quæ hoc consequuntur. Vnde postquam dixit, generationem esse opus naturalissimum, reddens huius rationem ait: *Vnumquodque inquam aliud sibi simile procreare, animal quidem animali plantam, autem plantam vt sint semper hoc pacto conditionemque subeat quoad possunt diuinam, id nos ipsum appetunt vniuersa, gratiáque ipsius omnia agunt,* quod etiam docet D. Th. ibidem quos sequuntur Caietan. in præsenti. Bañes 1. p. q. 78. art. 2. dub. 4. & ferè omnes alij Philosophi.

21 Rationem autem præcipuam tetigerunt Arist. & D. Th. loco citato, quæ sic proponi, & explicari potest. Nam illa operatio in quam viuens vita vegetatiua maximè propendet, est illi connaturalissima; sed facta collatione inter operationes viuentis vita vegetatiua, maximè propendet viuens in generationem, quàm in alias duas iam enumeratas: ergo generatio propter hanc rationem erit connaturalissima operatio illius. Maior patet; nam cùm naturale opponatur inter alia cum violento; & violentum sit illud, quod est contra inclinationem naturæ, fit inde, vt meritò illud dicatur naturale, quod est iuxta inclinationem, & appetitum naturæ, ac proinde illud sit magis connaturale; quod est magis secundùm prædictam inclinationem, magisque appetitur.

Minor autem probatur, nam vnumquodque maximè appetit assimilari, quoad potest diuino esse, quoad perpetuitatem, & immortalitatem: hoc autem consequuntur viuentia media generatione, non verò media nutritione, & augmentatione proprij indiuidui; quod breui tempore perit: ergo, &c.

22 Confirmat, & explicat rationem hanc D. Tho. loco cit. lect. 7. his verbis: *Quia igitur non possunt communicari inferiora viuentia ipsi esse sempiterno & diuino per modum continuationis, id est vt maneant eadem numero propter hoc, quod nihil corruptibilium contingit vnum, & idem numero permanere semper, cùm necessitas corruptionis sit necessitas absoluta, vt potè prouenien ex ipsa materia non ex fine: sequitur quòd vnumquodque communicet perpetuitatem secundùm quod potest, hoc quidem magis quod est diuturnius, illud vero minùs, quod est minus diuturnum, & tamen permanent semper per generationem, non idem simpliciter, sed vt idem id est in simili secundum speciem.*

Nec refert si contra rationem hanc obiicias, quòd ex ea non minùs conuincitur nutritionem esse operationem naturalissimam viuentibus, quàm generationem, tum quia viuentia non minùs appetunt assimilari Deo, quoad perfectissimum modum operandi illius ad intra, scilicet communicando eandem numero naturam, quàm quoad perpetuitatem, vt ex se constare videtur: at per nutritionem magis assimilantur Deo, quoad prædictum modum operandi, quàm per generationem: quippe cum per illam communicent eandem numero naturam, non verò per hanc, sed solùm eandem naturam secundùm speciem: ergò, &c. Tum etiam, quia species solùm per collectionem omnium, seu infinitarum generationum sibi inuicem succedentium acquirit perpetuitatem: at per collectionem infinitarum nutritionum sibi inuicem succedentium etiam conseruaretur perpetuo: ergo quoad hoc per erit ratio de vtraque maximè, cum nec generatio sine nutritione, nec rursus collectio generationum, sine collectione nutritionum, & è contra possit esse sufficiens ad perpetuam speciei conseruationem.

23 Non itaque hoc refert, negandum enim est antecedens, & ad primam probationem dicendum est, veram esse maiorem, quando cætera sunt paria, hic autem non inueniuntur cætera paria, quia assimilari Deo quoad perpetuitatem in esse, tendit ad bonum commune speciei, quod est bonum diuinius, assimilari verò quoad modum illum operandi communicando eandem numero naturam, seu trahendo alimentum ad propriam, & numericam naturam aliri, quod fit per nutritionem, non tendit per se primò ad bonum commune speciei, sed ad bonum particulare indiuidui. Vnde sicut intelligere in homine est operatio lõgè perfectior, quàm generare, per illamque acquiritur assimilatio cum Deo in eo quod est in eo nobilissimum, scilicet in ipso intelligere, & nihilominus, vt scitè notauit Caiet. loco citato, est in homine maior inclinatio, maiusque pondus naturale ad generandum, quàm ad intelligẽdum, ex eo quod generatio per se primò tendit ad bonum cõmune speciei, & perpetuitatem eius, ita in præsẽti, proportione seruata, philosophandũ est.

25 Ad secundam verò probationem dicendum est, quòd licet ad perpetuitatem speciei requiratur infinita collectio generationum & nutritionum, nec

hilominus facta collatione inter singulas generationes, & nutritiones, magis conducit ad perpetuitatem speciei vnica generatio, quàm vnica nutritio, vt ex se constat, & ita per decem generationes, v. g. conseruatur species in decem indiuiduis, & per diuturnius tempus, quàm per totidem nutritiones, ratione quarum per minus temporis, & in vnico tantum indiuiduo perseuerat, & deinde facta collatione inter collectionem infinitarum generationum, & nutritionum sibi inuicem succedentium excedit collectio illarum collectionem istarum in hoc, quòd tota collectio nutritionum non ordinatur formaliter, & per se primò ad conseruationem speciei, sed solum materialiter, & secundariò; ea eo quòd singulæ nutritiones tantum ordinantur per se primò ad conseruationem proprij indiuidui, & ad communicandam alimento eandem numero naturam alti, quamuis materialiter, & secundariò sequatur inde conseruatio speciei.

Cæterum collectio infinitarum generationum sibi inuicem succedentium per se primò, & formaliter ordinatur ad conseruationem speciei, sicut & singulæ generationes ad hoc ipsum per se primò, & formaliter tendunt. Vnde non mirum quòd viuens magis inclinetur in generationem, quàm in nutritionem.

15. Dicendum est tertiò, Generationem posse etiam esse connaturalissimam operationem prædictis viuentibus ex eo, quod est communis eis, cum aliis rebus inanimatis, & potentibus generare. Assertionem hanc innuit Arist. loco cit. & eam expressè docet D. Thom. ibidem lect. 7. explicans prædicta verba, vbi postquam dixit id quod supra ex ipso tetigimus, scilicet quod in hunc modum. *Ideo generare est opus animæ vegetatiuæ, quia inter alia opera est magis naturale omnibus viuentibus, addidit, & dicitur naturalissimum, quia in hoc conuenit, etiam cum aliis rebus inanimatis, quæ generationem habent, licet alio modo* Quos sequuntur Caiet. & Suar. loco cit. num. 7. & alij.

Probatur, & explicatur assertio ratione desumpta ex his verbis D. Thom. nam quod maximè à natura compositi naturalis, & perfecti prouenit, potest dici opus naturalissimum; sed hoc ipso, quòd generare sit commune prædictis viuentibus, & aliis rebus inanimatis, quæ generant, maximè prouenit à natura eorum: ergo poterit propter hanc rationem dici opus naturalissimum. Maior cum consequentia videntur perspicua. Minor autem probatur, nam hoc ipso quod aliqua operatio sit communia rebus animatis, & inanimatis perfectia, est operatio per quam natura se maximè explicare, & diffundere intendit, atque adeò est maximè opus naturæ.

16. Nec obest id, quod contra rationem hanc obiicit Caietanus, scilicet non rectè inferri generationem esse opus connaturalissimum viuentibus ex eo, quòd in hoc conueniunt cum non viuentibus, nam hic potiùs sequitur oppositum, quandoquidem illa, quæ insunt per proximiora, & propria constitutiua principia sunt connaturaliora, quàm quæ insunt per communia: ideò naturalius est homini intelligere, quàm sentire, ac proinde naturalius erit viuenti nutriri & augeri, per quod distinguitur à non viuentibus, quàm generare, per quod conuenit cum illis.

Respondetur enim, quòd licet id quod conuenit, per principia proximiora, esset cæteris partibus connaturalius, eo quod competit per principia remotiora, & vniuersaliora: attamen quod per vtraque principia conuenit, non potest non esse connaturalius, eo quod per principia proximiora tantummodo competit, vt ex se constat: at homini, v. g. conuenit generare: tum ob rationem quandam generalem ipsi, & non viuentibus: tum etiam ob rationem quandam specialem, & vt habet ab illis distingui; nam quod generet aliud viuens, sibi simile in specie humana, conuenit illi in quantum homo, & ratione animæ rationalis, quatenus talis, & vt ab illis distinguitur, vt supra asseruimus, & ideò facta collatione inter nutritionem, & augmentationem ex vna parte, & generationem ex alia, non poterit non generatio maximè à natura illius prouenire, ac proinde esse connaturalior, quoniam nutriri, & augeri non conuenit illi secundùm rationem aliquam communem ipsi & non viuentibus, siquidem non viuentia propriè loquendo, nec nutriuntur; nec augentur, vt in lib. de Generat. disput. 6. n. 12. & seqq. diximus.

Vnde D. Th. postquam locu citato dixit, viuentia conuenire cum non viuentibus in opere generationis addidit: prædictam generationem alio modo conuenire his, & illis; vt denotaret, tam secundùm generalem illam, quàm secundùm suam peculiarem (quamuis diuerso modo) rationem habere viuentia quòd generent, atque adeò facta collatione inter nutritionem v. g. & generationem debere hanc esse maximè opus naturæ viuentis.

17. Nec refert si vrgeas, hic non fieri sermonem de generatione vtcumque prout est communis viuentibus, & non viuentibus: sed de generatione propria viuentium, hæc autem non conuenis viuentibus ob rationem generalem, qua cum non viuentibus conueniunt, sed ob specialem, & vt viuentia sunt, vt ex se constat, ergo, &c.

Respondetur enim, quod licet in præsenti præcipuè loquamur de generatione propria viuentium, vt vitalis est, tamen etiam loquimur de illa secundùm communia, quæ habet, non quæcumque, sed exprimentia rationem generationis, propriè & in rigore sumptæ; nam generatio secundùm ea, quæ habet intra lineam generationis præcisè sumptæ, seu secundùm quod præcisè exprimit rationem veræ, & propriæ generationis, tam in communi, quam in particulari acceptam conuenit prædictis viuentibus: Tum ob communem: Tum ob specialem rationem iam explicatam: nutritio verò, & augmentatio propriè sumptæ, & secundùm quod exprimunt suas rationes formales nutriendi, & augendi, siue illæ sumantur secundùm rationem generalem nutritionis, & augmentationis vt sic, siue secundùm speciales talis vel talis nutritionis solùm conueniunt rei animatæ, vt tali non verò rebus animatis, ex eo quod sola viuentia propriè loquendo possunt nutriri, & augeri, & ideò generatio ex hoc, iam dicto, erit connaturalior.

Diluuntur argumenta aliarum sententiarum.

§. III.

18. AD fundamentum primæ sententiæ, quatenus contra nos vtcumque pugnat, patet ex dictis: excessum in perfectione quem habet vna operatio supra aliam, non semper indicare in natura, cuius est talis operatio, maiorem appetitum, & inclinationem naturalem ad illam, ac proindè, nec quòd vna operatio sit connaturalior, quàm altera, quando cætera sunt imparia, vt in præsenti contingit, & explicatum iam est: & ita insufficienter ex isto solo capite maioris perfectionis, colligitur hic, quòd generatio sit connaturalior aliis operationibus iam dictis.

Ad fundamentum secundæ sententiæ quoad primam eius partem constat ex dictis, & similiter ad primum, & vtramque confirmationem pro secunda eiusdem

dem sententiæ parte, nam vt ibidem diximus, media nutritione non conseruatur species per tempus ita diuturnum, sicut media generatione, nec ipsa nutritio tendit per se primò ad conseruandam speciem, secus verò generatio, & ita non mirùm quod natura ardentius feratur in generationem.

29. Ad tertiam negandum est antecedens, & ad probationem dicendum, quòd ex eo quod generatio præsupponat actum nutritionis, quia supponit viuens perfectum, & quod iam peruenerit ad debitam quantitatem, non sequitur naturam illius fortiùs, aut priùs ordine intentionis inclinari in nutritionem, quàm in generationem, sed potiùs oppositum, quandoquidem inde fit nutritionem deseruire generationi, atque adeò naturam priùs, & fortiùs inclinari in id, ad quod prædicta nutritio deseruit.

Ad quartum concesso antecedenti, neganda est consequentia, quoniam id non prouenit ex eo quod fortius inclinentur in conseruationem proprij indiuidui, quàm speciei; sed ex eo quod per se loquendo possunt tam proprium, & indiuiduale esse, quàm esse speciei conseruare absque eo, quod tunc generent & ideò non mirum, quòd pro tunc à generatione desistant, vt alio tempore commodius illi vacare queant.

30. Ad confirmationem respondetur primò castitatem conducere ad longitudinem vitæ, imò etiam ad perspicacitatem ingenij, & memoriæ fœcunditatem. Cæterum, sicut manus cum sui detrimento solet curare de bono capitis, & totius, ita generans cum sui damno poterit media generatione de conseruatione speciei, quæ est bonum diuinius, & excellentius curare. Adde, quòd generatio si moderatè & debito tempore exerceatur, non est nociua. Vnde, Medici ex Galeno, & Hippocrate referunt, quòd verius est causa salutis, cum opportunè inest, & mediocriter exercetur. Si quando tamen nocet, est, quia nimium ei vacatur, eo sanè proportionali modo, quo manducare ex se est salutiferum, & tamen si nimium manducetur, solet esse nociuum, Natura autem non inclinatur pondere naturali, de quo loquimur, in generationem, vt nimiam, & inordinatam, vt ex se constat.

QVÆSTIO III.

An per ordinem ad has tres operationes iam dictas, potentiæ totidem realiter distinctæ sint assignandæ: an verò vnica pro omnibus illis sufficiat.

IN quæstionis titulo aliquid vt certum supponimus, & aliquid in dubium vocamus: Supponimus enim ab Anima vegetatiua dimanare potentiam nutritiuam augmentatiuam, & generatiuam, alioqui enim viuens non posset nutriri, augeri, & generare sibi simile: Vocamus autem in dubium, an vna & eadem potentia pro his operationibus sufficiat: an verò tres potentiæ essentialiter, & realiter distinctæ sint assignandæ?

Opinio prior.

§. I.

31. PRima sententia, docet, vnam, & eandem realiter, & formaliter potentiam sufficere ad hoc, vt viuens per eam prædictas operationes exerceat, ita quoad augmentatiuam, & nutritiuam, Apollinar. 2. de Anima, quæst. 9. Iabelus quæst. 18. & ex recentioribus non pauci, & tam quo ad has, quam quo ad generatiuam, Rubio 2. de Anima tract. de potentiis animæ vegetatiuæ, quæst. 2. Conimbr. cap. 4. quæst. vnica, Themistius cap. 4. Suarez 2. tom. summæ Theologiæ tract. 3. lib. 2. cap. 9. & 10. Titelmanus l. 8. suæ Philosophiæ cap. 8. Durand. in 1. dist. 3. in 2. part. dist. quæst. 2. Valesius lib. 2. controu. Medicarum cap. 19. & 20. & alij plures.

Quorum primum fundamentum desumitur ex duplici testimonio Arist. primum habetur 2. lib. de Generatione animalium cap. 4. ante medium, vbi postquam dixerat eandem facultatem vegetalis animæ generare sibi simile, & augere, magis id explicans, ita ait. *Sic etiam principio constituit id, quod natura efficitur, eadem enim materia est ex qua augetur, & ex qua constituitur primum: itaque facultas quoque augens eademque in principio est, sed maior: quod si hæc vegetalis anima est eadem qua generet, quoque est.* Quasi aliis verbis diceret, facultatem animæ vegetatiuæ per quam nutrit, auget, & generat sibi simile, se habere sicut puerum, & virum, nam in principio parua est non se extendens ad omnes actus, sed ad nutriendum, & augendum proprium corpus, sed tandem fit maior, & ad producendum effectum similem agenti principali se extendit, eadem tamen in vtroque statu tam perfecto, quàm imperfecto est, sicut homo in virili, ac puerili statu idem permanet. Secundùm verò testimonium desumitur ex hoc lib. cap. 4. text. 42. his verbis. *Quoniam autem eadem potentia animæ est vegetatiua, & generatiua de alimento necessarium est determinare primum, separatur enim ab aliis potentiis opere hoc.*

32. Confirmatur ex D. Thom. 1. part. quæst. 119. art. 1. ad quartum. Vbi potentiæ nutritiuæ tribuit opus augmentationis, his verbis: *Virtus conuersiua in principio quidem tam fortis est, vt possit conuertere, non solum quod sufficit ad restaurationem deperditi, sed etiam ad augmentum. Postea verò non potest conuertere, nisi quantum sufficit ad restaurationem deperditi, & tunc cessat augmentum, demum neque hoc potest, & tunc fit diminutio: deinde deficiente huiusmodi virtute totaliter animal moritur.*

Ex quo etiam secundum fundamentum desumi potest; nam sicut potentiæ passiuæ & vitales accipiunt suam speciem, vnitatem, & distinctionem ab obiecto, & ex modo, quo ab illo immutantur, ita actiuæ ex termino formali, & adæquato, quem producunt, & ex modo producendi illum: at potentia generatiua, augmentatiua, & nutritiua producunt vnum, & eundem terminum formalem, & adæquatum, eodemque modo illum attingunt: ergo sunt vna, & eadem prorsus potentia. Minor probatur, quia cùm omnes circa idem alimentum, & eodem modo agant disponendo nimirum, & transmutando illud diuersis transmutationibus ordinatis ad eius conuersionem in corpus viuens eiusdem speciei: fit inde, vt eundem specie, ac proinde eundem formaliter terminum adæquatum, & eodem modo producant, & ita nutritiua producit substantiam partialem; augmentatiua eandem partialem substantiam, maiorem tamen, quàm sit illa, quæ vi caloris naturalis aut alia de causa reparabili deperdita est: generatiua verò totalem substantiam, & eiusdem speciei, cum substantia illa partiali, per quam viuens augetur, & nutritur.

33. Confirmatur, & explicatur: quoniam actus harum potentiarum est vnus, & idem; ergo etiam ipsæ potentiæ erunt vna, & eadem. Consequentia ex supradictis satis patet: antecedens autem quoad nutritionem & generationem constat, quia nutritio est substantialis quædam mutatio per quam alimentum in substantiam viuam conuertitur. Hæc autem substantialis transmutatio, est vitalis, & substantialis

quædam generatio, vt ex se constat: Quoad augmentationem verò etiam liquet, quoniam augmentatio producit substantiam partialem viuam, sicut nutritio, & solùm differt ab ea in hoc, quòd talis substantia sit maior, quàm ea, quæ per calorem naturalem deperdita est; hoc autem non arguit distinctionem formalem in ais: nam differentia penes magnum, vel paruum, aut penes magis, & minus, est accidentalis, & ita non variat speciem, aut formaliter actiones.

Tertium fundamentum est; nam ad generationem, & nutritionem sufficit vna & eadem potentia, & similiter ad nutritionem, & augmentationem; ergo, &c. Antecedens quoad primam partem videtur perspicuum, quoniam vna, & eadem potentia, scilicet nutritiua sufficit ad producendum ex alimento sanguinem, ad hoc, vt aliquæ partes corporis alantur, & deinde producendam medullam, ad hoc vt aliæ, nempè ossa, nutriantur: & tandem ad instaurandam hic partem oculi, illic partem auris: ibi verò partem carnis per actionem caloris naturalis deperditas; ergo etiam eadem potentia sufficiet ad attingendam ex eodem alimento productionem seminis: atque adeo ad hoc vt habeat veram rationem potentiæ generatiuæ, quandoquidem hæc non consistit in virtute illa residente in semine, per quam seminis materiæ pro fœtus forma recipienda disponitur, & organizatur, sed in virtute factiua seminis, quæ in generante residet.

34. Quoad secundam verò partem idem antecedens suadetur: Tum, quia per eandem potentiam generatiuam producitur substantia totalis, & quantitas ad eandem consequuta, siue proles producatur in parua substantia, & quantitate, siue in aliquantulum maiori, vt constat ex his, quæ in lib. Physic. disp.22. num.12. & in lib. de Generat. disp.5.num.20. diximus: ergo ex vi eiusdem potentiæ nutritiuæ producetur substantia partialis, & quantitas etiam partialis, siue parua, & tanta sit, quanta fuit deperdita, siue & paululum maioris extensionis habeat, maximè, quia eodem modo, scilicet per eandem alimenti conuersionem fit: Tum etiam, quia idem calor producit modo intensiorem, modo remissiorem calorem; ergo etiam eadem potentia nutritiua sufficiet ad producendam nunc maiorem substantiam, & quantitatem, postea verò minorem, ac proindè sufficiet, tam ad opus nutritionis, quàm augmentationis.

Sententia Aristot. & Doctoris Angelici, primumque illius fundamentum.

§. II.

35. Dicendum tamen est potentiam nutritiuam, augmentatiuam & generatiuam esse tres potentias essentialiter, & realiter distinctas. Ita Aristot. in 2. huius operis vt testatur D.Thom.1.part.quæst.78. art.2. In argumento sed contra quam sententiam tuetur idem S.Doct. in corp. art. his verbis: *Respondeo dicendum, quod tres sunt potentiæ vegetatiuæ partes; vegetatiuum enim, vt dictum est, habet pro obiecto ipsum corpus viuens per animam, ad quod quidem corpus triplex animæ operatio est necessaria: vna quidem per quam esse acquirat, & ad hoc ordinatur potentia generatiua: alia verò per quam corpus viuum acquirit debitam quantitatem, & ad hoc ordinatur vis augmentatiua: alia per quam corpus viuentis saluatur, & in esse, & in quantitate debita, & ad hoc ordinatur vis nutritiua.* Vbi vt vides tres has potentias distinguit, & non qualitercumque, scilicet formaliter, seu essentialiter, sed etiam realiter; quandoquidem, vt redderet rationem distinctionis illarum, assignat propriam radicem distinctionis realis potentiarum, quam supra quæst.52. art.1. quæst.77. art.13. adduxerat. Scilicet distinctionem actuum, & obiectorum formalium earundem.

36. Quod etiam non parum expressit in fine corporis eiusdem articuli: vbi postquam dixit generatiuam habere vniuersalibus obiectum, & operatione, quàm nutritiuam, & augmentatiuam, addidit verba illa supra à nobis relata scilicet: *Inter istas tres potentias finalior, & principalior, & perfectior est generatiua, vt dicitur in 2. de Anima; est enim res tam perfecta facere alteram, qualis ipsa est: generatiuæ autem deseruiunt, & augmentatiua, & nutritiua: augmentatiuæ verò nutritiua.* Quare, cùm nihil possit sibi ipsi deseruire, neque indiuidua eiusdem speciei hoc modo inter se comparetur; consequens est, vt iuxta sanctum Doctorem hæ potentiæ realiter, & essentialiter distinguantur. Vnde S. Doctorem sequuntur Caiet. 1.p.quæst.78.art.2. Bañes ibidem. Albertus Magnus 2. de Anima cap.6. & 2.p.summæ quæst. de Anima vegetabili art.2. Ægidius quodlib.3. quæst.12. Ferrariensis in hoc lib. cap.2. Vnà cum Aquario. Vbi etiam iterum Caietan. Fernelius 5. lib. Philosophiæ cap. 2. Themistius ad text.10. huius lib. Iandunus q.3. eiusdem, & communiter Thomistæ.

37. Probatur primò ratione, quam tetigerunt Aristot. & D. Thom. loco citato, quæ potest sub hac forma proponi, & elucidari: nam generatio substantiæ totalis est realiter distincta à nutritione, & vtraque ab augmentatione, & similiter tres istæ operationes habent distincta obiecta formalia, & adæquata; ergo requirunt tres potentias essentialiter, & realiter distinctas, scilicet generatiuam, nutritiuam, & augmentatiuam.

Consequentia constat ex dictis, disp. præced. num.8. Antecedens autem quoad priorem partem est satis perspicuum, quandoquidem certum est, quòd productio totius viuentis, aut seminis non est vera nutritio: cùm nec semen, nec viuens, ex eo genitum informentur per eandem numero animam, per quam generans viuit, sicut etiam certum est nutritionem distingui realiter ab augmentatione, quandoquidem multoties nutritur viuens, & tamen non augetur. Quoad 2. verò partem, scilicet quod habeant distincta obiecta formalia etiam liquet: siquidem generatiu habet pro obiecto substantiam totalem totius viuentis; modo tamen in lib. Physic. & in lib. de Generat. explicato: nutritio verò substantiam, vt capacem nouæ partis quantitatis, vt in lib. de Generat. disp.5. num.47. & 48. diximus; augmentatio autem maiorem quantitatem, vt ibidem, num.14. & 15. & in lib. Physicorum disput.22. num. 11. & deinceps diximus, &c.

38. Occurrit Rubio huic rationi, & similiter Conimbric. prædictos actos non esse adæquatos respectu harum potentiarum, & ita non requirere multiplicem potentiam siue essentialiter, siue realiter distinctam, sed eandemmet, quæ iuxta diuersa munera, quæ exercet, diuersis nominibus nuncupetur, & ita dum generat, appellatur potentia generatiua, & dum elicit actum nutritionis, vocatur nutritiua, &c. Ratio autem ob quam prædicti actus non sint adæquati, est (vt inquit Rubio) quia omnes illi versantur circa alimentum eodem modo operando, & disponendo illud diuersis transmutationibus ordinatis ad conuersionem eius substantialem in corpus viuens eiusdem speciei. Quo etiam spectat ratio Conimbricensium, quia nimirum omnes isti actus sunt inter se subordinati; atque adeò constituunt vnum, & eundem actum adæquatum.

Sed contra, quia quotiescumque plures actus inadæquati

inadæquati ab eadem specie potentia eliciuntur, non potest potentia per illos secundùm se sumptos,& consequenter, nec ipsi actus in fines specie distinctos vltimò tendere, id quod in omnibus potentiis, & earum actionibus inductiuè patet: at finis potentiæ augmentatiuæ est, idem numero indiuiduum media augmentatione ad certam debitam quantitatem producere; nutritiuæ verò illud conseruare: ac tandem generatiuæ media generatione speciem incolumem seruare, neque aliud per quemlibet horum actuum secundùm se sumptum desideratur: ergo tales actus nequaquam inadæquati, sed potiùs adæquati censeri debent.

39. Confirmatur: nam cùm dicitur, omnes hos actus ad conuersionem alimenti in substantiam viuam, eiusdem speciei, & eodem modo tendere; ac proinde in hoc omnes tanquam in ratione adæquata vni, & eidem potentiæ conuenire: vel est sensus, quod omnes tendunt in corpus viuens, quod ita sit idem in specie cum producente, vt numericam etiam identitatem cum ipso habeat; vel ita, vt solummodo specificam,vel denique quòd sit simile in natura, siue aliàs sit idem secundùm numericam etiam vnitatem, siue solummodo secundùm specificam. Si primùm dicatur, non poterit tale corpus à potentia generatiua vllo modo respici, quandoquidem nihil potest seipsum generare. Si verò secundum afferatur, nequit etiam tale corpus esse aliquo pacto obiectum potentiæ nutritiuæ,& augmentatiuæ: nam sicut nullum viuens potest aliud indiuiduum à se distinctum nutrire, & augere; si nulla nutritiua, & augmentatiua potentia potest ordinari ad nutriendum, vel augendum aliud corpus viuens distinctum ab eo, in quo sunt.

Tertium autem dici nequit: quia cùm aliqua ratio abstrahens, & adæquata respicitur ab aliqua potentia, tunc potentia in ea vltimò sistit,ac proindè, non dicit habitudinem ad alias, nisi vt in hac ratione abstrahente tandem sistunt, ex eo quod ratio obiectiua, & adæquata comparatur ad potentiam actiuam tanquam vltimus finis illius: at potentiæ generatiuæ habitudo non sistit in hoc, quod sit productio similis in natura, sed vltra hoc tendit in simile in natura secundùm speciem tantùm: quandoquidem finis eius vltimus finis est conseruatio speciei, quam maximè præ omnibus aliis natura per illam intendit, & hæc conseruatio non in vno, & eodem numero indiuiduo,sed in aliis,& aliis,quæ sibi inuicem succedant, assequi potest, sic ne desideratio fine priuetur, non nisi ad distinctum à se,& à corpore in quo est, indiuiduum vltimò tendit.

40. Confirmatur & explicatur secundo ratione, quam innuit D. Thom. loco citato, nam ex eo, quod virtus humilitatis deseruiat charitati in ordine ad executionem finis per se primò,& immediatè inspecti ab eadem charitate, optimè sequitur, quòd loquendo de obiecto, & fine proprio humilitatis, eamque specificante, debet habere aliquem finem vltimum distinctum à fine proprio charitatis; quamuis postea finis illius subordinetur fini istius; ergo ex eo quod potentia nutritiua deseruiat augmentatiuæ, & fini illius, & rursus vtraque generatiuæ, & eius fini optimè colligetur, quod loquendo de fine proprio, & specificante quamlibet ex illis, tunc quælibet habet aliquem sibi proprium, & vltimum finem distinctum à fine alterius: licèt finis vnius subordinetur posteà alteri: ergo cùm ostensum sit, nutritiuam deseruire augmentatiuæ, & vtramque generatiuæ, ex eo quod viuens etiam nutritur, vt augeatur; & rursus nutritur, & augetur, vt possit generare sibi simile; consequens est, quod si de prædicto fine vltimo fiat sermo, non possint non quælibet habere suum proprium finem vltimum specificantem, & adæquatum; atque adeò non poterit non nutritiua, v. g. habere pro actu adæquato nutritionem, per quam prædictum finem consequitur.

Ex quo etiam magis apparet falsitas rationis, quam ex Conimbricensibus reddidimus, ad hoc, vt omnes hi actus constituant vnum,& eundem actum adæquatum. Nam, vt ex modò dictis constat, quòd vnus actus subordinetur vtcumque alteri,& fini illius,non arguit illos constituere vnum,& eundem actum adæquatum vnius potentiæ, aut virtutis operatiuæ; & ita actus sensuum externorum subordinantur actibus sensuum internorum, & hi tam ad inuicem, quàm respectu actuum intellectus habent suam subordinationem,& nihilominus pertinent ad distinctas potentias,ex eo quod immediatè,& per se primò tendunt ad propria obiecta.

41. Imò,hinc maior impugnatio totius solutionis aduersariorum desumi potest, quoniam potentiæ animæ sensitiuæ sunt longè nobiliores, quàm potentiæ animæ vegetatiuæ, & nihilominus non datur vnica tantùm potentia sensitiua exterior, quæ respiciat sensibile externum, vt sic,& abstrahens ab omnibus sensibilibus externis: nec etiam datur aliqua potentia sensitiua interior, quæ respiciat sensibile internum vt sic,vt lib.3.disp.15. per totam ostendemus, ergo neque dabitur vnica solùm potentia animæ vegetatiuæ, quæ respiciat tanquam obiectum corpus viuens vt sic, prout abstrahit à corpore viuente, quod sit, idem, siue secundùm speciem, siue secundùm numerum.

Patet consequentia:Tum ex paritate rationis:Tum etiam quia quo potentiæ sunt imperfectiones, eo habent obiectum magis limitatum, & consequenter non possunt habere pro actu adæquato illum, qui respicit obiectum valdè vniuersale, quale esset corpus viuens, prout abstrahit à corpore viuenti, quod sit idem, vel secundùm speciem, vel secundùm numerum.

Accedit tandem,esse ex alio capite omnino falsum, quòd obiectum augmentatiuæ sit corpus viuens, vt tale, quia siue loquamur de augmentatione, vt actio, siue vt terminatio est, non terminatur formaliter, nisi ad maiorem quantitatem viuentis, vt ex dictis in libr. Physic. disputat.22. numero 11. & deinceps, constat.

Proponitur secundum fundamentum Aristotelica, & Thomistica sententiæ.

§. III.

42. SEcundò probatur assertio, saltem quoad potentiam nutritiuam, & generatiuam ratione, quam innuunt Aristot. & D. Thom. quæ potest sub hac forma proponi. Nam hæ potentiæ subiectantur in organis distinctis; ergo distinguuntur inter se distinctione reali non qualicumque, sed specifica, & essentiali. Consequentia quoad primam partem apertè sequitur ex antecedenti: nam potentiæ existentes in diuersis organis non possunt non realiter distingui, vt ex se constat, & in potentiis sensitiuis, vt in visu,auditu; &c. inductiuè cernitur. Quoad secundum verò etiam liquet: nam cum prædictæ potentiæ habeant organa adeò distincta, non possunt non si semel realiter distinguuntur, non habere etiam distinctionem essentialem,& specificam.

Antecedens autem probatur: quoniam potentia nutritiua est dispersa per omnes partes corporis, ex eo quod sicut in illis deperditur per actionem caloris naturalis

naturalis aliquid de propria substantia: ita etiam fit instauratio substantiæ deperditæ ad hoc quòd conuertatur in substantiam eiusdem viuentis saltem aliquis humor sanguineus & nutrimentalis, cum sanguine naturali permixtus; vel aliquis alius humor non plenè decoctus, qui cum aliis eiusdem viuentis partibus permiscetur.

43. Cæterum, potentia generatiua solùm residet in determinata corporis parte, in ea videlicet, vbi superfluum alimenti seminariam vim accipit, semenque reseruatur: Tum, quia illa duntaxat pars habet dispositiones, & temperamentum requisitum ad illam: Tum etiam quia per illam solam partem opus generationis exercetur. Tum denique quia tali parte ablata, quamuis omnes aliæ corporis partes remaneant, generatio deficit; è contra verò quauis alia parte ablata, dummodo viuens non pereat, generatio remanere potest, vt ex dictis constat.

Ex quo etiam fit potentiam augmentatiuam distingui specificè, & realiter à nutritiua, & generatiua: nam si hæ duæ potentiæ, quæ maiorem inter se conuenientiam habent ex eo quòd vtraque terminatur ad corpus viuens, distinguuntur realiter essentialiter, multo magis augmentatiua distinguetur ab vtraque, cum per eam substantia ipsa viuentis, non producatur, nec denuo instauretur.

Prior solutio aduersariorum, & impugnatio illius.

§. IV.

44. DVpliciter solet huic argumento occurri: nam in primis Conimbricenses dicunt, etiam virtutem generatiuam per totum corpus sparsam esse, licèt hoc, quod est efficere virtutem seminalem non ei conueniat, vt in quauis parte, sed vt in certo illo, & determinato membro iam dicto residet; quia hoc tam propter situm, quam propter aliarum qualitatum concursum valde est accommodatum ad talem effectum. Addit Rubio hanc effectuum diuersitatem, quos in vna parte, & non in alia, hæc potentia generatiua, quæ realiter augmentatiua, & nutritiua est, producit; prouenire ex eo quòd per totum corpus extensa, & diffusa est, & insuper habet partes talis naturæ, vt vna sit partialiter indiuidualiter perfectior alia. Vnde, non mirum, quod pro diuersitate huius perfectionis diuersos in diuersis partibus effectus attingat.

Sed contra. Quia repugnat aliquod principium proximum operandi collocari à natura in aliquo tanquam in subiecto, vbi per se loquendo nunquam possunt dari omnia requisita ad operationem illius: ergo vel dicendum est, generatiuam potentiam, quæ est principium proximum generandi, non esse diffusam per totum corpus, vel quòd in quauis illius parte habet omnia requisita ad generandum: ergo cùm hoc posterius dici nequeat, vt ex se constat, & aduersarij ipsi etiam admittunt; non poterit non illud priùs affirmari, atque adeò potentia generatiua, in determinata corporis parte, ea nimirum, quam iam assignauimus, residebit.

45. Antecedens, in quo est difficultas, probatur. Tum, quia principium proximum operandi est per se primò institutum à natura in ordine ad operationem eliciendam, vt in libr. Physic. disp.10. num.22. & 23. ostendimus: sicut principium radicale agendi fuit per se primò institutum ab eadem natura, ad hoc vt sit principium essendi, vt disp. citat. num. latius ostendimus. Vnde, sicut repugnat ibi collocari à natura principium essendi, vbi per se loquendo non essent omnia requisita, ad hoc, vt actu esset principium essendi; ita etiam repugnabit collocari alicubi à natura principium proximum operandi, vbi per se loquendo non possint naturaliter esse omnia, quæ ad operationem illius desiderantur.

Tum etiam: quia alioquin prædicta potentia frustra collocaretur in tot partibus corporis, in quibus proprium finem, & opus ad quod à natura per se primò instituta est, non posset naturaliter assequi, ac proindè, naturaliter, & per se loquendo frustraretur in omnibus illis partibus corporis intentum primarium naturæ, propter quod illam instituit; quandoquidem in omnibus illis nequiret suam operationem elicere: imò hinc etiam fieret naturam in necessariis deficere; quippè quæ per se loquendo prædictæ potentiæ, prout in prædictis corporis partibus existenti, non largiretur ea, quæ sunt ipsi necessaria ad suum naturalem finem assequendum.

46. Tum denique: quia ea, quæ ex parte potentiæ vitalis ad vitaliter operandum requiruntur in organo, sunt etiam necessaria ad receptionem, & conseruationem eiusdem in tali organo, ex eo, quod potentia vitalis est formalissima ratio organi; & cætera eius accidentia sunt dispositiones materiales illius; & ita vltimum, quod organo aduenit, est ipsamet potentia, & id quod eam in eodem conseruat, sunt illæ dispositiones; ergo repugnat, quòd in omnibus partibus corporis reperiatur potentia generatiua, & quod per se loquendo non sit in omnibus illis temperamentum, & dispositiones necessariæ ad illius operationem exercendam.

Diximus per se loquendo; quia per accidens, & præter naturæ intentionem, benè potest contingere, vt aliquæ dispositiones requisitæ ad operandum, vel ad benè operandum ibi deficiant, vbi adest aliqua potentia operatiua, vt experientia constat: non tamen per se loquendo, quia alioqui natura duo inter se opposita, & repugnantia, nempè operationem, & defectum eiusdem operationis per se intenderet. Quare, cùm per se loquendo non dentur in quauis corporis parte dispositiones, & alia requisita ad hoc, vt potentia generatiua in omnibus illis eliciat suam operationem, consequens est, vt non in singulis partibus viuentis, sed in determinata parte eiusdem resideat.

47. Adde, quòd eadem potentia animæ vegetatiuæ posset per totum corpus diffundi, ita vt hic nutriret, illic generaret, &c. nulla esset ratio efficax ad conuincendum illum, qui assereret potentiam visiuam, auditiuam, & cæteros sensus minimè esse realiter totaliter distinctos, sed esse eandemmet potentiam per totum corpus dispersam, partialiter tamen diuersam, quæ in oculo videt, in aure audit, & in gustu gustat, & maximè cùm potentia visiua, longè sit nobilior, quàm potentia animæ vegetatiuæ, & omnia, quæ per sensus externos attinguntur, conueniant in ratione sensibilis externi; atque adeò si vna, & eadem potentia vegetatiua pro diuersitate partium suarum, vel diuersarum dispositionum potest effectus adeò distinctos attingere; multò meliùs vna, & eadem potentia sensitiua poterit plura illa munera præstare.

48. Nec placet id, quod in solutione huius secundæ rationis addit Rubio, scilicèt, quòd hæc diuersitas effectuum, & diuersorum specie actuum in multitudinem, & diuersitatem partium eiusdem potentiæ, partialiter tamen indiuidualiter in perfectione se excedentium reducatur, quia in primis potentiæ actiuæ non habent distinctionem partium, nisi ratione quantitatis, vt in lib. de Generat. diximus.

Deinde, nam excessus in perfectione indiuiduali, & si possit conducere, ad hoc vt vnum indiuiduum

eliciat

eliciat aliquam actionem perfectiori modo, quàm aliud, non tamen ad hoc quod illud quod est indiuidualitet nobilius efficiat aliquid, quod minùs perfectum sit simpliciter, & omnibus modis connaturaliter, loquendo impossibile; alioqui non solùm penes differentiam indiuidualem, sed etiam penes specificam different, id quod in igne quibusuisque aliis, quæ numericè solùm differant, satis patet: non enim vnus ignis, quantumuis indiuidualiter perfectior alio, potest efficere aliquid ex vi huius excessus, nisi alius posset hoc ipsum saltem imperfectiori modo producere; ergo ex vi excessus in perfectione indiuiduali vnius partis potentiæ vitalis supra aliam, malè colligitur quòd per vnam partem eiusdem potentiæ possit generare, & non per aliam; maximè, quia generatio vitalis saltem principaliter debet consistere in productione seminis pro efformatione fœtus deseruientis, vt ex dictis constat: productio autem seminis quod informatur diuersa specie forma, ac generans, non potest non esse actio specie distincta ab augmentatione, & nutritione, vt ex se patet.

49. Adde, quod quantumuis vna pars potentiæ generatiuæ esset imperfectior altera, nihilominus semper debet habere eam perfectionem, quæ sibi necessaria est, ad hoc, vt in suum connaturalem actum scilicet generationem, siue efformationem seminis exeat; alioqui nequaquam ei conueniret ratio, & essentia potentiæ generatiuæ; ergo quæuis pars illius, sine aliam indiuidualiter excedat, siue ab ea excedatur, semper retinet sufficientem vim pro efformatione seminis: ergo non est reducendum in excessum perfectionis indiuidualis, quod hæc pars possit generare, non verò illa.

Posterior solutio ab aduersariis tradita, & euersio illius.

§. V.

SEcunda solutio, quia huic secundæ rationi ab aliquibus ex aduersariis occurritur, admittit potentiam generatiuam per totum corpus diffundi, & insuper in omnibus corporis partibus semen fieri, & ab omnibus attrahi, dum pro exercitio generationis deciditur, & rationem subdunt; nam ex semine, & per virtutem seminalem generatur fœtus similis generanti, secundùm omnia membra: ergo necesse est quodlibet membrum aliquid proprium conferre, vt tot membra similia membris generantis per generationem producantur, alioqui omnia membra, quæ formarentur essent similia illi parti à qua deciditur.

50. Sed nec hæc solutio sufficiens estimam in primis est contra Aristot. in lib. de Generat. animalium cap.17.& 18. & Galenum in lib. de semine; docentes semen minimè in omnibus partibus corporis fieri aut ab illis decidi, ac proindè potentiam generatiuam in determinata corporis parte residere.

Deinde, nam semina arborum, & quarumcunque aliarum plantarum in determinata corporis parte formantur, & existunt vt experientia docet: ergo idem etiam de quibusuis seminibus in aliis viuentibus existentibus dicendum erit; non enim videtur posse disparitatis ratio quoad hoc assignati. Tandem, quia experientia constat animalium semina nequaquam deficere, aut debilitata, siue minùs integra produci, quamuis aliquæ corporis partes eisdem animalibus deficiant; è contra autem, nunquam produci verum semen ab his, in quibus determinata illa corporis pars pro hac efformatione destinata deficit, quod sanè indicat apertè semen non produci à quauis corporis parte.

51. Nec ratio, quam pro se adducit hæc solutio, alicuius est roboris, nam quòd fœtus producatur similis generanti quoad omnes suas partes, non prouenit ex eo, quod ex omnibus illis semen decidatur: alioqui si generans careret aliquo membro verbi gratia manu, tunc proles deberet necessariò produci absque eodem membro quod tamen, vt experientia docet, est apertè falsum. Sed talis assimilatio oritur ex eo, quod in semine, vtporè instrumento totius viuentis, residentis virtus quædam instrumentaria deriuata ab anima, & à viuenti, media potentia generatiua, de cuius virtutis instrumentariæ producat per se loquendo prolem integram quoad omnia membra, quæ ad eius complementum in instanti generationis desiderantur.

Occurritur fundamentis primæ sententiæ.

§. VI.

52. AD primum quod ex duplici illo testimonio Aristot. coalescit, respondetur ex D. Thom. in præsenti lect. 9. Aristotelem solùm velle generatiuam potentiam verbi gratia & nutritiuam, esse vnam & eandem vnitate generica, non verò vnitate specifica.

Ad confirmationem respondetur, sanctum Doctorem solùm velle potentiam nutritiuam posse producere in sui initio, non solùm illud substantiale, quod est necessarium ad restaurationem substantiæ deperditæ, sed quod desideratur, ad hoc vt substantia præexistens sit capax maioris quantitatis, non tamen quòd per prædictam potentiam hæc maior quantitas producatur, vt ex dictis in lib. de Generat. disp.5. num. 15. & sequentibus constat. Vnde, potentia augmentatiua poterit semel producto illo substantiali, producere maiorem illam quantitatem, & ita hinc solùm fiet potentiam nutritiuam deseruire aliquo modo augmentatiuæ, non verò quod sine vna, & eadem potentia formaliter, aut realiter.

53. Ad secundum, concessa maiori, neganda est minor, & ad probationem constat ex dictis, generatiuam, & nutritiuam, nec ad idem viuens, neque eodem modo terminati, sed per nutritiuam conuerti alimentum in eandem numero substantiam viuentis, quod nutritur, per generatiuam verò produci aliud viuens eiusdem speciei, distinctum tamen numero, ac proindè diuerso modo vtrobique attingi; & tandem per augmentatiuam non produci substantiam sed quantitatem.

Cæterùm, cum dicimus generatiuam & nutritiuam terminari ad substantiam, non debet intelligi de termino primario executionis, sed de termino primario intentionis naturæ, quem prædictæ potentiæ, vt sunt virtutes instrumentariæ viuentis per se primo respiciunt; vnde terminus primarius executionis generatiuæ est talis dispositio accidentalis, vt petat inde resultare totum viuens; sicut etiam terminus primarius executionis nutritiuæ sunt tales dispositiones taliterque modificatæ, vt non possit non inde resultare conuersio alimenti in eandem numero substantiam viuam cum nutriente, & propterea viuens, diuerso modo iam dicto consideratum, dicitur esse obiectum: Tum executionis: Tum etiam intentionis respectu prædictarum potentiarum, sed de his videantur ea, quæ in lib. Physic. disp.10. num.68. & deinceps & in lib. de Generat. disputat.2. num.16. & sequentibus diximus.

54. Ad confirmationem negandum est antecedens, & ad probationem dicendum est: generationem quæ est proprius actus potentiæ generatiuæ tantùm esse

esse generationem totius viuentis, quæ est generatio simpliciter, non verò illa generatio secundùm quid, seu aggeneratio per quam alimentum conuertitur in viuens iam præexistens.

Ad illod autem de augmentatione, constat ex dictis non produci per eam substantiam partialem; si ly partialem dicat aliquid pertinens ad lineam substantiæ, quia reuera nihil siue totale, siue partiale pertinens ad hanc lineam producitur per augmentationem, sed solùm maior quantitas per quam substantia augetur, habetque nouas partes, quæ formaliter sumptæ pertineant ad lineam quantitatis, quamuis de materiali dicant aliquid substantiale; nam sicut annulus aureus est concretum quoddam accidentale, modo alibi dicto, ex figura illa artificiali annuli, tanquam ex forma, & ex auro tanquam ex subiecto resultans, & ideò annulus de formali dicit prædictam figuram, & de materiali aurum: ita partes substantiæ, seu partes substantiales, (quas alij vocant entitatiuas) dicunt concretum quoddam accidentale eodem proportionali modo resultans ex quantitate tanquam ex forma, & hæc substantia tanquam ex subiecto, & propterea de formali dicunt quantitatem, & de materiali ipsam substantiam; ita tamen, vt talis substantia, quæ denuò, producto iam viuente, acquiritur; non fiat per augmentationem, sed per aliam actionem, quæ illam concomitatur; scilicet per nutritionem.

55. Ad tertium negandum est antecedens, quoad vtramque partem, & ad probationem contra priorem concesso antecedenti, neganda est consequentia, & ratio disparitatis est, nam licèt potentia vitalis nullibi, vt in subiecto connaturaliter sit, vbi nunquam eas actiones eosque effectus, quos per se respicit, possit elicere: attamen nihil obest, quod alicubi sit, vbi nequeat illos efficere cum omni modo accidentali, quod aptus est eis conuenire. Quare, cùm os, sanguis depuratus, &c. minimè substantialiter, sed solùm penes varia accidentia distinguantur, vt supra diximus, & consequenter nutritio per quam instauratur illud substantiæ, quod in eis paulatim deperditur, sit eadem secundùm speciem: sit indè vt nihil obsit, quominus potentia nutritiua hic particulam oculi, illic partem auris per nutritionem deperditas instauret.

Cæterùm, semen est effectus specie, imò & fine distinctus, ab eis quos per se respicit potentia nutritiua, quia neque est eiusdem naturæ cum viuente, quod generat, neque in proprij indiuidui instaurationem, sed in generationem prolis, & conseruationem speciei ordinatur: & ideò nequit à potentia nutritiua attingi.

56. Ad probationem verò eiusdem antecedentis pro secunda illius parte, concesso antecedenti, neganda est etiam consequentia, ad cuius primam probationem constat ex his, quæ in lib. Phys. disp. 12. q. 12. & 13. & in lib. de Generat. disp. 5. n. 20. diximus.

Ad secundam verò probationem dicendum est, esse disparem rationem, nam calor aliquando est intensus, aliquando verò remissus: aliquando etiam ei debitè, & diuturnè approximatur passum, aliquando verò breui temporis interuallo, & ita non est extra virtutem eius, vt nunc producat calorem intensum, nunc minùs intensum. Cæterùm, substantia vt maior, vel minor est extra lineam obiecti potentiæ nutritiuæ, quia substantiam esse maiorem, vel minorem est effectus quantitatis, & ita nutritiua non potest terminari nunc ad substantiam vt maiorem; postea verò vt minorem formaliter, vt ex dictis, tam in hac quæstione, quàm in lib. de Generat. disput. 5. num. 15. & 47. constat.

QVÆSTIO IV.

An potentia nutritiua consistat in temperamento primarum qualitatum, vel in solo calore naturali; an verò sit qualitas superior, & nobilior primis, ac temperamento earundem.

QVamuis decisio, huius quæstionis ex dictis in præced. constet; nihilominus, vt aliquibus obiectionibus occurratur, & mens S. Doct. magis explicetur, eam sigillatim breuiter tamen discutiemus, & licèt quæstionem hanc, maioris claritatis, & breuitatis gratia quoad potentiam nutritiuam solùm discutiamus, nihilominus quod circa illam dictum fuerit, id ipsum de aliis potentiis sentiendum est.

Refertur prior sententia.

§. I.

57. PRima igitur sententia docet potentiam nutritiuam non esse quid distinctum à temperamento primarum qualitatum, aut à calore naturali. Nomine autem caloris naturalis non intelligunt calorem specie distinctum à calore elementali, sed calorem eiusdem speciei cum illo. Ita Suarez 2. tom. summæ Theologiæ tract. 3. lib. 2. cap. 9. & alij ex Iunioribus: quamuis Suarez constituat eam in temperamento iam dicto, alij verò in solo calore naturali.

Probatur primò: nam vna qualitas nequit esse alterius instrumentum: Tum quia dabitur processus in infinitum; non enim est maior ratio, quare in posteriori ex illis duabus, quàm in primâ sistatur: Tum etiam, quia ad vnicam actionem satis superque est vna causa principalis cum vnico instrumento: at calor naturalis est instrumentum Animæ vegetatiuæ pro nutritione efficienda, superfluit, ergo, aliam qualitatem nobiliorem ad id addere.

Minor probatur tum ex Arist. lib. de sensu, & sensibili, vbi cap. 4. post medium inquit: *Calidum autem augmentat, & destruit nutrimentum.* Et in 3. lib. de partibus animalium cap. 6. circa finem asserit: *Calor enim est qui vim obtinet augendi.* Tum etiam, quia calor ignis præcisè per hoc quod igni coniunctus sit, & ei subordinetur, est potens ignem instrumentaliter producere: ergo etiam calor viuentis hoc ipso, quod ei coniunctus, & subordinatus sit, poterit esse instrumentum viuentis in ordine ad producendum per nutritionem viuens partiale.

58. Secundò, nam debitum temperamentum primarum qualitatum sufficientes disponit materiam pro cuiuslibet formæ mixti, & consequenter pro animæ introductione: ergo temperamentum earundem qualitatum existens in viuenti, & subordinatum illi, poterit absque aliquo alio eandem animam in materiam illam instrumentaliter introducere. Patet consequentia, nam ad vltimam dispositionem, & ad instrumentum illam attingens subordinatum, tamen causæ principali subsequitur absque aliquo alio forma, ad quam datur talis dispositio.

Tertiò, quia non apparet, quid producatur à potentia nutritiua in alimento, quod sit distinctum à temperamento primarum qualitatum: ergo potentia nutritiua non erit distincta ab eodem temperamento, subordinato tamen ipsi viuenti. Patet consequentia; quia si potentia nutritiua esset potentia distincta à tali temperamento, non posset non producere in alimēto effectum distinctum, quo illud disponeret.

59. Quartò, nam virtus instrumentalis hoc ipso, quòd

quòd subordinetur agenti principali, pòtest in virtute illius quidquid agens principale potest: ergo si viuens potest attingere per modum causæ principalis aliud viuens, etiam calor vt subordinatus illi, poterit absque aliquo alio attingere illud.

Ex mente Arist. & D. Thomæ quæstio deciditur.

§. II.

60. Dicendum tamen est potentiam nutritiuam non consistere in calore naturali, aut in temperamento primarum qualitatum, sed esse potentiam quandam vitalem, & altiorem quacumque prima qualitate, ac temperamento earum, & vtentem prædicto calore, aut temperamento, vt instrumento, tam ipsius, quàm totius viuentis. Ita Aristot. 2. de Generat. animalium c. 4. ante medium, his verbis: *Quemadmodum, quæ ab arte efficiuntur per instrumenta efficiuntur sed verius dixerim per motum eorum, qui artis operatio est, ars autem forma eorum quæ efficiuntur, est in alio, sic à facultate, siue virtute Animæ vegetalis agitur, vt quæ in animalibus & plantis, postea ex alimento vis eadem efficit incrementum vtendo caliditate & frigiditate quasi instrumento.*

Idem etiam docet D. Thom. 1. part. quæst. 118. art. 1. tertium, vbi sic ait: *Calidum autem elementare se habet instrumentaliter ad virtutem animæ sicut etiam ad virtutem nutritiuam, vt dicitur in secundo de Anima:* Et quæst. 78. artc. 2. ad primum, vbi loquens de potentiis seu viribus Animæ vegetatiuæ, inquit: *Dicendum quod huiusmodi vires dicuntur naturales: Tum quia habent effectum similem naturæ, quæ etiam dat esse, & quantitatem & conseruationem, licèt hæ vires habeant hoc altiore modo: Tum quia hæ vires exercent suas operationes instrumentaliter per qualitates actiuas, & passiuas, quæ sunt naturalium actionum principia:* Idem asserit Doctor Franciscus Matthæus Fernandez, libr. de facultatibus naturalibus, tract. 2. q. 1. vtrùm facultates naturales sint potentiæ animæ, an verò sint temperamentum primarum qualitatum.

61 Ratio autem fundamentalis desumitur ex D. Thom. locis citatis, quæ potest sub hac forma proponi; quia nutritio est actio vitales, ac proinde eminentior qualiber alia actione non vitali, vt ex se constat: ergo debet procedere ab aliquo principio proximo, & intrinseco, quod sit vitale: ergo tale principium proximum, nimirùm potentia nutritiua, non erit calor naturalis, aut temperamentum primarum qualitatum, sed aliqua alia qualitas eminentior, & vitalis vtens calore, aut temperamento primarum qualitatum, tanquam instrumento.

Prima consequentia ex se satis liquet, quandoquidem in hoc distinguuntur actiones vitales à non vitalibus, quod istæ non oriuntur necessariò à principio coniunctio proximo, & vitali, secùs verò illæ, & ideò implicat dari visionem sine potentia vitali, proximè visiua, aut intellectionem sine potentia vitali, proximè intellectiua, & sic de aliis. Secundò verò consequentia quoad primam partem etiam constat, nam calor naturalis, aut temperamentum primarum qualitatum non est aliquid vitale.

Quoad secundam verò etiam liquet; nam cùm cibus, ad hoc vt conuertatur per nutritiuam in substantiam aliti, debeat concoqui & digeri, ac disponi in ordine ad talem conuersionem, non poterit nutritiua illum conuertere, nisi vtatur calore, aut temperamento prædicto, qui ad hæc munera præstanda valdè accommodatus est.

62 Confirmatur, nam quo principium radicale operandi fuerit superioris, & eminentioris rationis, eò principia proxima, & virtutes illius operatiuæ debent esse eminentiores. Vndè, Animæ rationali; vt tali, tribuuntur potentiæ altiores, scilicet intellectus & voluntas, ex eo, quòd ipsa quatenus rationalis, & vt secundùm istam rationem est principium radicale operandi, est forma eminentissima. Et deinde, quia anima sensitiua est inferioris rationis quã rationalis, & superioris quàm vegetatiua; ideò tribuuntur illi potentiæ operatiuæ inferiores ad potentias animæ intellectiuæ, vt superiores, ad easque conueniunt vegetatiuæ: ergo cùm anima vegetatiua sit superior, & eminentior, quauis alia forma substantiali, & non vitali, debent illi tribui potentiæ inferiores ad eas quæ conueniunt animæ sensitiuæ, aut intellectiuæ, & superiores ad potentias formarum inanimatarum: ac proindè potentiæ prædictæ animæ erunt eiusdem ordinis vegetatiui, & vitalis cum ipsa, sicut potentiæ animæ sensitiuæ & intellectiuæ sunt propter eandem rationem eiusdem ordinis sensibilis, vel intelligibilis cum illis.

63 Confirmatur secundò, nam potentiæ operatiuæ ignis oriuntur ab illo vt tali, per naturalem dimanationem, ex eo, quòd ipsi solummodo per se primò conueniunt: ergo cum potentia nutritiua per se primò conueniat viuentibus vita vegetatiua: imò solis illis quatenus talibus conueniat, dimanabit ab ipsis, vt talibus, ac proindè erit vera potentia vitalis, & eminentior calore, aut quauis alia prima qualitate, & temperamento earum.

Patet hæc vltima consequentia; quia quod oritur à principio vitali vt tali, non potest non esse vitale; sicut quod oritur à principio non vitali, nequit secundum istam rationem esse vitale, & propterea calor naturalis animalis, aut temperamentum illud primarum qualitatum, quod ad receptionem formæ substantialis, & aliàs vitalis disponunt, non important secundùm se & præcisè sumpta aliquid vitales, quia non oriuntur à forma vitali vt tali, sed ad summum, & iuxta dicta in lib. de Generatione, dimanant ab ea secundùm quod est forma mixti, modo tamen ibidem disp. 2. n. 112. & 113. insinuato.

Soluuntur fundamenta primæ sententiæ.

§. III.

64. Ad primum, neganda est maior. Nam sicut ars potest vti pluribus instrumentis ad vnum, & eundem effectum: ita & natura, maximè quando effectus est altior, & eminentior. Et ad primam probationem; negandum est inde sequi processum in infinitum: nã cùm ex his qualitatibus vna sit superior, & eiusdem ordinis vitalis cum principio radicali, ac tandem ita proportionata per modum principij proximi, vt non requirat aliam qualitatem excellentiorem, potest extra lineam qualitatum in ea sisti. Per quod etiam ad secundam probationem patet, quia ad summum conuincit intentum in effectibus inferioris rationis, non verò in effectibus, & actionibus superioris rationis, vt in præsenti contingit, nam in his multoties multiplex instrumentum desideratur.

Ad secundum negandum est antecedens: si intelligatur de temperamento primarum qualitatum cum præcisione sumpto, & respectu formæ viuentis: nam hoc disponit in ordine ad formam viuam, nisi vt subordinatum viuenti & potentiis vitalibus eiusdem.

65 Ad tertium dicendum est, potentiam nutritiuam ad minus producere aliquam formalitatem, siue modificationem in prædicto temperamento, ra-

tione cuius tale temperamentum non nisi sic modificatum potest pro forma viua disponere, & illam in genere causæ dispositiuæ, modo tamen in lib. de Generatione disp. 12. & 13. explicato petere. Potestque hoc explicari exemplo caloris ignis, qui concurrit, tam vt calor, quam vt virtus ignis, & calefactio ab eodem vt calor est dimanans, modificatur, & fulcitur per aliquam formalitatem eidem superadditamque ab eodem calore, vt virtus est ignis, procedit, & ratione cuius habet etiam peculiariter disponere pro forma ignis.

Ad quartum concedendum est antecedens de virtute instrumentali adæquata virtuti radicali principalis agentis in ordine ad aliquem effectum: secùs verò de virtute instrumentali inadæquata, & partiali quæ intra lineam virtutis instrumentalis non obtinet supremum locum in ordine ad prædictum effectum: nam hæc exigit concursum alterius virtutis instrumentalis eminentioris per quam fulciatur, & confortetur.

DISPVTATIO IX.

DE ANIMA SENSITIVA, ET DE SENSIBVS externis in communi sumptis.

QVAMVIS in hac disput. nihil de Anima sensitiua secundùm se sumpta dicendum sit; quia omnia, quæ ad eam secundùm istam considerationem spectant, iam in prioribus disputationibus horum librorum tradidimus: nihilominus disputationem istam de Anima sensitiua inscribimus, quia in ea de sensibus externis in communi, per quos ipsa maximè innotescit, fusè agemus: & licèt disputat. de sensu & speciebus sensibilibus vt sic deberet alias præcedere disputationem de sensu externo generaliter sumpto; & in ea explicandum erat, an sensus sit potentia actiua, an passiua, an sicut datur intellectus agens, & passibilis, ita detur sensus agens, & patiens, & tandem quoad species, an requirantur necessariò ad sensationem, quomodo ad illam concurrat, qualiterque repræsentent, & alia huiusmodi; nihilominus quia hæc eadem de intellectu, & speciebus intelligibilibus inquirenda sunt, & ex ibidem dicendis proportionaliter tamen ad præsens applicatis, satis constabit, quid, quoad omnia prædicta circa sensum, & species sensibiles, vt sic, asserendum sit; ideò peculiarem disputationem de sensu, & speciebus sensibilibus generaliter sumptis excitare omittimus.

QVÆSTIO PRIMA.

QVOTVPLEX SIT SENSIBILE EXTERNVM VT SIC?

COgnitio sensus externi vt sic valdè pendet ex notitia multiplicitatis sui obiecti, scilicet sensibilis externi, & ideò primo loco de hac inquirimus.

Vera Aristot. & D. Thom. sent. duabus assertionibus explicatur.

§. I.

2. DIcendum est primò sensibile externum vt sic, illud nimirum, quod à sensibus externis percipitur, esse triplex: aliud nimirum sensibile per accidens, quod solùm per accidens, & ratione alterius sentitur: aliud verò sensibile proprium, quod per se, & ab vno tantùm sensu percipitur: aliud tandem commune quod per se, & à pluribus sensibus attingitur. Ita Aristot. in hoc 2. l. c. 6. text. 63. vbi loquens de sensibili externo, sic ait. *Dicitur autem sensibile tripliciter, quorum duo quidem dicimus per se sentire, vnum autem secundum accidens, duorum autem aliud quidem proprium est vnius cuiusque sensus: aliud autem commune omnium.* Quem sequitur D. Th. ib. lect. 13. dicens: *Sensibilia vero tribus modis dicuntur: vno quidem modo per accidens, & duobus modis per se: quorum vno dicuntur sensibilia illa, quæ propria sunt singulis sensibus: alio modo dicuntur sensibilia, illa quæ communiter sentiuntur.* Et hoc ipsum docent omnes Philosophi, ideoque singulos recensere superuacaneum esset.

Explicatur assertio: Etenim in hoc differt sensibile per accidens, aliis sensibilibus, quòd illud non sentitur per se, aut ratione sui, sed solùm per accidens, ex eo, quod accidit ei, quod per se sentitur. Vnde Arist. text. 65. huius 2. libri, inquit. *Secundùm accidens autem dicitur sensibile, vt si album sit Diaris filius, secundùm accidens enim hoc sentitur; quoniam accidit albo hoc quod sentitur.* Quod etiam docet D. Thomas ibidem, his verbis: *Secundùm accidens, sensibile dicitur, vt si dicamus, quod Diares, vel Socrates est sensibile per accidens, quia accidit ei esse album, hoc enim sentitur per accidens, quod accidit ei quod sentitur per se, accidit autem albo quod est sensibile per se; quod sit Diares, vnde Diares est sensibile per accidens.*

3. Cæterum: alia sensibilia, nimirum sensibile proprium, & commune habent per se sentiri, quamuis aliter, & aliter: Tum quia, vt iam innuimus, sensibile proprium ita sentitur per se ab vno sensu externo, vt nequeat ab alio sentiri: sensibile autem commune ita per se sentitur ab vno sensu externo, vt possit ab aliis sensibus externis percipi, quamuis non sit necesse vt ab omnibus illis sentiatur; vt patet in figura, quæ est sensibile commune, vt statim dicemus, & percipitur à visu, & tactu, non tamen ab omnibus sensibus externis, vt intuenti constabit: Tum etiam (id, quod ex præced. sequitur) quia hoc ipso, quod sensibile proprium sit tale, atque adeò ab vnico tantum sensu externo sentiatur, debet non vtcumque per se, sed per se primò sentiri: quoniam vt docet

docet Arist. text. 65. & D. Thom. lect. citato eo ipso est proprium obiectum specificatiuum talis sensus; ac proindè debet ad aliud per se primò tendere illudque per se primò sentire, vt in sono quod est proprium sensibile auditus, cernitur: ad hoc, eo ipso quòd sensibile commune sit tale, non debet per se primò, sed solùm per se secundò sentiri, quia eo ipso, quòd sit sensibile commune, non desumit sensus suam specificationem per ordinem ad illud, & per consequens, nec per se primò ipsum respiciet, seu sentiet.

4. Hinc ergo ratio fundamentalis ab Aristot. & D. Thom. locis cit. tacta in fauorem nostræ assertionis desumitur. Nam sensibile externum est illud, circa quod aliquo modo sensus externus versatur, vt ex se constat; at triplici tantùm generali modo potest prædictus sensus circa sensibile externum versari, scilicet vel per se primò, vel per se secundò, seu per se non primò, vel tandem per accidens, qui est infimus modus versandi circa illud; ergo tantùm erit triplex genus sensibilium externorum, scilic. sensibile proprium, quod per se primò attingitur à sensu: sensibile commune, quod secundariò sentitur, ac tandem sensibile per accidens, quod per accidens tantùm percipitur; quæ omnia eleganter docuit D. Th. 1. part. quæst. 17. art. 2. his verbis: *Similitudo alicuius rei in sensu est tripliciter; vno modo primò & per se, sicut in visu est similitudo colorum, & aliorum propriorum sensibilium; & alio modo per se, sed non primò, sicut in visu est similitudo figuræ, vel magnitudinis, & aliorum sensibilium communium; tertio modo nec primò, nec per se, sed per accidens, sicut in visu est similitudo hominis, non in quantum est homo, sed in quantum huic colorato accidit esse hominem.*

5. Dicendum est secundò sensibile commune diuidi in quinque membra, scilicet motum, quietem, numerum, figuram, & magnitudinem. Ita Arist. in hoc secundo libr. text 64 vbi loquens de sensibilibus communibus, inquit *Communia verò sunt motus, quies, numerus, figura, & magnitudo.* Vbi etiam D. Thom. lect. 13. dicens: *Exponit, quod communia sensibilia sunt ista quinque, motus, quies, &c.* Quod etiam docet 1. p. q. 78. art. 3. ad secundum, quos sequuntur cæteri Philosophi; & ideò neminem in particulari referemus.

Rationem autem præcipuam huius assertionis tetigit D. Thom. locis cit. nam ista quinque habent per se, licèt non per se primò immutare sensum, & si quæ sunt alia reducuntur ad ista; ergo sensibile commune vt sic adæquatè diuiditur in illa. Consequentia patet ex dictis. Antecedens autem quoad primam partem, scilicet omnia ista per se immutare sensum satis constat, quia huiusmodi sensibilia aliquam diuersitatem faciunt in immutatione sensu alio, enim modo immutatur sensus, à magna superficie, & à parua, & alio ab albo quiescente, & ab albo se mouente, & sic de aliis, vt intuenti constabit; quod sanè satis indicat quòd prædicta sensibilia aliquo modo per se immutant sensum.

Quoad secundam verò partem, scilicet, quòd non per se primò immutent illum, satis ex dictis liquet; quandoquidem sicut non tribuunt vnitatem, & distinctionem specificam sensui; ita nec per se primò ab eo inspiciuntur, & per consequens nec erunt per se primo ab eo sensibilia. Quoad vltimam verò partem etiam constat, quia si quæ sunt alia sensibilia communia, vt tempus, vnitas, situs, distantia, reducuntur ad ista, quia tempus debet reduci ad motum tanquam effectio eius, & habens eundem modum essendi successiuum vna cum illo. Vnitas verò ad numerum; situs autem, & distantia ad magnitudinem, ex eo quod situs est modus quidam magnitudinis, & ex diuerso situ, diuersa etiam distantia oritur.

Obiectiones contra dicta.

§. II.

6. SEd contra discrimen inter sensibile per accidens, & commune iam dictum obiicit primò Diuus Thomas in hoc 2. lib. lect. 13. his verbis: *Dubitatur autem hic de distinctione sensibilium communium à sensibilibus per accidens. Sicut enim sensibilia per accidens, non apprehenduntur, nisi in quantum sensibilia propria apprehenduntur, ita nec sensibilia communia; nunquam enim visus apprehendit magnitudinem aut figuram, nisi in quantum apprehendit coloratum: videtur ergo quòd sensibilia communia sint etiam sensibilia per accidens.*

Confirmatur, nam etiam sensibilia communia sunt per accidens coniuncta cùm sensibilibus propriis: ergo etiam erunt sensibilia per accidens. Consequentia patet ex dictis. Antecedens autem etiam liquet: tum quia motus, v. g. per accidens coniungitur cum albo, vt ex se constat: tum etiam quia si sensibilia communia in esse sensibili, non coniungerentur per accidens cum sensibilibus propriis, iam sensibilia propria non essent magis per sensibilia, quàm sensibilia communia: siquidem sicut sensibilia communia non possent sentiri sine propriis sic neque propria sine communibus; hoc autem est contra omnes Philosophos, ergo. &c.

Confirmatur secundo, nam sensibilia communia sunt extra latitudinem obiecti adæquati sensus, non minùs quam substantia, quæ dicitur sensibilis per accidens: ergo sicut ob hanc rationem substantia non potest esse sensibilis per se, ita nec sensibilia communia poterunt per se sentiri, & per consequens ad summum erunt sensibilia per accidens. Vtraque consequentia videtur nota. Antecedens etiam patet; nam obiectum adæquatum, v. g. auditus solus est sonus, & gustus sapor, & sic de aliis: ergo non continebuntur sub illis sensibilia communia, quæ à sono, sapore, & aliis sensibilibus propriis distinguuntur.

7 Secundò obiicies, quòd potius substantia deberet dici sensibilis per se quam color, aut sonus, vel quoduis aliud sensibile per se, nam omnia illa sunt accidentia, & virtutes substantiæ, ac proindè in virtute illius immutant sensum, sicut ob eandem rationem calor in virtute eiusdem substantiæ calefacit: ergo potiùs ipsa substantia, quàm prædicta accidentia immutabit sensum, eritque sensibilis per se ab illo, sicut propter eandem rationem actio caloris potiùs tribuit substantiæ ignis, quàm eidem calori.

Confirmatur, nam virtus substantiæ proximè operatiua, & substantia non coniunguntur accidentaliter in illo, in quo comparantur, vt virtus, & res cuius est talis virtus, quandoquidem per se, & necessariò desiderantur ad instituendum vnum, & idem principium agendi coalescens ex principio radicali, & proximo, sed accidentia per se sensibilia, & substantia cuius sunt accidentia, comparantur in ordine ad immutandum sensum per modum virtutis, & rei, cuius est talis virtus: ergo non contiguntur accidentaliter, sed per se, & per consequens substantia, non erit sensibilis per accidens, sed potiùs propter rationem iam dictam erit potiùs per se sensibilis, quam accidentia, quæ sunt virtutes illius.

8 Tertiò contra diffinitionem sensibilis per accidens obiicies, quòd albedo per accidens coniungitur

cum sapore, & nihilominus non est sensibilis per accidens, sed per se, vt docet D. Thom. lect. 13. iam citata: ergo ad rationem sensibilis per accidens non est satis quòd coniungatur per accidens non sensibili per se.

Confirmatur, quia alioqui nihil esset coniunctum cum propriis sensibilibus, quod non esset sensibile per se, vel per accidens, hoc autem est falsum, vt docet Sanctus Doctor lectione citata: ergo, &c. Sequela patet, nam si talis coniunctio sit per accidens, tunc esset res illa sensibilis per accidens, quippè quæ per accidens coniungeretur cum proprio sensibili: si verò talis coniunctio esset per se, tunc non posset non esse sensibilis per se: ergo, &c.

Quartò obiicies, falsum esse quod ad rationem sensibilis communis non sit necessarium, vt ab omnibus sensibus externis cognoscatur, nam postquam Aristot. in hoc 2. lib. text. 64. enumerauit omnia sensibilia communia, & statim addidit: *Huiusmodi enim nullius sensus sunt propria, sed communia omnibus.* Et similiter text. 63. explicans naturam vtriusque sensibilis per se scilicet proprij, & communis inquit: *Duorum autem aliud proprium, & vniuscuiusque sensus aliud autem commune omnium.*

9 Vltimò, nam plura ex sensibilibus communibus à nobis enumeratis non possunt percipi per sensum externum ergo nec rationem sensibilis communis habebunt. Consequentia patet ex dictis. Antecedens autem probatur: tum quia motus, cùm sit quid successiuum, essentialiter importat præteritum, & futurum, ac proindè non poterit percipi nisi præteritum, & futurum cognoscatur: at sensus externus, nequit hæc duo percipere, siquidem tantùm percipit id, quod est præsens: ergo, &c. tum etiam, quia si numerus sumatur materialiter, concidit cum magnitudine, vt ex se constare videtur, & ita nequit in hæc diuisione constituere distinctum membrum ab illa: si autem sumatur formaliter, non potest percipi nisi à potentia cognoscitiua sciente numerare, quod tamen solùm competit intellectui, vt docet Philosophus. 4. Physic. & sect. 30. Problematum q. 5. & ideò bruta numerare nesciunt: ergo, & cætera.

Enodatio obiectionum.

§. III.

10. AD primam, duplicem solutionem refert D. Thom. in præsenti lect. 13. his verbis: *Dicunt igitur quidam, quod huiusmodi communia sensibilia non sunt sensibilia per accidens propter duas rationes. Primò quidem, quia huiusmodi sensibilia communia sunt propria sensus communis, sicut sensibilia propria sunt propria singulis sensibus. Secundo, quia sensibilia propria non possunt esse sine sensibilibus communibus, possunt autem esse sine sensibilibus per accidens.*

Vtramque tamen solutionem impugnat Sanctus Doctor ibidem, sic: *Vtraque autem responsio incompetens est: prima quidem, quia falsum est quod ista sensibilia communia, sint propria obiecta sensus communis. Sensus enim communis est quædam potentia, ad quam terminantur immutationes omnium sensuum, vt infra patebit. Vnde de impossibile est, quod sensus communis habeat aliquod proprium obiectum, quod non sit obiectum sensus proprij; sed circa immutationem ipsius sensuum propriorum à suis obiectis habet sensus communis aliquas operationes proprias, quas sensus proprij habere possunt, sicut quòd percipit ipsas immutationes sensuum & discernit inter sensibilia diuersum.*

Secunda etiam ratio non est competens, non enim refert ad id, quod est sensibile per accidens, vtrum id quod est subiectum sensibilis qualitatis, sit per se subiectum eius, vel non per se, nullus enim diceret ignem, qui est proprium subiectum caloris esse per se sensibile talius.

11. Quare reiectis his duabus solutionibus, aliter respondetur cum eodem D.Th 1.p.q. 78.art. 3. ad secundum, & in hoc 2. l. lectione citata, quòd licèt tam sensibilia communia, quam sensibilia per accidens, non percipiantur à sensu, non percepto aliquo sensibili proprio; nihilominùs adhuc manet disparitas inter sensibilia communia, & per accidens, nam sensibilia communia, ita indigent sensibilibus propriis, & immutatione eorum ad hoc, vt percipiantur, quòd etiam ipsa sensibilia communia habeant aliquomodo immutare per se sensum, non quidem ex eo, quòd producant speciem sui omninò conditinctam ab specie sensibilis proprij; sed quia, vt quæstione sequenti dicemus, modificant speciem illius, ac proinde producunt in ea quendam modum, ratione cuius modaliter ipse sensus immutatur.

Cæterùm, sensibilia per accidens, ita indigent sensibilibus propriis, & immutatione eorum, vt ipsa ratione sui non immutent vlla ratione sensum producendo in illa aliquid distinctum ab specie sensibilium propriorum. Et ita Aristotel. text. 65. concludit. *Secundum accidens enim hoc sentitur, quoniam accidit albo hoc quod sentitur. Vnde nihil patitur secundum quod huiusmodi est à sensibili.* Quæ verba explicans D. Thom. ibidem, inquit: *Accidit autem albo, quod est sensibile per se quod sit Diares. Vnde Diares est sensibile per accidens, vnde nihil patitur sensus ab hoc, in quantum huiusmodi.*

12. Nec obstat si obiicias, tum quòd sensibile proprium, non sentitur nisi in concreto, & ita propriè loquendo non videtur albedo, sed album, sicut etiam quod propriè immutat visum, est album: ergo cum album includat substantiam, vt subiectum & non vtcumque sed magis intrinsecè, quaio quantitatem, consequens vt erit prædicta substantia habeat potius immutare sensum quàm quantitas producendo in eo aliquam speciem, per quam vna cum albedine cognoscatur.

Tum etiam quia nisi substantia, quæ est sensibile per accidens, aliquo modo immutet sensum modificando saltem speciem proprij sensibilis, non poterit vllo modo esse sensibile etiam per accidens, quandoquidem quòd aliquo modo, etiam per accidens sentitur, debet aliquo modo, & per accidens immutare sensum, ex eo quòd sensus non nisi media immutatione obiecti sensibilis sentit.

Non itaque hæc obstant, nòn quidem primum, quoniam licet albedo in concreto seu album videatur, non ideò sequitur substantiam, quæ est subiectum albedinis, immutare ratione sui sensum, quia respectu albi, vt est obiectum visus, ac proindè immutatiuum illius, per accidens est, quòd sit ibi substantia per modum subiecti, vel aliquid aliud supplens eius vices, per se autem quod sit ibi aliquid, quod sustentet albedinem; vt statim explicabitur, & quòd album illud quatenùs est sensibile proprium visus per vnicam, & diuisibilem speciem videatur.

13. Nec etiam secundum obstat, quia vt benè notauit Bañes 1. part. quæst. 78. art. 3. dub. 8. conclus. 1. Substantia non sentitur secundùm se, & immediatè in se ipsa, sed in suo accidente, quod est sensibile proprium, & ita solùm dicitur per accidens sentiri, vt notauit Diuus Thomas lectione 13. quatenus eius sensibile proprium, & ipsa ideo sentitur quatenus satis est, vt propter coniunctionem accidentalem, cum sensibili proprio possit statim sentiri,

titi, aut cognosci per aliam potentiam sentientis; nam hic modus sensibilitatis,& sensationis satis constat pertinere aliquo modo ad latitudinem sensibilitatis, & sensationis, atque adeò constituere sensibile per accidens,& sensationem illus.

Vnde cùm videtur album, non variatur visio ex eo quòd sit homo, vel panis, vel ex eo quòd sit ibidem; vel non sit substantia, quæ est subiectum albedinis, vt contingit in visione hostiæ quæ est eadem, tam ante, quàm post consecrationem, variaretur autem visio, imò discerneretur per visum, an esset ibidem, vel non esset substantia panis, si substantia secundùm se, vel immediatè in se ipsa, & non solùm in suo sensibili proprio ratione illius videretur. Quare ad videndum hoc modo sensibile per accidens, scilicet substantiam, tamen tantum abest, vt sit necessarium quòd ipsa ratione sui immutet sensum, quòd si ratione sui, & non solùm ratione proprij sensibilis, cum quo coniungitur illud immutaret, non posset sic sentiri, & ita ad talem sensationem semper datur in sensu immutatio proportionata ad illam, scilicet immutatio proprij sensibilis; in quo dicitur ipsa sentiri.

14 Ad primam confirmationem negandum est antecedens, & ad primam probationem respondetur; quod licèt aliquod sensibile commune in particulari, & determinatè sumptum sit per accidens coniunctum cum sensibile proprio, vt in exemplo allato contingit: nihilominùs hoc ipso quod tale sensibile bidem sit, debet per se, & modo dicto immutare sensum, vna cum sensibili proprio, & ita licèt in esse rei per accidens coniungantur, nihilominùs entra ordinem, & lineam sensibilem, & respectu immutationis sensus, habent per se coniungi, quia ad hanc coniunctionem per se solùm requiritur, vt hoc ipso, quod in esse rei coniungantur, debeant in esse sensibilis, & respectu immutationis sensus, iam explicatæ coniungi ratione prædictæ modificationis.

Ad secundam verò probationem dicendum est, quod licèt demus esse necessarium aliquod sensibile commune ad hoc, vt sensibilia propria immutent sensum, & sentiri possint, nihilominùs adhuc est magnum discrimen inter illa, quoniam sensibilia communia supponunt sensibilia propria, vt primas rationes agendi, & vt principalia agentia: at sensibilia propria egent communibus tantùm, vt modis, & ideò sensibilia propria possunt dici per se primò sensibilia, quia continent primam, & principalem radicem sensibilitatis, quamuis indigeant aliquo alio modo modificante talem radicem, sicut ignis dicitur per se primò calefactiuus, quamuis ad calefaciendum indigeat existentia, quæ non se habet vt ratio, & radix agendi, sed vt conditio requisita, vel modus intrinsecus talis radicis.

15 Ad secundam confirmationem negandum est antecedens,& ad probationem concesso antecedenti, negenda est consequentia, quia vt aliqua per se contineantur intra latitudinem alicuius obiecti, non est necessarium, quod ita contineat illa, quæ per se à potentia attingi possunt, vt de omnibus illis in recto prædicetur, sed satis est, quod ratione illius omnia quæ aliquo modo per se ab illa attinguntur, referantur ad talem potentiam, vt in præsenti contingit, quia sensibilia communia solùm percipiuntur à sensibus externis; quatenus sunt aliquid, seu quatenus in esse sensibili sunt modi per se sensibilium propriorum, sicut etiam sensibilia per accidens aliquo modo continentur, scilicet per accidens sub obiecto, v. g. visus, quatenus ratione sui proprij obiecti aliquo modo, scilicet per accidens ad illum referuntur. Cæterùm, quia solùm per accidens ad ipsum referri debent, ideò non sunt sensibilia, nisi per accidens, nec per se immutant sensum. Nam vt optimè notauit D. Thom. locis citatis idem est aliquid esse obiectum aliquo modo per se sensus, & esse immutatiuum illius, ex eo quod sensus debet pati à suo sensibili per se.

Ad secundam obiectionem respondetur, quod accidentia quæ sunt propria sensibilia, vt calor aliter comparantur, respectu actionis naturalis, seu ordinis entitatiui, scilicet calefactionis, & aliter respectu actionis intentionalis, vt talis, seu respectu immissionis specierum intentionalium formaliter sumptæ, nam calor respectu calefactionis non est prima, & radicalis ratio operandi, sed solùm proxima, vt ex se constat, & ita ignis concurrit per modum virtutis radicalis, & calor per modum virtutis ipsius, & ideò non mirùm, quod calefactio procedat à calore, vt à principio proximo, & ab igne, vt à principio radicali, & quod facta collatione inter vtrumque principiû habeat ignis principalius concurrere, quam calor.

16. Cæterùm, idem calor respectu immutationis intentionalis, per quam immutat sensum tactus, haber se per modum primæ, & potissimæ rationis immutandi, quia per se & ratione, & non ratione substantiæ, aut quatenus est virtus illius, continetur intra obiectum specificatiuum tactus, atque adeo intra obiectum per se primò immutatiuum illius, & ita talis immutatio non tribuitur principaliter substantiæ ignis secundùm se sumptæ, sed solùm ipsi calori, & per consequens ipsa non sentit principaliter, imò nec per se, sed solùm per accidens propter rationem nuper adductam.

Ex quo ad confirmationem satis constat non enim calor, v. g. vt ad ordinem sensibilem pertinet, coniungitur per se cum substantia ignis, tanquam virtus agendi proxima cum sua virtute radicali, cui per se subordinatur, tanquam virtuti principaliori, aut tanquam alicui per se modificanti, propriam immutationem, per quam idem calor immutat sensum tactus ex eo, quòd ibidem producat aliquem modum intentionalem, vt in sensibili proprio, & communi contingit, sed coniunguntur in ratione formæ in esse rei, & subiecti per se illius: quod quidem, vt ex Diuo Thoma nuper dicebamus, non est satis ad hoc, vt substantia ignis sit per se sensibilis per tactum, sed ad summum per accidens.

17. Ad tertium respondetur ex D. Th. lec. [illegible] am citata, quòd ex coniunctione per accidens a[illegible]dinis cum sapore, ad summum sequitur sapidum esse per accidens visibile, non autem per accidens sensibile; hic autem non de visibilibus per accidens, sed de his, quæ per accidens sunt vniuersaliter sensibilia, loquimur. Vnde Sanctus Doctor postquam innuit sapidum esse per accidens sensibile, ex eo quod accidit albo, explicans statim quomodo non in sensu proprio, & rigoroso loquebatur, addidit: *Sed vt propriè loquamur, hoc non est vniuersaliter sensibile per accidens, sed per accidens visibile, sensibile autem per se.*

Ad confirmationem respondetur ex Diuo Thoma lectione 13. vbi supra, negando sequelam, & ad probationem iam diximus, non qualemcumque coniunctionem per se, cum sensibili proprio sufficere ad rationem sensibilis per se, & ita coniunctionem, quam habet ignis in ratione subiecti per se caloris, cum eo non extrahere eundem ignem à ratione sensibilis per accidens, sicut etiam non qualiscumque coniunctio per accidens, cùm sensibili proprio sufficit ad rationem sensibilis per accidens, sed requiritur inter alia, vt ex vi sensationis proprij sensibilis aliquo modo percipiatur consequenter id quod

dicitur esse sensibile per accidens, vt in solutione ad primam obiectionem explicuimus.

Quare sensibile per accidens, non est necesse, vt distinctè cognoscatur ab eo sensu, quo per accidens sentiri dicatur, sed satis erit, vt saltem ad intellectu sentientis non ita confuzè, sed aliquo modo distinctè attingat, ita tamen, vt ad hoc non indigeat speciali indagine, vt notauit D. Th. loco citato. Vbi postquam adduxit conditiones à nobis petitas ad rationem sensibilis per accidens, addidit: *Quod ergo sensu proprio* (intellige modo dicto) *non cognoscitur, apprehenditur intellectu, non tamen omne quod intellectu apprehendi potest, in re sensitiua poterit esse sensibile per accidens, sed statim quo ad occursum rei sensata apprehenditur intellectu, sicut statim cum video aliquem loquentem, vel mouere seipsum, apprehendo per intellectum vitam eius, vnde possum dicere, quod video eum viuere.*

18 Ad quartum respondetur ex D. Thoma, verba illa Arist. esse per distributionem accomodam intelligenda, Vnde idem Sanctus Doctor explicans priora verba in obiectione relata, sic inquit: *Exponit quod communia sensibilia sunt ista quinque, motus, quies, numerus, figura, & magnitudo, hæc enim nullius sensus vnius sunt propria, sed sunt communia omnibus, quod non est sic intelligendum, quasi omnia ista sint omnibus communia, sed quædam horum, scilicet numerus motus, quies sunt communia sed quædam horum, scilicet numerus motus, quies, sunt communia omnibus sensibus, tactu verò, & visu percipiunt omnia quinque.*

Ad vltimam negandum est antecedens, & ad primam probationem dicendum est, solùm probare motum non posse cognosci in actu signato à sensu externo, cognoscendo nimirum in quo eius essentia sita sit, & conferendo partem præteritam cum futura, aut simul omnes illas attingendo, quia hoc solùm potest competere potentiis superioribus, non tamen in actu exercito, & per visionem coexistentem eidem motui, ita quidem, vt in actu exercito cognoscat partes præteritas, & futuras eo ordine quæ præcerunt, & habent rationem futuræ, seu secundùm quod sunt immediatè præteritæ, & futuræ. Vnde, quia secundùm istam rationem verè in ratione partis præteritæ, & futuræ existunt actu per existentiam instantis vtramque nectentis, ideò ex hoc quod sensus exterior solùm percipiat id, quod est præsens, non benè colligitur non posse percipere partem præteritam, & futuram motus.

Ad secundam verò probationem dicendum est numerum adhuc formaliter sumptum dupliciter posse cognosci, vel replicando numerum maiorem supra minorem, & sic per incrementa numeralem seriem vt talis est, amplificando, qui modus cognoscendi solis hominibus competit, vel percipiendo plura discreta, quæ numerum constituunt, vt duos, aut tres lapides, & hoc pacto numerus externis, tam hominum quàm brutorum sensibus dignoscitur.

QVÆSTIO II.

Vtrum sensibile commune imprimat in sensu aliquam speciem omninò condistinctam ab specie sensibilis proprij.

19. EXactior cognitio sensibilis proprij, & communis, nec non, & sensibilis per accidens valdè ex eis, quæ in hac dicenda sunt, pendet: nam quæ in præcedenti obiter circa modum, quo sensibilia propria, & communia immutant sensum, & quomodo hæc immutatio sit sensibilibus per accidens deneganda, tacta sunt, in præsenti ampliùs examinantur, & ideò post illam meritò hanc statim excitamus. In ea autem aliquid, vt certum supponimus, & de aliquo dubitamus. Supponimus enim ex dictis quæstione præcedenti, quòd sensibile commune habeat aliquo modo per se immutare sensum: dubitamus autem, an hoc illi conueniat, ex eo quod producat in eo speciem omninò condistinctam ab specie sensibilis proprij, ita vt se habeant, vt species, & species intentionales condistinctæ, an verò aliquo alio modo ad prædictam immutationem concurrat.

Opinio affirmatiua.

§. 1.

20. PRima sententia asserit, sensibile commune imprimere propriam speciem in sensu, omninò condistinctam ab specie sensibilis proprij. Ita Scotus in 4. dist. 12. q. 3. Ægidius cap. 6. huius 2. lib. Iandunus quæst. 18. Gandauensis q. 17. & alij, & videtur esse D. Thom. 1. part. quæst. 17. art. 2. vbi inquit, quòd in sensu est similitudo figuræ, magnitudinis, & aliorum sensibilium communium.

Probatur primò: nam species coloris, quòd est sensibile proprium visus, non repræsentat, nisi tantummodo colorem, ergo ad hoc vt visus percipiat motum, figuram, & alia sensibila communia, indiget propria specie illorum omnino condistincta ab specie coloris. Patet consequentia, quia repugnat, sensum aut quamuis aliam potentiam cognoscitiuam percipere aliquid, siue specie illud repræsentante, vt 3. lib huius operis fuse ostendemus.

Antecedens autem probatur, quoniam species coloris solùm repræsentat id, à quo immittitur, quia est semen illius, & eius vice gerens: at non immittitur à motu, vel figura, & ita variata figura, aut quiescente colorato, species illa est eiusdem rationis: ergo, &c.

21 Confirmatur primò, quia magnitudo, v. g. in esse rei est quid valdè diuersum à calore, diuersumque prædicamentum constituit, quamuis simul, in eodem subiecto reperiantur: ergo etiam in esse intentionali comparabuntur per modum duorum agentium valdè diuersorum, atque adeo quodlibet imprimet speciem eodem modo distinctam in sensum. Hæc vltima consequentia patet ex priori, quoniam agentia intentionalia valdè diuersa, non possunt non species sui, valdè etiam diuersas immittere. Prima verò consequentia ex antecedenti patet, nam in his quæ habent vim intentionaliter immutandi, debet hæc vis fundari in esse naturali, & entitatiuo eorundem, & ad illud sequi, quia esse intentionale fundatur in esse entitatiuo, & naturali: ergo ea quæ in esse rei, seu in esse entitatiuo sunt valdè diuersa vt magnitudo, & color, debent etiam in esse agentium intentionalium esse valdè diuersa.

Confirmatur secundo, nam vt disp. 18. quæst. 3. ostendemus, species intentionales, & obiectum, sunt eiusdem prorsus naturæ in esse intentionali: ergo si obiectum natura est duplex, & omninò condistincta, vt in quantitate, & colore cernitur: duplex etiam species erit pro illis assignanda.

22 Secundò, nam aliquando contingit, vt sensibile commune percipiatur à sensu absque sensibili proprio: ergo sensibile commune imprimet tunc speciem sui omninò condistinctam ab specie sensibilis proprij: ergo & semper illam imprimet. Hæc vltima consequentia constat, nam cùm sensibile commune sit semper eiusdem rationis, & habeat eundem immutandi modum, fiet indè, vt vel semper, vel nunquam imprimat speciem sui omninò condistinctam

ctam ab specie sensibilis proprij. Prima verò etiam patet, nam cùm in eu euentu non detur ibidem species sensibilis proprij, per quam possit sentire sensibile commune, oportet ad hoc quod tale sensibile cognoscatur, quòd imprimat speciem sui omninò condistinctum ab specie sensibilis proprij.

23. Antecedens autem probatur: tum quia si quis esset propè cœlum, & manu tangeret illud, præciperet magnitudinem, & figuram, & ita si conaretur vltra progredi, sentiret se impediri à cœlo, & eius quantitate, ac proindè prædictam quantitatem sentiret: at tunc non perciperet in cœlo proprium sensibile tactus, scilicet quatuor primas qualitates, & alias secundas indè resultantes, cùm cœlum prædictis qualitatibus careat: ergo, &c. tum etiam, quia si detur aliquod corpus, quòd in intentione qualitatum sensibilium, & tangibilium adæquaret similes qualitates existentes in manu, tunc illæ qualitates non possent immutare tactum, vt ex infra dicendis constabit, & nihilominùs possent, per tactum percipi magnitudo, & motus illius: tum denique, quia multoties per potentiam visiuam percipitur magnitudo alicuius corporis longè distantis, non tamen eius calor & similiter, si ante alicuius oculos clausos apponatur aliquod corpus opacum, tunc percipitur à visu esse ibidem tale corpus, quamuis eius color non percipiatur.

Tertiò, nam si dum quis videt album, tunc album illud diuersificetur in sola figura, poterit percipi à vidente talis diuersitas: ergo signum est quòd illud album immittit ratione nouæ figuræ propriam, & nouam speciem repræsentantem illam, ac proindè figura producet speciem sui omninò condistinctam ab specie illius albi, vt talis. Hæc vltima consequentia satis patet, quandoquidem species illa de nouo aduenit, potestque perire non pereunte specie albi. Prima verò consequentia etiam constat, quia nouum obiectum, quòd antea non sentiebatur, nequit percipi sine noua specie.

Ex mente D. Thomæ quæst. deciditur.

§. II.

24. Dicendum tamen est, sensibilia communia non imprimere in sensu speciem omninò condistinctam, tanquam speciem, & speciem intentionalem ab specie sensibilis proprij, sed solùm modificare speciem proprij sensibilis. Ita D. Thom. 1. part. quæst. 78. art. 3. ad secundum, vbi ait: *Sensibilia communia non mouent sensum primò, & per se, sed ratione sensibilis qualitatis, vt superficies ratione coloris, nec tamen sunt sensibilia per accidens, quia aliquam diuersitatem faciunt in immutatione sensus, alio enim modo immutatur sensus à magna superficie, & à parua.* Et in hoc 2. lib. 13. his verbis: *Differentiam autem, circa immutationem sensus potest aliquid facere dupliciter; vno modo, quantum ad ipsam speciem agentem, & sic faciunt differentiam circa immutationem sensus sensibilia per se, secundùm quòd hoc est color, illud autem est sonus, hoc autem est album illud verò nigrum: quadam verò alia faciunt differentiam in transmutatione sensuum, non quantum ad speciem agentis sed quantum ad modum actionis, qualitates enim sensibiles mouent sensum corporaliter, & situaliter. Vnde aliter mouent secundum quod sunt in maiori, vel minori corpore, & secundum quod sunt in diuerso situ, scilicet, vel propinquo, vel remoto, vel eodem, vel diuerso, & hoc modo faciunt, circa immutationem sensuum differentiam, sensibilia communia.* Idem tenent Philoponus, Paulus Venetus, Caietan. Timensis cap. 11. huius 2. lib. Ferrara cap. 6. Conimbr. ibidem Rubio tract. de obiectis, atque speciebus sensibilibus quæst. 11. Bañes 1. part. quæst. 78. art. 3. Suarez 2. tomo summæ Theologiæ tract. 3. de Anima lib. 3. cap. 8. num. 5. & Doctor Matthæus Fernandez libro de facultat. naturalibus, tract. 2. quæst. 7. de dolore.

25. Rationem autem fundamentalem huius assertionis quoad primam eius partem innuit Doctor Angelicus lect. 13. iam citata, quæ potest ad hanc formam reduci, nam sensibilia propria distinguuntur intra lineam sensibilis, à sensibilibus communibus, sed sensibilia propria hoc ipso quod talia, habent immutare sensum, per propriam speciem omninò condistinctam ab alia specie alterius sensibilis proprij: ergo sensibilia communia non poterunt immutare sensum, per speciem omninò condistinctam ab specie sensibilis proprij.

Maior ex se patet: tum quia sensibilia propria ab intrinseco petunt, quòd percipiantur ab vnico tantùm sensu externo, vt quæstione præcedente diximus; sensibilia verò communia exigunt sentiri à pluribus ex illis: tum etiam, quia sensibilia propria specificant, & distinguunt sensus externos inter se, secùs verò sensibilia communia, quippè quæ sunt pluribus sensibus communia.

26. Minor autem etiam constat: tum quia sicut intellectus non immutatur per propriam speciem omninò condistinctam, nisi à proprio obiecto per quod specificatur, vel quod participat rationem obiecti specificantis eundem intellectum: ita sensus externus, non erit immutabilis, per propriam speciem omninò condistinctam, nisi tantùm à sensibili proprio, à quo solùm specificatur: tum etiam, quia cùm sensus sint etiam potentiæ passiuæ vitales, distinguuntur penes diuersos immutandi modos, per proprias species quas recipiunt: ergo sicut solùm sensibilia propria specificant, & distinguunt sensus, ita etiam sola illa poterunt per proprias species omninò condistinctas immutare illos: tum denique, quia id, quod per propriam speciem omninò condistinctam attingitur à sensu, potest per se primò ab eodem attingi, sicut species illa potest per se primò sensibile repræsentare: ergo cum sensibilibus proprijs tantummodo conueniat, vt per se primò attingantur à sensibus, etiam solis illis conueniet, quòd immutent sensum per propriam speciem omninò condistinctam.

Confirmatur, & explicatur ex eodem S. Doctore, nam sensibile commune nequit efficere propriam sui speciem omninò condistinctam, quæ sit eiusdem rationis in omnibus sensibus, neque etiam potest immittere prædictam speciem, quæ sit diuersæ rationis in illis: ergo nequibit vllo modo talem speciem immittere. Consequentia patet. Antecedens autem quoad primam partem probatur, nam diuersi sensus nequeunt actuari, per species eiusdem rationis, ex eo quod natura vniuscuiusque sensus, & eius temperamentum, quantitas, & figura commensuratur suo proprio sensibili, & speciebus ab illo immissis, & ita diuersi sensus non poterunt actuari per species eiusdem rationis.

27. Quoad secundam verò partem idem antecedens suadetur, quia idem sensibile non potest producere species diuersarum rationum omninò condistinctas à sensibilibus proprijs, cùm semper sit idem agens, idemque sensibile, ac proinde debeat species eiusdem rationis efficere.

Ad hanc rationem, & eius confirmationem respondere potest ex sandano 2. de Anima, quæstione 18. Ægidio text. 65. dub. 2. quod tam sensibile proprium, quam commune habent secundùm suas peculiares rationes immutare sensus, per proprias species om-

ninò condistinctas, quamuis aliter, & aliter: nam sensibile proprium, visus verbi gratia, immutat hoc modo visum, quatenus visus est, sensibile verò commune immutat eundem in quantum sensus est, alioqui si immutaret illum præcisè quia habet rationem visus, non posset immutare auditum, & ita licèt intra lineam sensibilis distinguantur, potest quodlibet eorum immutare sensum per prædictam speciem, & sensibile commune immutare sensus externos, per species eiusdem rationis, siquidem omnes illi in vnica, & eadem ratione sensus conueniunt.

Cæterùm, hæc solutio facile & breuiter impugnari potest, ex eo, quod sensus externus, vt visus, percipit sensibile commune quatenus visus est: tum quia non percipit illud, nisi viuendo, sicut neque auditus, aut odoratus non sentiunt ipsum, nisi audiendo, vel olfaciendo: tum etiam, quia alias quiuis sensus externus perciperet omnia sensibilia communia, cùm quiuis eodem modo participet rationem sensus, vt sic, ratione cuius iuxta hanc solutionem dicitur esse capax immutationis ab illis, cuius tamen oppositum experimur: tum denique, quia aliàs sensus externus, per prius attingeret sensibilia communia, quàm propria, siquidem attingeret illa ob rationem generalem sensus; hoc tamen esse falsum constat ex supra dictis, quandoquidem sensibile commune tantum sentitur per se secundò, atque adeò per priùs debet sensibile proprium sentiri. Ad illud autem quod in hac solutione dicitur, scilicet quod si sensibile commune immutaret visum, quia visus est, non verò, quia sensus, non posset immutare auditum: sicut quia sensibilia propria, vt color immutant visum, quia visus, ideò nequeunt immutare auditum vt talem, vel secundùm rationem sensus, constabit ex his quæ num. 33. diximus.

28. Secunda verò pars eiusdem assertionis, nimirum quòd licet sensibile commune non imprimat sensui propriam speciem omninò condistinctam ab specie sensibilis proprij, habeat tamen modificare illam, apertè sequitur ex dictis: nam sensibile commune debet aliquo modo per se immutare sensum, ex eo quod habeat rationem sensibilis per se, atque adeò immutatiuè, per se eiusdem sensus, vt quæst. præced. num. 2. & 3. asseruimus: at nequit immutare sensum ex eo quod producat speciem omnino condistinctam ab specie sensibilis proprij, vt nuper dicebamus: ergo per hoc quod modificet illam. Patet consequentia, quoniam vt intuenti constabit, non apparet alius modus quo sit immutatiuum sensus, nisi vel per hoc, quòd producat prædictam speciem, vel modificet eam, quæ à sensibili proprio immittitur.

Deinde eadem pars, imò etiam prima probatur ratione, quam insinuat S. Doctor loco citato, quia nulla potentia potest ferri in obiectum omnino distinctum a suo obiecto adæquato, sed obiectum adæquatum cuiusuis potentiæ sensitiuæ externæ, est sensibile proprium illius, quippe quod est specificatiuum, & distinctiuum eiusdem: ergo non poterit talis potentia ferri in aliud omnino condistinctum, & ab illo immutari, sed solùm poterit immutari ab illo, tanquam à modificante, & determinante tale obiectum, atque adeò non per speciem omnino condistinctam, sed tanquam per aliquid quod modificet speciem sensibilia proprij, & sit aliquid illius.

29. Confirmatur ratione eiusdem S. Doct. ex discrimine, quod intercedit inter speciem intelligibilem, quæ fit per abstractionem à phantasmatibus, & inter speciem visibilem. Nam cum prædicta species intelligibilis recipiatur à potentia pura spirituali, & ratio causandi illam ex parte obiecti sit natura specifica, ideo talis species potest eandem naturam, cùm præcisione sumptam, & non inuolutam, cum singularitate, & conditionibus materialibus illam concomitantibus repræsentare.

Cæterùm species sensibilis repræsentans propria sensibilia debet ex eo quod recipitur in subiecto materiali, & ab obiecto materiali, & singulari, vt tali immittitur, repræsentare illud materialiter, & particulariter, inuolutéque cum conditionibus materialibus quantitatis motus, aut quietis, aut aliorum sensibilium commmunium, quibus sensibilia propria variantur, & ita debet immitti cum peculiari modificatione ad hoc, vt eademmet species, & non alia posset repræsentare sensibilia propria inuoluta, ac modificata per sensibilia communia.

Obiectiones contra dicta, & enodatio earum.

§. III.

30. SEd obiicies primò, quòd si in specie sensibilis proprij datur aliquis modus, ratione cuius sensibile commune cognoscatur, non poterit non per illud per se primò cognosci, hoc autem est contra naturam prædicti sensibilis cōmunis, vt ex dictis constat: ergo, &c. Sequela patet, quia talis modus per se primò illud repræsentaret, siquidem non ob aliud à natura institutus est, nisi ad prædictum sensibile repræsentandum: ergo sicut cognosceretur, per se primo à sensu, si imprimeret propriam speciem omninò condistinctam ab specie sensibilia proprij, ex eo quod species ista, per se primò illud repræsentaret, ita quia ratione prædictæ modificationis repræsentatur per se primò totale sensibile: fiet inde, vt per se primò cognoscatur.

Secundò obiicies, quòd si semel nequit dari species sensibilis communis omninò condistincta ab specie sensibilis proprij, ex eo, quod illa species, nec posset esse eiusdem, nec diuersæ rationis in omnibus sensibus, ita propter eandem rationem, non poterit dari aliqua modificatio in specie sensibilis proprij facta à sensibili communi, verbi gratia à quantitate, quæ sit eiusdem aut diuersæ rationis in cunctis illis: ergo impossibilis erit talis modificatio. Consequentia ex se constat. Antecedens autem ex dictis num. 26. liquet. Nam cum quantitas, verbi gratia semper sit eiusdem rationis, non potest imprimere in speciebus diuersorum sensibilium propriorum modificationes diuersarum rationum, & cùm natura vniuscuiusque sensus, & eius temperamentum non solùm sint commensurata secundùm propria illorum cùm sensibilibus proprijs, & eorum speciebus, sed etiam cum modis, quibus tales species modificandæ sunt, fit inde, vt sicut propter hanc commensurationem, non possunt diuersi sensus, vt tales actuari, per se species eiusdem rationis, ita nec per modos, & modificationes, quæ eiusdem rationis sint.

31. Tertiò obiicies, numerum, qui est vnus ex quinque sensibilibus communibus, non posse modificare speciem sensibilis proprij, nam ex eo, quod duo alba videantur, non habet species vnius aliquid, quod non haberet, si vnicum tantum album videretur, siquidem vnaquæque ex illis speciebus, ita repræsentat vnicum album, ac si non esset ibi aliud: ergo, &c.

Quartò obiicies, quod si semel species sensibilis proprij, debet necessariò modificari ad sensibilia communia repræsentanda, ex eo, quod ratione suæ materialitatis debet repræsentare suum obiectum, vt est hic, & nunc, & cùm conditionibus materialibus, atque adeò vt inuolutum, cùm sensibilibus communibus, fiet inde, vt eadem ratione sit illi addenda

peculiaris

peculiaris modificatio, ratione cuius peculiariter etiam repræsentet substantiam, & ab ea per se immutetur: hoc autem est apertè falsum, & contra dicta: ergo,&c. Sequela patet, quia sensibilia propria, vt hic, & nunc, non minus, imò magis concernunt substantiam, quàm quantitatem, & reliqua sensibilia communia, siquidem substantia est prima radix omnium quæ prædicta sensibilia habent: quantitas verò solùm est subiectum *quo* eorundem; motus verò, & alia sensibilia communia ad summum debent esse affectiones illorum.

32. Ad primam respondetur negando sequelam, & ad probationem esse disparem rationem, nam cùm modus essentialiter præsupponat rem modificatam, fiet inde, vt repræsentatio modalis speciei ab intrinseco habeat esse repræsentationem secundariam, atque adeò subordinari repræsentationi speciei, quam modificat, tanquam repræsentationi primariæ: at si ibi daretur species omnino condistincta, per quam sensibilia communia repræsentarentur, non posset illa repræsentatio esse secundaria essentialiter, quia vt ex dictis constat, ea quæ per se, & per speciem omninò condistinctam immutant sensum, sicut debet participare rationem propriam obiecti specificatiui illius, ita petunt repræsentari per speciem per se primò terminatam ad illa.

Ad secundam negandum est antecedens, & ad probationem esse disparem rationem, nam hoc ipso quòd sensibilia communia non immutent sensus, nisi quatenus modificant sensibilia propria, poterunt quamuis inter se differant specie, immutare eundem sensum quia hoc ipso quod sint modi, vt tales concurrant, sequuntur naturam, & modum immutandi sensibilis proprij in ordine ad quod sunt coaptata, & disposita organa sensuum, & propter eandem rationem, idem sensibile commune poterit immutare distinctos sensus, quia hoc ipso, quod immutet tanquàm modus, ac proinde, vt sequens naturam, & modum immutandi sensibilis proprij est multiplex in virtute quatenus modificat distincta sensibilia propria, & ita quia solùm producit species, vt modificans illa in ordine ad suam immutationem, ideò potest producere modificationes, quæ sint distinctæ rationis, quæ tamen duo dici non possent si sensibile commune produceret species omninò condistinctas ab speciebus sensibilium propriorum, vt intuenti constabit.

33. Ex quo etiam satis liquet ad id quod num.27. in hunc locum remisimus, scilicet sensibilia communia immutare visum quatenus visum, & nihilominus immutare, etiam auditum quatenus auditum, non obstante quod color, verbi gratia ex eo nequeat immutare auditum, quia immutat visum, quatenus visum & ratio disparitatis est illa, quam modo adduximus, scilicet sensibile commune, & quantitas non immutare visum, nisi vt modificans sensibile proprium illius, & sequens eius naturam, ac proinde posse esse in ratione agentis modalis multiplex in virtute, & ita posse immutare visum, vt visum, quia secundùm quod est immutatiuum illius, nequit immutare alium sensum.

Cæterum, sensibilia propria, quia non immutant, vt modi aliorum sensibilium, quorum naturam sequantur, quibusque attemperentur, ideò secundùm suam naturam, & non attemperata aliis immutant, & quia eorum natura est vnica, ideò habent rationem vnius, & eiusdem principij immutatiui, & ita hoc ipso, quod immutent vnum sensum, quatenus talem,& specie distinctum ab aliis, non possunt alterum immutare.

34. Ad tertiam negandum est antecedens, nam sicut visus potest in actu exercito cognoscere duo alba modo tamen suprà num.18. explicato, ita eodem modo ipsa in ratione duorum debent immutare sensum, quantum satis est, ad hoc vt percipiatur. Hæc autem immutatio in hoc consistit, quod hoc ipso quod per se loquendo simul videantur, quia simul proponuntur sensui, debeat etiam per se loquendo immutatio vnius connotare immutationem alterius, quæ connotatio merito in ordine sensibili appellatur modificatio prædictarum specierum, quia præsupponit ipsas per modum primarum formarum, & tribuit, quod obiecta illa taliter, vel taliter, non verè quod absolutè,& simpliciter videantur.

Ad quartam respondetur negando sequelam, & ad probationem dicendum est, quod licet sensibilia propria in esse rei, habeant maiorem nexum cum substantia, quàm cum sensibilibus communibus non tamen in ordine sensibili,& ita variata substantia non variatur visio, etiam modaliter, vt in hac disputatione diximus: secus tamen variatis sensibilibus communibus, vt experientia constat: vnde ideo species sensibilis proprij debet ratione suæ materialitatis, ita modificari, vt per se loquendo repræsentet etiam sensibilia communia, quia debet repræsentare illa, vt hic, & nunc,& cum omnibus conditionibus materialibus, non qualibuscumque, sed supponentibus sensibilia propria, & per se diuersificantibus illa intra lineam sensibilem.

Nec refert id quod ibidem dicitur, scilicet sensibilia propria habere suum esse sensibile à substantiis, cum quibus nectuntur, tanquam à primis radicibus, quia prædictæ substantiæ non sunt radices primæ, & per se illorum in ordine sensibili, sed in ordine naturali, & entitatiuo, siquidem in hoc ordine ipsa sensibilia, propria, non verò substantiæ sunt specificatiua, & distinctiua sensuum.

Fit obuiam argumentis sententiæ affirmantis.

§. IV.

35. AD primum respondetur verum esse antecedens de specie sensibili caloris secundùm se, & præcisè sumpta: secùs vero de illa, vt modificata per aliquem modum, quo determinatur ad repræsentanda sensibilia communia. Et ad probationem patet ex dictis speciem illam immitti, tam à colore, quàm a sensibili communi, vt à quantitate, figura, &c. Ab illo quidem, vt à principali agente, ab istis vero, vt ab agentibus modificantibus illam, seu producentibus in ea quendam modum, & determinationem, ratione cuius secundario repræsentet prædicta sensibilia.

Ad confirmationem respondetur, quod licet magnitudo, verbi gratia, & color comparentur in esse rei, vt entitas, & entitas, non tamen in ordine sensibili, sed comparantur, vt agens principale, & vt agens modificans actionem, & effectum eiusdem agentis principalis. Et ad probationem in contrarium dicendum est, quod licet vis agendi intentionalis fundetur in esse entitatiuo,& naturali rerum: nihilominus quia hoc non obstante hæc duo pertinent in rebus creatis ad distinctas lineas,& ordines, ideò ea quæ in esse entitatiuo comparantur, vt entitas, & entitas, possunt in ordine intentionali conferri per modum agentis principalis, & per modum agentis modificantis eius actionem, & similiter effectus illorum possunt etiam se habere per modum rei modificatæ, & modi illius.

Sicut licet ratio quantitatis discretæ de materiali importet quantitatem continuam & in ea fundetur; nihilominus,

nihilominus, quia pertinent ad distinctas species, possunt aliqua in ratione quaotitatis continuæ comparari, vt quantitas, & quantitas, non verò in ratione quantitatis discretæ, & ita licet quæuis vnitas quantitatiua sit in ratione quantitatis continuæ materiali importatæ vera quantitas non verò in ratione quaotitatis discretæ, sed taotùm principium quantitatis.

16. Et ratio est, quoniam ex diuersis capitibus sumitur in vno, & in alio ordine ratio entitatis, & modi, nam in ordine sensibili sumitur ratio speciei entitatiuæ, ex eo quod concurrat ad speciem, v. g. visionis: ratio autem modo illius, ex eo quod influat in modum eius, ita vt eo variato maneat species visionis, & similiter ratio agentis principalis in ordine ad immutationem sensus, accipitur ex eo quod id, quod ab eo immittitur, sit causa sensationis quoad specificationem, ratio verò agentis modalis ex eo quod id, quod ab eo fit, sit taotum causa modi illius. Cæterùm, ratio entitatis in esse entitatiuo, & naturali, quæ in magnitudine, verbi gratia, & calore reperitur, sumitur ex propria natura vtriusque secundùm quod pertinent ad diuersum prædicamentum, & neutrum ex illis, ita pendet ab alio, vt non possit saltem per diuinam potentiam esse sine illo.

Ad secundam confirmationem respondetur speciem intentionalem secundùm suam essentiam consideratam esse eiusdem naturæ in esse inteotionali formaliter sumpto, cum obiecto per se primò illius, non autem cum obiecto secundario, quale est sensibile commune. Adde quòd illa modificatio, qua species sensibilis proprij modificatur potest in ordine intentionali esse eiusdem naturæ cùm sensibili communi, quod in eodem ordine ad emissionem suæ speciei repræsentantis prædictum sensibile proprium.

37. Ad secundum, negandum est antecedens, & ad primam probationem dicendum est, esse satis probabile, quòd qualitates tangibiles sensibile proprium tactus, non sunt solæ illæ qualitates, quæ in eadem probatione referuntur, sed aliæ etiam, scilicet solidum, tersum, & molle, & alia huiusmodi, vt fatetur Arist. 2. huius lib. textu 107. his verbis: *In tangibili autem multa sunt contrarietates, calidum, frigidum, humidum, siccum, durum, & aliorum quæcumque sunt huiusmodi.* Vbi D. Thom. *In tangibili sunt multæ contrarietates, scilicet calidum, & frigidum, humidum, & siccum, durum & molle, & quadam alia huiusmodi, vt graue, & leue, & acutum, & hebes, & similia*, sed de his videantur ea quæ in libro de Generatione disputatione 7. num. 29. & 30. diximus. Quare cum in corporibus cœlestibus sint aliquæ ex his qualitatibus, poterunt sensibilia communia, quæ ibidem sunt vnà cum prædictis sensibilibus per tactum percipi.

Secundò respondetur ad eandem probationem negando antecedens, intellectum de tactu vitali seu sensatione per tactum, qui est potentia vitalis, nec refert (quicquid sit de veritate minoris eiusdem probationis) quòd tunc impediretur manus, ne vltra progrederetur, quia inde, solùm colligitur posse hominem illum, saltem per intellectum colligere esse ibi aliquod impedimentum, ratione cuius non possit vltra progredi, non tamen, quòd per sensum tactus tale impedimentum sentiretur, sicut si illud impedimentum fieret per Angelum, tunc licet posset per intellectum percipi esse ibi aliquam causam impedientem, non tamen per sensum tactus id sentiretur.

Nec refert, quòd quis ita manum comprimeret contra cœlum, vt ex compressione illa sentiretur dolor; quia benè stat quod ex aliquo impedimento sentiatur dolor quamuis non sentiatur causa extrinseca causans illum, vt in exemplo adducto proportionaliter tamen ad præsens applicato cernere licet.

38. Ad secundam verò probationem respondetur certius esse, quòd in tali corpore restant aliquæ qualitates secundæ, quæ sint proprium sensibile tactus: si autem casus Metaphysicus imaginetur in quo sit omnimoda adæquatio inter omnes qualitates per se primò tangibiles vtriusque corporis, tunc occurrendum est ad hanc secundam probationem iuxta ea quæ in secunda solutione ad primam proportionaliter tamen applicata diximus.

Ad tertiam verò probationem dicendum est, in eo euentu videri colorem, quamuis imperfectè & confusè propter eius distaotiam, sicut etiam magnitudo ob eandem rationem imperfectè percipitur, ex eo quod obiectum sensibile nequit ad nimiam distantiam perfectè immutare sensum, & ita hinc prouenit sensum non posse in eo euentu discernere quisnam color, aut quanta magnitudo sit illius obiecti, quin potiùs talis color solet ad magnam distantiam niger apparere, ex eo quod color niger inter alios, minùs mouet sensum, ac proinde, quando color ratione nimiæ distantiæ parum mouet illum, tunc niger censetur.

Adde prædictum corpus nimium distans luce perfundi, & ita magnitudo illius, vna cùm luce, quæ est proprium sensibile visus poterit percipi.

39. Ex quo ad id quod de illo, qui oculis clausis sentit corpus opacum, obiicitur, respondetur hoc prouenire, ex eo quod propter aliqualem palpebrarum transpareotiam lux simul cum corpore illo opaco, etiam oculis clausis imperfectè tamen videtur, cuius manifestum signum est, quòd si oculi sint valdè clausi, & palpebræ nimis compressæ, ita vt nulla lux ad organum peruenire possit, ac proinde, nec lux exterior sentiri, tunc nullatenus tale corpus opacum ante oculos positum percipietur.

Ad tertium principale patet ex dictis, concedendum esse antecedens, & negandam consequentiam; quia ex antecedenti ad summum colligitur addendam esse nouam modificationem in specie præexistenti, qua posita possit variationem illam obiecti percipere.

Ex quibus omnibus, & ex dictis quæstione præcedenti, satis constat, & testimonium illud ex quæst. 17. primæ partis, quod primo loco in fauorem huius sententiæ adduximus. Videatur etiam Bañes loco citato.

QVÆSTIO III.

An sensibile positum supra sensum impediat sensationem.

40. Alij aliis verbis quæstionem hanc discutiunt inquirentes, an omnes externi sensus indigeant medio ad sensationes suas eliciendas; sed vterque inquirendi modus in idem coincidit: quod vt meliùs intelligatur, & quæstionis titulus clarior maneat, prænotare oportet, bifariè posse intelligi; quòd sensibile supra sensum ponatur, vel ita vt inhæreat organo, quo pacto calor pertinens ad naturale organi tactus temperamentum est in illo, vel ita, vt non inhæreat, sed eidem contingueatur. Titulus ergo non de sensibili inhærente, sed de sensibili eidem contiguo procedit: quia licet ex his, quæ in hac quæstione diceoda sunt, etiam constabit quomodo sensibile inhærens in esse entitatiuo, & naturali sensu nequeat sentiri: nihilominus quia hoc in disputat. de tactu

tactu peculiarem sedem habet, ideò ibidem discutietur. Vnde sensus tituli est, an sensibile, ita coniunctum potentiæ sensitiuæ, vt nihil inter ipsum, & eandem mediet, possit sentiri, ac proinde vterque modus inquirendi in idem coincidit.

Sed quia duplex est medium: aliud internum, quod nihil est aliud, quàm pars eiusdem animalis sentientis medians inter sensibile, & sensum, aliud verò externum, quod debet esse suppositum quoddam distinctum ab animali, & inter potentiam sensitiuam, eiusque obiectum medians, ideò non determinate de aliquo istorum, sed indefinitè de medio, siue interno, siue externo inquirimus, posteà verò in illo, vel in illis sensibus, in quibus specialem habuerit difficultatem, an determinatè medium externum, vel internum desideretur, hoc in dubium vocabimus.

Refertur prior sententia.

§. I.

41. PRima sententia asserit, nullum sensum præter visum indigere medio ab hoc vt suum sensibile percipiat, & adhuc visum non requirere illud respectu corporum lucidorum, sed præcisè respectu opacorum, ac proindè à prædictis sensibus posse sensibile supra sensum positum sentiri. Ita Toletus 3. huius operis cap. 10. qu. 2. quem quoad tactum, & gustum sequuntur Coimbr. in hoc 2. l. cap. 11. quæst. 1. & alij plures. Et tandem quoad hos duos sensus, nec non quoad odoratum tuetur hoc ipsum Rubio 3. l. huius operis c. 1. q. 3. quatenus docet hoc sensus, non indigere per se vllo medio.

Sententia hæc suaderi potest per singulos sensus sigillatim discurrendo, & primò quoad gustum, supponendo tamen prius id, quod ex se satis patere videtur, nimirum partes liquidas, & subtiliores cibi permixtásque cùm saliua posse facilè per partes linguæ porosas (est enim membrum hoc valdè porosum) vsque ad neruum in quo residet gustus pertransire.

Hinc ergo primum deducitur argumentum. Nam sapor contingens neruum habet ex se virtutem producendi speciem sui: sed sensorium hoc, atque etiam sensus in eo residens sunt subiectum capax talis speciei: ergo prædictus sapor producet eam in illis, ac proinde cùm positis obiecto, & sensorio vna cùm sensu, & specie possit subsequi sensatio, nihil obstat, quominus tunc, non obstante, quod nullum sit ibi medium, valeat gustus saporem illum sentire.

42. Secundò exhalationes odoriferæ vsque ad organum odoratus; imò fortè vsque ad cerebrum multoties pertingunt, eisque contiguantur, & nihilominùs, vt experientia docet, sentiuntur. Item sonus peruenit aliquando secundùm suum esse naturale vsque ad auditum, vt cum quis aliquantulum alta voce aliu[m] ad aurem alloquitur; quia cum aër motus in quo est sonus vsque ad illum perueniat, non potest non cum eodem ipse sonus vsque ad auditum pertingere, imò si digito claudatur auris, solet sentiri sonus quidem intra illam, qui cùm ita sit prope organum, & soleat esse non multum debilis, poterit pertingere vsque ad illud?

Tertiò. Tangibile positum supra carnem sentitur, & tamen (vt habet Aristot. 2. de partibus animal. c. 8.) caro est organum tactus, imò etiam si caro non esset organum huius sensus, sed solus neruus, nihilominus argumentum in sua vi maneret: quia si ipsum neruum tactiuum percutias, vel pungas ferro, maximus absque dubio dolor indè resultabit.

Vltimo hoc ipsum de visu respectu corporum lucidorum, & transparentium probat Toletus duplici experientia, nam in primis clausis oculis contingit aliquem splendorem videri, qui non est alius, quam lumen in humore albugineo inhærens, & pupillam tangens. Item nocte accidit fricare oculos, & lumen internum videri, quod sensorio contiguum est. Adde quòd aër illuminatus coniungitur visui, & nihilominus videtur, imò Arist. apud Sanctum Doctorem in l. de sensu, & sensato, lectione 5. docet, quod oportet lumen continuari vsque ad interiorem oculi partem, vbi visus residet.

Vera Arist. & D. Thom. sententia testimonijs ex eisdem desumptis stabilitur.

§. II.

43. DIcendum tamen est sensibile immediatè positum supra sensum externum, non posse ab secundùm quod est immediatè eidem superpositum sentiri, ac proinde quëlibet sensum ad suam sensationem eliciendam requirere aliquid, quod sit medium inter ipsum, & obiectum sensibile. Ita Aristot. in hoc 2. l. c. vltim. vbi probauit sensus externos esse quinque, & non plures, quia si plures essent, deberent plura media, quàm quinque admitti, ex eo quod ad plures sensus, & plura organa consequuntur plura media: hoc autem non esset verum si sensus omnes ex natura sua non postularent aliquod medium.

Et cap. 8. textu 75. postquam dixit visibile positum supra sensum impedire visionem, statim in textu 75. addidit. *Eadem autem ratio est de sono, & de odore, nihil enim ipsorum tangens sensorium facit sensum, sed ab odore quidem, & sono media mouentur, ab hoc autem sensitiuorum vtrumque cum autem super ipsum sensitiuum aliquis apponit olens, aut sonans, neutrum sensum facit, de tactu autem, & gustu habet se similiter.*

Quæ verba sic explicat D. Thom. ibid. lect. 15. *Ostendit quod similiter se habet in alijs sensibus sicut in visu, & dicit quod eadem ratio est de sono, & odore, sicut & de colore, nullum enim eorum sentitur, si tangit organum sensus, sed ab odore & sono mouentur media, à medio autem vtrumque organorum, auditus scilicet, & olfactus, sed cum aliquis ponit corpus odorans, aut sonans super organum sensus non sentitur, & similiter est in tactu, & gustu.*

44. Idem etiam repetit idem Aristot. cap. 11. textu 116. his verbis. *Omnino autem caro videtur & lingua, sicut aqua & aër ad visum, & auditum, & olfactum se habent, sic se habere ad sensitiuum, sicut illorum vnumquodque. Ipso autem sensitiuo tacto, neque ibi, neque hic fiet vtique sensus, vt si quis ponat corpus album super oculi vltimum, quare & manifestum quod intus sit tangibilis sensitiuum, sic enim vtique accidit, quod quidem in alijs; apposita enim super sensorium non sentiunt, super autem carnem posita sentiunt, quare medium tactus est caro.*

Vbi D. Thom. lectione 23. *Dicit ergo primò quod ita videtur se habere caro, & lingua ad organum sensus tactus, sicut se habet aër & aqua ad organum visus, auditus, & olfactus. In nulla enim istorum sensuum potest fieri sensus, si tangatur organum, vt si quis ponat aliquod corpus album in superficie oculi non videtur. Vnde manifestum est, quod organum sensitiuum in sensu tactus sit intus: sic enim accidit in hoc sensu, sicut & in alijs. Non enim sentiunt animalia sensibilia apposita super organum sensus, sentiunt autem sensibilia posita super carnem. Quare manifestum est, quod caro non est organum sensus, sed medium.*

45. Vnde tam Aristotelem, quam Sanctum Doctorem

sem sequuntur vterque Caietan. Tiniensis, & Cardinalis. Nec non, & Ægidius in hoc 2. l. cap. de tactu landunus quæst. 2. Apollinaris quæst. 24. Iabellus quæst. 5. Ferrar. quæst. 19. Bañez 1. part. quæst. 78. art. 3. tractatu de potentiis sensitiuis in communi, dub. 6. & alij plures.

Veritas Aristotelica, & Thomistica, ratione suadetur.

§. III.

46. DEinde assertio ratione probatur, quam ex parte insinuat. D. Thom. 1. part. quæst. 14. de veritate quæst. 2. art. 1. opusc. 3. cap. 28. & 35. necnon & locis iam citatis, quæ potest sub hac forma proponi. Nam sensus non sunt in infimo immaterialitatis gradu: ergo neque accidentia intentionalia, seu species, quibus ad suas sensationes eliciendas vtuntur, infimum immaterialitatis gradum habebunt, sed eumdem cùm ipsis sensibus: at species immediatè deriuatæ ab obiecto sensibili, licèt sint immaterialiores, quàm obiectum, nihilominus non sunt ita immateriales, vt habeant debitam proportionem in immaterialitate cum sensu: ergo necesse erit dari aliquot medium inter obiectum sensibile, & potentiam, in quo producantur species minus materiales quàm obiectum, & à quo sub minori adhuc materialitate possit immitti alia species in potentiam, quæ eidem in ordine ad suam sensationem eliciendam proportionata sit.

Antecedens cum prima consequentia videtur certum. Nam sicut anima sensitiua magis dominatur materiæ, quàm vegetatiua, quippè quæ cato adeò ratione huius excessus in perfectione superet, vt propterea in ordinem cognoscitiuorum pertineat, ita etiam potentiæ ab ea deriuatæ debent esse immaterialiores illis potentiis, quæ ab anima vegetatiua oriuntur, ac proindè species quibus ad suas sensationes eliciendas vtuntur, non erunt accidentia habentia infimum immaterialitatis gradum, sed eundem cum prædictis potentiis: Siquidem inter potentiam, & eius com principium, scilicet species, debet quoad hoc proportio seruari, & ideò species deseruientes intellectui, qui inter potentias animæ est in supremo immaterialitatis gradu, petunt esse omninò spirituales, quia non aliter possunt esse commensuratæ respectu prædictæ potentia omnino spiritualis.

47. Minor autem statim subsumpta vnà cùm consequentia explicatur, & suadetur; quia licèt species paulatim deponat crassitudinem in medio (vt constat in his, quæ imbecillis aciei sunt, qui ideò nequeunt obiectum nimis distans videre; quia specie ab obiecto, (ita distanti immissæ, magis ac magis attenuantur per medium, ipsi autem ratione prædictæ imbecillitatis petunt speciem crassiorem, licèt non ita crassam, ac cùm primo exit ab obiecto) est admodum crassa, quia obiectum, non parum materialitatis habet, at quæuis potentia sensitiua est magis immaterialis, quia in immaterialitate excedit, tum formas naturales, quæ præcisè dant esse: tum etiam formas vitales, quæ solùm dant esse vegetatiuum, atque adeo ad minus habent duplicem, vt sic dicamus, immaterialitatis gradum: ergo prædicta species dum primo exit ab obiecto cum magna crassitudine inuoluta, non habebit tantam immaterialitatem, quantam potentia sensitiua; ac proinde egebit aliquo medio iuuante ad hoc vt crassitudinem illam deponat; ita vt iuxta maiorem, vel minorem immaterialitatem sensuum, sequiratur maius, vel minus medium in quo producantur species, & à quo sub minore immaterialitate ad sensum iterum immittantur, seu aliæ denuo producantur, sed hæc magis numeris sequentibus explicabuntur.

48. Plura tamen sunt, quæ contra rationem hanc militare videntur. Primum est, nam vel talis immaterialitas communicatur speciei ab obiecto præcisè vel à potentia in qua recipitur, vel tandem à medio per quod, vt sic dicamus, pertransit. Si primum; ergo poterit obiectum immediatè producere in sensu talem speciem cum debita immaterialitate. Si secundum, fiet inde, vt eo ipso quod in potentiam ab obiecto immittatur, siue talis immissio sit omnino immediata, siue cum aliquo medio, statim talis species accipiat eam immaterialitatem, quæ est illi necessaria ad hoc vt vna cum potentia ad sensationem concurrat. Si autem tertium dicatur: ergo si medium illud esset principale obiectum, & immittens talem speciem, posset omninò immediatè, & cum debita immaterialitate illam in sensu imprimere. Nam si autem, verbi gratia, medius vim habet ad tribuendam illam immaterialitatem speciebus aliorum obiectorum; cur propriis, quas ipse maximè perficere totis viribus conatur, hanc eandem à materia nuditatem non poterit communicare?

Adde, quod potest contingere obiectum nimis esse subtile, ac proindè, minus habens de materia, è contra verò medium esse crassius, & materialius, & consequenter prædictum medium non poterit conducere ad hoc, vt species immaterialior producatur.

49. Confirmatur. Causa naturalis perfectiori modo agit in propinquum, quàm in distans; ergo si obiectum non potest immediatè producere speciem sui habentem immaterialitatem iam dictam; multo minùs poterit illam mediatè producere; quia tunc prædictum obiectum ageret in subiectum remotius.

Secundum, quodque à Toleto vbi supra adducitur, est, quòd omnes species, quæ ab obiecto per medium, vsque ad potentiam diffunduntur, sunt eiusdem prorsus speciei, ac proinde eiusdem naturæ, ergo omnes erunt eiusdem immaterialitatis. Quarè, si ea, quæ immediatè ab obiecto deriuatur, inepta est ad concurrendum vna cum potentia, non minus cæteræ omnes ad ipsum habebunt.

Ad primam ex his obiectionibus respondetur, quòd tam ab obiecto, quàm à medio, oritur vt species illa sub maiori immaterialitate producatur; aliter tamen & aliter: nam ab obiecto procedit, vt à causa principali, à medio verò ad summum vt à causa instrumentali; ita tamen vt hæc duo habeant inter se necessariam connexionem in ordine ad hunc effectum. Quare, nec obiectum sine medio, nec medium sine obiecto: imò neque prædictum medium se solo cum rationem habet primi, & principalis obiecti, sed cum dependentia ab aliquo medio, poterit speciem proportionatam in ordine ad sensationem efficere; quia sicut quoduis obiectum sensuum est in se valdè materiale: ita prima species ab eo producta debet multum materialitatis habere, ratione cuius sit improportionata ad concurrendum simul cum potentia.

50. Cuius ratio est: Tum quia obiectum intendit quantum potest assimilare sibi passum, atque adeo dum fortiùs, id est in propinquum agit, intendit sub maiori qua potest materialitate producere prædictam speciem: Tum etiam, quia vt benè notauit Caietan. in hoc 2. l. ad text. 74. Ex naturali ordine transitus ex esse materiali ad esse quodammodo spirituale, habetur quòd forma sensibilis, quæ primò producitur ab obiecto materiali, per quamque prædictum obiectum transit ad ordinem intentionalem, & immaterialem,

non

non habeat omnem immaterialitatem; quam potest & debet intra ordinem intentionalem, & in ordine ad sensum ad quem immittitur, habere, sed quod gradatim ad illam iuxta naturam, & immaterialitatem sensus ascendat. Quomodo autem licèt obiectum habeat materialitatem iam dictam possit speciem minus materialem producere in lib. de Generat. id explicuimus.

Ad id verò quod in hac eadem obiectione additur, statim dicemus. Ad confirmationem patet ex dictis, maiorem illam immaterialitatem speciei non oriri, ex eo, quod obiectum agat fortiùs, cum illam sub prædicta immaterialitate producit, sed ex eo, quod remissius in eiusdem productione se habeat; nam sicut agentia naturalia effectum realem prout ab intentionali distinguitur, producentia debent in sua actione gradatim procedere, taliter quod effectus, quem producunt in passo magis distanti, sit remissior cæteris paribus, quàm ille, quem in passo minus distanti imprimunt: pari ratione agens intentionale, vt calor secundùm quod est obiectum sensibile eodem modo seipsum per medium intentionale diffundit; ita vt quo magis species, quam producit, est ab illo distans, eo magis tenuis, ac proindè subtilior sit,& consequenter minus crassitiei, & materialitatis habeat, quod non parum indicat experientia illa, quæ in fine huius rationis, quam discutimus, adducta est.

51. Nec refert si dixeris, quòd si in calore esset quid perfectius habere esse remissum, quàm intensum, non posset fieri, vt quo magis passum ab igne distaret, eo remissiùs calefieret; quia sicut causa efficiens perfectiùs agit in proximum, quàm in distans; sic effectus perfectior, & quidquid in eo est maioris perfectionis, non producitur in passis distantioribus, sed in proximioribus; at in speciebus est quid perfectius habere suum esse sub minori immaterialitate; & crassitie quàm eius oppositum, ergo species sensibiles non habebunt hoc præcisè per maiorem recessum ab obiecto à quo fiunt.

Non itaque hoc refert; nam etsi effectus ille, qui potius in perfectione, quàm in imperfectione consistit, non possit aliquid maioris perfectionis à sua causa participare, dum ab ea magis distans est: secùs verò effectus, qui potiùs in imperfectione, quàm in perfectione situs est, nam sicut quo magis à sua causa distat, eo minus de ea participat, & id quod participaturus erat, potiùs ignobilitatem, quàm nobilitatem tribueret, sic per hoc, quòd illud non participet sicut minùs de tali ignobilitate habet, ita manet secundùm quid nobilior.

52. Quapropter, cum hoc quod est calorem esse minus intensum potiùs perfectionem, quàm imperfectionem in eo eoentu innuetet, vt supponitur; non posset passum, quo magis ab igne distaret, eo minorem calorem recipere. Cæterum, primus effectus, qui procedit ab obiecto sensibili materiali, quatenus tali, petit necessariò ob rationes iam dictas esse nimis crassum. Quare effectus hic potius in imperfectione, quàm in perfectione secundùm hanc rationem consistit: & ideò, quo passum cui imprimendus est magis à sua causa distauerit; eo maiorem saltem secundùm quid perfectionem poterit suo modo acquirere, quatenus non ita exactè secundùm crassitiem, & imperfectionem se illi obiectum commonicat,sed magis tenuis,ac proindè subtilior,& immaterialior euadit. Corpora enim quo subtiliora sunt, eo minus materiæ habent.

Adde, quod licèt, quò magis effectus à sua causa distat, non posset ex vi influxus eiusdem causæ euadere aliquo modo perfectior; nihilominus aliunde ob peculiarem aliam rationem potest oppositum contingere; est autem veluti quædam peculiaris conditio, & ratio effectus materialis, quatenus in loco distanti à sua causa producitur, vt magis tenuis, ac proindè minus crassior ibidem euadat; sicut etiam concomitator effectuo materialem, vt in loco proximiore suæ causæ productum, quod ibidem non ita subtilis sit. Vnde calor remissior in passo distantiori productus debet ibidem esse magis tenuis, & minus crassus; & ideò non mirum quod species in passo distantiori productæ hanc habeant subtilitatem, ac proindè aliqualem perfectionis excessum, qui induidui tenuitatem hanc concomitatur.

53. Ad secundam obiectionem dicendùm est: non esse necessarium ad hoc vt vna species sensibilis sit subtilior alia repræsentante idem obiectum v.g.idem visibile, quod essentialiter inter se distinguantur: subtilior enim est terra dum sursum ascendit in ordine ad efformationem aliquorum mixtorum, quam dum est in suo loco naturali; & nihilominus probabile est, quod semper maneat sub specie terræ.

Ex quibus tandem ad id, quod in prima ex his obiectionibus additum est, respondetur; verum esse quod consideratis in se ipsis obiecto, & medio per quod diffunditur obiectum, potest contingere, vt obiectum sit subtilius, & immaterialius. Cæterum, hoc non obstante poterit conducere ad hoc vt ab eo in potentiam species minùs materialis immittatur; nam ad hoc sufficit vt principium agendi, nimirum species producta ab obiecto sit in eodem medio quid subtilius, quàm obiectum; & insuper quòd effectus ab illa productus sit distantior à præcipua causa, quia hoc ipso magis, & minus crassus euadere debet.

Satisfit argumentis primæ sententiæ.

§. IV.

54. Ad primum admitti potest suppositio ibidem facta, quamuis suam etiam difficultatem habeat. Cæterum licèt cibus in eo euentu immitteret secundùm eam partem, secundùm quam tangit organum, speciem sui ad illud; nihilominus per illam speciem, quippe improportionatam, & non ita deputatam à materia vt oportebat, nequiret gustari; & ita pars illa organi tantum deseruiret vt medium internum, ad hoc, vt secundùm aliam partem distantem; seu non contiguam cum cibo sentiretur; atque adeo semper verificabitur cibum illum non secundùm eam partem extensionis,quæ contingit neruum, vel eorum ramos in quibus gustatiua vis residet,sed secundùm aliam ab ea debitè distantem, & idem suo modo vicinam sentiri. Per quod etiam ad secundum de exhalationibus odoriferis satis constat.

Ad illud autem de auditu addendum est;quòd dum quis alij ad aurem loquitur, tunc regulariter loquendo, sonus ille non pertingit ad tangendum immediatè ipsum organum potentiæ audituæ, & similiter strepitus ille, qui clausis auribus sentitur, non excitatur in organo,sed in aliqua concauitate auris propè tympanum existente, quia natura ita tympanum circundedit, & vndique, modo infrà dicendo,clausit substantiam illam aëream, in qua auditiuam potentiam, modo ibidem explicato, collocauit,vt sonus,& strepitus ille nequeat organum contingere.

55. Ad tertium, quoad id quod tangit, nimirum carnem esse sensorium tactus, constabit ex his, quæ disput. 14. n. 71. dicemus. Quoad reliqua verò patet ex iam dictis; nam si sensorium tactus quodcumque illud sit, immediatè percutiatur, vel pungatur ferro,

aut immediatè calefiat, tunc non percipiet, suum sensibile secundùm eam partem extensionis, quæ ipsum proximè attingit, sed secundùm remotam, & aliquantulum distantem, nec hoc mirum videri debet, si ad testimonia Aristot. & D. Thom. & ad rationem pro assertione factam attendatur.

Sed insurgunt Conimbr. hoc citato fictitium videri quod saltem in gustu, & tactu non fiat sensatio illius saporis, & qualitatis tangibilis immediatæ, sed solum remotæ, seu illius quæ in altera parte eiusdem organi superponitur: nam si detur quod sensorium v. g. tactus vniformiter difformiter calefiat, id est, quod quæuis pars illius magis, vel minus, & non æqualiter cum alia parte recipiat calorem; tunc si nulla pars propriam, sed alterius offensionem sentit, sequitur tactum ibi sentire plus caloris vbi minus est, & è contra; siquidem vbi plus est, non sentit nisi calorem partis suo modo vicinæ: similitérque vbi est minus eiusdem caloris; hoc autem absurdum videtur: nam tactus non percipit calorem vt duo, nisi prius per illum alteretur. Quare, si pars aliqua non est calida vt duo, non poterit calorem vt duo partis vicinæ sentire.

56. Cæterum ad hoc ex dicendis, disp. 24. n. 55. satis constabit.

Ad vltimum patebit ex his, quæ disp. 10. num. 102. dicimus, dum explicuerimus, quomodo, & vndè fulgor ille diffundatur. Cæterum, prædictus fulgor solùm secundùm partes debitè distantes à pupilla videbitur; cuius signum est, quod si obiectum aliquod etiam lucidum sit, nimis oculo approximatum, tunc minus benè videtur, & quo indè plus versus oculum mouetur, eo imperfectiùs conspicitur. Quarè, si vsque ad contactum pupillæ, seu organi perueniret, euidens serè est, non posse videri, atque adeò visum saltem per se loquendo indigere non qualicumque medio, sed externo ad visionem, per quæ etiam ad id, quod ibidem additur, satis liquet.

QVÆSTIO IV.

Quomodo vehementis sensibile lædat, aut corrumpat sensum externum?

57. IN quæstionis titulo aliquid, vt certum supponimus, & aliquid in controuersiam vocamus: supponimus enim vehemens sensibile, sæpè lædere sensum, vt docet Arist. in hoc l. 2. text. 123. & omnes eius expositores, quod experientia ipsa suadet; nam si quis solem directè per aliquod tempus aspicere conetur, statim visus læditur, & aliquando deperdi solet, vt contigit, teste Galeno l. 10. de vsu partium, hominibus illis, qui ex obscurissimo carcere in splendidissimam domum calce illitam, & leuigatam à Dionysio Tyranno repentè educti, subito obcæcati sunt, quia non potuerunt repentinum illum splendidæ lucis occursum, sine adeo magno visus detrimento conspicere.

Vocamus autem in controuersiam, quonam modo læsio hæc fiat: nam cùm duplici modo excogitari possit, quòd vehemens sensibile lædat sensum, vel vt est agens naturale prout agens illud distinguitur ab intentionali, & per actionem naturalem operatur, vt dum calidum calefaciendo, lædit, & corrumpit aliquid, vel vt est agens intentionale, & medijs qualitatibus intentionalibus, sc. speciebus agit; & rursus hoc posteriori modo sumptum adhuc dupliciter, vel primò præcisè per species intentionales ita vt non desideretur ad hanc læsionem quod sensus medijs illis eliciat sensationem circa obiectum illud excellens: vel secundò per species intentionales simul cum sensatione mediis illis elicita; ideò meritò dubitamus, quonam ex prædictis modis vehemens sensibile lædat, aut corrumpat sensum. Cæterum, quia sensus ipse dupliciter posset lædi, aut corrumpi, vel per se, vel per accidens an corruptionem sui subiecti; ideò etiam in controuersiam vocamus secundùm quem ex his modis sensus possit à vehementi sensibili lædi, aut corrumpi.

Proponitur prior dicendi modus.

§. I.

58. PRima sententia asserit vehemens sensibile solum, vt agens naturale causare læsionem, aut corruptionem in sensu, quatenus nimirum vnà cum specie intentionali immittit aliquas naturales qualitates in organum, seu subiectum illius, ratione quarum alterat, vel etiam omninò destruit naturalem eius dispositionem; ac proindè sensum, non per se, sed per accidens, ad læsionem sui subiecti lædi, aut corrumpi. Ita Rubio in hoc 2. l. c. 12. quæst. vnica, & alij ex recentioribus.

Et in primis quoad priorem illius partem, scilicet vehemens sensibile solùm vt agens naturale causare prædictam læsionem, aut corruptionem in sensu probatur, quia eatenus obiectum sensibile sub ratione talis posset lædere, aut corrumpere organum, quatenus intensiorem & vehementiorem speciem in eis produceret, quàm sit illa, quæ ab eisdem recipi connaturaliter potest, sed hoc non; ergo præcisè lædit, quatenus est agens naturale. Consequentia ex se patet. Maior verò videtur certa, quia obiectum sensibile vt tale, non nisi immittendo species operatur. Vndè, solùm potest lædere, aut corrumpere, quatenus immittit species vehementiores, quam sint illæ, quæ in sensu, ac proinde organo recipi possunt.

Minor autem probatur, quia species intentionalis quantumuis sit intensa, habet esse diminutum, & longè imperfectiùs esse naturali, ergo non potest producere effectum naturalem in organo, quia res inferioris ordinis non potest producere effectum ordinis superioris; ergo nec temperiem eius corrumpere aut lædere. Patet hæc vltima consequentia, quia temperies organi non læditur, aut destruitur nisi per alterationem & qualitatem naturalem illi impressam, quandoquidem non constat qualitatibus intentionalibus, sed naturalibus ad mediocritatem redactis, cum quibus nullam oppositionem habent qualitates intentionales; benè tamen naturales.

59. Confirmatur primò. Nullum agens quod agit actione suo modo spirituali corrumpit; quia talis alteratio non est corruptiua sed perfectiua, vt expressè dixit Aristoteles in hoc secundo lib. c. 5. text. 58. at obiectum, vt est agens intentionale, agit in organum sensus, & in sensum ipsum per actionem quodammodo spiritualem: ergo non potest secundùm istam rationem corrumpere, aut lædere illa.

Confirmatur secundò. Quæuis cognitio est perfectio potentiæ, & quo intensior, vel perfectior est, eo magis eam perficit: at species nihil aliud habent, quàm esse principium prædictæ cognitionis, vnà cum potentia cognoscitiua; & quo talis species est perfectior; eo habet esse principium perfectioris cognitionis; ergo repugnat eam, etiam si intensissima sit, destruere, aut sensum.

60. Secundò. Quilibet sensus respicit connaturaliter totam latitudinem sui obiecti, vt id à quo est immutandus; ergo, & quacumque excellentiam

eiusdem obiecti; ergo ab illa, etiam per accidens ad corruptionem sui subiecti, non corrumpetur. Vtraque consequentia patet: Prima quidem, quoniam excellentia obiecti continetur intra latitudinem obiecti, vt excellentia soni intra latitudinem soni. Secunda verò, quia nullum subiectum corrumpitur aduentu eorum, quæ connaturaliter respicit, quorumque est connaturaliter receptiuum; aliàs inclinaretur naturaliter in suum destructiuum; ergo si sensus, & organum eius connaturaliter respicit, connaturaliterque est receptiuus quarumcumque specierum totius latitudinis sui obiecti, non poterit per receptionem illam, aut per sensationem eis correspondentem lædi, aut corrumpi.

Antecedens verò probatur, quia aliàs essent duo sensus respectu latitudinis totius obiecti: alter respectu certæ, & commensuratæ latitudinis; & alter respectu excellentis, quod tamen est apertè falsum, vt constat: Tum inductione facta in accidentibus, quæ recipiuntur secundùm esse naturale, in quibus vnum, & idem subiectum v. g. ignis est receptiuum totius latitudinis coloris, ac proindè hoc idem in intentionalibus dicendum erit: Tum etiam ex his, quæ in intellectu experimur: qui etsi potentia cognoscitiua sit, nihilominus potest vnus, & idem prorsus manens modò in res minùs nobiles modò in res maximæ nobilitatis tendere.

61. Imò ex hoc non exiguum pro hac sententia sumitur argumentum, quandoquidem intellectus eo maiorem capit voluptatem, quo res in quatum contemplatione versatur, sunt nobiliores; iodeque non solùm non læditur, sed ad alia cognoscenda acutior & expeditior manet. Idem ergo de cæteris potentiis dicendum erit.

Quoad vltimam verò partem, scilicet, quòd sensus ipse per se non lædatur à vehementi sensibili, etiam vt agit per modum agentis naturalis, sed solùm per accidens, probatur: Tum ex verbis Arist. loco citato qui non dixit à vehementi sensibili corrumpi potentiam sensitiuam, sed sensorium, seu subiectum illius; ac proindè sensus ipse solùm per accidens lædetur: Tum etiam quia nullum accidens læditur per se, nisi à suo contrario: at potentia vitalis, qualis est quiuis sensus, nullum habet contrarium; non igitur poterit per se, sed per accidens ad læsionem sui subiecti lædi.

Ex mente Arist. & D. Thom. quæstionis nodus dissoluitur.

§. II.

62. Dicendum tamen est, vehemens sensibile; non solùm vt agens naturale, sed etiam vt est agens intentionale, & vt præcisè immittit species: posse lædere, aut corrumpere sensum. Assertionem hanc, quoad primam eius partem, scilicet vehemens sensibile, vt est agens naturale, posse lædere, aut corrumpere sensum, tuentur Aristot. & D. Thom. locis statim referendis, & vniuersi Philosophi, satisque constat: Tum ex se, Tum etiam ex dictis initio huius quæstionis. Quoad secundam verò, scilicet, quòd etiam vt agens intentionale, & vt præcisè immittit species possit læsionem, aut corruptionem prædictam causare, tenent etiam eam idem Philosophus, & Angelicus Doctor, vt iam diximus, quos sectantur Caietan. 2. lib. de Anima ad text. 123. & 143. Ferrara eodem lib. qu. 21. Aquarius ibidem. Tolet. 3. lib. huius operis qu. 4. conclus. 2. Bañez 1. p. q. 78. art. 3. tract. de potentiis sensitiuis in communi dub. 5. & alij plures.

Rationem autem fundamentalem huius secundæ

partis adduxit Arist. in hoc 2. lib. c. 12. text. 123. his verbis: *Manifestum est autem ex his; & propter quid sensibilium excellentiæ corrumpunt sensoria, si námque sit fortior sensorio motus, soluitur ratio, hoc autem erat sensus, sicut & symphonia, & tonus percussis fortiter chordis.*

63. Quam rationem his verbis format, & explicat D. Thom. ibidem lect. vltima. *Dicit quod manifestum est ex prædictis propter quid excellentia sensibilium corrumpat organa sensuum: Oportet enim in organis sentiendi ad hoc quod sentiatur esse quandam rationem, id est proportionem vt dictum est. Si ergo motus sensibilis fuerit fortior quam organum natum sic pati, soluitur proportio; & corrumpitur sensus, qui consistit in quadam proportione organi, vt dictum est, & est simile, sicut cum aliquis fortiter percutit chordas, soluitur symphonia, & tonus instrumenti, qui in quadam proportione consistit.*

Confirmauit, & explicauit magis rationem hanc idem Arist. 3. de Anima, text. 143. his verbis: *Si autem symphonia vox quædam est; vox autem, & auditus est sicut vnum, & est sicut non vnum aut idem: proportio autem est symphonia, necesse est, & auditum rationē quandā esse. Et propter id corrumpit vnamquodque excellens; acutum, & graue auditum, & in saporibus gustum, & in coloribus visum fortiter fulgidum, & opacum, & in olfactu fortis ordor, & dulcis, & amarus, tanquam ratio quadam sit sensus.*

64. Vbi D. Thom. lect. 2. *Demonstrat, quare, quædam sensibilia corrumpant sensum, & dicit quòd cùm symphonia, id est vox consonans, & proportionata sit vox quædam, & vox quodammodo sit idem quod auditus, & symphonia sit quædam proportio; necesse est, quòd auditus sit quædam proportio, & quia qualibet proportio corrumpitur, per superabundantiam, ideò excellens sensibile corrumpit sensum sicut quod est excellenter graue, & acutum corrumpit auditum, & excellens saporosum corrumpit gustum; & fortiter fulgidum, vel obscurum corrumpit visum, & fortis odor corrumpit olfactum, quasi sensus sit quadam proportio.*

Quæ omnia magis confirmata, & elucidata manebūt, si ratio prædicta sub hac forma proponatur, & explicetur: nam facta collatione inter sensum, & obiectum sensibile, vt est agens intentionale; tunc sensus per se, & ab intrinseco habet esse connaturaliter commensuratum, & proportionatum cum illo, quatenus est, vt loquuntur Aristot. & D. Thom. *Symphonia quædam*, scō quatenus est in quadam mediocritate, & (vt sic dicamus) redactus ad aliquam temperiem, non verò eum eodem secundùm excellentias, seu quatenus est vehemens, & excedens sensibile; ergo quoties per species intentionales immutatur ab eodem sensibili secundùm mediocritatem, tunc talis immutatio est iuxta eius naturam, è contra verò quando immutatur ab illo, secundùm excellentias erit prædicta immutatio contra naturam eiusdem sensus: ergo præcisè per talem immutationem poterit nam sensus, quàm organum illius per se lædi, aut corrumpi, ab eodem obiecto sensibili.

65. Antecedens probatur; nam experimur, quod ex perceptione obiecti sensibilis secundùm sua extrema, seu secundùm excellentias subsequitur in nobis molestia, sicut etiam subsequitur delectatio ex perceptione illius secundùm mediocritatem; ergo signum est, quòd illud obiectum non est connaturale potentiæ secundùm sua extrema, sed solùm secundùm mediocritatem: quandoquidem delectatio consequitur ad opus connaturale, & quod circa obiectum connaturale versatur, sicut molestia ad opus, quod non sit connaturale, sed disconueniens naturæ operātis, ac proindè hoc etiam indicabit sensum non esse ab intrinseco cōnaturaliter proportionatum

dicitur esse sensibile per accidens, vt in solutione ad primam obiectionem eaplicuimus.

Quare sensibile per accidens, non est necesse, vt distinctè cognoscatur ab eo sensu, quo per accidens sentiri dicatur, sed satis erit, vt saltem ad intellectu sentientis oon ita confoxè, sed aliquo modo distinctè attingat, ita tamen, vt ad hoc non indigeat speciali indagioe, vt notaoit D. Th. loco citato. Vbi postqoam adduxit conditionea à nobis petitas ad rationem seosibilis per accidens, addidit: *Quòd ergo sensu, proprio* (intellige modo dicto) *non cognoscitur, apprehenditur intellectu, non tamen omne quod intellectu apprehendi potest, in re sensitiua poterit esse sensibile per accidens, sed statim qui ad occursum rei sensatá apprehenditur intellectu, sicut statim cum video aliquem loquentem, vel mouere seipsum, apprehendo per intellectum vitam eius, vnde possum dicere, quod video eum viuere.*

18 Ad quartum respondetur ex D. Thoma, verba illa Arist. esse per distributionem accomodam intelligenda, Vnde idem Sanctus Doctor explicans priora verba in obiectione relata, sic inquit: *Exponit quòd communia sensibilia sunt ista quinque, motus, quies, numerus, figura, & magnitudo, hæc enim nullius sensus vnius sunt propria, sed sunt communia omnibus, quod non est sic intelligendum, quasi omnia ista sint omnibus communia, sed quædam horum, scilicet numerus motus, quies sunt communia sed quædam horum, scilicet numerus motus, quies, sunt communia omnibus sensibus, tactus verò, & visus percipiunt omnia quinque.*

Ad vltimam negandum est antecœna, & ad primam probationem dicendum est, solùm probare motum non posse cognosci in actu signato à seosu externo, cognoscendo oimirum in quo eius essentia sita sit, & conferendo partem præteritam cum futura, aut simul omnes illas attingendo, quia hoc solùm potest competere potentiis superioribus, non tamen in acto exercito, & per visionem coexistentem eidem motui, ita quidem, vt in actu exercito cognoscat partes præteritas, & futoras co ordine quæ prætereunt, & habent rationem futuræ, seu secundùm quod soot immediatè præteritæ, & futuræ. Vnde, quia secundùm istam rationem verè in ratione partis præteritæ, & futuræ existunt actu per existentiam instantis vtramque nectentis, ideò ex hoc quod sensus exterior solùm percipiat id, quod est præsens, non benè colligitur non posse percipere partem præteritam, & futuram motus.

Ad secundam verò probationem dicendum est numerum adhuc formaliter sumptum dupliciter posse cognosci, vel replicando numerum maiorem supra minorem, & sic per incrementa nomeralem seriem vt talis est, amplificando, qui modus cognoscendi solis hominibua competit, vel percipiendo plura discreta, quæ numerum constituunt, vt duos, aut tres lapides, & hoc pacto numerus externis, tam homioum quàm brutorum sensibus dignoscitur.

QVÆSTIO II.

Vtrum sensibile commune imprimat in sensu aliquam speciem omninò condistinctam ab specie sensibilis proprij.

19. EXactior cognitio sensibilis proprij, & communis, nec noo, & sensibilis per accidens valdè ex eis, quæ in hac dicenda sont, pendet: nam quæ in præcedeoti obiter circa modum, quo sensibilia propria, & communia immutant sensum, & quomodo hæc immutatio sit sensibilibus per accidens deneganda, tacta sunt, in præsenti ampliùs examinantur, & ideò post illam meritò hanc statim excitamus. In ea autem aliquid, vt certum supponimus, & de aliquo dubitamus. Supponimus eoim ex dictis quæstione præcedenti, quòd sensibile commune habeat aliquo modo per se immutare sēsum: dubitamus autem, an hoc illi conueniat, ex eo quod producat in eo speciem omninò condistioctam ab specie sensibilis proprij, ita vt se habeant, vt species, & species intentionales condistinctæ, an verò aliquo alio modo ad prædictam immutationem concurrat.

Opinio affirmatiua.

§. I.

20. PRima seotentia asserit, sensibile commune imprimere propriam speciem in seosu, omninò condistinctam ab specie sensibilis proprij. Ita Scotus in 4. dist. 12. q. 3. Ægidius cap. 6. huius 2. lib. Iandunus quæst. 18. Gandaueosis q. 17, & alij, & videtur esse D. Thom. 1. part. quæst. 17. art. 2. vbi ioquit, quòd in sensu est similitudo figuræ, magnitudinis, & aliorum sensibilium communium.

Probatur primò: nam species coloris, quòd est sensibile proprium visus, noo repræsentat, nisi tantummodo colorem, ergo ad hoc vt visus percipiat motum, figuram, & alia sensibila communia, indiget propria specie illorum omnino condistincta ab specie coloris. Patet consequentia, quia repugnat, sensum aut quamuis aliam potentiam cognoicitiuam percipere aliquid, siue specie illud repræseotante, vt 3. lib huius operis fusè osteudemus.

Antecedens autem probatur, quooiam species coloris solùm repræsentat id, àquo immittitur, quia est semen illius, & eius vice generens: at non immittitur à motu, vel figura, & ita variata figura, aut quiescente colorato, species illa est eiusdem rationis: ergo, &c.

21 Confirmatur primò, quia magnitudo, v. g. in esse rei est quid valdè diuersum à calore, diuersumque prædicamentum constituit, quamuis simul, in eodem subiecto reperiantur: ergo etiam io esse inteotionali comparabuntur per modum duorum agentium valdè diuersorum, atqoe adeo quodlibet imprimet speciem eodem modo distinctam in sensum Hæc vltima consequeotia patet ex priori, quoniam agentia intentionalia valdè diuersa, oon possunt oon species sui, valdè etiam diuersas immittere. Prima verò consequentia ex antecedenti patet, nam in his quæ habent vim inteotionaliter immutandi, debet hæc vis fundari in esse naturali, & entitatiuo eorundem, & ad illud sequi, qoia esse intentionale fundatur io esse entitatiuo, & naturali: ergo ea quæ in esse rei, seu in esse eotitatiuo sunt valdè diuersa vt magnitudo, & color, debent etiam in esse ageotium inteutionalium esse valdè diuersa.

Confirmatur secundo, nam vt disp. 18. quæst. 3. ostendemus, species iotentionales, & obiectum, sunt eiusdem prorsus naturæ in esse intentionali: ergo si obiectum natura est duplex, & omninò condistincta, vt io quantitate, & colore ceroitur: duplex etiam species erit pro illis assignanda.

22 Secundò, nam aliquando contingit, vt sensibile commune percipiatur à sensu abique sensibili proprio: ergo sensibile commune imprimet tunc speciem sui omninò condistinctam ab specie sensibilis proprij: ergo & semper illam imprimet. Hæc vltima conseqoentia constat, nam cùm sensibile commune sit semper eiusdem rationis, & habeat euodem immutandi modum, fiet indè, vt vel semper, vel ounquam imprimat speciem sui omninò condistin-

ctam

ctam ab specie sensibilis proprij. Prima verò etiam patet, nam cùm in eo euentu non detur ibidem species sensibilis proprij, per quam possit sentire sensibile commune, oportet ad hoc quod tale sensibile cognoscatur, quòd imprimat speciem sui omninò condistinctum ab specie sensibilis proprij.

23. Antecedens autem probatur: tum quia si quis esset propè cœlum, & manu tangeret illud, præciperet magnitudinem, & figuram, & ita si conaretur vltra progredi, sentiret se impediri à cœlo, & eius quantitate, ac proindè prædictam quantitatem sentiret: at tunc non perciperet in cœlo proprium sensibile tactus, scilicet quatuor primas qualitates, & alias secundas indè resultantes, cùm cœlum prædictis qualitatibus careat: ergo, &c. tum etiam, quia si detur aliquod corpus, quòd in intentione qualitatum sensibilium, & tangibilium adæquaret similes qualitates existentes in manu, tunc illæ qualitates non possent immutare tactum, vt ex infra dicendis constabit, & nihilominùs possent, per tactum percipi magnitudo, & motus illius: tum denique, quia multoties per potentiam visiuam percipitur magnitudo alicuius corporis longè distantis, non tamen eius calor & similiter, si ante alicuius oculos clausos apponatur aliquod corpus opacum, tunc percipitur à visu esse ibidem tale corpus, quamuis eius color non percipiatur.

Tertiò, nam si dum quis videt album, tunc album illud diuersificetur in sola figura, poterit percipi à vidente talis diuersitas: ergo signum est quòd illud album immittit ratione nouæ figuræ propriam, & nouam speciem repræsentantem illam, ac proindè figura producet speciem sui omninò condistinctam ab specie illius albi, vt talis. Hæc vltima consequentia satis patet, quandoquidem species illa de nouo aduenit, potestque perire non pereunte specie albi. Prima verò consequentia etiam constat, quia nouum obiectum, quòd antea non sentiebatur, nequit percipi sine noua specie.

Ex mente D. Thomæ quæst. deciditur.

§. II.

24. Dicendum tamen est, sensibilia communia non imprimere in sensu speciem omninò condistinctam, tanquam speciem, & speciem intentionalem ab specie sensibilis proprij, sed solùm modificare speciem proprij sensibilis. Ita D. Thom. 1. part. quæst. 78. art. 3. ad secundùm, vbi ait: *Sensibilia communia non mouent sensum primò, & per se, sed ratione sensibilis qualitatis, vt superficies ratione coloris, nec tamen sunt sensibilia per accidens, quia aliquam diuersitatem faciunt in immutatione sensus, alio enim modo immutatur sensus à magna superficie, & à parua.* Et in hoc 2. lib. 13. his verbis: *Differentiam autem, circa immutationem sensus potest aliquid facere dupliciter; vno modo, quantum ad ipsam speciem agentem, & sic faciunt differentiam circa immutationem sensus sensibilia per se, secundùm quòd hoc est color, illud autem est sonus, hoc autem est album illud verò nigrum: quædam verò alia faciunt differentiam in transmutatione sensuum, non quantum ad speciem agentis sed quantum ad modum actionis, qualitates enim sensibiles mouent sensum corporaliter, & situaliter. Vnde aliter mouent secundùm quod sunt in maiori, vel minori corpore, & secundùm quod sunt in diuerso situ, scilicet, vel propinquo, vel remoto, vel eodem, vel diuerso, & hoc modo faciunt, circa immutationem sensuum differentiam, sensibilia communia.* Idem tenent Philoponus, Paulus Venetus, Caietan. Tiniensis cap. 11. huius 2. lib. Ferrara cap. 6. Conimbr. ibidem Rubio tract. de obiectis, atque speciebus sensibilibus quæst. 11. Bañes 1. part. quæst. 78. art. 3. Suarez 2. tomo summæ Theologiæ tract. 3. de Anima lib. 3. cap. 8. num. 5. & Doctor Matthæus Fernandez libro de facultat. naturalibus, tract. 2. quæst. 7. de dolore.

25. Rationem autem fundamentalem huius assertionis quoad primam eius partem innuit Doctor Angelicus lect. 13. iam citata, quæ potest ad hanc formam reduci, nam sensibilia propria distinguuntur intra lineam sensibilis, à sensibilibus communibus, sed sensibilia propria hoc ipso quod talia, habent immutare sensum, per propriam speciem omninò condistinctam ab alia specie alterius sensibilis proprij: ergo sensibilia communia non poterunt immutare sensum, per speciem omninò condistinctam ab specie sensibilis proprij.

Maior ex se patet: tum quia sensibilia propria ab intrinseco petunt, quòd percipiantur ab vnico tantùm sensu externo, vt quæstione præcedente diximus; sensibilia verò communia exigunt sentiri à pluribus ex illis: tum etiam, quia sensibilia propria specificant, & distinguunt sensus externos inter se, secùs verò sensibilia communia, quippè quæ sunt pluribus sensibus communia.

26. Minor autem etiam constat: tum quia sicut intellectus non immutatur per propriam speciem omninò condistinctam, nisi à proprio obiecto per quod specificatur, vel quod participat rationem obiecti specificantis eundem intellectum: ita sensus externus, non erit immutabilis, per propriam speciem omnino condistinctam, nisi tantùm à sensibili proprio, à quo solùm specificatur: tum etiam, quia cùm sensus sint etiam potentiæ passiuæ vitales, distinguuntur penes diuersos immutandi modos, per proprias species quas recipiunt: ergo sicut solùm sensibilia propria specificant, & distinguunt sensus, ita etiam sola illa poterunt per proprias species omninò condistinctas immutare illos: tum denique, quia id, quod per propriam speciem omninò condistinctam attingitur à sensu, potest per se primò ab eodem attingi, sicut species illa potest per se primò sensibile repræsentare: ergo cum sensibilibus propriis tantummodo conueniat, vt per se primò attingantur à sensibus, etiam solis illis conueniet, quòd immutent sensum per propriam speciem omnino condistinctam.

Confirmatur, & explicatur ex eodem S. Doctore, nam sensibile commune nequit efficere propriam sui speciem omnino condistinctam, quæ sit eiusdem rationis in omnibus sensibus, neque etiam potest immittere prædictam speciem, quæ sit diuersæ rationis in illis: ergo nequibit vllo modo talem speciem immittere. Consequentia patet. Antecedens autem quoad primam partem probatur, nam diuersi sensus nequeunt actuari, per species eiusdem rationis, ex eo quod natura vniuscuiusque sensus, & eius temperamentum, quantitas, & figura commensuratur suo proprio sensibili, & speciebus ab illo immissis, & ita diuersi sensus non poterunt actuari per species eiusdem rationis.

27. Quoad secundam verò partem idem antecedens suadetur, quia idem sensibile non potest producere species diuersarum rationum omninò condistinctas à sensibilibus propriis, cùm semper sit idem agens, idemque sensibile, ac proinde debeat species eiusdem rationis efficere.

Ad hanc rationem, & eius confirmationem respondere potest ex Ianduno 2. de Anima, quæstione 18. Ægidio text. 65. dub. 2. quod tam sensibile proprium, quam commune habent secundùm suas peculiares rationes immutare sensus, per proprias species om-

ninò condistinctas, quamuis aliter, & aliter: nam sensibile proprium, visus verbi gratia, immutat hoc modo visum, quatenus visus est, sensibile verò commune immutat eundem in quantum sensus est, alioqui si immutaret illum præcisè quia habet rationem visus, non posset immutare auditum, & ita licèt intra lineam sensibilis distinguantur, potest quodlibet eorum immutare sensum per prædictam speciem, & sensibile commune immutare sensus externos, per species eiusdem rationis, siquidem omnes illi in vnica, & eadem ratione sensus conueniunt.

Cæterùm, hæc solutio facile & breuiter impugnari potest, ex eo, quod sensus externus, vt visus, percipit sensibile commune quatenus visus est: tum quia non percipit illud, nisi videndo, sicut neque auditus, aut odoratus non sentiunt ipsum, nisi audiendo, vel olfaciendo: tum etiam, quia aliàs quiuis sensus externus perciperet omnia sensibilia communia, cùm quiuis eodem modo participet rationem sensus, vt sic, ratione cuius iuxta hanc solutionem dicitur esse capax immutationis ab illis, cuius tamen oppositum experimur: tum denique, quia aliàs sensus externus, per prius attingeret sensibilia communia, quàm propria, siquidem attingeret illa ob rationem generalem sensus; hoc tamen esse falsum constat ex supra dictis, quandoquidem sensibile commune tantum sentitur per se secundò, atque adeò per priùs debet sensibile proprium sentiri. Ad illud autem quod in hac solutione dicitur, scilicet quod si sensibile commune immutaret visum, quia visus est, non verò, quia sensus, non posset immutare auditum: sicut quia sensibilia propria, vt color immutant visum, quia visus, ideò nequeunt immutare auditum vt talem, vel secundùm rationem sensus, constabit ex his quæ num. 33. diximus.

28. Secunda verò pars eiusdem assertionis, nimirum quòd licet sensibile commune non imprimat sensui propriam speciem omninò condistinctam ab specie sensibilis proprij, habeat tamen modificare illam, apertè sequitur ex dictis: nam sensibile commune debet aliquo modo per se immutare sensum, ex eo quod habeat rationem sensibilis per se, atque adeò immutatiuè, per se eiusdem sensus, vt quæst. præced. num. 2. & 3. asseruimus: at nequit immutare sensum ex eo quod producat speciem omnino condistinctam ab specie sensibilis proprij, vt nuper dicebamus: ergo per hoc quod modificet illam. Patet consequentia, quoniam vt intuenti constabit, non apparet alius modus quo sit immutatiuum sensus, nisi vel per hoc, quòd producat prædictam speciem, vel modificet eam, quæ à sensibili proprio immittitur.

Deinde eadem pars, imò etiam prima probatur ratione, quam insinuat S. Doctor loco citato, quia nulla potentia potest ferri in obiectum omnino distinctum à suo obiecto adæquato, sed obiectum adæquatum cuiusuis potentiæ sensitiuæ externæ, est sensibile proprium illius, quippe quod est specificatiuum, & distinctiuum eiusdem: ergo non poterit talis potentia ferri in aliud omnino condistinctum, & ab illo immutari, sed solùm poterit immutari ab illo, tanquam à modificante, & determinante tale obiectum, atque adeò non per speciem omnino condistinctam, sed tanquam per aliquid quod modificet speciem sensibilis proprij, & sit aliquid illius.

29. Confirmatur ratione eiusdem S. Doct. ex discrimine, quod intercedit inter speciem intelligibilem, quæ fit per abstractionem à phantasmatibus, & inter speciem visibilem. Nam cum prædicta species intelligibilis recipiatur à potentia purè spirituali, & ratio causandi illam ex parte obiecti sit natura specifica, ideo talis species potest eandem naturam, cùm præcisione sumptam, & non inuolutam, cum singularitate, & conditionibus materialibus illam concomitantibus repræsentare.

Cæterùm species sensibilis repræsentans propria sensibilia debet ex eo quod recipitur in subiecto materiali, & ab obiecto materiali, & singulari, vt tali immittitur, repræsentare illud materialiter, & particulariter, inuolutéque cum conditionibus materialibus quantitatis motus, aut quietis, aut aliorum sensibilium commmunium, quibus sensibilia propria variantur, & ita debet immitti cum peculiari modificatione ad hoc, vt eademmet species, & non alia posset repræsentare sensibilia propria inuoluta, ac modificata per sensibilia communia.

Obiectiones contra dicta, & enodatio earum.

§. III.

30. Sed obiicies primò, quòd si in specie sensibilis proprij datur aliquis modus, ratione cuius sensibile commune cognoscatur, non poterit non per illud per se primò cognosci, hoc autem est contra naturam prædicti sensibilis cõmunis, vt ex dictis constat: ergo, &c. Sequela patet, quia talis modus per se primò illud repræsentaret, siquidem non ob aliud à natura institutus est, nisi ad prædictum sensibile repræsentandum: ergo sicut cognosceretur, per se primò à sensu, si imprimeret propriam speciem omninò condistinctam ab specie sensibilis proprij, ex eo quod species ista, per se primò illud repræsentaret, ita quia ratione prædictæ modificationis repræsentatur per se primò totale sensibile: fiet inde, vt per se primò cognoscatur.

Secundò obiicies, quòd si semel nequit dari species sensibilis communis omninò condistincta ab specie sensibilis proprij, ex eo, quod illa species, nec posset esse eiusdem, nec diuersæ rationis in omnibus sensibus, ita propter eandem rationem, non poterit dari aliqua modificatio in specie sensibilis proprij facta à sensibili communi, verbi gratia à quantitate, quæ sit eiusdem aut diuersæ rationis in cunctis illis: ergo impossibilis erit talis modificatio. Consequentia ex se constat. Antecedens autem ex dictis num. 26. liquet. Nam cum quantitas, verbi gratia semper sit eiusdem rationis, non potest imprimere in speciebus diuersorum sensibilium propriorum modificationes diuersarum rationum, & cùm natura vniuscuiusque sensus, & eius temperamentum non solùm sint commensurata secundùm propria illorum cùm sensibilibus propriis, & eorum speciebus, sed etiam cum modis, quibus tales species modificandæ sunt, fit inde, vt sicut propter hanc commensurationem, non possunt diuersi sensus, vt tales actuari, per se species eiusdem rationis, ita nec per modos, & modificationes, quæ eiusdem rationis sint.

31. Tertiò obiicies, numerum, qui est vnus ex quinque sensibilibus communibus, non posse modificare speciem sensibilis proprij, nam ex eo, quod duo alba videantur, non habet species vnius aliquid, quod non haberet, si vnicum tantum album videretur, siquidem vnaquæque ex illis speciebus, ita repræsentat vnicum album, ac si non esset ibi aliud: ergo, &c.

Quartò obiicies, quod si semel species sensibilis proprij, debet necessariò modificari ad sensibilia communia repræsentanda, ex eo, quod ratione suæ materialitatis debet repræsentare suum obiectum, vt est hic, & nunc, & cùm conditionibus materialibus, atque adeò vt inuolutum, cùm sensibilibus communibus, fiet inde, vt eadem ratione sit illi addenda

peculiaris

peculiaris modificatio, ratione cuius peculiariter etiam repræsentet substantiam, & ab ea per se immutetur: hoc autem est apertè falsum, & contra dicta: ergo,&c. Sequela patet, quia sensibilia propria, vt hic, & nunc, non minus, imò magis concernunt substantiam, quàm quantitatem, & reliqua sensibilia communia, siquidem substantia est prima radix omnium quæ prædicta sensibilia habent: quantitas verò solùm est subiectum *quo* eorundem; motus verò, & alia sensibilia communia ad summum debent esse affectiones illorum.

32. Ad primam respondetur negando sequelam, & ad probationem esse disparem rationem, nam cùm modus essentialiter præsupponat rem modificatam, fier inde, vt repræsentatio modalis speciei ab intrinseco habeat esse repræsentationem secundariam, atque adeò subordinari repræsentationi speciei, quam modificat, tanquam repræsentationi primariæ: at si ibi daretur species omnino condistincta, per quam sensibilia communia repræsentarentur,non posset illa repræsentatio esse secundaria essentialiter,quia vt ex dictis constat, ea quæ per se, & per speciem omninò condistinctam immutant sensum, sicut debet participare rationem propriam obiecti specificatiui illius,ita petunt repræsentari per speciem per se primò terminatam ad illa.

Ad secundam negandum est antecedens, & ad probationem esse disparem rationem, nam hoc ipso quòd sensibilia communia non immutent sensus, nisi quatenus modificant sensibilia propria, poterunt quamuis inter se differant specie, immutare eundem sensum quia hoc ipso quod sint modi, vt tales concurrant, sequuntur naturam, & modum immutandi sensibilis proprij in ordine ad quod sunt coaptata, & disposita organa sensuum, & propter eandem rationem, idem sensibile commune poterit immutare distinctos sensus, quia hoc ipso, quod immutet tanquàm modus, ac proinde, vt sequens naturam, & modum immutandi sensibilis proprij est multiplex in virtute quatenus modificat distincta sensibilia propria, & ita quia solùm producit species, vt modificans illa in ordine ad suam immutationem, ideò potest producere modificationes, quæ sint distinctæ rationis, quæ tamen duo dici non possent si sensibile commune produceret species omninò condistinctas ab speciebus sensibilium propriorum,vt intuenti constabit.

33. Ea quo etiam satis liquet ad id quod num.27. in hunc locum remisimus, scilicet sensibilia communia immutare visum quatenus visum, & nihilominus immutare, etiam auditum quatenus auditum, non obstante quod color, verbi gratia ex eo nequeat immutare auditum, quia immutet visum, quatenus visum & ratio disparitatis est illa, quam modo adduximus,scilicet sensibile commune, & quantitas non immutare visum, nisi vt modificans sensibile proprium illius, & sequens eius naturam, ac proinde posse esse in ratione agentis modalis multiplex in virtute, & ita posse immutare visum, vt visum, quia secundùm quod est immutatiuum illius, nequit immutare alium seorsum.

Cæterum, sensibilia propria, quia non immutant, vt modi aliorum sensibilium, quorum naturam sequantur, quibusque attemperentur, ideò secundùm suam naturam, & non attemperata alhis immutant, & quia eorum natura est vnica, ideò habent rationem vnius, & eiusdem principij immutatiui, & ita hoc ipso, quod immutent vnum sensum, quatenus talem,& specie distinctum ab aliis,non possunt alterum immutare.

34. Ad tertiam negandum est antecedens, nam sicut visus potest in actu exercito cognoscere duo alba modo tamen suprà num.18. explicato,ita eodem modo ipsa in ratione duorum debent immutare sensum, quantum satis est, ad hoc vt percipiatur. Hæc autem immutatio in hoc consistit,quod hoc ipso quod per se loquendo simul videantur, quia simul proponuntur sensui, debeat etiam per se loquendo immutatio vnius connotare immutationem alterius, quæ connotatio merito in ordine sensibili appellatur modificatio prædictarum specierum, quia præsupponit ipsas per modum primarum formarum, & tribuit, quod obiecta illa taliter, vel taliter, non verè quod absolutè,& simpliciter videantur.

Ad quartam respondetur negando sequelam, & ad probationem dicendum est, quod licet sensibilia propria in esse rei, habeant maiorem nexum cum substantia, quàm cum sensibilibus communibus non tamen in ordine sensibili,& ita variata substantia non variatur visio,etiam modaliter, vt i o hac disputatione diximus: secus tamen variatis sensibilibus communibus, vt experientia constat: vnde ideo species sensibilis proprij debet ratione suæ materialitatis, ita modificari, vt per se loquendo repræsentet etiam sensibilia communia, quia debet repræsentare illa,vt hic, & nunc,& cum omnibus conditionibus materialibus, non qualibuscumque, sed supponentibus sensibilia propria, & per se diuersificantibus illa intra lineam sensibilem.

Nec refert id quod ibidem dicitur, scilicet sensibilia propria habere suum esse sensibile à substantiis, cum quibus nectuntur, tanquam à primis radicibus, quia prædictæ substantiæ non sunt radices primæ, & per se illorum in ordine sensibili, sed in ordine naturali, & entitatiuo, siquidem in hoc ordine ipsa sensibilia,propria,non verò substantiæ sunt specificatiua, & distinctiua sensuum.

Fit obuiam argumentis sententiæ affirmantis.

§. IV.

35. AD primum respondetur verum esse antecedens de specie sensibili caloris secundùm se, & præcisè sumpta: secùs vero de illa, vt modificata per aliquem modum, quo determinatur ad repræsentanda sensibilia communia. Et ad probationem patet ea dictis speciem illam immitti, tam à colore, quàm à sensibili communi, vt à quantitate, figura, &c. Ab illo quidem, vt à principali agente, ab istis verò, vt ab agentibus modificantibus illam, seu producentibus in ea quoddam modum, & determinationem, ratione cuius secundario repræsentet prædicta sensibilia.

Ad confirmationem respondetur, quod licet magnitudo, verbi gratia, & color comparentur in esse rei,vt entitas, & entitas, non tamen in ordine sensibili,sed comparantur, vt agens principale,& vt agens modificans actionem, & effectum eiusdem agentis principalis. Et ad probationem in contrarium dicendum est, quod licet vis agendi intentionalis fundetur in esse entitatiuo,& naturali rerum:nihilominus quia hoc non obstante hæc duo pertinent in rebus creatis ad distinctas lineas,& ordines, ideò ea quæ in esse entitatiuo comparantur, vt entitas, & entitas, possunt in ordine intentionali conferri per modum agentis principalis, & per modum agentis modificantis eius actionem, & similiter effectus illorum possunt etiam se habere per modum rei modificatæ, & modi illius.

Sicut licet ratio quantitatis discretæ de materiali importet quantitatem continuam & in ea fundetur; nihilominus,

nihilominus, quia pertinent ad distinctas species; possunt aliqua in ratione quantitatis continuæ comparari, vt quantitas, & quantitas, non verò in ratione quantitatis discretæ, & ita licet quæuis vnitas quantitatiua sit in ratione quantitatis continuæ de materiali importatæ vera quantitas non verò in ratione quantitatis discretæ, sed tantùm principium quantitatis.

16. Et ratio est, quoniam ex diuersis capitibus sumitur in vno, & in alio ordine ratio entitatis, & modi, nam in ordine sensibili sumitur ratio speciei entitatiuæ, ex eo quod concurrat ad speciem, v. g. visionis: ratio autem modo illius, ex eo quod influat in modum eius, ita vt eo variato maneat species visionis, & similiter ratio agentis principalis in ordine ad immutationem sensus, accipitur ex eo quod id, quod ab eo immittitur, sit causa sensationis quoad specificationem, ratio verò agentis modalis ex eo quod id, quod ab eo fit, sit tantum causa modi illius. Cæterùm, ratio entitatis in esse entitatiuo, & naturali; quæ in magnitudine, verbi gratia, & calore reperitur, sumitur ex propria natura vtriusque secundùm quod pertinent ad diuersum prædicamentum, & neutrum ex illis, ita pendet ab alio, vt non possit saltem per diuinam potentiam esse sine illo.

Ad secundam confirmationem respondetur speciem intentionalem secundùm suam essentiam consideratam esse eiusdem naturæ in esse intentionali formaliter sumpto, cum obiecto per se primò illius, non autem cum obiecto secundario, quale est sensibile commune. Adde quòd illa modificatio, qua species sensibilis proprij modificatur potest in ordine intentionali esse eiusdem naturæ cùm sensibili communi, quod in eodem ordine ad emissionem suæ speciei repræsentantis prædictum sensibile proprium.

37. Ad secundum, negandum est antecedens, & ad primam probationem dicendum est, esse satis probabile, quòd qualitates tangibiles sensibile proprium tactus, non sunt solæ illæ qualitates, quæ in eadem probatione referuntur, sed aliæ etiam, scilicet solidum, tersum, & molle, & alia huiusmodi, vt fatetur Arist. 2. huius lib. textu 107. his verbis: *In tangibili autem multa sunt contrarietates, calidum, frigidum, humidum, siccum, durum, & aliorum quæcunque sunt huiusmodi.* Vbi D. Thom. *In tangibili sunt multa contrarietates, scilicet calidum, & frigidum, humidum, & siccum, durum & molle, & quædam alia huiusmodi, vt graue, & leue, & acutum, & hebes, & similia*, sed de his videantur ea quæ in libro de Generatione disputatione 7. num. 29. & 30. diximus. Quare cum in corporibus cœlestibus sint aliquæ ex his qualitatibus, poterunt sensibilia communia, quæ ibidem sunt vnà cum prædictis sensibilibus per tactum percipi.

Secundò respondetur ad eandem probationem negando antecedens, intellectum de tactu vitali seu sensatione per tactum, qui est potentia vitalis, nec refert (quicquid sit de veritate minoris eiusdem probationis) quòd tunc impediretur manus, ne vltra progrederetur, quia inde, solùm colligitur posse hominem illum, saltem per intellectum colligere esse ibi aliquod impedimentum, ratione cuius non possit vltra progredi, non tamen, quòd per sensum tactus tale impedimentum sentiretur, sicut si illud impedimentum fieret per Angelum, tunc licet posset per intellectum percipi esse ibi aliquam causam impedientem, non tamen per sensum tactus id sentiretur.

Nec refert, quòd quis ita manum comprimeret contra cœlum, vt ex compressione illa sentiretur dolor; quia benè stat quod ex aliquo impedimento sentiatur dolor quamuis non sentiatur causa extrinseca causans illum, vt in exemplo adducto proportionaliter tamen ad præsens applicato cernere licet.

38. Ad secundam verò probationem respondetur certius esse, quòd in tali corpore restant aliquæ qualitates secundæ, quæ sint proprium sensibile tactus: si autem casus Metaphysicus imaginetur in quo sit omnimoda adæquatio inter omnes qualitates per se primò tangibiles vtriusque corporis, tunc occurrendum est ad hanc secundam probationem iuxta ea quæ in secunda solutione ad primam proportionaliter tamen applicata diximus.

Ad tertiam verò probationem dicendum est, in eo euentu videri colorem, quamuis imperfectè & confusè propter eius distantiam, sicut etiam magnitudo ob eandem rationem imperfectè percipitur, ex eo quod obiectum sensibile nequit ad nimiam distantiam perfectè immutare sensum, & ita hinc prouenit sensum non posse in eo euentu discernere quisnam color, aut quanta magnitudo sit illius obiecti, quin potiùs talis color solet ad magnam distantiam niger apparere, ex eo quod color niger inter alios, minùs mouet sensum, ac proinde, quando color ratione nimiæ distantiæ parum mouet illum, tunc niger censetur.

Adde prædictum corpus nimium distans luce perfundi, & ita magnitudo illius, vna cùm luce, quæ est proprium sensibile visus poterit percipi.

39. Ex quo ad id quod de illo, qui oculis clausis sentit corpus opacum, obiicitur, respondetur hoc prouenire, ex eo quod propter aliqualem palpebrarum transparentiam lux simul cum corpore illo opaco, etiam oculis clausis imperfectè tamen videtur, cuius manifestum signum est, quòd si oculi sint valdè clausi, & palpebræ nimis compressæ, ita vt nulla lux ad organum peruenire possit, ac proinde, nec lux exterior sentiri, tunc nullatenus tale corpus opacum ante oculos positum percipietur.

Ad tertium principale patet ex dictis, concedendum esse antecedens, & negandam consequentiam; quia ex antecedenti ad summum colligitur addendam esse nouam modificationem in specie præexistenti, qua posita possit variationem illam obiecti percipere.

Ex quibus omnibus, & ex dictis quæstione præcedenti, satis constat, ad testimonium illud ex quæst. 17. primæ partis, quod primo loco in fauorem huius sententiæ adduximus. Videatur etiam Bañes loco citato.

QVÆSTIO III.

An sensibile positum supra sensum impediat sensationem.

40. ALij aliis verbis quæstionem hanc discutiunt inquirentes, an omnes externi sensus indigeant medio ad sensationes suas eliciendas; sed vterque inquirendi modus in idem coincidit: quod vt meliùs intelligatur, & quæstionis titulus clarior maneat, prænotare oportet, bifariè posse intelligi; quòd sensibile supra sensum ponatur, vel ita vt inhæreat organo, quo pacto calor pertinens ad naturale organi tactus temperamentum est in illo, vel ita, vt non inhæreat, sed eidem contingeretur. Titulus ergo non de sensibili inhærente, sed de sensibili eidem contiguo procedit: quia licet ex his, quæ in hac quæstione dicenda sunt, etiam constabit quomodo sensibile inhærens in esse entitatiuo, & naturali sensu nequeat sentiri: nihilominus quia hoc in disputat. de tactu

tactu peculiarem sedem habet, ideò ibidem discutietur. Vnde sensus tituli est, an sensibile, ita coniunctum potentiæ sensitiuæ, vt nihil inter ipsum, & eandem mediet, possit sentiri, ac proinde vterque modus inquirendi in idem coincidit.

Sed quia duplex est medium: aliud internum, quod nihil est aliud, quàm pars eiusdem animalis sentientis medians inter sensibile, & sensum, aliud verò externum, quod debet esse suppositum quoddam distinctum ab animali, & inter potentiam sensitiuam, eiusque obiectum medians, ideò non determinate de aliquo istorum, sed indefinitè de medio, siue interno, siue externo inquirimus, posteà verò in illo, vel in illis sensibus, in quibus specialem habuerit difficultatem, an determinatè medium externum, vel internum desideretur, hoc in dubium vocabimus.

Refertur prior sententia.

§. I.

41. PRima sententia asserit, nullum sensum præter visum indigere medio ab hoc vt suum sensibile percipiat, & adhuc visum non requirere illud respectu corporum lucidorum, sed præcisè respectu opacorum, ac proindè à prædictis sensibus posse sensibile supra sensum positum sentiri. Ita Toletus 3. huius operis cap.10. qu.2. quem quoad tactum, & gustum sequuntur Conimbr. in hoc 2.l.cap.11. quæst.1. & alij plures. Et tandem quoad hos duos sensus, nec non quoad odoratum tuetur hoc ipsum Rubio 3. l. huius operis c.1.q.3. quatenus docet hoc sensus, non indigere per se vllo medio.

Sententia hæc suaderi potest per singulos sensus sigillatim discurrendo, & primò quoad gustum, supponendo tamen prius id, quod ex se satis patere videtur, nimirum partes liquidas, & subtiliores cibi permixtásque cùm saliua posse facilè per partes linguæ porosas (est enim membrum hoc valdè porosum) vsque ad neruum in quo residet gustus pertransire.

Hinc ergo primum deducitur argumentum. Nam sapor contingens neruum habet ex se virtutem producendi speciem sui: sed sensorium hoc, atque etiam sensus in eo residens sunt subiectum capax talis speciei: ergo prædictus sapor producet eam in illis, ac proinde cùm positis obiecto, & sensorio vna cùm sensu, & specie possit subsequi sensatio, nihil oberit, quominus tunc, non obstante, quod nullum sit ibi medium, valeat gustus saporem illum sentire.

42. Secundò exhalationes odoriferæ vsque ad organum odoratus; imò fortè vsque ad cerebrum multoties pertingunt, eisque contiguantur, & nihilominùs, vt experientia docet, sentiuntur. Item sonus peruenit aliquando secundùm suum esse naturale vsque ad auditum, vt cum quis aliquantulum alta voce alium ad aurem alloquitur; quia cum aër motus in quo est sonus vsque ad illum perueniat, non potest non cum eodem ipse sonus vsque ad auditum pertingere, imò si digito claudatur auris, solet sentiri sonus quidem intra illam, qui cùm ita sit prope organum, & soleat esse non multum debilis, poterit pertingere vsque ad illud?

Tertiò. Tangibile positum supra carnem sentitur, & tamen (vt habet Aristot. 2. de partibus animal. c.8.) caro est organum tactus, imò etiam si caro non esset organum huius sensus, sed solus neruus, nihilominus argumentum in sua vi maneret: quia si ipsum neruum detectum percutias, vel pungas ferro, maximus absque dubio dolor indè resultabit.

Vltimò hoc ipsum de visu respectu corporum lucidorum, & transparentium probat Toletus duplici experientia, nam in primis clausis oculis contingit aliquem splendorem videri, qui non est alius, quam lumen in humore albugineo inhærens, & pupillam tangens. Item nocte accidit fricare oculos, & lumen internum videri, quod sensorio contiguum est. Adde quòd aër illuminatus coniungitur visui, & nihilominus videtur, imò Arist. apud Sanctum Doctorem in l. de sensu, & sensato, lectione 5. docet, quod oportet lumen continuari vsque ad interiorem oculi partem, vbi visus residet.

Vera Arist. & D. Thom. sententia testimoniis ex eisdem desumptis stabilitur.

§. II.

43. DIcendum tamen est sensibile immediatè positum supra sensum externum, non posse ab secundùm quod est immediatè eidem super positum sentiri, ac proinde quélibet sensum ad suam sensationem eliciendam requirere aliquid, quod sit medium inter ipsum, & obiectum sensibile. Ita Aristot. in hoc 2. l. c. vltim. vbi probauit sensus externos esse quinque, & non plures, quia si plures essent, deberent plura media, quàm quinque admitti, ex eo quod ad plures sensus, & plura organa consequuntur plura media: hoc autem non esset verum si sensus omnes ex natura sua non postularent aliquod medium.

Et cap.8. textu 75. postquam dixit visibile positum supra sensum impedire visionem, statim in textu 75. addidit. *Eadem autem ratio est de sono, & de odore, nihil enim ipsorum tangens sensorium facit sensum, sed ab odore quidem, & sono media mouentur, ab hoc autem sensitiuorum vtrumque cum autem super ipsum sensitiuum aliquis apponit olens, aut sonans, neutrum sensum facit, de tactu autem, & gustu habet se similiter.*

Quæ verba sic explicat D. Thom. ibid. lect. 15. *Ostendit quod similiter se habet in alijs sensibus sicut in visu, & dicit quod eadem ratio est de sono, & odore, sicut & de colore, nullum enim eorum sentitur, si tangit organum sensus, sed ab odore & sono mouentur media, a medio autem vtrumque organorum, auditus scilicet, & olfactus, sed cum aliquis ponit corpus odorans, aut sonans super organum sensus non sentitur, & similiter est in tactu, & gustu.*

44. Idem etiam repetit idem Aristot. cap.11. textu 116. his verbis. *Omnino autem caro videtur & lingua, sicut aqua & aër ad visum, & auditum, & olfactum se habent, sic se habere ad sensitiuum, sicut illorum vnumquodque. Ipso autem sensitiuo tacto, neque ibi, neque hic fiet vtique sensus, vt si quis ponat corpus album super oculi vltimum, quare & manifestum quod intus sit tangibilis sensitiuum, sic enim vtique accidit, quod quidem in alijs; apposita enim super sensorium non sentiunt, super autem carnem posita sentiunt, quare medium tactus est caro.*

Vbi D. Thom. lectione 23. *Dicit ergo primò quod ita videtur se habere caro, & lingua ad organum sensus tactus, sicut se habet aër & aqua ad organum visus, auditus, & olfactus. In nullo enim istorum sensuum potest fieri sensus, si tangatur organum, vt si quis ponat aliquod corpus album in superficie oculi non videtur. Vnde manifestum est, quod organum sensitiuum in sensu tactus sit intus: sic enim accidit in hoc sensu, sicut & in alijs. Non enim sentiunt animalia sensibilia apposita super organum sensus, sentiunt autem sensibilia posita super carnem. Quare manifestum est, quod caro non est organum sensus, sed medium.*

45. Vnde tam Aristotelem, quam Sanctum Doctorem

rem sequuntur vterque Caietan. Tiniensis, & Cardinalis. Nec non, & Ægidius in hoc 2. l. cap. de tactu Iandunus quæst. 2. Apollinaris quæst. 24. Iabellus quæst. 5. Ferrar. quæst. 19. Bañez 1. part. quæst. 78. art. 3. tractatu de potentiis sensitiuis in communi, dub. 6. & alij plures.

Veritas Aristotelica, & Thomistica, ratione suadetur.

§. III.

46. DEinde assertio ratione probatur, quam ex parte insinuat. D. Thom. 1. part. quæst. 14. de veritate quæst. 2. art. 1. opusc. 3. cap. 28. & 35. necnon & locis iam citatis, quæ potest sub hac forma proponi. Nam sensus non sunt in infimo immaterialitatis gradu: ergo neque accidentia intentionalia, seu species, quibus ad suas sensationes eliciendas vtuntur, infimum immaterialitatis gradum habebunt, sed eundem cùm ipsis sensibus: at species immediatè deriuatæ ab obiecto sensibili, licèt sint immaterialiores, quàm obiectum, nihilominus non sunt ita immateriales, vt habeant debitam proportionem in immaterialitate cum sensu: ergo necesse erit dari aliquot medium inter obiectum sensibile, & potentiam, in quo producantur species minus materiales quàm obiectum, & à quo sub minori adhuc materialitate possit immitti alia species in potentiam, quæ eidem in ordine ad suam sensationem eliciendam proportionata sit.

Antecedens cum prima consequentia videtur certum. Nam sicut anima sensitiua magis dominatur materiæ, quàm vegetatiua, quippè quæ eato adeò ratione huius excessus in perfectione superet, vt propterea in ordinem cognoscitiuorum pertineat, ita etiam potentiæ ab ea deriuatæ debent esse immaterialiores illis potentiis, quæ ab anima vegetatiua oriuntur, ac proindè species quibus ad suas sensationes eliciendas vtuntur, non erunt accidentia habentia infimum immaterialitatis gradum, sed eundem cum prædictis potentiis: Siquidem inter potentiam, & eius cum principium, scilicet species, debet quoad hoc propotio seruari, & ideò species deseruientes intellectui, qui inter potentias animæ est in supremo immaterialitatis gradu, petunt esse omninò spirituales, quia non aliter possunt esse commensuratæ respectu prædictæ potentia omnino spiritualis.

47. Minor autem statim subsumpta vnà cùm consequentia explicatur, & suadetur; quia licèt species paulatim deponat crassitudinem in medio (vt constat in his, quæ imbecillis aciei sunt, qui ideò nequeunt obiectum nimis distans videre; quia specie ab obiecto, (ita distanti immissæ, magis ac magis attenuantur per medium, ipsi autem ratione prædictæ imbecillitatis petunt speciem crassiorem, licèt non ita crassam, ac cùm primo exit ab obiecto) est admodum crassa, quia obiectum, non parum materialitatis habet, at quæuis potentia sensitiua est magis immaterialis, quia in immaterialitate excedit, tum formas naturales, quæ præcisè dant esse: tum etiam formas vitales, quæ solùm dant esse vegetatiuum, atque adeo ad minus habent duplicem, vt sic dicamus, immaterialitatis gradum: ergo prædicta species dum primo exit ab obiecto cum magna crassitudine inuoluta, non habebit tantam immaterialitatem, quantam potentia sensitiua; ac proinde egebit aliquo medio iuuante ad hoc vt crassitudinem illam deponat; ita vt iuxta maiorem, vel minorem immaterialitatem sensuum, requiratur maius, vel minus medium in quo producantur species, & à quo sub minore immaterialitate ad sensum iterum immittantur, seu aliæ denuo producantur, sed hæc magis numeris seqoeotibus explicabuntur.

48. Plura tamen sunt, quæ contra rationem hanc militare videntur. Primum est, nam vel talis immaterialitas communicatur speciei ab obiecto præcisè vel à potentia in qua recipitur, vel tandem à medio per quod, vt sic dicamus, pertransit. Si primum; ergo poterit obiectum immediatè producere in sensu talem speciem cum debita immaterialitate. Si secundum, fiet inde, vt eo ipso quod in potentiam ab obiecto immittatur, siue talis immissio sit omnino immediata, siue cum aliquo medio, statim talis species accipiat eam immaterialitatem, quæ est illi necessaria ad hoc vt vna cum potentia ad sensationem concurrat. Si autem tertium dicatur: ergo si medium illud esset principale obiectum, & immittens talem speciem, posset omninò immediatè, & cum debita immaterialitate illam in sensu imprimere. Nam si autem, verbi gratia, medius vim habet ad tribuendam illam immaterialitatem speciebus aliorum obiectorum; cur propriis, quas ipse maximè perficere totis viribus conatur, hanc eandem à materia nuditatem non poterit communicare?

Adde, quod potest contingere obiectum nimis esse subtile, ac proindè, minus habens de materia, è contra verò medium esse crassius, & materialius, & consequenter prædictum medium non poterit conducere ad hoc, vt species immaterialior producatur.

49. Confirmatur. Causa naturalis perfectiori modo agit in propinquum, quàm in distans; ergo si obiectum non potest immediatè producere speciem sui habentem immaterialitatem iam dictam; multo minùs poterit illam mediatè producere; quia tunc prædictum obiectum ageret in subiectum remotius.

Secondum, quodque à Toleto vbi supra adducitur, est, quòd omnes species, quæ ab obiecto per medium, vsque ad potentiam diffunduntur, sunt eiusdem prorsus speciei, ac proinde eiusdem naturæ, ergo omnes erunt eiusdem immaterialitatis. Quarè, si ea, quæ immediatè ab obiecto deriuatur, inepta est ad concurrendum vna cum potentia, non minùs cæteræ omnes ad ipsum habebunt.

Ad primam ex his obiectionibus respondetur, quòd tam ab obiecto, quàm à medio, oritur vt species illa sub maiori immaterialitate producatur; aliter tamen & aliter: nam ab obiecto procedit, vt à causa principali, à medio verò ad summum vt à causa instrumentali; ita tamen vt hæc duo habeant inter se necessariam connexionem in ordine ad hunc effectum. Quare, nec obiectum sine medio, nec medium sine obiecto: imò neque prædictum medium se solo cum rationem habet primi, & principalis obiecti, sed cum dependentia ab aliquo medio, poterit speciem proportionatam in ordioe ad sensationem efficere; qoia sicut quoduis obiectum sensuum est in se valdè materiale: ita prima species ab eo producta debet multum materialitatis habere, ratiooe cuius sit improportionata ad coocurrendum simul cum potentia.

50. Cuius ratio est: Tum quia obiectum intendit quantum potest assimilare sibi passum, atque adeo dum fortiùs, id est in propinquum agit, intendit sub maiori qua potest materialitate producere prædictam speciem: Tum etiam, quia vt benè ootauit Caietan. in hoc 2. l. ad text. 74. Ex naturali ordine transitus ex esse materiali ad esse quodammodo spirituale, habetur quòd forma sensibilis, quæ primò producitur ab obiecto materiali, per quamque prædictum obiectum transit ad ordinem intentionalem, & immaterialem,

non

non habeat omnem immaterialitatem, quam potest & debet intra ordinem intentionalem, & in ordine ad sensum ad quem immittitur, habere, sed quod gradatim ad illam iuxta naturam, & immaterialitatem sensus ascendat. Quomodo autem licèt obiectum habeat materialitatem iam dictam possit speciem minus materialem producere in lib. de Generat. id explicuimus.

Ad id verò quod in hac eadem obiectione additur, statim dicemus. Ad confirmationem patet ex dictis, maiorem illam immaterialitatem speciei non oriri, ex eo, quod obiectum agat fortiùs, cum illam sub prædicta immaterialitate producit, sed ex eo, quod remissius in eiusdem productione se habeat; nam sicut agentia naturalia effectum realem prout ab intentionali distinguitur, producentia debent in sua actione gradatim procedere, taliter quod effectus, quem producunt in passo magis distanti, sit remissior cæteris paribus, quàm ille, quem in passo minus distanti imprimunt: pari ratione agens intentionale, vt calor secundùm quod est obiectum sensibile eodem modo seipsum per medium intentionale diffundit; ita vt quo magis species, quam producit, est ab illo distans, eo magis tenuis, ac proindè subtilior sit, & consequenter minus crassitiei, & materialitatis habeat, quod non parum indicat experientia illa, quæ in fine huius rationis, quam discutimus, adducta est.

51. Nec refert si dicaris, quòd si in calore esset quid perfectius habere esse remissum, quàm intensum, non posset fieri, vt quo magis passum ab igne distaret, eo remissiùs calefieret; quia sicut causa efficiens perfectiùs agit in proximum, quàm in distans; sic effectus perfectior, & quidquid in eo est maioris perfectionis, non producitur in passis distantioribus, sed in proximioribus; at in speciebus est quid perfectius habere suum esse sub minori immaterialitate, & crassitie quàm eius oppositum, ergo species sensibiles non habebunt hoc præcisè per maiorem recessum ab obiecto à quo fiunt.

Non itaque hoc refert; nam etsi effectus ille, qui potius in perfectione, quàm in imperfectione consistit, non possit aliquid maioris perfectionis à sua causa participare, dum ab ea magis distans est: secùs verò effectus, qui potiùs in imperfectione, quàm in perfectione situs est, nam sicut quo magis à sua causa distat, eo minus de ea participat, & id quod participaturus erat, potiùs ignobilitatem, quàm nobilitatem tribueret, sic per hoc, quòd illud non participet sicut minùs de tali ignobilitate habet, ita manet secundùm quid nobilior.

52. Quapropter, cum hoc quod est calorem esse minus intensum potiùs perfectionem, quàm imperfectionem in eo eo tu inneret, vt supponitur, non posset passum, quo magis ab igne distaret, eo minorem calorem recipere. Cæterum, primus effectus, qui procedit ab obiecto sensibili materiali, quatenus tali, petit necessariò ob rationes iam dictas esse nimis crassum. Quare effectus hic potius in imperfectione, quàm in perfectione secundùm hanc rationem consistit: & ideò, quo passum cui imprimendus est magis à sua causa distiterit; eo maiorem saltem secundùm quid perfectionem poterit suo modo acquirere, quatenus non ita exactè secundùm crassitiem, & imperfectionem se illi obiectum communicat, sed magis tenuis, ac proindè subtilior, & immaterialior euadit. Corpora enim quo subtiliora sunt, eo minus materiæ habent.

Adde, quod licèt, quò magis effectus à sua causa distat, non posset ea vi influxus eiusdem causæ euadere aliquo modo perfectior; nihilominus aliunde ob peculiarem aliam rationem potest oppositum contingere; est autem veluti quædam peculiaris conditio, & ratio effectus materialis, quatenus in loco distanti à sua causa producitur, vt magis tenuis, ac proindè minus crassior ibidem euadat; sicut etiam concomitatur effectum materialem, vt in loco proximiore suæ causæ productum, quod ibidem non ita subtilis sit. Vnde calor remissior in passo distantiori productus debet ibidem esse magis tenuis, & minus crassus; & ideò non mirum quod species in passo distantiori productæ hanc habeant subtilitatem, ac proindè aliqualem perfectionis excessum, qui indiuidui tenuitatem hanc concomitatur.

53. Ad secundam obiectionem dicendum est: non esse necessarium ad hoc vt vna species sensibilis sit subtilior alia repræsentante idem obiectum v.g. idem visibile, quod essentialiter inter se distinguantur: subtilior enim est terra dum sursum ascendit in ordine ad efformationem aliquorum mixtorum, quam dum est in suo loco naturali; & nihilominus probabile est, quod semper maneat sub specie terræ.

Ex quibus tandem ad id, quod in prima ex his obiectionibus additum est, respondetur; verum esse quod consideratis in se ipsis obiecto, & medio per quod diffunditur obiectum, potest contingere, vt obiectum sit subtilius, & immaterialius. Cæterum, hoc non obstante poterit conducere ad hoc vt ab eo in potentiam species minùs materialis immittatur; nam ad hoc sufficit vt principium agendi, nimirum species producta ab obiecto sit in eodem medio quid subtilius, quàm obiectum; & insuper quòd effectus ab illa productus sit distantior à præcipua causa, quia hoc ipso magis, & minus crassus euadere debet.

Satisfit argumentis primæ sententiæ.

§. IV.

54. AD primum admitti potest suppositio ibidem facta, quamuis suam etiam difficultatem habeat. Cæterum licèt cibus in eo euentu immitteret secundùm eam partem, secundùm quam tangit organum, speciem sui ad illud; nihilominus per illam speciem, quippe improportionatam, & non ita depuratam à materia vt oportebat, nequiret gustari; & ita pars illa organi tantum deseruiret vt medium internum, ad hoc, vt secundùm aliam partem distantem; seu non contiguam cum cibo sentiretur; atque adeo semper verificabitur cibum illum non secundùm eam partem extensionis, quæ contingit neruum, vel nerui ramos in quibus gustatiua vis residet, sed secundùm aliam ab ea debitè distantem, & idem suo modo vicinam sentiri. Per quod etiam ad secundum de exhalationibus odoriferis satis constat.

Ad illud autem de auditu addendum est; quòd dum quis alij ad aurem loquitur, tunc regulariter loquendo, sonus ille non pertingit ad tangendum immediatè ipsum organum potentiæ auditiuæ, & similiter strepitus ille, qui clausis auribus sentitur, non excitatur in organo, sed in aliqua concauitate auris prope tympanum existente, quia natura ita tympanum circundedit, & vndique, modo infrà dicendo, clausit substantiam illam aëream, in qua auditiuam potentiam, modo ibidem explicato, collocauit, vt sonus, & strepitus ille nequeat organum contingere.

55. Ad tertium, quoad id quod tangit, nimirum carnem esse sensorium tactus, constabit ex his, quæ disput. 14. q. 72. dicemus. Quoad reliqua verò patet ex iam dictis; nam si sensorium tactus quodcumque illud sit, immediatè percutiatur, vel pungatur ferro,

eiusdem obiecti ; ergo ab illa , etiam per accidens ad corruptionem sui subiecti , non corrumpetur. Vtraque consequentia patet : Prima quidem , quoniam excellentia obiecti continetur intra latitudinem obiecti , vt excellentia soni intra latitudinem soni. Secunda verò,quia nullum subiectum corrumpitur aduentu eorum , quæ connaturaliter respicit, quorumque est connaturaliter receptiuum ; aliàs inclinaretur naturaliter in suum destructiuum ; ergo si sensus , & organum eius connaturaliter respicit, connaturaliterque est receptiuus quarumcunque specierum totius latitudinis sui obiecti, non poterit per receptionem illam , aut per sensationem eis correspondentem lædi,aut corrumpi.

Antecedens verò probatur , quia aliàs essent duo sensus respectu latitudinis totius obiecti : alter respectu certæ,& commensuratæ latitudinis;& alter respectu excellentis , quod tamen est apertè falsum , vt constat : Tum inductione facta in accidentibus, quæ recipiuntur secundùm esse naturale,in quibus vnum, & idem subiectum v. g. ignis est receptiuum totius latitudinis coloris , ac proindè hoc idem in intentionalibus dicendum erit : Tum etiam ex his , quæ in intellectu,experimur : qui etsi potentia cognoscitiua sit , nihilominus potest vnus,& idem prorsus manens modò in res minùs nobiles modò in res maximæ nobilitatis tendere.

61. Imò ex hoc non exiguum pro hac sententia sumitur argumentum , quandoquidem intellectus eo maiorem capit voluptatem, quo res in quarum contemplatione versatur , sunt nobiliores ; indeque non solùm non læditur , sed ad alia cognoscenda acutior & expeditior manet. Idem ergo de cæteris potentiis dicendum erit.

Quoad vltimam verò partem , scilicet , quòd sensus ipse per se non lædatur à vehementi sensibili, etiam vt agit per modum agentis naturalis,sed solùm per accidens , probatur : Tum ex verbis Arist. loco citato qui non dixit à vehementi sensibili corrumpi potentiam sensitiuam , sed sensorium , seu subiectum illius ; ac proindè sensus ipse solùm per accidens læditur : Tum etiam quia nullum accidens læditur per se,nisi à suo contrario:at potentia vitalis , qualis est quiuis sensus,nullum habet contrarium ; non igitur poterit per se , sed per accidens ad læsionem sui subiecti lædi.

Ex mente Arist.& D.Thom.quæstionis nodus dissoluitur.

§. II.

62. DIcendum tamen est , vehemens sensibile non solùm vt agens naturale , sed etiam vt est agens intentionale , & vt præcisè immittit species posse lædere , aut corrumpere sensum. Assertionem hanc,quoad primam eius partem, scilicet vehemens sensibile,vt est agens naturale,posse lædere,aut corrumpere sensum , tuentur Aristot.& D.Thom.locis statim referendis, & vniuersi Philosophi, satisque constat : Tum ex se, Tum etiam ex dictis initio huius quæstionis. Quoad secundam verò , scilicet , quòd etiam vt agens intentionale , & vt præcisè immitit species possit læsionem , aut corruptionem prædictam causare , tenent etiam eam idem Philosophus , & Angelicus Doctor , vt iam diximus , quos sectantur Caietan. 2. lib. de Anima ad text. 123. & 143. Ferrara eodem lib. qu. 21. Aquarius ibidem. Tolet. 3. lib. huius operis qu. 4. conclus. 2. Bañez 1. p. q. 78. art. 3. tract. de potentiis sensitiuis in communi dub. 5. & alij plures.

Rationem autem fundamentale huius secundæ partis adduxit Arist. in hoc 2. lib. c. 12. text. 123. his verbis : *Manifestum est autem ex his , & propter quid sensibilium excellentia corrumpunt sensoria , si námque sit fortior sensorio motus , soluitur ratio , hoc autem erat sensus , sicut & symphonia , & tonus percussis fortitur chordis.*

63. Quam rationem his verbis format , & explicat D. Thom. ibidem lect. vltima. *Dicit quod manifestum est ex prædictis propter quid excellentia sensibilium corrumpat organa sensuum : Oportet enim in organis sentiendi ad hoc quod sentiatur esse quandam rationem,id est proportionem vt dictum est.Si ergo motus sensibilis fuerit fortior quàm organum natum sit pati , soluitur proportio, & corrumpitur sensus,qui consistit in quadam proportione organi , vt dictum est,& est simile,sicut cum aliquis fortiter percutit chordas , soluitur symphonia, & tonus instrumenti,qui in quadam proportione consistit.*

Confirmauit, & explicauit magis rationem hanc idem Arist. 3. de Anima, text. 143. his verbis : *Si autem symphonia vox quadam est;vox autem , & auditus est sicut vnum,& est sicut non vnum aut idem : proportio autem est symphonia,necesse est,& auditum ratione quandã esse. Et propter id corrumpit vnumquodque excellens, acutum,& graue auditum,& in saporibus gustum , & in coloribus visum fortiter fulgidum,& opacum, & in olfactu fortis ordor,& dulcis,& amarus,tanquam ratio quadam sit sensus.*

64. Vbi D. Thom. lect. 2. *Demonstrat, quare , quædam sensibilia corrumpant sensum , & dicit quòd cùm symphonia,id est vox consonans,& proportionata sit vox quædam,& vox quodammodo sit idem quod auditus , & symphonia sit quædam proportio ; necesse est,quòd auditus sit quædam proportio,& quia qualibet proportio corrumpitur,per superabundantiam,ideò excellens sensibile corrumpit sensum,sicut quod est excellenter graue,& acutum corrumpit auditum , & excellens saporosum corrumpit gustum ; & fortiter fulgidum, vel obscurum corrumpit visum,& fortis odor corrumpit olfactum,quasi sensus sit quædam proportio.*

Quæ omnia magis confirmata, & elucidata manebũt,si ratio prædicta sub hac forma proponatur,& explicetur : nam facta collatione inter sensum,& obiectum sensibile,vt est agens intentionale ; tunc sensus per se , & ab intrinseco habet esse connaturaliter commensuratum,& proportionatum cum illo, quatenus est,vt loquuntur Aristot. & D. Thom. *Symphonia quadam*,seu quatenus est in quadam mediocritate, & (vt sic dicamus)redactus ad aliquam temperiem,non verò cum eodem secundùm excellentias , seu quatenus est vehemens , & excedens sensibile ; ergo quoties per species intentionales immutatur ab eodem sensibili secundùm mediocritatem,tunc talis immutatio est iuxta eius naturam, è contra verò quando immutatur ab illo , secundùm excellentias erit prædicta immutatio contra naturam eiusdem sensus:ergo præcisè per talem immutationem poterit nam sensus,quàm organum illius per se lædi,aut corrumpi,ab eodem obiecto sensibili.

65. Antecedens probatur ; nam experimur , quod ex perceptione obiecti sensibilis secundùm sua extrema , seu secundùm excellentias subsequitur in nobis molestia , sicut etiam subsequitur delectatio ex perceptione illius secundùm mediocritatem ; ergo signum est , quòd illud obiectum non est connaturale potentiæ secundùm sua extrema , sed solùm secundùm mediocritatem : quandoquidem delectatio consequitur ad opus connaturale , & quod circa obiectum connaturale versatur , sicut molestia ad opus,quod non sit connaturale,sed disconueniens naturæ operãtis,ac proindè hoc etiam indicabit sensum non esse ab intrinseco cõnaturaliter proportionatum

in ordine ad prædictum obiectum secundùm suas excellentias consideratum: siquidem sensus non habet hanc connaturalem proportionem, nisi respectu sui obiecti connaturalis.

Prima verò consequentia probatur: nam potentia non immutatur connaturaliter intra lineam intentionalem, nisi ab obiecto connaturali potentiæ cui per se, & ab intrinseco est connaturaliter proportionata, & commensurata, atque adeò ab obiecto non connaturali, imò potiùs dissono commensurationi non qualicumque, sed connaturali potentiæ ad illud non habebit connaturaliter, sed potiùs contra naturam, seu naturalem proportionem eiusdem potentiæ intra eandem lineam immutari.

66. Vltima verò consequentia ex hac priori apertè videtur sequi: quoniam sicut quævis potentia perficitur, & benè se habet intra aliquam lineam per receptionem formæ connaturalis intra illam: ita malè se habet, vel etiam destruitur per receptionem formæ non connaturalis intra eandem lineam, sed potiùs dissonæ, & contra naturalem proportionem, & commensurationem potentiæ cum suo obiecto.

Adde primò, & explicabitur magis hoc ipsum; nam ideò medium v.g. aër non læditur, aut destruitur per species intentionales quantumuis immittantur à vehementi sensibili, quia non habet per se, & ab intrinseco connaturalem coaptationem cum ipso, vt pertinet ad ordinem intentionalem, nec immutatur ab eisdem speciebus, vt ad hunc ordinem per se, & formaliter spectant: ergo cùm sensus habeat prædictam commensurationem cum illo intra prædictam lineam: & non qualitercumque, sed vt est symphonia quædam, seu vt est redactum ad mediocritatem, non poterit non immutari contra eius naturam hoc ipso, quod secundùm excellentias immutetur. Consequentia patet.

Antecedens autem probatur, nam si aër consisteret in commensuratione, & coaptatione cum obiecto sensibili, vt ad lineam intentionalem pertinet, ac proinde esset connaturaliter coaptatus illi secundùm mediocritatem eiusdem obiecti non posset non immutare contra suam naturam, hoc ipso quòd secundùm excellentias immutatur, sicut quia intra lineam esse naturalis, & entitatiui, est connaturaliter commensuratus, & porportionatus cum corporibus cælestibus, vt in eum qualitates cum mediocritate influant: ideò connaturaliter habet immutari sic ab illis: Secus verò secundùm qualitates excedentes prædictam commensurationem, vt contingit, dum extra naturalem locum ab illis immutatur.

67. Adde, secundo: quòd sicut (vt supra dicebamus) obiectum sensibile quatenus in esse obiecti habet vim ad immutandum connaturaliter potentiam, est (vt Arist. & D. Thom. loquebantur) symphonia quædam, seu habet vim immutatiuam potentiæ ad mediocritatem redactam ita etiam sensus ipse, & eius organum est etiam symphonia quædam, seu consistit in quadam proportione ad hoc, vt secundùm mediocritatem immutetur: quandoquidem hoc petit naturalis simpathia, & correspondentia, quæ intra lineam intentionalem debet esse inter obiectum sensibile, & sensum, ac organum eius; ergo hoc ipso, quod obiectum sensibile per suum motum intentionalem, qui fit per species fortiùs percutiat sensum, & eius organum, seu vehementiùs immutet vtcumque quam exigit eorum natura, vt ad hunc ordinem spectat: fiet inde, vt lædat, vel corrumpat illa secundùm maiorem, vel minorem percussioonem intentionalem, secundùm quam illa percutit.

Patet consequentia exemplo adducto ab Arist. & D. Thom. nam ex eo quod aliquis fortiter percutit chordas alicuius instrumenti musici, ideò soluitur symphonia, & tonus, iuxta maiorem, vel minorem percussionem excedentem: quia tonus prædictus in quadam proportione consistit: ergo si sensus in symphonia (vt sic dicamus) & proportione iam explicata situs est, quod idem de organo, vt illi deseruit, & ad ordinem sensitiuum spectat, dicendum est: fiet inde, vt iuxta maiorem, vel minorem percussionem excedentem, secundùm quam intentionaliter percutitur ab obiecto lædatur, vel corrumpatur ab illo.

68. Dicendum est secundò non solùm posse sensum per se lædi à vehementi sensibili ratione specierum intentionalium; sed etiam ratione sensationis, quæ mediis prædictis speciebus fit. Assertio hæc apertè sequitur ex præcedenti, & ita eam tuentur Aristotel. & D. Thom. nec non Doctores pro illa num. 61. relati.

Probatur: nam hoc ipso, quòd species obiecti sensibilis sit iuxta naturam sensus, non potest non sensatio, quæ ad illam naturaliter sequitur, esse iuxta naturam illius, & eidem connaturalis: ac proinde, hoc ipso quod species vehementis sensibilis sit dissona, & disconueniens symphoniæ, & proportioni eiusdem sensus, non poterit non sensatio illa vehemens ad prædictam speciem connaturaliter subsequuta esse disconueniens symphoniæ sensus, & consequenter erit per se læsiua, vel destructiua illius, iuxta maiorem, vel minorem improportionem, quam species, & sensatio illa cum eo habuerint; sicut quia calor est qualitas disconueniens aquæ, ideò calefactio, quæ est actus secundus correspondens calori, & ad illum naturaliter subsequuta, est etiam eidem disconueniens; & ideò si aqua medio calore ageret in se ipsam, sicut sensus media specie vehementis sensibilis in se ipsum vehementer agit: non posset non se ipsam lædere.

69. Confirmatur primò ex dictis assertione præced. scilicet sensationem sensibilis ad mediocritatem redactam causare delectationem, & contra verò sensationem vehementis sensibilis causare molestiam; quod sanè indicat priorem illam operationem esse connaturalem sensui: & perfectiuam eiusdem: è contra verò hanc posteriorem, esse improportionatam, & dissonam sensui, atque adeò læsiuam illius.

Confirmatur secundò: quia hoc ipso, quod sensatio illa fiat mediis speciebus vehementioris sensibilis, debet esse vehementior, quàm natura sensus petit: ac proinde debet sensus adhibere maiorem conatum, quàm connaturalis, & suauis modus operandi illius exigit, & consequenter debet nimis defatigari: & ex hac defatigatione lædi, aut corrumpi, iuxta maiorem, vel minorem conatum, & defatigationem, quam habuerit: quia potentia corporea, & affixa organo corporeo, solet hoc modo, tam secundùm se, quàm quoad organum lædi, vel etiam corrumpi: cùmque totum hoc per se subsequatur ex vehementi sensibili, vt est agens intentionale: atque adeò ex speciebus, & sensatione ipsa, vt ad ordinem intentionalem spectant: consequens est, vt omnia hæc, vt ad prædictam lineam pertinent, habeant quatenus sunt in gradu excellenti esse per se læsiua sensus, & organi illius, & non qualitercumque, sed ita vt per prius sint læsiua symphoniæ sensus, quem per prius respiciunt, quam symphoniæ organi, ac per consequens, quod sensus ipse per se à prædicta sensatione lædatur. Videatur etiam Doctor Matthæus Fernandez loco citato, quæst. 11, Vtrum dolor accidat omnibus sensibus, an verò solùm sensui tactus, præcipuè conclusione vltima.

Soluuntur fundamenta prioris modi dicendi.

§. III.

70. AD primum concessa maiori negando est minor, ad cuius probationem concesso antecedenti, & prima consequentia, si nomine effectus naturalis intelligatur aliquid distinctum ab ipsa sensatione, quod sit aliqua qualitas naturalis correspondens per se primò, & directè speciebus intentionalibus; & deinde neganda se secunda consequentia, & ad eius probationem dicendum est; quod licèt temperies organi sensus non constet qualitatibus intentionalibus, sed naturalibus; nihilominus, quia prædicta temperies illius in ratione organi pertinet quodammodo ad ordinem intentionalem, & sensitiuum formaliter sumptum; & ex natura sua, est connaturaliter commensurata in ordine ad immutationem intentionalem factam ab obiecto sensibili, secundùm mediocritatem consideratò: ac tandem per se ordinatur ad sensum, vt ad hunc ordinem spectat; ideò species intentionales excellentis sensibilis habentes disconuenientiam cum sensu, habent etiam disconuenientiam per se cum organo illius, vt est connaturaliter coaptatum prædictæ immutationi intentionali secundùm mediocritatem, & ita licet obiectum mediis his speciebus præcisè sumptis non producat in eo aliquam qualitatem naturalem; nihilominus poterit lædere, vel etiam corrumpere idem organum, quatenus organum est, seo quatenus habet prædictam coaptationem, quia verò prædicta coaptatio est idem cum eodem organo, vt ad ordinem naturalem, & entitatiuum spectat, & hoc est minùs præcipuum in illo, vt in ratione organi consideratò, ideò ex consequenti potest quoad id quod habet in esse entitatiuo lædi à vehementi sensibili, vt habet rationem agentis intensionalis, & excellentis.

71. Vndè optimè, dixit Aquarius loco citato, quod licet forma intentionalis, in quantum huiusmodi nequeat absolutè transmutationem naturalem efficere, secùs tamen forma intentionalis, quæ in proportione quadam ad aliquod passiuum corporeum sibi proportionatum consistit: cuiusmodi est forma sensibilis: nam si huiusmodi proportionem excedat, qua sua passiuo proportionari debet: poterit eius proportionem, & commensurationem soluere.

Adde prædictum obiectum, vt ad ordinem intentionalem spectat, & mediis speciebus producit sensationem excellentem, posse per se inferre productionem alicuius qualitatis naturalis, ex eo quod potentia vtens speciebus illius nimis defatigetur, & ad maiorem conatum quemadlibet concurrat illic maior copia spirituum animalium, qui sunt ex se calidissimi: ac proinde illic simul conuenientes poterunt in organo maiorem calorem producere, quàm sit ille quem secundum suam naturalem temperiem petit.

72. Ad confirmationem respondetur cum Caiet & Bañes loco citato quod mutatio intentionalis simpliciter, & absolutè loquendo, est falsus, & perfectio potentiæ, & non corruptiua illius: mutatio tamen intentionalis excellens potest esse læsiua, vel etiam corruptiua. Vnde, differentia inter alterationem perfectiuam, & corruptiuam, quam Aristotel. in hoc 2. lib. cap. 5. text. 58. & D. Thom. ibidem, & alibi sæpè adducunt, consistit in hoc, quod hæc absolutè, & simpliciter exigit corruptionem, vt in dictiue constat, & ratio suadet, quia est de contrario in contrarium: illa verò, absolutè, & simpliciter nullà exigendo corruptionem formam affert. Cæterum, cum hoc stat, quod alteratio perfectiua; vt procedit ab obiecto, secundùm excellentiam consideratò, sit intra ordinem intentionalem corruptiua.

Ad secundam confirmationem respondetur; quod loquendo de cognitione sensuum externorum: tunc maior solùm est vera cognitione versante circa obiectum proportionatum, & non superexcedens: & de intensione, quæ connaturali, & suaui modo operandi prædictæ potentiæ est proportionata.

73. Ad secundum principale, vt respondeamus notandum est: obiectum sensus cognoscitiui esse duplex aliud extensiuum, illud nimirum, ad quod cognoscendum potest prædictus sensus extendi, siue sit excelleos, & ratione huius excellentiæ improportionatum, siue non: siue indigeat speciali confortatione ad illud attingendum: siue ea non indigeat: & siue ægrè illud percipiat; & ita ab eo lædatur: siue non ægrè, & sic ab illo non lædatur: quia ad rationem talis obiecti, solùm desideratur, quod potentia possit extendi ad illud, non determinando modum, quo ad ipsum extendi valeat, aliud verò intensiuum, siue proportionatum, & connaturale, ad quod requiritur, vt potentia sensitiua, non solùm habeat commensurationem essentialem cum eodem, sed etiam quantitatem virtutis, & efficaciam ad illud, non vtcumque, sed connaturaliter percipiendum, ex eo quod debet esse omninò proportionatum cum quantitate virtutis, & efficacia proxima potentiæ sensitiuæ, & ita ipsa non eget speciali confortatione, aut eleuatione in ordine ad prædictum obiectum connaturaliter percipiendum.

Hinc ergo, ad formam argumenti negandum est antecedens, quia sensus non respicit connaturaliter suum obiectum extensiuum vt tale: hoc enim abstrahit ab hoc, quod hoc, vel illo modo respiciatur, & solùm petit ex parte potentiæ commensurationem essentialem, seu quod respiciat illud tanquam id ad quod potest tendere, siue per efficaciam, & quantitatem virtutis, quam habet, siue per additionem prædictæ efficaciæ: & siue connaturaliter, & siue non connaturaliter. Vnde, quia sensus respicit totam latitudinem sui obiecti, tanquam obiectum extensiuum, ideò quatenus sic illam respicit, non habet eandem connaturaliter respicere: sicut quia solum modò obiectum sensibile, vt redactum ad mediocritatem respicit tanquam obiectum proportionatum, & connaturale, ideò hoc solummodò connaturaliter respicit.

74. Et ad probationem in contrarium dicendum est, potentias non multiplicari penes obiecta proportionata sed penes obiecta extensiua; & ideò idemmet intellectus potest attingere tam obiecta proportionata, quàm totam latitudinem sui obiecti extensiui: ac proinde quoad hoc par erit ratio quoad sensum, & intellectum.

Adde, pro maiori solutione huius secundi argumenti ex eo ad summum sequi, vt notauit Caietanus in hoc 2. lib. ad text. 143. in fine, quod iuxta latitudinem obiecti sensibilis inuenitur latitudo sensus v. g. visus quod nullum sensibile, quantumcunque perfectissimum, sit excellens, & vehemens, respectu omnis potentiæ visiuæ, sed solùm respectu istius, vel illius: nam de Aquilis dicitur, quòd possint veluti facie ad faciem solem, qui est corpus omnium lucidissimum intueri absque eo quod læsionem patiantur, hoc autem satis indicat vehementiam huius sensibilis, non esse respectu omnium potentiarum visiuarum, sed huius, vel illius; & hoc ipsum confirmat, quòd omnia accidentias ordinis naturalis, quæ vni obiecto sunt violenta, habent esse alteri connaturalia, & inductiuè constat. Cæterùm in præsenti con

loquimur de obiecto sensibili, nisi collato cum hac, vel illa potentia sensitiua respectu cuius est excellens.

75. Ad illud autem quod ibidem additur, scilicet quod sicut intellectus non læditur, sed potiùs acuitur & perficitur ex cognitione excellentium intelligibilium: ita etiam sensus ex perceptione vehementis sensibilis; respondetur esse, quoad hoc, aperta io disparitatem inter intellectum, & sensum; nam intellectus habet quantitatem virtutis, & efficaciam ad percipienda saltem modo dicto obiecta naturalia, aut si aliquando caret prædicta, efficacia percipere prædicta obiecta, nec proprias species illorum in esse intelligibili recipere, nisi confortetur per additionem alicuius virtutis. Cæterùm. Sensus non habet quantitatem virtutis, & efficaciam sufficientem ad hoc vt connaturaliter possit percipere excellentias vehementis sensibilis, & nihilominus sine speciali confortatione potest, quamuis ægrè, & cum molestia percipere illas, vt experientia docet; & ita potest lædi ab illis, vt explicatum est.

Vnde in senso non est idem habere quantitatem virtutis, & efficaciam ad percipiendum aliquod obiectum, & habere eamad percipiendum illud connaturaliter, quia potest illud absolutè & simpliciter percipere, licet non connaturaliter, sed ægrè, & contra naturalem proportionem, quam petit: & similiter in illo non est idem habere omnia quæ ex parte potentiæ requiruntur ad recipiendas species intentionales in ratione specierum & ad recipiendas illas connaturali modo, quamuis idemmet requiratur ex parte potentiæ, licet non ex parte obiecti ad sentiendum per species quod desideratur ex parte eiusdem potentiæ ad recipiendas illas in ratione specierum; ax eo quod nihil potest recipere illas, in ratione specierum, nisi possit eisdem vti, & ita speculum, quia illis non potest vti ideò nec eas io ratione specierum recipere.

76. Cæterùm, in intellectu è contra res habet, & ratio disparitatis est, quia cum intellectus sit potentia purè spiritualis, ac proindè non defatigabilis in sua operatione, idem est in illo posse simpliciter aliquid, ac posse illud sine molestia, seu defatigatione, & per consequens, ac posse in illud connaturaliter si de connaturalitate quæ præcisè ex parte posse simpliciter, non verò ex parte alicuius habitus non dantis posse simpliciter prouenit: at sensus est potentia corporea, & affixa organo corporeo, & consequenter defatigabilis: & ita in eo non est idem posse simpliciter percipere excellēs sensibile, id est habere omne id quod requiritur simpliciter, tam ex parte commensurationis essentialis, quam ex parte quantitatis virtutis, siue actiuæ, siue passiuæ, ad hoc vt immutetur simpliciter à vehementi sensibili, & percipiat illud: & hoc quod est habere hæc omnia connaturali modo. Vnde intellectus nequit immutari ab obiecto contra naturalem eius proportionem cum illo; quia propter rationem dictam semper præsupponitur cum sufficienti proportione, modo tameo explicato in ordine ad hanc immutationem: & consequenter, non est læsibilis, aut destructibilis per talem immutationem: quæ omnia è conuerso in sensu propter oppositam rationem accidunt.

Ad fundamentum eiusdem sententiæ pro secunda illius parte constat ex dictis.

QVÆSTIO V.

An sensus circa sensibilia propria, communia, aut per accidens, decipiatur.

77. PRo tituli intelligentia notandum est: non esse dubium quin sensu externus non possit errare, circa proprium sensibile, imò neque circa cōmune per errorem, aut falsitatem formalem, quam compositam vocant. Nam hæc solùm potest inueniri in formali iudicio intellectus, cui soli datum est iudicare simpliciter, & vnum alteri attribuere, vel ab eo remouere, componendo, & diuidendo, & ad summum potest hoc ipsum aliqualiter inueniri in aliquo, vel aliquibus ex sensibus internis hominis per participationem ab intellectu. Quare tota difficultas reducitur ad errorem apprehensionis aliqualiter iudicatiuæ consistentem in hoc quod potentia apprehendat, & aliquo modo iudicet de rebus aliter ac in se sunt res & ita sua apprehensione occasionem errandi tribuat intellectui.

Quæ omnia docuit D. Thom. 1. par. qu. 17. art. 2. his verbis: *Dicendum quod falsitas non est quærenda in sensu, nisi sicut ibi est veritas: veritas autem non sic est in sensu, vt sensus cognoscat veritatem, sed in quantum veram apprehensionem habet de sensibilibus. Quod quidem contingit eo quod apprehendit res vt sunt: vnde contingit falsitatem esse in sensu ex hoc quod apprehendit, vel iudicat res aliter quam sunt.*

Refertur, & refellitur duplex sententia.

§. I.

78. PRima sententia asserit, sensum in nullo euentu decipi. Hanc tenuere Epicurei (vt refert Tullius in quæstionibus Academicis) & August. lib. 7. de Ciuitate Dei, cap. 7. imò eam magna ex parte videtur sequi Tert. in lib. de Anima c. de primis sensibus, & probari potest: primò, quoniam si sensus decipiuntur: fiet inde, vt semel abrogata eorum fide: nulla in scientiis certitudo: quoniam scientiæ in principiis, principia autem in experimento, & existimatione sensuum innituntur.

Secundò, quia sensus apprehendit rem, vt per species repræsentatur: species vero talis est, quale est, obiectum ipsum in se, quippe quæ est naturalis eius imago: ergo cum sensatio correspondeat speciei, & species rei cognitæ, nullus deceptioni locus relinquetur. Ex hoc ipsum non parum confirmat dictum illud D. Augustini lib. de vera Religione: *Si omnes corporis sensus ita nuntiant sicut afficiuntur, quid ab eis amplius exigere debeamus ignoro.*

Tertio tandem accedit, argumentum Tertulliani, quia aliàs nullius roboris esset illa probatio, qua Ioannes Apostolus vtitur ad confirmandum ea, quæ in sua Canonica docet, dicens: *Quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostra contrectauerunt de verbo vita, & cætera quod vidimus, & audiuimus, & annuntiamus vobis*: Hoc autē dicit nequit, vt ex se constat, ergo; &c. Sequæ patet quoniam si sensu decipi possunt, non rectè colligeret Ioannes ita esse ea, quæ ibidem docet; ex eo quod ipso, & cæteri Apostoli illa viderint, & audierint. Quibus adde dictum illud Aristot. 8. Physic. cap. 3. text. 22. vbi hebetem eum censet, qui sensibus fidem abrogat.

79. Cæterùm sententia hæc euidenti experientiæ contradicit: experimur enim, quòd homo febricitans

qui

qui gustum humore colerico infectum habet, indicat res dulces esse amaras, & videns alia corpora per vitrum viride indicat esse illa viridia, quamuis reuera tali colore careant; sicut etiam in iride esse veros colores existimamus, cùm tamen ibidem tales colores in probabiliori sententia non sunt.

Secunda sententia est Toleti quæst. 13. huius libri, vbi asserit sensum, verbi gratia gustum, dupliciter comparari ad suum obiectum, scilicet, sapidum; nam vel confertur cum eo vniuersaliter, aut vagè sumpto, vel determinatè cum hoc sapido, v.g. dulci, & respectu sapidi primo modo sumpti nunquam decipi, quia nunquam existimat esse sapidum id quod nullo gaudet sapore, bene tamen respectu huius, vel illius sapidi, quia sæpè iudicat obiectum esse amarum, cùm tamen sit dulce, vel acre.

80. Sententia hæc, quoad secundam partem satis constat, ex impugnatione primæ sententiæ à nobis adducta. Quoad primam verò suadetur sic; quoniam repugnat potentiam tendere in id, quod non participat aliquo modo rationem proprij obiecti: sed si gustus v.g. erraret circa rationem communem proprij sensibilis, versaretur circa aliquid quod non participet rationem proprij obiecti, scilicet sapidi, seu gustabilis: ergo repugnat quod circa illud sic sumptum erret. Maior constat inductiuè in omnibus potentiis. Minor verò etiam liquet, quia perciperet aliquid quod non esset sapidum, alioqui non erraret circa sapidum vniuersaliter, aut vagè acceptum: ergo versaretur circa aliquid quod non participaret propriam rationem sui obiecti, scilicet sapidi.

Sed neque hæc sententia sic explicata videtur esse omni ex parte iuxta mentem Arist. nam Philosophus in dicto cap. 6. text. 63. non solùm dixit sensum non decipi circa proprium sensibile, sed addidit, quod circa sensibilia communia, & sensibilia per accidens decipitur. At sicut sensus circa communem rationem proprij sensibilis semper est verus; ita etiam circa rationem sensibilis communis, quia sicut nihil potest visus percipere, quod non sit visibile: ita nullum visibile potest videre, quod non sit modificatum per aliquod ex sensibilibus communibus: ergo iuxta hanc sententiam saluari nequit discrimen, quod Arist. inter sensibilia propria, & communia in ordine ad deceptionem sensus adhibuit.

Vera Aristot. & D. Thom. sententia.

§. II.

81. His ergo reiectis sententiis dicendum est: sensum circa sensibilia propria non decipi per se, sed per accidens, etiam si talia sensibilia secundùm peculiares rationes considerentur; at circa sensibilia communia, & per accidens posse etiam per se decipi, seu quod idem est circa sensibilia propria etiam secundùm speciales rationes sumptas, non nisi rarò; circa communia verò frequenter, & multò magis circa sensibilia per accidens decipitur.

Hæc est expressa Aristot. qui in hoc 2. lib. text. 161. se explicuit, dicens: *Sensus quidem propriorum est verus, aut quam paucissimum habens falsum*, & paucis interpositis, *quod enim sit album non mentitur*, & paulò inferiùs. *Dico autem vt motus, & magnitudo accidunt sensibilibus circa quæ est maximè iam decipi secundum sensum.* Et ita per accidens decipitur circa sensibilia propria etiam secundùm suas speciales rationes sumpta, & per se circa sensibilia communia, sensibilia per accidens, quia quod est frequentiùs, per se euenit, è contra verò defectus, qui rarò euenit per accidens contingere dicitur.

82. Quod etiam docuit D. Th. ibidem lect. 6. vbi loquens de sensu externo, sic ait: *Nam primò quidem circa propria sensibilia semper verus est aut modicum habet de falsitate. Sicut enim potentiæ naturales non deficiunt in propriis operationibus, nisi in minori parte propter aliquam corruptionem: sic etiam sensus non deficiunt à vero iudicio propriorum sensibilium, nisi in minori parte propter aliquam corruptionem organi, vt apparet in febricitantibus, quibus propter indispositionem linguæ, dulcia amara esse videntur. Secundò autem, sensus est circa sensibilia per accidens, & hic iam decipitur sensus. Quod enim album sit quod videtur, non mentitur sensus: sed si album sit hoc, aut illud, puta aut nix, vel farina, vel aliquid huiusmodi: hic iam contingit mentiri sensum & maximè à remotis. Tertiò sensus est sensibilium communium, quæ consequuntur subiecta, in quibus sunt accidentia, quæ sunt sensibilia propria: sicut magnitudo: & motus, quæ sunt sensibilia communia, accidunt sensibilibus corporibus: & circa huiusmodi est deceptio: quia iudicium de his variatur secundùm diuersitatem distantiæ.*

83. Et similiter 1. part. q. 17. art. 2. loquens etiam de sensu externo, inquit: *Et circa propria sensibilia sensus non habet falsam cognitionem, nisi per accidens, & in paucioribus, ex eo scilicet quod propter indispositionem organi non conuenienter recipit formam sensibilem, sicut & alia passiua propter suam indispositionem deficienter recipiunt impressionem agentium, & indè est, quòd propter corruptionem linguæ in infirmis dulcia amara esse videntur. De sensibilibus verò communibus, & per accidens potest esse falsum iudicium, etiam in sensu rectè disposito, quia sensus non directè refertur ad illa, sed per accidens, vel ex consequenti in quantum refertur ad alia.* Quod etiam docet 1. part. quæst. 85. articul. 6. Vndè, tam Aristotelem, quam Diuum Thomam sequuntur Bañez 1. part. quæst. 58. articul. 3. Rubio lib. 2. de Anima capit. 5. tractat de obiectis, atque de speciebus sensibilibus quæst. 15. Conimbricens. ibid. q. 6. art. 2. Ferrara q. 10. Suarez 1. tom. summæ Theologiæ tract. 3. l. 3. & ferè omnes alij Philosophi.

84. Deinde ratione quoad priorem eius partem suadetur sic assertio: Nam sensus v. g. gustus, per se primò respicit proprium sensibile, scilicet gustabile, tanquam suum specificatiuum, & hoc, vel illud gustabile in particulari sumptum, tanquam id quod participat rationem specificatiuam talis sensus: ergo quantum est ex vi prædicti sensus, & sui proprij sensibilis semper tendet ad cognoscendum illud, sicut est in se, ipsumque sensibile, sicut est in se, eidem cognoscendum obiicietur: ergo per se loquendo nunquam in illo erit deceptio, circa prædictum sensibile; sed si aliquis contigerit hic, rarò & per accidens continget. Antecedens non indiget probatione. Prima verò consequentia etiam constat: nam potentia cognoscitiua & eius obiectum specificatiuum, ac proinde, ea quæ rationem prædicti obiecti participant, habent inter se essentialem coaptationem, & commensurationem, ita vt essentia potentiæ sita sit in hoc, quòd quantum est ex vi sua tendat in prædicta obiecta prout in se sunt, id est non apprehendendo ea aliter ac sunt, & similiter hæc quantum est ex se obiiciantur illi, vt cognoscenda prout in se sunt.

Ex quo etiam secunda consequentia liquet: nam hoc ipso quòd sensus quantum est ex se semper tendat in proprium sensibile prout est in se; oportet, vt per se loquendo nunquam decipiatur circa illud, sed solum per accidens ratione alicuius impedimenti, per accidens occurrentis, ac proindè oportebit, vt rarò talis deceptio contingat; quandoquidem (vt suprà dicebamus) quæ per accidens fiunt, rarò contingunt.

85. Ex quo etiam, quoad vltimam eius partem,

scilicet quòd sensus possit circa sensibilia communia, & multo magis circa sensibilia per accidens errare frequenter,& per se,sic ostenditur eadem assertio:nam sensus solùm per accidens, ad sensibilia per accidens terminatur,& ad sensibilia communia tantum ex consequenti,& per se secundo non verò per se primò, ac proindè circa illa poterit omninò per se decipi, circa hæc verò aliquo modo per se poterit errare, quippè cum non habeat, per se primo commensurationem cum illis, & non ob aliud, nequit circa propria sensibilia per se decipi, quia per se primò, & modo dicto cum eisdem commensuratur.

Confirmatur hæc eadem pars ratione desumpta ex D.Thom.in hoc 2.lib.lect.15. nam ex vi modi quo per se attingitur primum,& potissimum sensibile commune, sc. quantitas seu magnitudo, oritur quòd sensus possit per se loquendo circa illum decipi; ergo etiam id poterit circa alia sensibilia communia, ac proindè multo melius poterit circa sensibilia per accidens cum quibus solùm per accidens connectitur,errare. Vtraque consequentia satis constat.

Antecedens autem probatur addocendo modum, quo visus v.g.decipit magnitudinem rei visibilis.Hunc autem explicat D.Thom.loco citato his verbis: *Omne corpus videtur sub quodam angulo cuiusdam trianguli vel magis pyramidis cuius basis est in re visa,& angulus est in oculo videntis, quod ideò necesse est, quia cum res visa sit maior quantitate quàm pupilla, oportet,quod proportionaliter diminuendo perueniat immutatio visibilis vsque ad visum; manifestum autem quod quantò latera trianguli vel pyramidis sunt longiora dummodo sit eiusdem visus, tantò angulus est minor, & ideò quantò à remotiori videtur,minus videtur,& tantò potest esse distantia quod omninò non videtur.* Vbi vt vides ex modo quo fit visio oritur vt visus circa sensibile commune, scilicet magnitudinem decipiatur.

86. Secundò principaliter probatur assertio ratione,quam innuit D.Thom.locis citatis; nam sensus habet cognoscere per similitudinem rei cognitæ,sicut res naturales habet operari per suam formam naturalem; at res naturalis nequit per se loquendo deficere ab operatione, quæ ei conuenit ratione suæ formæ, benè tamen ab aliquibus consequentibus, vel accidentibus eidem operationi, quæ oriuntur ex aliis accidentibus, aut consequentibus eandem formam; ergo neque sensus poterit per se loquendo deficere à cognitione propriorum sensibilium, quæ est operatio conueniens ei,ratione suæ formæ sensibilis, benè tamen à cognitione consequentium, vel accidentium, eidem operationi,scilicet à cognitione sensibilis communis, vel per accidens, quorum cognitio consequitur, vel accidit cognitioni proprij sensibilis ex eo quod ad speciem proprij sensibilis consequitur modificatio sensibilis communis, vel eidem accidit quod per accidens, & modo dicto in ordine ad sensibile per accidens deseruiat.

Occurritur argumentis initio adductis.

§. III.

87. AD primum pro prima sententia respondetur negando sequelam; quia licèt sensus circa propria sensibilia rarò, & per accidens decipiantur: attamen per se loquendo, frequenter non habent circa illa errare, & ita hinc experientia euerti nequit cùm hæc ex plurium sensationum ibi consentientium collectione nascatur.

Ad secundum dicendum est cum D. Thom. 1.part. quæst. & art. iam citatis, solùm conuincere,quod sensus circa proprium sensibile per se loquendo non decipiatur, non tamen quod per accidens nequeat ibidem deceptio interuenire, ex eo quod propter indispositionem organi verbi gratia, non conuenienter recipitur forma sensibilis,sicut, & alia passiua propter suam indispositionem deficienter recipiunt impressionem agentium; & ideò species prout in organo recipitur nequit vniri quantum satis est, vt ducat in cognitionem proprij sensibilis prout est in se; sicut etiam species ratione magnæ distantiæ est aliquando, ita vt sic dicamus refracta vt etiam quantum est de se nequeat repræsentare obiectum prout est in se, sed confusè, & imperfectè, atque adeò fit ratio alicuius deceptionis sensus circa illud.

88. Ad illud autem quod ex D. August. adducitur respondet idem D. Thomas loco citato in solutione ad primum, his verbis: *Dicendum quod sensus affici, est eius sentire; vnde per hoc, quod sensus ita nuntiant sicut afficiuntur, sequitur quòd non decipiamur in iudicio, quo iudicamus nos sentire aliquid: sed ex eo quod sensus aliter afficitur interdum quam res sit, sequitur, quòd nuntiet nobis aliquando rem aliter quàm sit, & ex hoc fallimur per sensum circa rem non circa ipsum sentire.*

Ad tertium respondent Conimbr. argumento illo Tertulliani reuinci eos, qui contendebant sensus in perpetuo errore versari, non tamen concludi ipsos nunquam decepi, quia satis est eosdem circa sensibilia propria rarò errare, ad hoc vt argumentum petitum ex experimento sensuum, suam vim habeat,vt in solutione ad primum dicebamus.

Ad argumentum pro secunda sententia non est necesse responsum præbere,vt inuenti constabit.



DISPVTATIO X.

DE SENSV VISVS.

POSTQVAM de sensibus externis in communi egimus, meritò ad agendum de eisdem in particulari, & sigillatim accedimus. Inter quos primum locum visui, vnà cum Aristot. in hoc 2. lib. cap.7. damus: quia sensus iste cæteros externos sensus dignitate superat, vt ex infra dicendis disp.14. num.50. constabit.

QVÆSTIO

QVÆSTIO PRIMA.

QVID SIT LVX.

1. SVb obiecto visus, tam lux, quàm color continentur, vt Aristot. cap.7. nuper citato & D. Thom. ibidem lect.14. Et vniuersi Philosophi fatentur, & experientia ipsa constat. Quare, cum notitia potentiarum ex cognitione obiecti, tam secundam suam entitatem, quam in ratione obiecti considerari dependeat; ideò oportet tam lucis, quàm coloris naturam in his duabus prioribus quæstionibus aperire; sed quia præstantia, & nobilitas visus supra alios sensus externos in causa est, vt primo loco de illo agamus; sic propter eandem rationem quia lux est qualitas quædam perfectissima superans veros colores, vt ex se, & ex his, quæ Aristotel. & D. Thomas loco citato docent, constat. Ideò priùs de luce, quàm de colore sermonem instituemus.

Agimus autem in hac quæstione de luce non in ratione visibilis, sed secundum suam entitatem, quia quid de ea in ratione visibilis dicendum sit, constabit ex his, quæ in hac eadem disput. quæst.4. dicemus.

2. Vt autem quæstionis titulus meliùs intelligatur notandum est; quòd licèt hæc quatuor, nimirum *lux, lumen, radius*, & *splendor*, sint eiusdem speciei; nihilominus diuersis nuncupantur nominibus, & his aliquo modo diuersa significata correspondent. Vocatur enim *lux* quatenus residet in proprio corpore lucido, in illo scilicet quòd non ab extrinseco, alio agente, sed (modo alibi explicando) lucidum est. At secundum quod prædicta lux à corpore lucido diffunditur in medium, appellatur lumen, sicut etiam si lumen hoc per lineam rectam producatur nomine radij insignitur. Si autem in corpore in quod directè diffunditur, reflectatur, tunc splendor appellatur.

Quæ omnino eleganter docuit D. Thom. lect.14. iam citata, his verbis: *Lux est qualitas actiua corporis cœlestis, & paucis interpositis, ipsa igitur participatio, vel effectus lucis in diaphano vocatur lumen, & si fit secundum rectam lineam ad corpus lucidum, vocatur radius. Si autem causatur ex reuerberatione radij ad corpus lucidum, vocatur splendor.*

Quare titulus quæstionis, non de luce provt condistincta à lumine radio, aut splendore, sed provt omnia hæc complectitur, secundam quod omnia illa sunt eiusdem speciei, intelligendus est.

Variæ sententiæ.

§. I.

3. PRima sententia asserit lucem esse quoddam corpus lucidum, & omnium nobilissimum. Ita Empedocles, & plures alij ex Academicis Philosophis, ad quam reduci potest alia asserentium lucem esse substantialem formam corporum lucidorum, quam sequuntur nonnulli, quos refert D. Thom. 1. part. quæst.67. art.3.

Et suaderi quoad primam partem potest testimoniis: tum Aristotel. asserentis (vt D. Thom. loco citato refert) *quod lumen est species ignis*, ac proindè cùm ignis sit corpus, etiam lumen rationem corporis habebit: tum etiam Sanctorum Patrum. Nam Augustinus lib.3. de libero arbitrio cap.5. inquit, *quod lux in corporibus primum tenet locum*, & ita ipsa erit quoddam corpus, & similiter epistol.3. ad Volusianum, & lib.7. de Generat. ad lit. cap.1. lucem vocat subtiliorem naturam corporis, additque esse corpus animæ incorporeæ maximè vicinum. Et Theodoretus ad Hebr.1. sup. illa verba qui cùm sit splendor gloriæ, hoc ipsum fatetur. Et tandem Hugo de Sancto Victore lib. de Sacram. cap.9. asserit lucem primo die creatam fuisse corpus, & loco circumscriptam.

4. Confirmatur, nam ferri, intersecari, & reflecti, sunt propria corporum, hæc autem omnia tribuuntur communiter luci, seu lumini: ergo habebit veram rationem corporis.

Secundò, nam lumen ex se habet figuram: ergo erit corpus. Patet consequentia quia quòd ex se habet figuram, sortitur veram rationem corporis. Antecedens autem probatur. Nam radius solaris ingrediens, per foramen angulare, cadénsque super aliud corpus ad mediocrem distantiam positum apparet rotundus, vt experientia constat, cùm tamen figura hæc in nullo ex his, corporibus sit, vt supponitur, ac proindè lumen ex se illam affert.

Vltimò eadem sententia quoad secundam eius, quasi partem, probatur argumento, quòd pro illa adducit D. Thom. nam lux cœlestium corporum causat formas substantiales in istis inferioribus: ergo non erit aliqua qualitas sensibilis, sed magis substantialis quædam forma, quandoquidem causa non potest esse ignobilior suo effectu.

5. Confirmatur ex eodem Angel. Doctore, quia omnis qualitas sensibilis habet contrarium, sicut calidum contrariatur frigido, & album nigro, sed luci nihil est contrarium, siquidem tenebra, quæ ei opponitur, tantum est priuatio eiusdem lucis: ergo non erit qualitas sensibilis, ac proindè erit forma vera substantialis, nam vt perpendenti constabit, non apparet quid aliud possit esse.

Secunda sententia affirmat, lucem esse qualitatem, non tamen naturalem, sed intentionalem. Ita Scotus in 2. distinct. 13. quæstione vnica Ægidius ibidem, atque etiam 2. lib. de Anima ad text.76. dub.2. & 4. Caietanus Tiniensis ad textum 71. Burpianus quæstione 17. eiusdem libri. Sententia hæc quoad primam partem, scilicet lucem esse qualitate constabit ex infrà pro nostra dicendis: Quoad secundam verò partem probatur primò, quia D. Thom. de potentia q.5.art.1.ad 6. inquit, quòd lumen non est in aëre, sicut quædam forma naturalis perfecta, sed magis per modum intentionis.

6. Secundò. Nam qualitas sensibilis habens esse naturale, provt distinguitur contra intentionale, si supra sensum ponatur, non solùm non sentitur, verum etiam impedit, ne alia sentiantur, vt testatur Arist. in hoc s.l.c.7.& 11. & constat ex his, quæ suprà disp.9. numero 43. diximus, sed lumen positum in oculo non impedit sensationem aliorum, sed potius ad eam iuuat, vt experientia ostendit: ergo non erit qualitas naturalis, sed intentionalis, cuius proprium est, vt in sensu posita ad cognitionem sensibilium conducat.

Tertia sententia inquit, lucem esse qualitatem eminentem, atque adeò formaliter eminenter, esse simul qualitatem naturalem, & intentionalem, ac proindè non requirentem speciem intentionalem à

se

se distinctam per quam videatur: quia idem est aliquam qualitatem esse intentionalem, ac posse habere rationem speciei intentionalis in ordine ad sui visionem, ita aliqui ex Thomistis, quod probabile reputat Bañez 1.part. quæst.67.art.3.

7. Et probatur primò ex D.Thom.1.part.quæst.56. art.3. & in 2. sentent. distinct.13. quæst.1. art.1. & de veritate quæst.8.art.3.ad 17, vbi sic inquit: *Dicendum, quòd tripliciter aliquid videtur: vno modo per essentiam suam, sicut quando essentia visibilis coniungitur visui sicut oculus videt lucem, &c.*

Secundò nam lux duo habet, primum quod per se ipsam vnitur oculo, ita vt per sui visionem, non impediat, sed potius iuuet ad sensationem. Secundum verò, quòd inter qualitates corporeas habet esse satis subtile: ergo poterit vniri per modum speciei in ordine ad visionem, & per consequens cum ex alia parte habeat esse naturale, vt ex se patet, & ex statim dicendis magis constabit, erit qualitas, quædam eminens, quæ simul habeat esse naturale & intentionale. Antecedens cum secunda consequentia satis constant. Prima verò etiam liquet, nam ideò aliæ qualitates corporeæ indigent speciebus, quia sunt valdè materiales, & non possunt vniri sensui, quin impediant sensationem, vt in colore constat ergo, &c.

Tradita sententia refelluntur.

§. II.

8. NVlla tamen ex his sententiis placet. Nam in prioris, prima quoad primam eius partem, nimirum lucem esse corpus, est contra Aristot. in hoc 2. lib. cap.7. & D. Thom. ibidem lect.54. & 1. part. quæst.67. artic.2. in quibus locis ex professo, & ex Aristot. ostendit lumen non esse corpus, & ita in argumento, sed contra, quæstionis, & articuli citati sic primo arguit. *Nam duo corpora non possunt esse simul in eodem loco, sed lumen est simul cum aëre; ergo lumen non erit corpus.*

Deinde verò in lectione citata. *Nam si lumen est corpus, oportet, quòd illuminatio sit motus localis luminis deuenientis in diaphanum: nullus autem motus localis cuiuscunque corporis potest esse subitus sine in instanti: ergo illuminatio non est subitanea sed successiua, cuius contrarium videmus, quia in eodem instanti in quo corpus lucidum præsentatur, illuminatur diaphanum totum simul, & non pars eius post partem.*

Tertio tandem ibidem, *quia non esset facile assignare, quomodo sola oppositio corporis opaci esset causa corruptionis huius corporis*, scilicet luminis *in parte diaphani aliqua.*

Et similiter contra secundam, quasi partem eiusdem sententiæ, scilicet lucem esse formam quandam substantialem, sic arguit idem Angel. Doct. quæstione citata ex 1. part. artic.3. *Hoc etiam apparet impossibile propter duo: primò quidem, quia nulla forma substantialis est per se sensibilis; quia quod quid est, est obiectum intellectus, vt dicitur in 2. de Anima, lux autem est secundum se visibilis. Secundo, quia impossibile est, vt id quod est forma substantialis in vno, sit forma accidentalis in alio, quia forma substantiali per se conuenit constituere in specie, vnde semper & in omnibus adest ei: lux autem non est forma substantialis aëris, alioquin ea recedente corrumperetur, vnde non potest esse forma substantialis solis.*

9. Et deindè contra secundam sententiam sic argumentatur idem S.Doct. loco citato. *Quidam dixerunt, quod lumen in aere, non habet esse naturale, sicut calor in pariete, sed esse intentionale, sicut similitudo coloris in aëre, sed hoc non potest esse propter duo. Primo quidem, quia lumen denominat aerem, fit enim aer luminosus in actu, color verò*, seu similitudo coloris, *non denominat ipsum, non enim dicitur aër coloratus. Secundò, quia lumen habet effectum, in natura, quia per radios solis calefiunt corpora, intentiones autem non causant transmutationes naturalis.*

Et tandem tertia sententia est contra eundem S. Doctorem q.10. de veritate art.8. in solutione ad 10. ex his, quæ proposuit secundo loco, vbi sic ait: *Lux corporalis non videtur per essentiam, nisi quatenus fit ratio visibilitatis visibilium, & forma quadam dans eis esse actu visibile, ipsa enim lux, quæ est in sole, non videtur à nobis, nisi per similitudinem eius in visu nostro existentem, sicut species lapidis non est in oculo, sed similitudo eius.*

10. Et deindè, est etiam contra sequentem rationem, quam D.Th. ex Arist. c.7. iam citato adducit, his verbis. *Oportet enim ad hoc, vt aliquid videatur quod organum visus patiatur à visibili; ostensum est autem, quod non patitur ab ipso visibili immediatè, quia visibile suppositum oculo, non videtur relinquitur ergo, quod oporteat organum visus pati à visibili, per aliquod medium.* Ac proindè lux non poterit, per se ipsam habere rationem speciei, per quam videatur, alioquin inter visibile, & visum non intercedere necessario aliquod medium.

Confirmatione ratione, quam idem Aristot. & D.Thom. innuunt, quoniam in speculo è regione posito, aut etiam in aqua videtur Sol à tergo existens: ergo signum est, quòd aliquid dimanans à sole, per reflexionem factam in speculo peruenit ad nostrum oculum quo mediante videmus solem; hoc autem non est lumen, quia ablato speculo, non videtur Sol, & tamen per illius oblationem, non aufertur lumen ab oculo: ergo est species intentionalis à lumine distincta.

Ex mente Arist. & D. Thom. quæstio resoluitur.

§. III.

11. DIcendum ergo est, lucem, neque esse corpus, neque formam substantialem, neque qualitatem solùm intentionalem, aut simul, & eminenti modo naturalem, & intentionalem, sed qualitatem naturalem, quæ optimè diffinitur per hoc quod sit actus perspicui, vt perspicuum est, seu per hoc, quòd sit actus perspicui, vt illustrati, & illuminati. Assertio hæc quoad priores eius partes est Aristot. & D.Thom. locis citatis quoad vltimam verò est eiusdem Philosophi textu 69. huius 2. libr. his verbis. *Lumen autem est actus diaphani secundum quod est diaphanum.* Vbi D.Thom. lect.4. *Ostendit quid sit lumen dicens, ergo primo quòd lumen est actus diaphani, secundùm quod est diaphanum. Manifestum est enim quòd nec aër, nec aqua aliquid huiusmodi est actus transparens, nisi fuerit illuminatum.* Eandem sententiam sequuntur communiter expositores Aristot. in hoc 2. lib. c.7. Alex. Simplicius, Themistius, Philoponus, & Alberto: Albert. tract.3. cap.10. & tr. Conimbr. Rubio. tum in Commentariis prædicti cap. tum etiam tract. de sensu visus quæst.2.3. & 4. Zanard. 2. de Anima quæst.18. & alij plures.

Assertio hæc quoad primam partem scilicet quoad id, quod luci denegat, satis constat ex dictis in hac quæst. à num.8. Quoad secundam verò partem, nimirum lucem esse qualitatem naturalem, non indiget probatione, quia satis constat illam esse formam intensibilem, & remissibilem, ac per se primò sensibilem, & consequenter esse veram qualitatem & non qualemcumque, sed naturalem, vt ex D.Thom. suprà ostendimus.

12. Quoad

12. Quoad vltimam verò partem probatur ex his, quæ in Logica ex Aristot. D.Thom. disput.5. num.21. & deinceps diximus, scilicet accidentia in abstracto optimè diffiniri, per rationem aliquam superiorem per modum generis, & per subiectum proprium illorum loco differentiæ: at lux hoc modo diffinitur in præsenti: ergo optimè sic eius natura explicatur. Minor patet, quia per modum generis ponitur particula illa actus, quæ est ratio superior, tam luci, quàm aliis qualitatibus, & loco differentiæ ponitur proprium subiectum, formatum tamen, scilicet diaphanum, vt D.Thom.lect.14. iam citat. loquitur. *Ipsum autem diaphanum secundum se est in potentia respectu luminis, & respectu tenebra quæ est priuatio luminis, sicut materia prima est in potentia respectu formæ, & priuationis, lumen autem comparatur ad diaphanum sicut color ad corpus terminatum, quia vtrumque est actus, & forma sui susceptiui.*

Confirmatur, nam vt suprà disp.2. num.30.& 31. ex Aristot. & Diuo Thoma diximus, optimè diffinitur aliqua forma, siue accidentalis, siue substantialis per suum subiectum formatum, & ita albedo rectè diffinitur per hoc, quòd sit actus albi, & similiter animal per hoc, quòd sit actus animati, vt talis: ergo etiam optimè diffinietur lux, vel lumen per hoc quòd sit actus lucidi, vel illuminati quatenus lucidum, vel illuminatum est, id est quatenus habet esse actu diaphanum.

13. Prima consequentia ex paritate rationis apertè constat. Secunda verò ex hac priori satis liquet, nam sicut idem est perspicuum, seu diaphanum, vel transparens in potentia, ac corpus potens recipere intra se lumen, ac proinde, corpus illuminabile, ita idem est perspicuum, seu diaphanum, vel transparens in actu, ac corpus actu illuminatum, siue illustratum, & ideo D.Thom. vbi suprà dixit: *Manifestum est enim, quòd nec aer, nec aqua, neque aliud huiusmodi est actu transparens, nisi fuerit illuminatum.*

Nec refert si obiicias, etiam corpora opaca esse receptiua luminis saltem secundùm externam superficiem: ergo malè dicitur lucem, vel lumen diffiniri optimè per corpus diaphanum, quia diffinitur per suum proprium susceptiuum. Consequentia patet. Antecedens autem est Aristot. de sensu, & sensibili c.3.& Diui Thomæ: tum ibid. lect.6. tum etiam in 2. dist.15.q.1.art.3.ad 10. vbi sic inquit: *Dicendum quòd sicut dicit Dionys. in 4. cap. de diuinis nominibus, lumen solis recipitur in diuersis corporibus, diuersimodè secundum diuersam capacitatem eorum, & ideo aliqua sunt, quæ illuminantur in superficie tantum, vt corpora opaca: aliqua etiam sunt quæ illuminantur in profundo, sicut diaphana.*

14. Et insuper experientia suaderi potest, quandoquidem per visum percipimus rem albam, & illuminatam, ac distinguimus in ea lumen ab albedine, & licet ob densitatem, seu opacitatem lumen intetiùs non peruadat, attamen cum attingat superficiem cui hæret color, poterit, & debebit in eodem subiectari.

Non itaque hoc refert, nam vt docet Diuus Thomas lectione citat. ex l. de sensu, & sensibili, in hoc 2. l. lect. 14. ratio corporis diaphani non consistit in indiuisibili, ita vt inter corpora diaphana non sit sua latitudo, & quædam oon sint magis diaphana, magisque perspicua, quàm alia; quod adeò verum est, vt nullum sit corpus opacum, quòd magis vel minus, non participet aliquid diaphaneitatis, quamuis ea, quæ multum opacitatis retinent, valdè imperfectè diaphaneitatem participent, ac proinde, valdè imperfectè, scilicet secundùm externam solam superficiem possit illuminari.

Vnde non mirùm, quòd Philosophus, & Diuus Thomas lucem, vel lumen per diaphanum diffinierint, siquidem nihil potest illuminari, quòd vel non sit diaphanum, vel aliquid diaphaneitatis secundùm aliquod sui participet, nam hoc satis est, ad hoc, vt perspicuum dicatur subiectum adæquatum lucis, sicut ad hoc, quòd aliquid sit obiectum adæquatum alicuius scientiæ, sufficit, vt nihil attingatur ab ea, nisi ipsum, vel id quod ad ipsum reducitur.

Soluuntur argumenta aliarum sententiarum.

§. IV.

15. AD primum pro prima sententia ex variis testimoniis desumptum, & primò ad testimonium Aristot. respondetur cum Diuo Thoma 1.p.q.67. art.2.ad secundum, vbi sic ait: *Dicendum quod Arist. lumen nominat ignem in propria materia, sicut ignis in materia aerea dicitur flamma, & in materia terrea dicitur carbo; non tamen est multum curandum de his exemplis, quæ Arist. inducit in libris Logicalibus, quia inducit ea, vt probabilia secundùm opinionem aliorum.*

Ad testimonium verò ex Augustino respondet ibidem Angelicus Doctor art. proximè citato in solutione ad primum. *Dicendum quòd Augustinus accipit lucem pro corporeo lucido in actu, scilicet pro igne, quòd inter quatuor elementa nobilissimum est.* Ex eodem proportionali modo intelligendi sunt alij Patres, qui sumunt lucem pro corpore lucido in quo est, quamuis ipsa tantùm sit accidens.

Ad confirmationem respondet idem Angel. Doctor in hoc 2. lib. lectione 14. & art. nuper citato in solutione ad tertium. *Dicendum quòd omnia illa attribuuntur lumini metaphoricè sicut etiam possunt attribui calori: quia enim motus localis est naturaliter primus motuum, vt probatur in 8. Phys. vtimur nominibus pertinentibus ad motum localem in alteratione, & in omnibus motibus sicut etiam nomen distantia deriuatum est à loco ad omnia contraria, vt dicitur, 10. Meth.*

16. Ad secundum negandū est antecedens, & ad probationem dicendum est, lumen de se nullam prorsus habere figuram, sed apparere figuratum, vel ratione corporis luminosi à quo procedit, vel ratione corporis per quod ingreditur, vel ex alia extrinseca causa de qua perspectiui.

Ad vltimum respondetur ex D.Th. q.67. iam citata in solutione ad tertium, quòd sicut calor agit ad formam ignis per modum virtutis instrumentariæ, in virtute formæ substantialis, ita lumen agit eodem modo in virtute corporum cœlestium ad producendas formas substantiales, & ita poterit non esse substantialis, sed qualitas quædam, quia id quod agit per modum formæ, seu virtutis instrumentariæ non oportet, vt sit eiusdem perfectionis cum effectu.

17. Ad confirmationem respondetur ex D.Thom. loco nuper citato in solutione ad secundum, & lect.14. sæpiùs citata negando antecedens, nam lux est qualitas naturalis primi corporis alterantis, & non habentis contrarium & ideo ipsa etiam non habent contrarium.

Ad primum pro secunda sententia respondetur cum Ferrara in hoc 2. libro quæst.4. quod esse intentionale potest accipi dupliciter, vel vt opponitur esse naturali, vel vt opponitur esse fixo, & permanenti. Primo modo, lumen non habet esse intentionale in aëre. Vnde Diuus Thomas tantum volt, quod lumen habet esse in aëre per modum intentionis, quia habet esse transiens, sicut intentio, vt ipse se explicat quæst.6. de potentia articul.4. Et etiam quia suum esse naturale est satis immateriale, sicut intentio, seu

species

species intentionalis coloris quamuis non pertingat ad tantam immaterialitatem quantam illa. Vnde ob hanc affinitatem, quam habet cum speciebus intentionalibus, ex eo quod est qualitas valdè subtilis inter corporeas, & quia iuuat,& disponit ad receptionem specierum intentionalium obiectorum visibilium, solet aliquando vocari qualitas intentionalis, seu deseruiens per se, & directè ad intentionem, seu attentionem, & cognitionem potentiæ cognoscitiuæ externæ.

18. Ad secundum respondetur, hoc esse speciale in lumine, vt licèt in sensu receptum vel positum supra illum non possit saltem directè sentiri, nihilominus ratione suæ immaterialitatis iuuat, & disponit ad hoc vt fiat sensatio alterius sensibilis, v. g. albi; quia disponit ad hoc, vt species illius recipiatur in diaphano & in pupilla, quia diaphanum, & pupilla non nisi illuminata possunt prædictam speciem recipere.

Ad primum pro tertia sententia respondetur Diuum Thomam, non absolutè docuisse lumen videri per essentiam suam, seu sine specie à se distincta, sed hoc adduxit in exemplum, ad explicandum id quod præcipuè ibidem intendebat; constat autem, quòd vt passim docet Diuus Thomas, vel exemplum non requiritur veritas, vel vt ex eodem Angelico Doctore quæstione 67. sæpiùs citata articulo 2. patet; satis est ad adducendum aliquid in exemplum vti sententiis probabilibus aliorum, cúmque, non careat sua probabilitate, quod lux sit simul qualitas naturalis, & intentionalis, ideò potuit iuxta hunc modum dicendi adducere lucem, per modum exempli, ad explicandum quod aliquid potest videri per suam essentiam.

Vnde vt Sanctus Doctor innueret se hunc dicendi modum, circa lucem, non sectari, ideò 1. parte quæstione 56. art.3. explicans id ipsum quod quæstione 8.de veritate,ex qua verba relata in argumento desumuntur, non dixit absolutè, quòd lux videatur per præsentiam suæ essentiæ in cognoscente, sed vsus est modo loquendi conditionali dicens: *Considerandum est quòd aliquid tripliciter cognoscitur. Vno modo per præsentiam suæ essentiæ in cognoscente, sicut si lux videatur in oculo,&c.*

19. Ad secundum concesso antecedenti neganda est vtraque consequentia; & ad probationem prioris, ex qua pendet probatio posterioris, dicendum est, non sequi ex eo quod lumen; per vnionem sui non impediat, sed potiùs iuuet ad sensationem, quòd possit vniri per modum speciei intentionalis ad visionem sui; sed quòd possit etiam ad prædictam visionem conducere, quando mediis speciebus, per reflexionem in speculo causatis,inspicitur: nam sicut aliæ qualitates, visibiles, & materiales, non obstante,quod indigeant speciebus intentionalibus, nihilominus etiam indigent lumine existente in organo vt videantur, quia hoc petit natura eiusdem organi; ita propter eandem rationem lumen indigebit alio lumine, vt directè videatur, & se ipso, vt per reflexionem in speculo possit percipi per visum.

Et ratio est quoniam maior immaterialitas requiritur ex parte potentiæ, & specierum, quàm ex parte aliarum dispositionum requisitarum ad organum: lumen autem licet sit qualitas immaterialior, quàm aliæ qualitates, vt albedo, & nigredo, non tamen pertingit ad eam immaterialitatem, & subtilitatem, quam species intentionalis requirit.

QVÆSTIO II.

Vtrùm lux distinguatur essentialiter à colore?

MAior notitia naturæ lucis, ex his, quæ in hac quæstione dicenda sunt,non parum pendet, & ideò eam post præcedentem statim excitamus.

Sententia negans.

§. I.

20. PArtem negantem tuentur Plato in Thimæo, Alpharabius, & Auempace, vt refert Auerroës comm.65. quæ etiam placuit Auicennæ lib.6. cap.1. Vnde asserunt colorem nihil esse aliud, quàm lumen ipsum receptum in corpore opaco, præsertim mixto, & iuxta diuersum modum, quo in eo recipitur, & refrangitur, facit vt diuersi colores ibidem appareant.

Probatur primò ex Aristotele in hoc secundo libro cap.7.text.68. vbi inquit: *Diaphanum autem dico, quod quidem visibile, non autem secundùm se visibile, sed propter extraneum colorem.* Quare cum reddatur visibile per lumen,quod deforis,& à corpore luminoso illi communicatur,consequens est,vt lumen sit color externus,seu de foris adueniens quod reddit illud coloratum, & visibile, & ideò idem Aristot. textu 69. addit: *Atque lumen quasi perspicui color est.* Vt denotaret, corpora quasi perspicua reddi colorata per lumen,ac proinde lumen, & colorem non esse essentialiter distincta.

21. Confirmatur primò ex D.Th. lib. de sensu, & sensato lect.7. vbi sic inquit: *Proprius actus perspicui in quantum huiusmodi est lux; cuius præsentia in diaphano non determinato, sicut est aer, facit lumen, eius autem absentia facit tenebras: contingit ergo in extremo perspicui terminatorum corporum in esse illud, quòd in aëre facit lumen, & hoc faciet ibi colorem album, & per eius absentiam efficietur color niger.*

Confirmatur secundò ex Diuo Thoma lib.2. huius operis lectione 14. vbi inquit: *Color nihil est aliud, quàm lux quodammodo obscurata ex admixtione corporis opaci:* ergo sentit colorem non distingui essentialiter à luce: quià lux etiam si sit quodammodo obscurata, non distinguitur essentialiter à se ipsa, vt non habet esse quodammodo obscuratum:quando quidem lux intensa,& remissa sunt eiusdem speciei.

Secundò, nam videmus nubes ex diuersa solis radiatione, nunc albo, nunc rubeo colore perfundi. Item mare ob eandem causam, nunc purpurescere, nunc si à longè inspiciatur album, si verò in minori distantia nigrum se exhibere. Videmus etiam columbarum ceruices, & pauonum caudas ex diuerso lucis aspectu mirificè colores variare. Quæ omnia satis indicant colores nihil esse aliud, quàm lumen ipsum.

22. Confirmatur, nam hinc videtur ortum duxisse dictum illud Poëtæ libro 6.Æneid. *Rebus nox abstulit atra colorem.* Atque etiam illud Ecclesiæ in quodam hymno. *Rebus iam color redit, vultu nitentes syderis.* Et tandem illud Aristot.libro de sensu, & sensato c.1.vbi inquit:omnia corpora esse colore prædita, non hoc non posset esse verum nisi lux, quæ omnia corpora illustrat, esset color.

Sententia Aristotel. & Diui Thomæ stabilitur.

§. II.

23. PRo huius quæstionis decisione notandum est, colores esse in duplici differentia, alios apparentes, quia reuera non sunt proprij colores, licet sint veræ qualitates: alios autem veros, ac proinde naturam veri coloris participantes; inter quos hæc est differentia quòd priores aduenjunt de foris, quia causantur à lumine de foris adueniente, posteriores verò ab aliquo interiori principio procedunt. Quam diuisionem admittunt omnes huius ætatis Philosophi, & eam docuit Aristot. lib. de coloribus Meteororum cap. 4. Nec non de sensu & sensibili c. 3. ex quo loco eam desumpsit D. Thom. lectione 14. his verbis. *Et dicit quod oportet existimare eandem naturam esse, quæ est susceptiua coloris in corporibus, quæ colorantur exterius, id est non per proprium, sed ex aliquo exteriori, & in his, quæ colorantur interius per proprium colorem: illa autem quæ colorantur ab exteriori sunt perspicua, sicut aër, & aqua, & hoc manifestat per colorem, qui apparet in aurora ex resplendentia radiorum solis ad aliqua corpora.*

His ergo suppositis dicendum est primò, colores apparentes non distingui à lumine. Assertio hæc est Aristot. & Diui Thom. loco citato, & omnium ferè Philosophorum, & ideò ab eis referendis abstinendum, quam satis ostendit ratio illa, quam loco nuper adducto insinuant Aristot. & D. Thomas, scilicet hos colores variari, & diuersimodo visui apparere secundùm diuersum aspectum, distantiam, & situm ad corpus luminosum, vt ex se, & ex secundo argumento in fauorem primæ sententiæ adducto constat, nam hoc satis indicat eos nihil esse aliud quàm ipsam lucem in corpore receptam.

24. Dicendum est secundò, veros colores distingui essentialiter à luce. Ita Aristot. in hoc lib. de coloribus cap. 1. 2. & 3. in 2. lib. huius operis text. 69. vbi iuxta translationem antiquam, sic ait: *Lumen autem, vt color est diaphani secundùm quod actu diaphanum ab igne.* Si autem esset verus color non addidisset Philosophus particulam illam limitantem, scil. *Lumen autem vt color*, id est, re vera non est verus color, licèt se habeat ad instar illius, ex eo quod receptus in corpore diaphano apparet vt color.

Quod etiam docet D. Thomas lectione 14. & de sensu, & sensato lectione 6. vbi sic refert, & explicat hæc verba Aristotel. *Dicit ergo primò quod sicut dictum est libro de Anima, lumen est color perspicui quod quidem dicitur secundùm quandam proportionem, ex eo quod sicut color est forma, & actus corporis colorati, ita lumen est actus perspicui; affert autem quantum ad hoc, quod corpus coloratum in se ipso habet causam sui coloris, sed corpus perspicuum habet lumen ab alio, & ideo dicit quod lumen est color perspicui secundùm accidens.* Vbi vt vides solùm concedit lumen esse colorem secundùm quandam proportionem ad verum colorem ab intrinseco prouenientem, non verò habere veram essentiam coloris ex eo quod solum causatur ab extrinseco, scilicèt ab externo luminoso, & eodem ferè modo hoc ipsum explicat secundo de Anima lect. 14.

25. Rationem primam, & fundamentalem huius assertionis tetigerunt Aristot. & Angelicus Doctor locis citatis, quæ potest sub hac forma proponi. Nam quoties duæ qualitates, ita inter se comparantur, vt vna earum petat oriri ex intraneis principijs subiecti, atque adeò esse permanenter, & defixe in illo, alia verò exigit aduenire de foris, & solùm per modum transeuntis esse in tali subiecto, tunc illæ qua-

litates essentialiter distinguuntur, sed color auri, v. g. petit oriri ab intraneis eiusdem auri, & esse in illo permanenter, è contra verò, lux quæ illum illustrat, exigit oriri ab extrinseco, scilicèt à corpore luminoso, & solum est in auro, per modum transeuntis, vt ex se constat: ergo lux, & color ille essentialiter distinguuntur. Minor cùm consequentia satis patent. Maior verò etiam liquet, quia vna, & eadem qualitas secundùm speciem non potest petere vt oriatur, & non oriatur ab intraneis alicuius subiecti, & quòd sit permanenter, & transeunter in illo.

26. Secundam verò rationem eiusdem assertionis innuit Diuus Thomas 1. part. quæst. 67. art. 3. & in hoc 2. libro lectione 14. nec non sensu, & sensato lect. 7. quæ potest ad hanc formam reduci. Nam veri colores vt vera albedo, & nigredo, specie distinguuntur & sunt inter se positiuè contrarij, & ideò potest esse verus motus alterationis inter illos, vt docet Arist. 2. Physic. c. 3. & Diuus Thomas ibidem lect. 4. Sed lux non habet contrarium, ac proindè petit fieri instantaneè, & non per motum alterationis ad eandem per se terminatum, & tandem est eiusdem speciei, vbicumque inuenitur: ergo essentialiter distinguitur ab eiusdem coloribus.

Maior cum consequentia satis constant. Minor verò quoad primam partem etiam liquet: tum quia luci tantum opponitur tenebra, quæ est pura priuatio: tum etiam quia cum conueniat corpori incorruptibili, qualis est Sol, ita vt ab intraneis eius principijs dimanet; consequens est, vt non habeat ex se contrarium, alioquin prædictum corpus, cuius est proprietas, posset naturaliter destructa hac eius proprietate corrumpi, ex quo etiam eadem minor quoad secundam partem constat; nam motus alterationis, nequit dari, nisi inter qualitates habentes intra se positiuam contrarietatem. Et denique quoad vltimam partem est etiam satis perspicua, quandoquidem effectus lucis secundùm sua essentialia tantum est reddere subiectum lucidum, seu illuminatum, sicut effectus albedinis est illud reddere album: constat autem omnem lucem habere prædictum effectum, ac proindè non esse inter illas distinctio essentialis.

27. Tertia ratio etiam desumitur ex Arist. & D. Thom. nam visus discernit inter lucem, qui est in pariete, v. g. & inter illius colorem album: ergo hæ duæ qualitates erunt specie distinctæ, siquidem vt constabit ex infra dicendis, duo accidentia solùm numero distincta non possunt esse in eodem numero subiecto. Antecedens autem probatur, nam visus discernit inter album, & nigrum duorum parietum, non verò inter lumen eiusdem intensionis vtriusque: ergo etiam discernet inter album, & lumen vnius parietis. Patet consequentia, quia nisi discerneret colorem vnius parietis à lumine illius, non posset percipere hanc conuenientiam in lumine, & differentiam in coloribus.

Diluuntur fundamenta primæ sententiæ.

§. III.

28. AD primum patet ex dictis. Ad primam confirmationem fatemur præsentiam lucis in aëre, seu lucem ei præsentem producere ibidem lumen, & idem lumen esse causam coloris, v. g albi, vel nigri, aliter tamen, & aliter; nam lumen in aere productum reddit illum illuminatum, tanquam propria, & formalis causa intrinseca respectu talis effectus, sicut calor hoc modo constituit subiectum calidum; at verò lumen solùm tanquam causa materialis,

seu dispositiua concurrit ad hoc, vt indè color resultet, quamuis collatum cum aliis requisitis ad receptionem coloris habeat se, vt principium formale, sicut licèt actus charitatis sit causa materialis dispositiua, respectu gratiæ; nihilominùs collatua cum anima habet se vt principium formale reddens illam dispositam in ordine ad eandem gratiam.

Et ideò D. Thom. de sensu, & sensibili lect. 6. loquens de principiis, ex quibus resoltat color explicat in hoc sensu Arist. in his verbis: *Primò proponit principia coloris, secundò inuestigat coloris diffinitionem ex huiusmodi principiis. Est autem duplex coloris principium: vnum formale, scilicet lumen, aliud materiale, scilicet perspicuum.* Si autem color esset formaliter lumen, non posset lumen esse principium formale illius, alioquin idem esset verum principium, & vera causa formalis respectu sui, quòd est absurdum cum causa formalis, & eius effectus debeant secluso intellectu distingui, vt in libris Phys. disp. 9. num. 10. diximus. Quare ea ratione poterit esse illius principium formale, quia collatum cum perspicuo habet se, vt formale determinans illud ad hoc, vt ex eo color resultet.

29. Nec refert si obiicias perspicuum manere coloratum, etiam si non maneat in eo lumen, vt patet in eodem perspicuo colorato in tenebris existente: ergo lumen non habet se, vt principium formale in sensu explicato in ordine ad colorem. Patet consequentia, quia principium formale disponens debet permanere ad hoc, vt subiectum sit dispositum in ordine ad formam ad quam disponit.

Respondetur enim concedendo antecedens, si fiat sermo de lumine formaliter sumpto, & de formali permanentia eiusdem, neganda tamen est consequentia, quia sufficit ad hoc, vt aliquid sit principium formale disponens, quòd permaneat virtualiter in re, quam disponit, sicut licèt dispositiones ordine durationis antecedentes ad formam ignis desinant esse in instanti generationis, quia desinit subiectum, scilicet totum compositum in quo subiectabantur, nihilominùs, quia manent virtualiter, vt de Generat. disp. 2. num. 87. explicuimus, ideò possunt disponere pro eadem forma ignis.

30. Explicatur magis hoc, etenim sicut ex varia mixtione, quatuor elementorum consurgunt variæ complexiones primarum qualitatum, vt a. de Generat. disput. 1x. num. 1. vsque ad 5. explicuimus, sic ex varia commixtione eorumdem elementorum, scilicet corporis luminosi ignei diaphani, aërei, & aquei, & opaci terrei postquam prædicta elementa pereunt consurgunt diuersi colores in elementatis & licèt lux quæ antequam fiat omnino mixtio, deriuatur ab igne in diaphaneitatem aquæ, vel aëris, & opacatur opaco terræ, amittat suam essentiam, & non vtcumque, sed ita, vt corruptis elementis transeat in rationem secundæ qualitatis, ac proindè, solùm virtualiter ibidem maneat, nihilominùs hoc ipso, quòd prædicta elementa cum qualitatibus, iam dictis misceantur, & ibi præcesserit maximum de luminoso igneo, & minimum de terreo obumbrante luminosum receptum in perspicuo aëreo, vel aqueo, manet subiectum determinatum, ad hoc vt resultet color albus. Si verò detur oppositum consurgat nigredo, quæ est oppositus color, quia nigredo congregat, albedo verò disgregat visum; ac tandem iuxta magis, vel minus, quòd de prædicto luminoso, ac diaphani, & opaci concurrerit in mixtione elementorum, resultabunt colores medij magis, vel minus ad colorem album, vel nigrum accedentes.

31. Quæ omnia tetigit Aristot. de sensu, & sensibili lectione 8. apud D. Th. vbi etiam S. Doct. his verbis. *Post commixtionem corporum tangit commixtionem colorum, & dicit manifestum esse secundum prædeterminata, quòd commixtis corporibus colores misceantur: Dictum est enim supra, quòd perspicuum secundum quod existit in corporibus facit colores participari, perspicuum autem diuersimodè inuenitur in corporibus secundùm magis, & minus, & similiter lucidum, & ideò permixtis corporibus in quibus est lucidum, & diaphanum, necesse est, quod fiat permixtio colorum: & ista est principalis causa, quod sunt multi colores præter album & nigrum.*

Vbi vt vides tribuit perspicuo, & lumini quòd sint principia ex quibus resultant colores, & quod iuxta magis, vel minus perspicuitatis, vel luminis fit permixtio colorum, & cùm lumen sit actus perspicui, vt ex Aristotel. & ex eodem Angelico Doctore quæstione præcedenti diximus, & iuxta maius incrementum luminis resultet perfectior vel imperfectior color, vt D. Thom. de sensu, & sensibili lect. 7. docet, consequens est, vt iuxta ipsorum mentem lumen concurrat ad colores, vt quid formale determinans ad illos, vt in sequenti quæstione magis explicabitur, & prædictum perspicuum, ac proindè quatuor primæ qualitates quæ in eo, quippè in vero mixto debent permanere refractæ, vt quid materiale, & vt determinata, modo dicto, per lumen, cumque ex alia parte, lumen non permaneat in corporibus coloratis vt experientia docet, & ideò corpora ista secundùm partes interiores sunt colorata, cùm tamen ibidem, nec etiam per modum transeuntis habeant lumen, ex eo quod solent esse valdè opaca, vt idem S. Doctor de sensu, & sensibili lectione 6. docet: fit indè, vt lumen non formaliter, sed virtualiter solum, & in sensu explicato ibidem permaneat.

32. Ex quo ad secundam confirmationem respondetur, ideò colorem vocari lucem quodammodo obscuratam ex admixtione corporis opaci, quia color ex mixtione iam dicta resultat, vt aliquid participans lucem, non quidem participatione formali, & vniuoca pertingente ad vnitatem specificam, sed participatione virtuali æquiuoca, & deficiente, ratione cuius dicitur lux quodammodo obscurata, seu quod idem est deficienter participata. Quare per illam particulam, quodammodo, solùm denotauit analogam quandam obscurationem, quatenus sicut lux remissa deficit à perfectione lucis, non quidem quoad essentiam, sed quoad intensionem, & ideò vocatur lux obscurata, sic color participans participatione æquiuoca, & deficiente eadem luce, deficit à participatione lucis quoad essentiam & ita potest denotari per lucem, non qualemcumque, sed quodammodo obscuratam.

Adde locutionem illam D. Thom. scilicet color est lux quodammodo obscura, reddere sensum causalem, scilicet lucem quodammodo obscuratam ex admixtione opacitatis terreæ, & antequam omninò extinguatur, per illam ex eo quod non sit omnino facta mixtio esse per sui entitatem causam dispositiuam formalem determinantem ad colores. Vnde Sanctus Doctor post verba ibidem relata statim addidit. *Ex quo etiam patet, quòd cùm lux sit quodammodo substantia coloris ad eandem naturam reducitur omne visibile.* Si autem color esset formaliter ipsa lux, & non aliquid causatum ex luce, & ad eam dicens habitudinem, non addidisset, Sanctus Doctor particulam illam diminuentem, scilicet quod lux sit quodammodo substantia coloris, sed absolutè protulisset eam esse eiusdem coloris substantiam.

33. Ad secundam respondetur, solùm conuincere, quòd colores apparentes quales sunt illi qui ibidem recensentur, quippè qui ex aduerso situ, & aspectu ad corpus lucidum diuersimodè apparent, sint

formaliter

formaliter lux, non verò quòd veri colores non distinguantur essentialiter ab eadem luce, vt rationibus factis pro assertione constat.

Ad confirmationem respondetur, Ideò dici noctem auferre à rebus hunc colorem, & lumen restituere illos eisdem rebus, quia etsi veri colores reuera ibidem permaneant, nihilominus non apparent actu visui, & ita in ordine ad illum (secundùm quam rationem de eisdem fit ibi sermo) ita se quodammodo habent, ac si non essent ibi, quia ex defectu luminis requisiti ex parte medij nequeunt immutare visum.

Ad illud autem, quod ex Philosopho ibidem adducitur, dicendum est, vel solùm loqui de omnibus corporibus mixtis, & habentibus temperiem desideratam ad colores, vel secundò, & meliùs dicendum est cum D. Thom. ibidem lect. 2. qui prædictum testimonium explicat, his verbis: *Fit enim aliquid visibile per hoc, quod diaphanum illuminatur actu à corpore lucido, in quibus inferiora corpora, cùm superioribus communicant, & ideò dicit, quòd colorem omnia corpora participant, tam superiora, quàm inferiora, quia in omnibus corporibus, vel inueniuntur ipse color secundùm propriam rationem, sicut in corporibus in quibus est diaphanum terminatum, vel saltem in eis inueniuntur principia coloris, quæ sunt diaphanum, & lux.*

QVÆSTIO III.

Vtrum color secundùm suam entitatem rectè diffiniatur per hoc, quod sit extremitas perspicui in corpore terminato?

Consultò addita est in titulo particula illa, secundùm suam entitatem, quia in hac quæstione non loquimur, de colore in ratione visibilis formaliter sumpto, secundùm quam rationem solùm importat proprietatem quandam eiusdem coloris, vt docent Aristot. in hoc 2. lib. cap. 7. & D. Thom. ibidem lect. 14. Sed de eodem secundùm suam entitatem, & essentiam consideratio, vt præscindit ab ordine, quem dicit ad visum.

Referuntur duplex sententia.

§. I.

34. Prima sententia asserit, diffinitionem hanc esse insufficientem. Ita Suarez 2. tom. summæ Theol. tract. 3. lib. 3. c 15. num. 4. quamuis ibidem fateatur eam tradi ab Aristot. loco statim referendo. Probatur primò: tum quia est satis obscura, vt intuenti constabit: tum etiam, quia non explicat verum coloris essentiam, nam hæc tantum consistit in hoc, quòd sit qualitas afficiens mixtum corpus quatenus prospicuitatem aliquam habet opacitate terminatam.

Secundò, quia color non est extremitas perspicui, licèt in extremitate illius subiectetur: ergo malè diffinitur per hoc quòd sit extremitas prespicui. Consequentia patet. Antecedens autem probatur; quia extremitas perspicui tantùm est, vel punctus, vel linea, vel superficies: at color ab omnibus his essentialiter distinguitur, quippè pertinens ad prædicamentum qualitatis: ergo, &c.

Confirmatur, quoniam color non solùm est in extremitate perspicui terminati, seu opacati, sed etiam est in intimis eiusdem corporis, vt experientia constat: ergo etiam ex hac parte corruit diffinitio. Patet consequentia; quia illa particula, extremitas, posita in diffinitione posset ad summum rectè adduci ex eo quod redderet hunc sensum, nimirum quod color est in extremitate perspicui, non verò in profunditate eiusdem.

35. Secunda sententia asserit diffinitionem hanc esse legitimam, non tamen in ea explicari essentiam coloris secundùm se sumpti, sed præcisè, vt est visibilis. Ita Conimb. in hoc 2. lib. cap. 7. quæst. 1. articul. 2. ad 3. Rubio ibidem quæst. 1. num. 21. & alij, prima huius sententiæ pars suadetur ea eo quod tam Aristot. cap. 3. de sensu, & sensato, quàm D. Thom. ibidem lect. 6. eam tradunt. Secunda verò pars probatur, quoniam ideò color dicitur esse extremitas perspicui terminati, seu quod in idem quoad præsens, reddit qualitatem existentem in extremitate perspicui, quia licèt sit etiam in intimis eiusdem corporis, v. g. parietis, nihilominùs in ratione visibilis tantùm est in prædicta superficie: ergo signum est, quòd per eam non diffinitur, nisi in ratione visibilis. Consequentia satis liquet. Antecedens autem etiam constat, quandoquidem color existens in profundo parietis, ita se habet in ordine ad visum, ac si non esset ibidem, ex eo quod nequit illum immutare. Vndè D. Thom. de sensu, & sensato lect. 6. in fine, sic ait: *Si autem corpora intrinsecus quidem habent superficiem in potentia, non autem actu, sed in potentia, quæ reducitur ad actum facta corporis diuisione, illud autem intrinsecum, non habet virtutem mouendi visum, quod per se colori conuenit.*

Anima duersiones pro decisione quæstionis.

§. II.

36. Notandum ergo est primò colorem esse qualitatem causatam ex actione, ac proindè ex aliqua permixtione qualitatum elementarium. Vt docet Aristot. de sensu, & sensibili, & D. Thom. ibidem lect. 8. & in 2. distinct. 18. quæst. 2. art. 3. in solutione ad secundum, his verbis: *Dicendum, quod ex actione qualitatum elementarium sequitur aliquid dupliciter. Vno modo ex ipsis secundùm se, sicut sapor, & color, durum & molle, & alia, quæ determinantur in 4. Meteororum.* Et ratio est: tum quia cùm pura elementa, nec non, & cœlestia corpora non habeant ex se colorem, signum est colorem oriri ex aliqua permixtione primarum qualitatum, vna cùm lumine ad productionem coloris, modo quæstione præcedenti, explicato, concurrentium: tum etiam, quia vt ex Aristot. & Angelic. Doctore constat ex commistione corporum necessariò sequitur commistio colorum, & iuxta modum commixtionis, sequitur diuersitas, colorum, vt ibidem explicuimus, hoc autem satis indicat colorem esse qualitatem ex aliqua permixtione primarum causatam.

37. Secundò notandum est, quòd proprium susceptiuum coloris à quo saltem in genere causæ materialis causatur, non est qualecumque corpus secundùm rationem corporis, etiam mixti, sed corpus perspicuum vt docet Arist. loco citato ex lib. de sensu, & sensato lect. 6. his verbis: *Sed eadem naturam oportet existimare & eam, quæ exterius coloratur, & hanc quæ interius &c. perspicuum ergo secundùm quod existit in corporibus (inest autem, aut plus, aut minus) in omnibus colores facit participare.* Vbi D. Thom. eadem lect. 6. *Dicit quòd oportet existimare eandem naturam esse, quæ est susceptiua coloris in corporibus quæ colorantur exterius, id est non per proprium colorem sed ex aliquo exteriori & in his, quæ colorantur interiùs per proprium colorem, illa autem, quæ colorantur exteriùs sunt perspicua sicut aer, & aqua.*

Cæterùm, licet perspicuum sit multiplex, vt nouauit D. Thom. ibidem, aliud nimirum, quod ea se habet ucem in sua plenitudine, vt Sol, alia verò, quæ ad hoc

reducantur, scilicet ignis, & alia corpora in infimo gradu ex se lucentia, quia propter paruitatem sui luminis, non possunt ducere, nisi in nocte, sicut putredines quercuum, & capita quorundam piscium, nec non squamæ, & oculi aliquorum animalium. Alia autem, quæ de se non habent lumen in actu, sed sunt susceptiua luminis secundùm se tota, qualia sunt corpora cælestia, ad quæ etiam reducuntur, cum aër, & aqua: tum etiam, licet inferiori grado, alia terrena corpora propter abundantiam aëris, vel aquæ, quam habent, qualia sunt chrystalla, & alia huiusmodi. Alia tandem, quæ maxime distant à corpore cælesti, quæque solùm secundùm superficiem possint illustrari lumine, quia exteriores partes propter sui grossitiem, ita obumbrant interiores, vt ad illas lumen non perueniat.

38. Nihilominus proprium susceptiuum coloris à quoque saltem in genere causæ materialis causatur, non est quæcumque perspicuum, sed perspicuum terminatum, & ideò in diffinitione coloris addidit Aristot. particulam illam *in corpore terminato*, & D. Thom. eam explicans, dixit: quòd quidem additur, *eo quod huiusmodi corpora sunt, quæ secundùm se colorantur, in diffinitione autem debet poni, id quod est per se.*

Nomine autem perspicui terminati, seu quod idem est in corpore terminato intelligitur perspicuum, quod ex se habet proprios terminos, non quidem ita vt per hoc, solum significetur non esse actu infinitum, sed vt innuatur, ita habere ex se proprios terminos propriamque figuram, vt non terminetur, aut figuretur terminis, & figura alieni corporis, vt contingit in aëre, qui licet habeat vltimam superficiem ac proinde non sit infinitum, nihilominus terminatur, & figuratur terminis alienis, quatenùs habet terminum, & figuram iuxta modum, & terminationem, ac figuram alterius corporis solidi, & terminati, in quo suo modo recipitur, & ita dicitur interminatum, quatenus non terminatur prædictis terminis alienis, quibus terminari potest, imò perspicuum terminatum, non intelligitur perspicuum habens qualemcumque terminationem, sed vt bene aduertarunt Bañez, Conimbr. & Suarez, & communiter Philosophi terminationem ortam ex aliqua mixtione opaci terrei, quia cùm color sit qualitas resultans ex aliqua mixtione qualitatum elementarium, & cætera elementa præter terram sint perspicua interminata, consequens est, vt terminatio perspicui, quæ debet ortum ducere ex elementis, debet etiam dimanare ex admixtione opaci terrei.

39. Tertiò notandum est, quòd cùm proprium susceptiuum coloris ad quodque naturali necessitate, modo tamen in lib. Physic. disput. 22. num. 5. idem color subsequitur, sit perspicuum iam dictum, & hoc si formaliter sumatur pertineat ad genus qualitatis, vt docet D. Thom. de sensu, & sensato lectione 6. Consequens est, vt licet color non sit extremitas perspicui secundùm quod extremitas denotat terminum corporis, seu terminum pertinentem ad prædicamentum quantitatis, qualis est superficies: nihilominùs est extremitas, seu terminus eiusdem perspicui spectans ad prædicamentum qualitatis, vt notanit idem D. Thom. loco citato, nam vt conciliaret duo dicta Aristot. in eodem c. 3. de sensu, & sensato in quibus semel dixit colorem non esse extremitatem, semel verò illum esse extremitatem perspicui, sic inquit. *Quod autem dicit colorem esse extremitatem perspicui, non repugnat ei quod dixerit supra, colorem non esse extremitatem, illud enim dixit de extremitate corporis, hoc autem de extremitate perspicui, quod nominat corporis qualitatem, sicut calidum & album. Et ideò color non est in genere quantitatis, sicut superficies quæ est extremum corporis, sed est in genere qualitatis, sicut & perspicuitas, quia extremum & id cuius est extremum vnius generis sunt.*

40. Et meritò sanè color dicitur ab Arist. & Diuo Thoma extremitas perspicui ad prædicamentum qualitatis spectans, nam sicut id quod in genere substantiæ præsupponit primam formam, & eam permanet, & naturali necessitate intra idem genus complet, qualis est subsistentia, habet rationem termini, & extremitatis respectu illius, & similiter id quod præsupponit corpus de prædicamento quantitatis, & eodem modo illud intra propriam lineam complet, qualis est superficies, dicitur extremitas eiusdem ita id quod præsupponit aliam formam ad genus qualitatis pertinentem, ad eamque modo alibi explicato, naturali necessitate subsequitur, ipsamque intra idem genus complet: meritò nomine extremitatis, seu termini illius insignitur.

Ex mente Arist. & D. Thomæ quæstionis nodus dissoluitur.

§. III.

41. HIs igitur suppositis dicendum est primò colorem optimè diffiniri per hoc quod est extremitas perspicui in corpore terminato. Hæc est Arist. lib. de sensu & sensato c. 3. vbi eum sic diffinit, quem sequitur D. Thom. ibidem lectio. 6. & communiter Philosophi, & ideò superuacaneum erit singulos recensere.

Rationem autem fundamentalem adduxit D. Tho. loco citato. Nam accidens in abstracto tunc rectè diffinitur, quando ratio aliqua essentialiter superior ponitur loco generis, & subiectum loco differentiæ, vt ex dictis in Logica disputat. 5. num. 23. constat, sed in præsenti diffinitur color hoc modo: ergo talis diffinitio erit optima. Minor probatur ex dictis, nam ponitur loco generis ratio aliqua essentialiter superior ad colorem, scilicet extremitas, quæ abstrahit ab omnibus extremitatibus qualitatiuis, siue illæ sint colores, siue aliæ secundæ qualitates, vt mollities, & durities, &c. & loco differentiæ ponitur proprium eius subiectum, seu susceptiuum, scilicet perspicuum, non qualecumque, sed habens aliquam mixtionem primarum qualitatum, & terminatum ex admixtione opacitatis terræ, quòd denotatur per particulam illam, perspicuum *in corpore terminato*, vt iam ostendimus, & communiter docent Philosophi: ergo, & cætera.

42. Dicendum est secundo in prædicta diffinitione diffiniri colorem secundum suam entitatem, & essentiam absolutè sumptam. Ita Aristot. & D. Thom. loco citato quos sequuntur, Caietanus in hoc 2. l. c. 6. ad text. 69. Aquarius in scholiis ad Ferrariensem 2. huius operis quæst. 12. & alij ex recentioribus Thomistis. Assertio hæc sequitur ex dictis in hac quæstione, nam color secundùm suam entitatem, & essentiam absolutè consideratam habet esse qualitatem secundam ortam ex aliqua permistione primarum, & respicientem perspicuum terminatum, tanquam eius proprium susceptiuum, illudque, modo iam explicato, terminantem: ergo cùm totum hoc significetur per prædictam diffinitionem, consequens est, vt color secundùm suam entitatem, & essentiam absolutè consideratus rectè explicetur per illam.

Obiectione

Obiectiones contra prædicta, & enodatio earum.

§. IV.

43. SEd obiicies primò ignem esse flaui coloris. & nihilominus, nec est perspicuum terminatum, nec mixtum, quia est verum elementum: ergo falsò dictum est, quòd proprium susceptiuum coloris sit perspicuum terminatum, aut mixtum.

Secundò, nam humor crystallinus oculi, seu pupilla est perspicuum mixtum, & terminatum, & nihilominus non habet aliquem colorem, vt io hac eadem disp. n. 39. diceмus: ergo per hoc quod aliquid sit perspicuum, & mixtum terminatum non rectè colligitur fore coloratum, ac proinde tale perspicuum, non erit susceptiuum illius, nec ipse extremitas eiusdem.

Tertiò, quoniam nix est alba, & maximè frigida in calce verò prædominatur calor, & nihilominus est alba, & similiter piper, & melancholia sunt nigri coloris, quamuis illud sit calidum, & hæc frigida: ergo male diximus colorem esse qualitatem secundam ex certa primarum permixtione causatam. Patet consequentia, quoniam si color esset prædicta qualitas sic causata, tunc albedo, verbi gratia, peteret determinatam temperiem primarum qualitatum, & ita non resultaret modo ex dominio coloris, modò verò, ex prædominio frigoris.

44. Ad primam ex his obiectionibus respondetur, cùm Caietano in hoc a. l. c. 6. text. 72. §. *Nec est tam hoc rationabiliter.* Ignem purè elementalem non habere aliquem colorem, quia non habet mixtionem opaci tenet. Cæterum ignis, qui apud nos est, habet aliquam mixtionem prædicti opaci, ratione cuius etiam habet esse corpus terminatum, & ideò non mirum quod sit in eo aliquid coloris.

Ad secundam respondetur, non quamcumque mixtionem primarum qualitatum sufficere ad hoc, vt resultet color, sed aliquam, vel aliquas certas, & determinatas: nullam autem istarum reperiri in homore chrystallino, & ideò esse totius coloris expertem.

Nec refert si vrgeas, hinc fieri diffinitionem hanc esse satis obscuram, atque adeò vitiosam, siquidem in ea non explicatur, quale sit hoc perspicuum terminatum, quod est subiectum coloris, & quomodo debeat habere certam illam permixtionem primarum qualitatum, sed solùm tale subiectum esse perspicuum terminatum, quod tamen indifferens est ad perspicuum terminatum, quod est subiectum proprium coloris, & ad perspicuum, etiam terminatum, quod non est illius proprium, & connaturale subiectum.

45. Respondetur enim negando vtramque sequelam, & ad probationem dicendum satis esse, quòd iuxta communem Philosophorum consensum nomine perspicui terminati, vt positi in diffinitione coloris intelligatur prædictum perspicuum, de quo in præced. solutione fit sermo.

Potestque hoc explicari duplici exemplo. Nam hæc diffinitio homo est animal rationale communiter censetur quidditatiua, & explicat essentialiter propriam hominis naturam, vt talem, quia licet ly rationale, ea se sit indifferens ad hoc, vt accipiatur pro potentia proxima ad ratiocinandum, vel pro potentia radicali, nihilominus iuxta communem Doctorum consensum accipitur pro radice ratiocinandi, quæ pertinet ad conceptum naturæ hominis, vt talis, & similiter hæ diffinitiones traditæ ab Aristot. *Odor est qualitas sicci, sapor verò est qualitas humidi*, communiter recipiuntur à Philosophis, quia licet ly *sicci, aut humidi*, ea vi verborum sint indifferentia ad hoc, vt sumantur pro corpore, quod habet prædominium siccitatis, & humiditatis, siue sit mixtum, siue purum elementum; attamen, quia iuxta communem Doctorum acceptionem, & vsum, sumuntur pro corpore mixto in quo siccitas est proxima ratio odoris: humiditas verò saporis, modo infrà explicando, ideò communiter censentur bonæ. Nam voces significant ad placitum, & secundùm communem acceptionem; possuntque vt restrictæ, per alias ex communi vsu, diuersimodè, & magis restrictè sumi, quàm si solæ, & separatæ proferrentur. Quare cum iuxta communem Philosophorum intelligentiam nomine perspicui terminati positi in diffinitione coloris intelligatur perspicuum habens prædictam mixtionem, quæ vna cum lumine, modo iam explicato, sit causa coloris, inde est vt prædicta diffinitio, nec io se sit obscura, nec vitiosa.

46. Ad tertiam respondetur concessa maiori, & minori, & negando consequentiam. Quia nomine certæ permixtionis non intelligitur peculiaris, & omninò determinata aliqua mixtio in qua calor, v. g. semper dominetur, sed aliqua certa permixtio vagè sumpta ex illis, ex quibus colores nati sunt oriri: ita tamen vt primæ qualitates & permixtio earum de materiali importetur, de formali verò in comparatione ad eas, lux, modo tamen supra à numero 30. vsque ad 35. ex Diuo Thoma explicato, atque adeò poterit contingere, vt albedo, verbi gratia, modo ex calore, modo ex frigore causetur, quia qualitates istæ veluti formalizantur, per distinctam permixtionem eiusdem lucis, & propterea calor, vt sic modificatus, & formalizatus potest esse causa albedinis, & similiter frigus, vt tali modo sic, vel sic & modo iam explicato formalizatus per lucem, & commixtus cum calore, potest esse causa eiusdem albedinis.

Soluuntur fundamenta vtriusque sententiæ initio adducta.

§. V.

47. AD primum primæ negandum est antecedens, tam quoad priorem eius partem (quandoquidem, vt ex dictis constat prædicta diffinitio sufficienti perspicuitate explicat naturam coloris) quàm quoad posteriorem: tum propter dicta: tum etiam, quia in idem ferè coincidit, quòd color sit qualitas afficiens mixtum corpus, quatenus perspicuitatem aliquam habet opacitate terminatam, & quòd sit extremitas perspicui in corpore terminato, vt ex his, quæ iam diximus, satis liquet. Vnde si hæc posterior diffinitio explicat naturam coloris, etiam illa prior eam explicabit, & non vtcumque, sed tectiùs, quam ista à Suarez adducta, quia in ea ponitur loco generis particula illa *extremitas*, quæ peculiari ratione habet esse communis colori, & aliis extremitatibus qualitatiuis, non verò omnibus qualitatibus, sicut particula illa *qualitas*, omnibus illis est communis.

Ad secundum patet ex dictis, quomodo, licet color non sit extremitas corporis, vt talis, nihilominus est extremitas perspicui terminati, & ad genus qualitatis spectans.

Ad confirmationem concesso antecedenti, neganda est consequentia, & ad probationem negandum est antecedens, quia color, adhuc dum est in intimis, & profundis partibus perspicui, habet ibidem esse extremitatem, vt sic dicamus, qualitatiuam eiusdem.

Vnde cum in Logica disputatione 9. num. 17. diximus, quòd color tantum inuenitur in vltima superficie, non tam ibi d proprium mentem exprimendo, quàm iuxta aliorum placitum loquebamur: quia

ibidem non poterat valdè profundus, & legitimus huius diffinitionis sensus plura ad sui etiam aliqualem intelligentiam petens aperiri, & ita inata facile aliorum placitum loquuti sumus, quia ad rem de qua ibidem ex professo fiebat sermo, scilicet colorem non esse proprium passionem mixti, satis erat, quòd hoc, vel alio modo philosophemur, vt in eodem loco etiam notauimus. Cæterùm in præsenti, vbi res hæc ex professo, & ex propriis discutienda erat, debuit propria natura coloris, & eius subiectum explicari, & propterea loco in logica citato explicationem huius in locum istum remisimus dicentes, *De quo redibit sermo in l. de Anima.*

48. Ad fundamentum secundæ sententiæ quoad secundam eius partem (prima enim nobis non aduersatur) negandum est antecedens, & ad probationem dicendum est, quòd licet color existens in profundo perspicui, non possit immutare visum, quia eius vis immutatiua impedita est, nihilominùs non ideò in diffinitione adducta dicitur illum esse extremitatem perspicui, quia in sola extremitate existens immutat, sed quia tenera color vbicumque sit, est extremitas illius ad genus qualitatis pertinens, alioqui diffinitio non esset exacta, nam color existens in intimis, & profunditate vitri viridis immutat visum, vt experientia constat, & ita corpuscula alia in eodem inclusa videri ibidem possunt.

Ad verba autem ex Diuo Thoma ibidem adducta dicendum est S. Doct. solùm velle corpora opaca non colorari intrinsecus actu, quoad munus expeditum immutandi visum, nam licet ipsa ex se etiam quoad partes intrinsecus existentes sint per se immutatiua visus, non tamen quatenus sic impediuntur media opacitate aliarum partium eiusdem corporis, possunt exercere id quod alias ex se habent, vt ex dicendis quæst. 5. magis patebit.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm color quatenus visibilis rectè diffiniatur per hoc, quod sit motiuus diaphani secundùm actum.

POstquam explicuimus quicquid est coloris secundùm suam entitatem, & essentiam absolutè consideratam: meritò de eo in ratione visibilis agimus, vt ita cognito obiecto potentiæ visiuæ, tam in esse rei, seu secundùm se, quàm in esse visibilis, melius natura eiusdem potentiæ dignoscatur.

Rationes dubitandi.

§. I.

49. PRima. Nam hæc diffinitio conuenit luci, ergo non est legitima. Consequentia patet, antecedens autem probatur, quoniam etiam lux vt visibilis est motiua perspicui per immutationem specierum intentionalium, de qua in præsenti fit sermo, alioqui dum medium est illuminatum non posset intentionaliter immutare visum, atque adeò neque videri.

Secunda. Nam color nequit esse per se actiuus respectu diaphani, secundùm actum, id est, vt actu illuminati; ita vt diaphanum secundùm istam rationem habeat rationem per se passiui respectu illius: ergo cùm hoc significetur in ista diffinitione non erit legitima. Antecedens probatur, nam ratio per se agendi, debet esse nobilior ratione per se patiendi: ergò cùm lumen sit perfectius, quàm color, non poterit hic esse ratio per se agendi, & illud ratio per se patiendi.

50. Nec refert si dicas colorem non esse rationem per se agendi, nisi vt illuminatum sic autem non esse ignobiliorem lumine: nam contra hoc est: tum, quod lumen non requiritur ex parte obiecti ad visionem, vt infrà dicemus, atque adeò non erit immutatiuus diaphani secundùm quod est illuminatus: Tum etiam, quia si semel lumen requiritur ex parte coloris ad hanc immutationem, non poterit immutare diaphanum vt actu diaphanum, & illuminatum est; quandoquidem diaphanum secundùm istam rationem, non est ignobilius lumine per quod in esse talis constituitur: & ratio per se agendi debet (vt dicebamus) esse nobilior ratione per se patiendi.

Tertia. Quia alioqui lumen constitueret diaphanum in ratione immutabilis à colore, ac proindè cælum posset ab illo pati: hoc autem aperte repugnat: ergo, &c. Sequela quoad priorem partem satis constat, quoad posteriorem verò etiam patet: quandoquidem lumen quod est tota ratio patiendi à colore, est eiusdem rationis, & speciei; tam in his inferioribus: quàm in corporibus cælestibus. Minor autem etiam liquet: quoniam repugnat incorruptibilitati, & perfectioni cæli subdi, & pati ab istis inferioribus, & maximè qualitatibus ita imperfectis, & terrestribus qualis est color.

51. Quarta. Nam licet diaphanum non sit actuale, id est actu illustratum, sed solum in potentia, atque adeò tenebrosum, nihilominus poterit color videri, ac proinde idem color poterit immutare illud, tanquam medium per quod videtur; ergo color vt visibilis non habet esse immutatiuum diaphani, præcisè, & formaliter vt actu diaphani. Consequentia satis constat. Antecedens autem experientia patet, nam oculus existens in tenebris videt obiectum coloratum, & illuminatum.

Nec refert si dixeris: quod tunc partes medii, seu quod idem est disphani proximiores obiecto sunt etiam illuminatæ: ac proinde color etiam tunc erit immutatiuus diaphani in actu. Nam contra hoc est, posse contingere, quod non omnes partes medij intercedi inter oculum & colorem illuminatum, sint illuminatæ, & tamen ad visionem necessarium est quod omnes immutentur ab obiecto: ergo ad hoc, vt color in ratione visibilis agat in medium, non est per se necessarium, vt medium sit illuminatum, ac proinde, color, secundùm quod obiectum visibile, non erit immutatiuus diaphani, vt actu diaphanum est.

Confirmatur, quia color semel illuminatus comparatur ad visum (sicut ea, quæ ex se lucida sunt) ex eo quod in se habet lucem eiusdem rationis, & speciei cum illis; ergo sicut res lucida potest producere species in medio, licet non sit illuminatum; vt ex infra dicendis constabit: ita etiam color illuminatus.

Sententia Arist. & D. Thom. prefertur.

§. II.

52. DIcendum tamen est, colorem in ratione obiecti visibilis consideratum, optimè diffiniri per hoc, quod sit motiuus diaphani secundùm actum, id est diaphani habentis proprium actum, scilicet lumen. Ita Aristotel. in hoc 2. l. cap. 7. text. 72. & 73. his verbis. *Hoc inerat ipsi colori esse, motiuum esse secundùm actum diaphani.* Vbi D. Th. lect. 15. *Dicit ergo primò, quod vt supra dictum est, hoc est de ratione coloris, quod sit motiuum diaphani, quod quidem fit per lumen, quod est actus diaphani.* Vbi, vt vides coloris ratio, ac proindè, & diffinitio ponitur in hoc, quod sit

sit motiuus diaphani secundùm actum, cùmque hæc via ad immutandum diaphanum, tantum sit ad immutationem per species intentionales, quia color non est qualitas per se actiua actione naturali, prout distinguitur ab intentionali, consequens est, vt ratio hæc, & diffinitio, quæ illam denotat, conueniat ei in esse obiecti visibilis, secundùm quam rationem habet vim ad immutandum per immutationem intentionalem. Vndè, hanc eandem sententiam sequuntur Caietan. in præsenti capit. 6. Bañez 1. p. art. 3. q. 78. tract. de visu dub. 1. Conimb. in hoc 2. lib. c. 7. quæst. 1. art. 2. Toletus quæst. 17. Iandunus q. 1n. Thimensis ibidem, & alij plures.

53. Probatur ratione desumpta ex Aristot. & D. Thom. loco citato, nam in hac diffinitione explicatur id in quo color conuenit cum aliis sensibilibus propriis, scilicet cum lumine, & cum cæteris obiectis aliorum sensuum, & insuper id per quod ab illis, & à quibuluis aliis distinguitur, ergo erit optima. Consequentia videtur legitima, Antecedens autem, quoad priorem partem satis liquet; quoniam cuiuis sensibili proprio conuenit esse immutatiuum sui medij per species intentionales, quod significatur per illam particulam *motiuus*, vt ex communi Doctorum sententia constat.

Quoad secundam verò partem probatur; & explicatur discurrendo per singula alia sensibilia propria: nam per illam particulam, *diaphani secundùm actum* differt in primis à luce, ex eo quod lux, licèt sit immutatiua diaphani, non tamen vt actu diaphanum est. Cuius rationem tetigit D. Thom. lect. cit. his verbis: *Lux enim cum sit efficacior ad mouendum diaphanum, quam color, & magis visibilis cum minori immutatione diaphani videri potest.* Ac proindè sine eo quod priùs immutetur immutatione naturali per eandem lucem, vt infrà magis explicabitur.

54. Et similiter per eandem particulam distinguitur: Tum à sono qui solùm est immutatiuus aëris, & non vt actu diaphanus est, siquidem etiam in tenebris sonus auditur: Tum etiam ab odore, qui licet immutatiuus aquæ, & aëris, sicut color, & lux; nihilominus hæc duo non mouentur ab odore secundùm quod sunt diaphana, quia etiam in tenebris odor sentitur. Et ita D. Thom. in fine lect. 15. iam citatæ inquit: *Medium autem quod mouetur ab odore, est aliquid commune aeri, & aqua sicut, & vtrumque eorum est medium, quod mouetur à colore, sed à se moueretur vtrumque eorum secundùm quod diaphanum: passio autem communis aëris, & aquæ secundùm quam mouetur ab odore est innominata, non enim mouentur ab odore secundùm quod sunt diaphana:* Tum denique ab obiecto tactus, & gustus, de quibus certum est non esse immutatiua diaphani, quatenus talis vt ex se communi Philosophorum sententia constat.

55. Confirmatur, quia quando accidens diffinitur in abstracto, & non vtcumque, sed vt habet rationem causæ effectiuæ, tunc non incongruè diffinitur per aliquam rationem superiorem loco generis, & per subiectum, seu materiam circa quam, loco differentiæ: sed diffinitum huius diffinitionis est color in abstracto, quatenus habet peculiarem quandam rationem obiecti visibilis, & consequenter causæ intentionaliter actiuæ: ergo optimè diffinitur per hoc, quod est esse motiuum per species intentionales, tanquam per rationem loco generis positam, & per diaphanum secundùm actum, tanquam per quid loco differentiæ collocatum.

Maior quoad primam partem non indiget probatione. Quoad secundam verò suadetur, quia secundùm istam rationem causæ actiuæ, dicit intrinsecam habitudinem ad prædictum subiectum, seu materiam circa quam, sicut in esse rei, & secundùm suam entitatem absolutè consideratam importat essentialem habitudinem ad suum subiectum inhæsionis. Minor verò satis ex dictis constat. Consequentia autem etiam liquet. Siquidem ratio motiui, est quid essentialiter superius ad colorem in ratione obiecti sensibilis considerati, & diaphanum secundùm actum est subiectum, seu materia, circa quam prædictum obiectum operatur.

56. Nec refert si obiicias: Tum, quod omnia obiecta alicuius potentiæ cognoscitiuæ debent habere eundem modum immutandi prædictam potentiam; sed lumen, & color sunt obiecta eiusdem potentiæ visiuæ: ergo habent eundem modum immutandi respectu illius, ac proindè si semel color habet talem modum immutandi, vt requirat diaphanum in actu, tanquam materiam, seu subiectum *circa quod*, fiet inde vt hoc ipsum lumini debeat conuenire, tum etiam, quod proprium subiectum circa quod obiectum sensibile operatur, est potentia sensitiua: quandoquidem ideò immutat medium, vt immutet prædictam potentiam: ergo potiùs debuisset diffiniri color per hoc quod sit immutatiuus visus, quàm diaphani secundùm actum.

57. Non itaque hoc refert: nam ad primam ex his impugnationibus dicendum est: quod licet modi immutandi, qui competunt diuersis obiectis inadæquatis eiusdem potentiæ, debeant conuenire in aliqua vna ratione superiori, & eiusdem speciei atomæ, si considerentur, vt ad lineam obiecti in esse obiectorum, tanquam modi illarum, intra hanc lineam spectant; non tamen inconuenit, quod postea inter se materialiter distinguantur, & quod si diffiniatur quatenus sic sunt inter se distincti: tunc hæc ratio materialis sit potissima, & vt sic dicamus, illud formalissimum, quod in prædicta diffinitione explicatur, vt in præsenti contingit.

Nam vterque modus immutandi visum quem habent lux, & color, conuenit in hoc, quod sit purè intentionalis, & vt sic dicamus, spiritualis absque admixtione immutationis naturalis per se requisitæ, vel ex parte obiecti tantum, vel etiam ex parte organi; vt in aliis sensibus contingit, & disputat. 14. num. 50. magis explicabimus, & vnus ab alio distinguitur materialiter tanquam diuersimodi immutandi duplicis obiecti inadæquati, quorum vnum, scilicet lux secundùm id, quod de materiali in esse obiecti inadæquati dicit, seu, vt distinctum à colore, non petit per se tanquam materiam circa quam diaphanum in actu, secùs verò aliud nimirum color, qui in præsenti secundùm hanc rationem secundùm quam sic est distinctus diffinitur: quomodo autem & in quo sensu hæc diuersitas sit materialis quatenus subordinantur vni, & eidem rationi formali, & adæquatæ illorum, & plura huc spectantia, constat ex his, quæ in libr. de Generat. disp. 4. quæst. 11. diximus.

58. Ad secundam respondetur; quod hoc ipso quod color diffinitur per ordinem ad perspicuum in actu, vt habet rationem medij deferentis species intentionales ad visum, vt in præsenti contingit, satis innuitur ordo ad eundem visum tanquam ad id, quod vltimatè immutatur per eundem colorem. Cæterum, quia in præsenti diffinitur color; non qualitercumque, sed quatenus habet modum immutandi inadæquatum respectu potentiæ visiuæ, & materialiter diuersum ab eo, qui conuenit luci; ideò optimè diffinitur per ordinem ad distinctum medium per quod species intentionales deferuntur ad illam, quia hæc diuersitas non potest melius explicari, quàm per hoc, quòd modus immutandi coloris petit tanquam

medium diaphanum in actu; modus verò quo lux immutat solùm petit diaphanum, licèt non in actu, quamuis per accidens prædictum diaphanum possit esse actuale.

Occurritur rationibus dubitandi initio adductis.

§. III.

59. AD primam patet ex dictis; quomodo lux non petat per se diaphanum in actu tanquam medium per quod immutet visum, secùs verò color, vndè corpora in se fulgentia, non tamen emittentia lumen in medium possunt in tenebris videri, vt lucida sunt, licet non vt colorata, vt docuit Arist. in hoc 2. lib. text. 72. his verbis: *Non omnia autem visibilia sunt in lumine, sed solùm vniuscuiusque proprius color, quædam enim in lumine quidem non videntur, in tenebris autem faciunt sensum, vt quæ ignea videntur, & lucentia, non autem nominata sunt hæc vno nomine, vt quercus putrida, cornu, capita piscium, & squamæ, & oculi, sed nullus horum videtur proprius color.* Vbi D. Thom. lect. 15. *Quia iam determinatum est de colore, determinat de alio visibili, quod supra dixit esse innominatum; & dicit quod non omnia sunt visibilia in lumine, sed solùm proprius color vniuscuiusque corporis in lumine visibilis est, quædam enim non videntur in lumine, sed in tenebris sicut animalia, quæ in tenebris videntur ignita & lucentia, & hæc sunt multa, sed non habent vnum nomen commune sicut putredines quercuum, & aliquod cornu alicuius animalis, & capita quorundam piscium: sed licet ista videantur in tenebris, nullius tamen horum proprius color in tenebris videtur. Videntur ergo ista in tenebris, & in lumine, sed in tenebris vt lucentia, in lumine autem vt colorata.*

60. Dicimus per se, quia per accidens benè possunt lucida habentia tantum de luce, vt possint illustrare medium: videri tam in lumine, quam in tenebris, imò supposita illustratione medij ab eisdem facta, quæ ad hoc, vt viderentur, non erat per se necessariò requisita, sed solum per accidens (siquidem etiam in tenebris possunt videri) debent necessariò etiam in luce videri; & ideò Arist. vbi supra text. 74. addidit. *Ignis autem in vtrisque videtur, & in tenebris, & in lumine, & hoc ex necessitate: diaphanum enim ab hoc diaphanum fit.* Vbi D. Thom. lect. citat. *Ostendit quomodo videatur ignis, & lucida corpora, & dicit, quod videntur non solùm in lumine sicut colorata, sed etiam in tenebris sicut illa de quibus supradixit: & hoc ex necessitate contingit: quia ignis habet tantum de lumine, quod possit diaphanum omnino facere actu, ita vt & ipsum, & alia videantur, nec est tantum debile lumen eius quod ad præsentiam maioris luminis obumbretur sicut accidit in his, quæ sunt dicta supra.* scil. in his quæ possunt fulgere, non tamen lucem in medium immittere.

Adde, quòd licet probabilius sit lucida corpora iuxta Aristot. & D. Thom. sententiam non requirere per se lumen in medio ad hoc vt immutent illud intentionaliter; & ideò vterque de sensu, & sensibili cap. 2. docent esse aliqua, quæ ex se fulgent, non tamen producunt lumen in medio: nihilominus probabile etiam est, quòd prædicta corpora immutant medium aliquo modo illustratum, quamuis hæc illustratio per se loquendo, & secundùm ea, quæ immutatio eorum intentionalis intrinsecè petit, sit adeò exigua, vt non reddat illud simpliciter illustratum, sed solùm secundùm quid, & talis illustratio per se loquendo non supponatur facta ab alio lucido, vt in colore contingit; sed per se fiat ab eodem lucido, quod diaphanum intentionaliter immutat.

Vnde D. Thom. lect. 15. non videtur negare his lucidis, quæ in tenebris videntur, quod non illustrent aliquo modo medium, sed quòd non illustrent illud ita perfectè, qualiter requiritur ad hoc, vt color videatur; & ita inquit: *Lux autem eorum propter sui debilitatem non potest diaphanum perfectè reducere in actum secundum quod natum est moueri in colore*: quamuis re benè inspecta, & contextu reliquorum verborum attente considerato probabilius sit; D. Thom. ibidem nomine reductionis perfectæ diaphani in actum solùm intelligere immutationem naturalem per lucem, respectu cuius reductio eiusdem diaphani in actum per species intentionales, est imperfecta quatenus prædictæ species tribuunt esse diminutum.

61. Ad secundam respondetur negando antecedens, & ad probationem ad summum colligi, ex eo quod lumen sit nobilius colore, illud non esse per se primò institutum à natura vt præparet diaphanum, ad hoc, vt possit immutari à colore, non tamen quod non possit secundariò ad hoc ipsum deseruire: nam licèt demus quòd ratio per se agendi debeat esse nobilior ratione per se patiendi per se primo instituta ad hoc: non tamen ratione per se patiendi, quæ secundariò præparat passum, vt in luce contingit: quæ quidem per se primò in ordine ad alium altiorem finem instituta est.

Ad tertiam concessa priore parte sequelæ, poterit negari posterior; & ad probationem dicendum est cum Caietan. in hoc 2. l. cap. 6. quod color non est motiuus cuiuslibet perspicui, sed tantum perspicui quod habet materiam eiusdem generis physici cum colorato, & ita non potest mouere intentionaliter cœlum, vnde lux non nisi vt connotat perspicuum corruptibile, est ratio per se patiendi à colore.

62. Adde, posse etiam concedi vtramque partem sequelæ, & ad probationem in contrarium dicendum est cum eodem Caietan. non esse inconueniens cœlum pati ab his inferioribus passione intentionali, & perfectiua, quia actio, qua hæc inferiora immutant intentionaliter, non conuenit eis nisi secundùm quandam rationem magis eleuatam, scilicèt, secundùm quod participant aliquid de natura substantiarum separatarum, vt in lib. de Generat. tetigimus.

Ad quartum negandum est antecedens, & ad probationem constabit ex dicendis q. seq. n. 82. Ad confirmationem respondetur: tantùm conuincere colorem illuminatum, præcisè quoad lumen, posse videri in tenebris, sed hinc nihil contra nos.

QVÆSTIO V.

Vtrum ad hoc vt color videatur, requiratur lumen ex parte ipsius, an vero solùm ex parte medij.

POstquam explicuimus lumen requiri ex parte medij ad hoc vt color per illum diffundat species sui vsque ad visum, atque adeò videri possit ab illo, restat, vt sic dicamus; an requiratur etiam ex parte coloris, & non tantum ex parte medij, ita vt color non sit sufficiens ad immutandum intentionaliter visum, qui in lumine actuetur taliter quòd prædictum lumen non solùm disponat passum, seu diaphanum, vt quæst. præced. diffinitum est; sed etiam det virtutem ipsis coloribus ad hoc, vt tam medium, quàm visum possit intentionaliter immutare.

* *
*

Referetur

Refertur prior sententia.

§. I.

63. PRima sententia asserit, lumen requiri ex parte coloris ad hoc, vt prædictus color possit videri. Ita Auen pace, & Auicenna vt refert Ferrara in præsenti q. 15. Palacios, Petr. Mart. Sebast. Perez, & Conimb. c. 7. huius 2. lib. quam videntur etiam tueri Conrad. & Medina 1. 2. quæst. 8. artic. 3. & alij plures.

Probatur primò testimoniis D. Thom. nam 1. part. quæst. 63. art. 3. ad tertium inquit, quòd lumen facit colores visibiles actu in quantum est qualitas primi corporis sensibilis: & in 2. dist. 13. art. 3. in corp. asserit. *Sed verum quod per lumen videtur color, quia facit colorem esse visibilem in actu*, atque adeò lumen requiretur ex parte coloris ad hoc vt videri possit.

Confirmatur ex eodem S. Doct. qu. 13. de veritate art. 7. vbi inquit, in obiecto visus color est quasi materiale; lux verò quasi formale, quia per eam efficitur color visibilis in actu. Quod etiam docet pluribus aliis locis, scil. in 1. distinct. 45. q. 1. art. 2. ad primum in 2. dist. 20. q. 1. art. 2. ad secundum 1. 2. qu. 1. art. 3. 2. 2. qu. 1. art. 3. de veritate qu. 8. art. 14. ad sextum, & qu. 2. art. 1. in corp. & q. 15. art. 1. & 1. contra Gen. cap. 6. & alibi sæpè.

Secundò probatur ratione, quam in fauorem huius sententiæ adducit, D. Tho. lib. 2. huius operis lect. 14. his verbis: *Quia oportet quia cùm visus sit vnus, quod visibile non sit nisi per rationem, vnam, quod non esset, si color esset per se visibilis, non per virtutem luminis, & item lumen esset per se visibile.*

64. Tertiò, nam experimur, quòd oculus in obscuro loco positus videt coloratum procul existens, si lumine perfusum sit: è contra verò si obiectum in obscuro sit nequit videri, quamuis oculus luce perfundatur, & sit in loco illuminato: hoc autem satis indicat lumen requiri ex parte coloris ad hoc vt videatur.

Confirmatur, nam quo color est magis illuminatus eo perfectiùs videtur, etiam si medium eodem modo se habeat vt experientia docet: ergo signum est, lumen ex parte obiecti seu coloris se tenere in ordine ad visionem illius. Patet consequentia, quia si solùm ex parte medij se teneret, non videretur perfectius, ex eo quod medio eodem modo illuminato haberet color magis & perfectiùs illuminari.

65. Nec refert, si cum Caietano, & Ferrara dixeris, in dictis exemplis semper in medio, & propè oculum produci nonnihil luminis, quamuis id non appareat, nec possit crescere lumen in colore, quin inde aliquid maioris luminis refundatur in medium; ita tamen, vt in medio, quod est prope obiectum, vberior lux requiratur ad recipiendam speciem, eamque traijciendam, quàm in reliquis partibus eiusdem medij, & ideò semper saluari, quod medium habeat tantum luminis, quantum requiritur ad hoc: vt deseruiat speciebus in repræsentantibus colorem, & quod dum obiectum magis illuminatum melius videtur, id proueniat ex eo quod medium est magis illustratum.

Nam contra hoc est: Tum, quod frustraneum videtur affirmare, dari eam lucem in toto medio, vsque ad oculum quæ nec visu dignoscatur, nec efficacia rationis comprobetur: Tum etiam, quia non videtur satis consequenter dictum, quod satis sit ad visionem dari exiguum illud lumen in medio dist[illegible]ori; dummodo in proximiori maior lumen [illegible] agens agit fortiùs & perfectiùs in proxi[illegible] [illegible]stans; ergo si color potest in [illegible]tio exigua luce affecto imprimere speciem sui; cur in medio propinquiori, & eodem modo tenuem lucem habente, non poterit eandem speciem imprimere? maximè, quia quo medium fuerit distantius ab obiecto visibili, eo recipit speciem immaterialiorem, & subtiliorem, vt disp. 9. num. 47. diximus. Atque adeò si semel lumen ponitur ad hoc, vt disponat medium, necesse est, vt ad subtiliorem speciem plus luminis requiratur.

66. Quartò, nam color non videtur in abstracto, sed vt est in suo proprio susceptiuo, scil. in perspicuo terminato: ergo id quod requiritur ad perspicuum terminatum, desiderabitur etiam ex parte obiecti, ad hoc, vt color sit visibilis: sed ad prædictum perspicuum requiritur lumen; siquidem lumen est actus perspicui constituens illud in esse talis: ergo etiam requiretur ex parte obiecti ad hoc, vt color possit videri.

Vltimò, nam si lumen solùm desideraretur ex parte medij tanquam dispositio præparans illud ad hoc, vt color possit sui similitudinem in eo producere: fieret indè, vt color non solùm esset immutatiuus eiusdem medij, seu diaphani per species intentionales; sed etiam esset illuminatiuus eiusdem medij: hoc autem est apertè falsum: ergo, &c. Sequela probatur, nam idem agens quod producit aliquam formam, potest disponere ad illam: & ideò ignis, qui potest producere alium ignem sibi similem, valet etiam disponere passum in ordine ad talem productionem. Ergo si color per suam virtutem, & non per virtutem luminis ex parte sui desideratam potest producere species intentionales eiusdem coloris repræsentatiuas, etiam poterit se ipso producere dispositionem ex parte passi desideratam, scilicèt lumen.

Vera Sententia Aristot. & D. Thom. testimoniis ex vtroque desumptis fulcitur.

§. II.

67. DIcendum tamen est, lumen non requiri ex parte obiecti seu coloris ad visionem illius, sed solùm ex parte medij, seu diaphani ad hoc, vt reddat illud dispositum in ordine ad recipiendas species intentionales ab eodem colore immissas. Ita Aristot. & D. Thom. locis statim referendis, quos sequuntur Auerroës in præsenti com. 67. Ferrara quæst. 15. Vbi etiam Aquarius quæst. 13. Ægidius ad text. 66. dubitation. 1. Flandria tract. 2. cap. 8. Tolet. quæst. 17. in probatione 2. conclus. Iandunus quæst 19 Vbi etiam Caietan. Thiniens. Rubio tract. de sensu visus qu. 6. Zanardus lect. 3. 2. quæst. 27. & communiter discipuli D. Thom. vt fatetur Bañes 1. part. quæst 79. art. 3. dubitatin. vlt.

Probatur primò ex Aristot. in hoc 2. lib. text. 67. his verbis: *Omnis enim color motiuus est eius, quod secundùm actum est diaphani, & hæc ipsius natura, vnde nihil est visibile sine lumine, sed omninò vnusquisque color per lumen visibilis est*. Vbi ex eo colligit, colorem non esse visibilem nisi per lumen, quia color est motiuus perspicui in actu, & hoc per idem lumen in esse talis constituitur. Ergo iuxta Philosophi mentem, non requiritur lumen ex parte obiecti, scilicèt coloris, sed ex parte medij, nimirum perspicui in actu.

68. Vndè D. Thomas ibidem lect. 14. sic ait: *Intelligendum est ergo, quòd color est visibilis per se, quia in [illegible] habet [illegible] visibile, sicut subiectum in ipso [illegible] quod probat per hoc, quòd [illegible] actum. Diaphanum [illegible] vel aqua, & [illegible] re diaphanum*

num in actu ; ex hoc autem, quod mouet diaphanum in actu, est visibile. Vndè, sequitur, quòd color secundùm suam naturam est visibilis, & quia diaphanum non fit in actu, nisi per lumen; sequitur, quòd color non sit visibilis sine lumine.

Et infra in eadem lect. explicans ad huc magis hanc esse mentem Philosophi addit. *Quidam dixerunt, quod lumen necessarium est ad videndum ex parte ipsius coloris, dicunt enim quod color non habet virtutem, vt moueat diaphanum nisi per lumen. Sed hoc manifestè est contra id quod Arist. hic dicit, (& quod habet in se causam essendi visibile.) Vndè, secundùm sententiam Arist. dicendum est, quòd lumen est necessarium ad videndum non ex parte coloris eo quod faciat colores esse actu, quos quidam tantùm dicunt esse in potentia cum sunt in tenebris, sed ex parte diaphani in quantum facit ipsum esse in actu, vt in littera dicitur.* Ex quo etiam liquet, quàm immeritò testimonium hoc Philosophi pro se aduersarij adducant.

69. Confirmatur primo ex eodem Arist. 3. huius operis text. 18. vbi sic ait ; *Et est intellectus his quidem valit in omnia fieri, ille verò in omnia facere sicut habitus quidam, & sicut lumen; quodam enim modo, & lumen facit potentia existentes colores, actu colores.* Vbi D. Tho. lect. 10. his verbis : *Dicit quod est habitus, vt lumen, quod quodammodo facit colores existentes in potentia, esse actu colores, & dicit quodam modo, quia supra ostensum est, quòd color secundum se est visibilis : hoc autem solummodo facit lumen ipsum esse actu colorem, in quantum diaphanum facit esse in actu, vt moueri possit à colore, & sic color videatur, intellectus autem agens facit ipsa intelligibilia esse in actu, quæ prius erant in potentia, per hoc, quod abstrahit ea à materia, sic enim sunt intelligibilia in actu, vt dictum est.* Ex quo etiam, vt id obiter dicamus, satis constat, quàm sine fundamento testimonium hoc Aristot. à contrariis pro sua sententia adducatur.

Confirmatur secundò ex eodem Angel Doct. qu. vnica de Anima artic. 4. ad 4. vbi postquam retulit opinionem dicentium, lumen requiri ex parte colorum ad visionem eorumdem, ex eo quod det virtutem coloribus, quasi color non ex se ipso sit visibilis, sed per lumen : statim addidit : *Sed hoc videtur Aristot removere cùm dicit in secundo de Anima, quòd color est per se visibilis, quod non esset si solùm ex lumine haberet visibilitatem, & ideo alij aliter dicunt. & meliùs quod lumen necessarium est ad videndum in quantum perficit diaphanum faciens illud esse lucidum in actu.*

Eadem Aristot. & D. Thom. sententia ratione ex eisdem petita, stabilitur.

§. III.

70. DEindè, probatur ratione ex Philosopho, & ex S. Doct. locis citatis desumpta, quæ potest ad hanc forma reduci, quoniam color per se ipsum est visibilis: ergo non potest reddi visibilis per lucem; ac proindè lumen, quod necessariò requiritur ad visionem, non tenebit se ex parte coloris, sed ex parte medij, quatenus reddit illud dispositum ad hoc, vt intentionaliter immutetur ab eodem colore.

Antecedens probatur ; quia color est sensibile proprium visus, quandoquidem solus ipse inter sensus externos illum attingit, ergo per se ipsum erit visibilis; siquidem sensibile proprium alicuius sensus est per se sensibile respectu illius, vt constat ex his, quæ disp. 9. n. 1. diximus Prima verò consequentia etiam constat; quoniam, quod per se, & ab intrinseco est tale, non redditur tale per formam extrinsecam, seu de foris aduenientem ; ergo si color per se, & ab intrinseco est visibilis, non fiet talis per lucem, quod de foris ei aduenit. Secunda verò consequentia ex dictis quæst. præced. satis liquet.

Ex quo corruit prima solutio aduersariorum asserentium colorem non esse per se visibilem visibilitate completa, & perfecta, sed solùm inchoata, incompleta; & ideò indigere lumine ad hoc, vt in ratione visibilis ex parte sua compleatur, & ratione illius possit videri.

71. Hæc igitur solutio ex dictis satis corruit; nam hæc duo non possunt inter se cohærere, scilicèt colorem esse sensibile proprium visus, & non habere per se visibilitatem completam ex parte obiecti se tenentem, nam in hoc distinguitur sensibile proprium alicuius sensus, à sensibili communi, vel per accidens, quod sensibile proprium per se primò attingitur à sensu, sensibile verò commune, non nisi per se secundò, & ratione alicuius sensibilis proprij, & tandem sensibile per accidens, nullo modo per se ab eodem sensu percipitur ; ergo repugnat, quòd color sit sensibile proprium visus, atque adeò per se primò attingibilis ab eo, & quod tantum habeat visibilitatem inchoatam, & imperfectam, alioqui non per se primò, sed ratione alterius esset visibilis. Vndè D. Thom. lect. cit. loquens de formis, quæ sunt propria sensibilia alicuius sensus, sic ait : *Omnis forma in quantum huiusmodi, est principium agendi sibi simile. Vndè, cum color sit quadam forma, ex se habet, quòd habeat sui similitudinem in medio.*

Ex quo etiam corruit alia solutio ; scilicèt ex hac ratione solùm conuinci lumen non requiri ex parte coloris, vt quid dans ei virtutem ad immutandum visum, & per modum formæ ad id concurrens, non tamen non requiri ex parte ipsius tanquam conditionem ad talem immutationem ex parte eiusdem coloris petitam.

72. Nam contra hoc etiam vrget impugnatio nuper facta. Quoniam si semel color est sensibile proprium visus, atque adcò per se primò ab illo attingitur : ipseque color habet vim completam ad immutandum visum: nequit lumen etiam per modum conditionis per se ex parte eiusdem coloris petitæ concurrere. Et ratio est aperta ; nam virtus completa aliquo ordine, non potest etiam per modum conditionis requirere in eodem ordine aliud, vt quid ex parte illius se tenens, nisi habeat rationem conditionis, quæ sit approximatio, & applicatio talis virtutis in ordine ad operandum: sed lumen non se haberet per modum approximationis coloris ad immutandum visum: ergo, &c Minor ex se constat : & insuper quia color absque lumine potest esse intra sphæram actiuitatis respectu visus, vt patet.

Maior autem probatur : Tum, quia virtus in aliquo ordine ex se completa ad producendum aliquem effectum, hoc ipso quòd sit ei approximata nihil aliud in eodem ordine ex parte sui requirit in ordine ad influendum, & ita si aliquando prædicta virtus indiguerit aliquo alio, vt conditione : tunc talis conditio habebit se per modum approximationis, & applicationis talis virtutis, & ideo bonitas ex se sufficiens ad mouendam voluntatem in suo ordine, indiget propositione intellectus, quia talis propositio applicat, & veluti coniungit in hoc ordine prædictam bonitatem cum voluntate.

73. Et tandem hinc corruit tertia solutio aliquorum dicentium, quod ex hac ratione solùm conuincitur, colorem se ipso, & absque concursu luminis ex parte illius se tenentis præbere omnes concursum obiectiuum respectu potentiæ visiuæ, non tamen quod lumen per modum causæ partialis, non quidem obiectiuæ, sed efficientis, & vniuersalis non coadiuuet illum cum eodem concurrendo in ordine ad immutandum medium, & potentiam, quia cum sit perfectissimum omnium visibilium, præstat cæteris

aliis

aliis concursum, ad hoc vt etiam ipsa videantur, & ita causa illa totalis ex colore, & lumine coalescens non est totalis obiectiua, sed consurgens ex partiali obiectiua, & ex partiali purè efficiente.

Hoc autem explicant exemplo intellectus agentis, qui vt vniuersalis causa omnium intelligibilium concurrit simul cum obiecto aut phantasmate ad productionem specierum intelligibilium: & licet eius concursus sit omnino pro hoc statu necessarius, nihilominus non est obiectiuus, quia non vt obiectum, sed vt purè efficiens influit.

74. Hæc tamen solutio, ex sola expensione rationis Arist. & D. Thom. iam adductæ etiam corruit: nam eo ipso, quod color sit sensibile proprium visus, non indiget alia causa purè effectiua, & specialiter destinata ad concurrendum cum illo, hoc autem sic ostenditur, quoniam ad hoc, vt aliquod obiectum possit per se ipsum immutare potentiam absque adminiculo alterius causæ peculiariter destinatæ ad hanc immutationem, & ex parte illius se tenentis, sufficit, quòd sit ex se fœcundum, & habeat rationem obiecti per se completi intra lineam obiecti: sed hoc ipso, quòd color sit sensibile proprium visus, est obiectum sensibile ex se fœcundum, & habet rationem obiecti per se completi intra lineam obiecti visibilis, vt ex dictis constat: & in hac solutione admittitur: ergo ex ipso, & absque concursu alterius causæ purè effectiuæ ex parte illius se tenentis, & ad hoc specialiter destinatæ, scilicet luminis, poterit immutare medium, & potentiam.

Maior patet: Tum inductiuè in omnibus aliis sensibilibus propriis cæterorum sensuum externorum, quæ hoc ipso, quod ex se sunt fœcunda, & habent rationem completam obiecti sensibilis intra lineam prædicti obiecti; ideò se ipsis absque adminiculo alicuius alterius causæ ad id specialiter destinatæ, & ex parte eorum se tenentis, possunt immutare medium, & potentiam sensitiuam eis correspondentem: Tum etiam, quia cùm species sit naturalis imago obiecti in esse obiecti, non requirit aliam causam ad illam specialiter destinatam, nisi idem obiectum, quoties hoc est ex se per modum causæ principalis fœcundum, & habet completam rationem obiecti: sicut quia filius in humanis est naturalis imago patris, non requirit aliam causam effectiuam ad hoc specialiter destinatam, nisi tantùm ipsum patrem.

75. Minor autem ex dictis constat: quoniam sensibile proprium cuiusuis sensus externi est ex se fœcundum, & habet completam, & integram rationem obiecti per se sensibilis respectu illius, ex eo quod, vt suprà dicebamus, per se primo, ac proinde solùm ratione sui, non verò ratione alterius a prædicta potentia attingitur.

Adde, non rectè cohærere illa duo, quæ ab aduersariis in hac solutione coniunguntur, scilicet lumen ex eo, quod est primum, & perfectissimum visibile, concurrere ad omnes immutationes, quibus alia visibilia per species intentionales immutant medium, ita vt ex parte eorum se teneat, & quod nihilominus non influat concursu obiectiuo, sed purè effectiuo; quoniam quod influit vt primum visibile, à quo cætera alia visibilia dependent; cùm tamen ipsum sit independens ab illis, oportet vt per propriam sibi visibilitatem præstet hunc influxum, alioqui non concurreret vt primum visibile: ergo etiam oporteblt, vt influat tanquam obiectum perfectissimum visus, & consequenter quod concurrat concursu obiectiuo.

Patet hæc vltima consequentia, quia non aliundè potest conuinci, quòd influxus, quem præstat color respectu visionis, qua videtur, sit obiectiuus, nisi quia vt obiectum visus (seu quod idem est) quatenus est visibile influit: ergo nequit lumen concurrere, vt primum visibile vnà cum colore, & vt aliquid ex parte illius se tenens nisi simul concurrat concursu obiectiuo, non verò influxi purè effectiuo.

76. Confirmatur, nam si lumen, e color considerentur, vt sunt qualitates absolutæ talis, vel talis naturæ, non habent inter se nexum, & ita lumen potest reperiri in sole sine colore, & color in mixtis sine lumine: ergo si quæ inter vtrumque potest assignari dependentia, tantum erit secundùm quod visibilia sunt: ergo, vel lumen nequit concurrere vna cum colore, vt aliquid ex parte ipsius se tenens, vel debebit influere, non per influxum purè effectiuum, sed obiectiuum.

Neque exemplum illud de intellectu agente ab his authoritatibus adductum eis fauet: nam obiecta sensibilia, siue materialia, quæ sola ab intellectu possibili pro hoc statu per se primò, & per propriam speciem attinguntur, sunt ex se improportionata in ratione obiecti respectu illius ex eo, quòd sunt materialia; & ideò, non mirum quod egeant aliqua vniuersali causa, scilicet intellectu agente à qua à sua materialitate denudentur, vt ita debita proportio inter potentiam, & speciem reperiatur. Quæ ratio, cum in obiecto sensibili respectu sensus non procedat; vt ex se, & ex alibi dictis constat; fit inde, vt color nulla ratione indigeat lumine tanquam causa ex parte illius se tenente, ipsumque in ordine ad productionem speciei sensibilis adiuuante.

Fit obuiam argumentis primæ sententiæ.

§. IV.

77. AD primum respondetur S. Doctorem solùm velle lumen facere colores visibiles actu in quantum facit diaphanum esse in actu, ad hoc vt possit immutari intentionaliter à colore, & sic color ipse videri. Ita se explicuit idem S. Doct. lect. 10. citat. dicens: *Hoc autem solummodò facit lumen ipsum esse actu colorem in quantum facit diaphanum esse in actu, vt moueri possit a colore, & sic color videri.* Vnde lumen solùm dispositiuè, & in genere causæ materialis, ac tandem ex parte passi se tenendo ad prædictam immutationem concurrit, ita Aristotel. in hoc 2. lib. text. 67. reddens rationem propter quam vnusquisque color per lumen fit visibilis sic ait: *Quia omnis color motiuus est eius quod secundùm actum est diaphani.* Per quem loquendi modum nihil aliud vult, vt D. Thom. vbi supra explicat, nisi quia diaphanum non fit in actu nisi per lumen, sequitur quod color non fit visibilis sine lumine.

Secundò respondetur, seu magis explicatur præcedens solutio D. Thomam in illis prioribus testimoniis nolle lumen simpliciter reddere colorem visibilem in actu, & tanquam aliquid ex parte illius se tenens, sed solùm quodammodo in quantum facit diaphanum in actu, ac proinde dispositum, vt moueri possit à colore, nam hoc est quodammodo facere, vt color sic visibilis, quia est facere dispositionem requisitam ad hoc vt videri possit, vt ex eodem S. Doct. loco cit. vidimus, vbi hoc modo se ipsum explicat.

78. Adde verba illa in prædictis testimoniis adducta posse intelligi in sensu causali, & radicali, quatenus vt supra n. 30. & 31. ex Angel. Doct. diximus, color causatur tanquam ex radice, ex aliqua mixtione primarum qualitatum, tanquam ex materia, seu dispositione materiali remota, ex lumine verò tanquam ex principio formali in comparatione ad prædictam mixtionem, quod proinde proximus, & tanquam determinans mixtionem concurrit; ita vt pro maiori,

vel

vel minori copia luminis resultet magis, vel minus perfectus color, in quo lumen ipsum virtualiter permanet ex eo quod color est participatio quædam æquiuoca, & deficiens eiusdem luminis. Cæterùm, hæc iuxta ibidem dicta debent intelligi.

Ad confirmationem ex pluribus eiusdem D. Thom. testimoniis desumptam respondetur S. Doct. in omnibus illis non dixisse absolutè lumen facere colores actu visibiles, aut se habere tanquam obiectum formale respectu coloris, sed solùm id asseruisse adducendo quoad hoc lumen, & colorem in exemplum ad explicandas alias res Theologicas, ex eo quod vt idem S. Doct. 1. p. q. 79. art. 3. ad secundum expresse fatetur: vtraque ex his sententiis, scilicet lumen se tenere ex parte coloris ad hoc, vt reddatur visibilis, & quod non se tenet ex parte illius, sed ex parte medij à diuersis auctoribus, & sanè probabiliter defenditur: & ideò nunc vna, nunc alia ad res Theologicas explicandas vtitur: quia vt ex communi Doctorum sententia constat ad adducendum aliquid in exemplum, satis superque est vti opinione aliqua probabili.

79. Vnde vniuersaliter verum est, quòd ex his locis in quibus S. Doct. aliquid asserit adducendo rem aliquam in exemplum, non licet colligere doctrinam in illo contentam esse de mente ipsius, nisi ex aliis locis eiusdem (circa quæ tamen alibi non se explicuerit) certo id constet, vel ex contextu pateat illum ea propria mente prædictum exemplum approbare, vt in exemplo illo de eodem lumine ad explicandum modum, quo intellectus agens concurrit ad productionem specierum à nobis in hac eadem quæst. num. 69. adducto contingit.

Estque regula hæc vniuersalis satis consona eidem Doct. Ang. 1. part. quæst. 67. artic. 2. vbi cum sibi apposuisset quoddam testimonium Aristotel. dicentis, quod lumen est species ignis; Respondet Aristot. protulisset hæc verba adducendo lomen in exemplum ad aliquid aliud explicandum, & ita inquit: *Non tamen est multum curandum de eis exemplis quæ Aristot. adducit in lib. logicalibus, quia inducit ea, vt probabilia in opinione aliorum.*

Ex quo etiam satis intelligitur, quanto iure oppositam sententiam, scilicet lumen tenere se solùm ex parte medij, vt D. Thomæ magis conformem eligimus: quandoquidem non adducendo aliquid in exemplum; sed absolutè, nec per transennam (vt aiunt) sed in propriis locis vbi discuti solet, & ex professo eam amplexus est.

80. Ad 2. ex ratione petitum patet ex dictis: quòd cùm color consistat radicaliter, & modo explicato lumine, & in eo lumen virtualiter maneat: eo quod color est quædam participatio virtualis ipsius: ideò lumen est quodammodo, & in sensu explicato ipsa substantia coloris, & ideò omne visibile reducitur ad vnam, & eandē naturam: ac proinde propter hoc non est necessarium, vt color per lumen extrinsecum, seu de foris adueniens, & formaliter tale fiat actu visibilis. Quæ solutio desumitur ex D. Thoma lect. 14. vbi ad hoc argumentum respondet his verbis. *Ex quo etiam patet, quòd cùm lux sit, quodammodo substantia coloris ad eandem naturam, reducitur omne visibile, nec oportet quod color per lumen extrinsecum fiat actu visibile.*

Adde ex eodem Ang. Doct. de sensu, & sensibili lect. 6. colorem, & lumen conuenire in vnica ratione, scilicet, quod vterque est actus perspicui, quamuis lux non petat esse actum perspicui terminati, secus verò color, & ita secundùm illam rationem secundùm quam conueniunt, participant esse radicem vnius, & eiusdem rationis formalis *quæ*, in esse visibili. Adde secundo ex eodem D. Th. 1. p. q. 78. art. 3. colorem, & lumen conuenire in vna, & eadem ratione, sub qua, immutandi visum, vt quæst. præced. diximus: quamuis in ea materialiter, & modo ibidem explicato distinguantur.

81. Nec refert si dicas, quòd si color est talis per participationem à lumine æquiuocam, & deficientem: fiet inde, vt solùm reductiuè, non verò per se, & ratione sui, habeat rationem visibilis, quia participatio æquiuoca, & deficiens alicuius, reducitur ad id cuius est participatio Non itaque hoc refert, quia participatio qua color dicitur participare lucem, dicitur deficiens ex eo quod non pertingit ad perfectionem essentiam, nec ad modum immutandi per se petitum à lumine, vt est peculiare quoddam virtutem esse visibile, non tamen quia sit deficiens quoad virtutem sed requiritur ad immutandum simpliciter visum, licet eo modo, atque adeò cum tanta perfectione quanta lumen immutat eundem visum, & ideò est proprium sensibile visus per se, & ratione sui, non verò per reductionem ad lumen formaliter tale, & ratione illius formaliter, aut aliquo ex modis impugnatis.

82. Ad tertium respondetur ex D. Thom. quæst. vnica de Animæ artic. 4. ad 4. vbi sic ait: *Nec obstat, quod ab eo, qui est in tenebris videntur ea quæ sunt in luce, & non è conuerso: hoc enim accidit ex eo quod oportet illuminari diaphanum, quod circumstat rem visibilem, vt recipiat speciem, quæ vsque ad hoc visibilis est quousque porrigitur actus luminis illuminantis diaphanum, licet de propinquo perfectius illuminet, & à longinquo magis debilitet.* Quod etiam docuit Ang. Doct. lect. 14. iam citata, his verbis: *quod autem colores illuminati ab eo, qui est in obscuro videantur, contingit, ex eo quod etiam medium illuminatur, quantum sufficit ad immutationem ipsius.*

Vnde solutio in argumento adducta est optima, & ad primam probationem in contrarium patet ex testimoniis modò adductis, & ex his, quæ ex Aristot. à num. 67. vsque ad 69. adduximus, quomodo doctrina in ea contenta sufficienti authoritate Aristot. & D. Thomæ fulciatur, sicut etiam ex dictis tam in hac, quàm in præced. quæst. liquet: eo porrigi illuminationem medij, quo immissio speciei visibilis porrigitur.

83. Ad secundam impugnationem dicendum cum Ferrara vbi suprà, maximam illam, quòd agens naturale fortiùs agit in propinquum quàm in remotum, esse veram, si cætera sint paria; in præsenti autem cætera non sunt paria. Nam color existens in corpore habet propter suam materialitatem requirere maiorem dispositionem in aëre, in quem immediatè agit quam species intentionalis coloris, quæ est spiritualior, & cum facta comparatione inter ipsas species, tunc illæ quæ sunt propinquiores oculo sunt immaterialiores: fit inde, vt requiratur magis luminis in aëre propinquo colori, quàm in aëre, qui est magis approximatus oculo: cùm hoc tamen stet, quod aliquando maxima illuminatio medij, dum obiectum est in tenebris, aut in loco parum illuminato, soleat impedire visionem, quia à maiori illo lumine offuscatur talis color; ita vt vel nullo modo, vel non ita benè possit conspici.

Ad confirmationem respondetur, eo magis inspici colorem per se loquendo, quo maiori fuerit perfusus lumine: nam eo ipso, quod maius lumen in eo sit, etiam in medio plus luminis erit: & si hoc ibidem non adesset, nequaquam melius videretur color. Quoniam visibilitas obiecti, quantum ad proprium actum etiam proportionatur dispositioni medij: cum debeat fieri per speciem de potentia eius eductam, & in eo tanquam in subiecto, siue medio proportionato recipi.

84. Ad quartum, concesso primo entimemate, neganda est minor statim subsumpta: quia ad perspicuũ, quod

quod est proprium susceptiuum coloris, non requiritur necessariò lumen formaliter tale, quod constituat ipsum ratione perspicui in actu: sed satis est, quod habeat rationem perspicui in potentia proxima: licet simul possit modo alibi dicto esse perspicuum in actu. Adde cum Ferrara loco citato, posse etiam dici, quod proprium susceptiuum coloris formatum tamen semper est perspicuum aliquo modo in actu, quia est perspicuum formatum per colorem, qui habet aliquo modo, vt iam explicuimus, rationem luminis.

Ad vltimum neganda est sequela: & ad probationem respondetur primò, antecedens esse verum, quando dispositio est talis naturæ, vt hoc ipso quod sit perfecta, debeat ad illam necessariò subsequi forma pro qua disponit, vt in exemplo ibidem adducto contingit; hoc autem non conuenit lumini respectu specierum sensibilium.

Secundò respondetur ad eandem probationem, antecedens esse concedendum in agentibus perfectæ virtutis, non autem in habentibus virtutem imperfectam in agendo. Nam hæc licet possit agere si semel passum sit dispositum; non tamen possunt prædictum passum per se disponere: quare, quia color est quodammodo imperfectæ virtutis in agendo, ideò licet semel perspicuo disposito per lumen habeat virtutem ad illud intensionaliter immutandum; non tamen si talis dispositio non præsupponatur.

85. Quæ solutio desumitur ex D. Thoma lect. 14. iam citat. vbi postquam dixit, colorem ex se esse motiuum perspicui in actu per lumen, statim vt redderet rationem propter quam requiritur, quòd lux disponat idem perspicuum per lumen in illud diffusum, quam tamen dispositionem nequit idem prædictus color efficere, sic ait: *Forma, quæ est perfectæ virtutis in agendo, non solum potest inducere suam similitudinem in suo susceptibili, sed potest etiam disponere patiens, vt sit proprium eius susceptiuum, quod quidem non potest facere cum fuerit imperfectæ virtutis. Dicendum est igitur, quod virtus coloris in agendo est imperfecta respectu virtutis luminis: nam color nihil aliud est, quam lux quodammodo obscurata ex admixtione corporis opaci,* modo tamen suprà explicato. *Vnde non habet virtutem, vt faciat medium in illa dispositione qua sit susceptiuum coloris, quod tamen potest facere lux pura.*

QVÆSTIO VI.

Quid sit subiectum potentiæ visiuæ.

Semel explicato obiecto, & medio visus, statim pulsat animum inquirere de illius subiecto, & ideò post prædicta quæstionem hanc meritò excitamus.

Notationes pro vtili explicatione.

§. I.

Vt quæstionis titulus melius intelligatur notandum est in oculo esse inter alia saltem quinque tunicas, tres humores, & septem musculos, quibus versus omnes partes, versus quas est aptus moueri, tendit. Primò igitur in centro oculi, qui est substantia quædam quasi circularis, non quidem perfectè, sed ad modum, & figuram cui, adest quidam humor per lucidus, qui nomine crystallini, & pupillæ insignitur: quia etsi aliquantulum mollis sit, nihilominus est transparens velut crystallus, & ei valdè assimilatur, habétque figuram similem lupino, vel lenticulæ. Post hunc sequitur tunica quædam eum circumdat, aptissimátque est ad illius conseruationem, & appellatur tunica specularis, quia ad videndum, seu speculandum valdè accommodata est.

86. Deinde humor crystallinus, quasi immersus est alteri humori, qui vitreus appellatur, quoniam splendore, & mollitie gaudet: sicut massa vitrea dum in fornace decoquitur, & humor hic ita complectitur illum priorem, vt in anteriori saltem parte relinquat quasi fenestram circularem, quoniam humor crystallinus ita immersus est vitreo: vt media illius pars supereroineat, ac si globus ligneus in aqua immergeretur, ex quibus duobus humoribus vitreus, Galen. lib. 10 de vsu partium c. 1. est à natura institutus, vt sit in nutrimentum crystallino: quia humor hic non est ita aptus ad hoc, vt immediatè nutriatur ex solo sanguine. Vnde vitreum humorem ex parte quædam tunica ambit, quæ dicitur reticularis, quia multis venis, & arteriis inserta est, & cum reti magnam habet similitudinem, & desinit ad eam partem, quia crystallinus humor habet in anteriori parte prædictam fenestram, cuius munus ait Galen. vbi supr. c. 2. est ministrare, & præparare alimentum humoribus prædictis, quia hi ex hoc quòd molles sunt, nequaquam venis, & arteriis gaudent, vel saltem non ita accommodatis, & perfectis, vt non indigeant speciali ter dicta tunica.

Post hanc deinde tunicam subsequitur alia, quæ dicitur vuea, quia folliculo vuæ similis est, & tunica ista solet esse diuersi coloris in diuersis oculis, quamuis quilibet color ex his, qui illi conueniunt, sit subobscurus, & ita ratione huius diuersitatis oculi distinctis nominibus insigniuntur, nam alij nigri, alij albi, &c. appellantur. Deinde huic tunicellæ contigua est alia, quæ cornea dicitur, quæque dura, & transparens ad modum laminæ corneæ est, & hæc ex omni parte pupillam cingit, vtpotè quæ eidem in propugnaculum, & munimen data est.

87. Præter hæc subsequitur tertius humor, aqueus vel albugineus dictus, qui & albo similis est, & institutur à natura, vt internum humorem crystallinum; vtpotè delicatissimum humectet, ac foueat; & tandem totam illam concauitatem oculi repleat; quamuis etiam alij dicant, humorem hunc esse ante præteritam tunicellam: & deinde humor iste tegitur alia tunica habente foramen quoddam, per quam queat humor crystallinus conspici, & species ingredi ad visum, quæ quidem tunicella fortis est, & ab aliquibus appellatur album oculi; ab aliis verò adhærens, seu adnata, quæ quidem integrum oculi quasi format, & in sui sede consistere facit; imò suo calore (in quo aliis oculi partibus præeminet) eas fouet ne congelentur, deriuatúrque à tunica alia caluariã ambiête quæ pericranium dicitur.

Præterea vterque oculis est pendens à quodam neruo à cerebro descendente, & habente duos ramos vsque ad oculos protractos, qui taliter sunt dispositi, vt vnus versus partem dexteram, alter verò versus sinistram descendat: Hi autem duo ramiculi vocantur optici, seu visorij, & induti sunt duabus tunicellis, & sub celebrali quarum altera, & tenuior tunica est tenuis; altera verò duritie affecta est. Et tandem quilibet oculos quasi ligatus est septem musculis, qui non sunt aliud, quoad præsens attinet, quàm ligamenta quædam facilè mobilia, quibus oculus sustinetur, & in varias partes hinc inde moueri potest.

His ergo suppositis, quod in hac quæstione inquirimus, est, an potentia visiua in omnibus istis, an verò in aliquibus, vel aliquo ex illis, vt in subiecto

proximo subiectetur; & si non in omnibus immediatè recipitur, quænam sit illa, vel illæ partes, in quibus proximè subiectatur.

Proponitur prior sententia.

§. II.

88. PRima sententia asserit, visum in solo humore crystallino proximè subiectari. Ita Galenus lib. 8. de vsu partium cap. 6. & lib. 1. cap. 10. Vega Medibus in Galenum de locis affectis lib. 4. cap. primo, Valesius libr. 2. controu. medicar. cap. 8. & alij ex insigulbus Medicis. Idem tenent Conimbric. in hoc 2. lib. c. 7. quæst. 7. art. 2. Rubio tract. de sensu visus quæst. 8. Suar. 2. tom. summæ Theologiæ tract. 3. lib. 3. cap. 18. num. 4. asserens hanc esse communem sententiam Philosophorum.

Probatur primo testimonio Aristotel. lib. 1. de historia animalium cap. 9. his verbis: *Humor oculi interior quo videmus pupilla est: quod eam ambit nigrum dicitur quod postremo nigrum candidum seu albugo.* Vbi, vt constat, soli pupillæ, seu, quod idem est, humori crystallino tribuit rationem subiecti, & organi visus; non verò alijs humoribus vel cæteris partibus oculi iam enumeratis. Idem etiam docet libro de sensu, & sensibili c. 2. & lib. 3. de Generat. Animal.

89. Confirmatur ex D. Thom. in hoc. 2. lib. lect. 17. vbi assignando organum visus, solius pupillæ meminit, dicens: *Sicut enim humidum aqueum, quod est in pupilla, caret omni colore, vt possit cognoscere omnium colorum differentias, &c.*

Secundo probatur ratione: nam humor crystallinus seu pupilla est pars oculi omnium perfectissima: habetque accidentia, quæ maximè ad visionem, & ad potentiam visiuam in se suscipiendam conducunt: illique cæteræ partes deseruiunt: ergo erit aptissimum illius subiectum. Consequentia probatur: quoniam certum est potentiam visiuam in oculis esse collocandam: eo enim mirabilis eorum structura tendit, vt in se recipiat, & conseruet illam, eo sane modo quo tota annuli structura ad recipiendam in se gemmam aliquam pretiosam solet ordinari. Vnde sicut in omnium pretiosiori parte, quæ est veluti annuli centrũ, cuique aliæ partes veluti deseruiunt, lapis ille pretiosus proximè, iuxta regulas artis recipiendus est: sic inter oculi partes, illa proximè in se pretiosam potentiæ visiuæ gemmam recipiat, quæ cæteras nobilitate vicerit, & veluti centrum talis structuræ fuerit, cuique reliquæ partes veluti deseruierint.

Antecedens autem probatur, nam humor crystallinus, siue pupilla magna perspicuitate pollet, quæ magnæ perfectionis nota est, quæque valdè ad visionem elicendam conducit, & est expers omnis coloris, vt sic possit omnes illos tueri, & deinde residet in centro oculi, & in medio omnium aliarum partium, vt omnibus illis septus, & munitus sit, ideóque omnes ad eum tuendum, ornandum, & conseruandum à natura ordinatæ esse videntur: ac proindè ei omnes veluti famulantur.

90. Confirmatur. Nam organum visus debet esse aqueum, sed humor crystallinus est aqueus: ergo cùm habeat cætera alia, quæ ratione præcedenti diximus, erit valdè accommodatus ad hoc, vt sit organum visus. Consequentia videtur perspicua. Minor autem satis constat: tum ex se: tum etiam, quia propter hanc rationem est similis crystallo, quod est aqueum. Maior verò probatur: tum ex Arist. l. de sensu, & sensibili, vbi inquit. *Quod si oportet asserere secundùm hunc modum attribuere, & assignare vnumquodque sensitiuum vni elementorum oculi quidem visiuum aquæ existimandum:* tum etiam D. Th. lectio 4. his verbis: *Existimandum est, quod visiuum oculi attribuendum sit aquæ.*

Tum etiam ratione desumpta ex eodem Aristot. vbi supra, & D. Th. ibidem, nam licet visus non attribuatur aquæ, secundùm quod est aqua, sed ratione perspicuitatis, quæ in aqua, & in aëre inuenitur ex eo quòd visibile est motiuum perspicui: nihilominus magis attribuitur visio aquæ, quàm aëri, propter duo. Primò quidem, quia aqua magis potest conseruari, quàm aër, ex eo quod iste facile diffunditur, & ideò ad conseruationem visus conuenientior fuit aqua, quàm aër, seu humor aqueus, quàm aliquid aëreum. Secundo, quia aqua est magis spissa, quàm aër, & ex ratione suæ spissitudinis habet, quòd in ea per quandam reuerberationem appareat forma rei visæ, & hoc competit instrumento visus: & ideò prædictum instrumentum magis debet esse aqueum, quàm aëreum.

Vera Arist. & D. Thom. opinio, & primum illius fundamentum.

§. III.

91. DIcendum tamen est, potentiam visiuam subiectari tum in pupilla, seu humore crystallino: tum etiam in neruis opticis, seu visorijs, & præcipuè in illa parte, vbi prædicti nerui coniunguntur. Assertionem hanc tuentur Aristot. & D. Thom. locis statim referendis. Bañez 1. p. q. 78. art. 3. tract. de visu dub. 2. & eandem quoad priorem partem docent authores pro contraria sententia relati. Quoad posteriorem verò eam ex parte defendunt Auicena 6. natural. part. 3. cap. 8. Ciruel. lib. 1. perspect. cap. 9. conclus. 6. Vitellius l. 3. Theorem. 2. & Albert. 2. de Anima tract. 3. cap. 14. quatenus aiunt visionem fieri in confinio prædictorum neruorum, & inter Medicos Doctor. Matthæus Fernandez l. de facultatibus tract. 1. q. 4. ad quartum argumentum.

Probatur primò ex Aristot. de sensu, & sensibili, nam postquam dixit, visum esse in oculo, & in humore aqueo, & crystallino, post modum, vt denotaret illum non esse in superficie eiusdem oculi, bene tamen esse etiam interius in neruis opticis, addidit. *Non enim in vltimo oculi anima, aut animæ sensitiuum est, sed manifestum quoniam interius.*

Vbi D. Thom. lectio 5. postquam asseruit pupillam esse organum visus, deinde explicans prædicta verba sic ait. *Anima, siue sensitiua anima, non est in exteriori superficie oculi, sed intra, & est attendendum, quòd signanter addidit (aut anima sensitiuum) anima enim, cum sit forma totius corporis, & singularium partium eius, necesse est quod sit in corpore & in qualibet parte eius, quia necesse est formam esse in eo, cuius est forma: sed sensitiuum animæ dicitur potentia sensitiua, quæ quia est principium sensibilis operationis animæ, quæ per corpus exercetur, oportet esse in aliqua determinata parte corporis & sic principium visionis est interius, iuxta cerebrum, vbi coniunguntur duo nerui ex oculis procedentes.*

Vbi vt vides, tam pupillæ, quàm prædictis neruis, quoad eam partem in qua coniunguntur, tribuitur quòd sint organa visus, cúmque visus nequeat esse in animali discontinuatus, vt ex eodem Aristotel. & D. Thoma statim dicemus, consequens est, eum esse tam in pupilla, quàm in neruis illis continuatè, vsque ad coniunctionem eorundem, ac proinde ideò particulariter dici, visum residere in coniunctione prædictorum neruorum, quia facta collatione ad alias partes eorundem magis in hac, quàm in alijs partibus viget.

92. Confirmatur,

92. Confirmatur, & explicatur ex eodem Aristot. de sensu, & sensato, lectione vltima apud Diuum Thomam, vbi sic inquit. *Si autem quemadmodum oculi duo sunt, dicat quis, nihil prohibere, sic etiam in anima. Dicendum, quòd fortè ex his quidem vnum aliquid fit, & vna operatio ipsorum.* Quæ verba sic explicat D. Thom. *Quòd si aliquis dicat, quòd sicut sunt duo organa visus, scilicet duo oculi, sic nihil prohibet in anima sensitiua, etiam esse duos visus. Dicendum est hoc esse falsum, quia ex duobus oculis fit aliquid vnum, & vna est operatio amborum oculorum, in quantum scilicet visio vtriusque oculi cõcurrit per quosdam neruos ad aliquod intrinsecum in suum organum, quod est circa cerebrum, vt suprà dictum est*, scilicet in lectione 5. nuper citata. *Non ergo videtur rationabiliter dici, quòd sunt duo visus in Anima.* Vbi, vt constat, tam oculis, quàm neruis opticis conceditur, quòd sint organa visus, ita tamen, vt ex omnibus illis, vnum, & idem organum continuum, &, vt sic dicamus, totale coalescat, & vnus, & idem visus, non verò plures in prædicto organo completo totali subiectetur. Hoc autem fieri non posset, nisi potentia visiua diffusa esset ab oculis, vsque ad coniunctionem prædictorum neruorum, vbi prædicti neruuli inter se, & cùm oculis vniuntur, & continuantur. Confirmatur ex eodem Angel. Doct. opuscul. 43. cap. 3. vbi sic habet. *Patet, quòd organum proximum, & extrinsecum visus sũt oculi, primum autem, & intrinsecum sunt nerui visuales.*

Ex quo etiam corruit solutio, quam innuit Rub. scilicet testimonia hæc non esse intelligenda de organo proximo visus, sed de primo, & radicali, à quo organum proximum dependet, licèt visus in eo non subiectetur, & ita neruos opticos, & coniunctionem eorum, tantum esse organum radicale visus, & organi illius, ex eo quod vtrumque ab eis pendet.

93. Hæc igitur solutio ex dictis facilè corruit, quia ex vnitate organi radicali non licèt colligere vnitatem potentiarum sensitiuarum: sed Aristot. & Diuus Thomas, colligunt identitatem numericam visus, ex eo quod oculi habent rationem vnius & einsdem integri organi, vnà cum prædictis neruis modo explicato respectu visus: ergo loquuntur de organo totali proximo receptiuo visus, non verò de organo radicali, in quo visus ipse non subiectatur. Minor cùm consequentia satis constant. Maior verò etiam liquet, nam licèt cor sit principium formale, & radicale sensuum interiorum, & exteriorum, & indè ad cerebrum virtus hæc deriuetur, vt docet D. Thom. de sensu, & sensibili, seu sensato lectio. 5. nihilominùs non ideò prædicti sensus inter se identificantur: ergo, &c.

Adde quòd postquam D. Thom. dixit principium visiuum subiectari in illa coniunctione neruorum opticorum, statim reddens huius rationem addidit. *Et ideò oportet, quòd intra oculum sit aliquod perspicuum receptiuum luminis, vt sit vniformis immutatio à re visa, vsque ad principium visiuum.* Constat autem, quòd si coniunctio illa neruorum opticorum, non esse etiam organum proximum receptiuum visus, & elicitiuum visionis, neque etiam esset vniformis immutatio à re visa vsque ad ipsos: quandoquidem immutatio vniformis facta à re visa, seu ab obiecto visibili, vt visibile est, tantùm pertingit ab illa vsque ad visum, & organum, seu subiectum eius; non verò vsque ad principium, & organum radicale in quod visus non subiectatur.

Nec refert si obiicias, quòd Arist. in eodem capit. de sensu, & sensibili, & D. Thom. in eadem lect. 5. etiam docent, organum gustus, & tactus esse iuxta cor, & ita Aristot. inquit. *Tactiuum autem terra, gustatiuum verò species quædam tactus est, & ideo iuxta cor sensitiuum est ipsorum, scilicet gustus, & tactus.* Diu. Th. ibidem in hæc verba prorumpit. *Ostendit vbi sit organum tactus, & gustus constitutum, & dicit, quod est iuxta cor.* Ergo sicut hoc necessario est intelligendum de organo radicali, quandoquidem euidens est organum proximum gustus non esse iuxta cor, fiet indè, vt eodem modo debeant intelligi, dum inquiunt, coniunctionem illam neruorum opticorum esse organum visus.

94. Non itaque hoc refert; nam obiectio hæc ex dictis ferè manet soluta, quia vt iam vidimus, verba quæ ex Arist. & S. Doct. attulimus, non possunt non (vt ex contextu, à nobis expenso constat) intelligi de organo proximè susceptiuo visus, secus verò ea quæ in hac obiectione adducuntur. Et enim vt ex cont. patet D. Thom. ac proindè Aristotel. loquuntur de organo radicali gustus, & tactus dum inquiunt illud esse iuxta cor, & ita S. Doctor statim addidit. *Nec tamen oportet esse duo principia sensitiua in animali, vnum circa cerebrum, vbi constituitur principium visiuum, odoratiuum, & auditiuum, & aliud circa cor, vbi constituitur principium tactiuum & gustatiuum, sensitiuum enim principiũ primo quidẽ est in corde, vbi est fons caloris in corde animalis: nihil enim est sensitiuum, sine calore, vt dicitur in lib. 2. de Anima, sed à corde deriuatur virtus sensitiua ad cerebrum, & ex inde procedit ad organa trium sensitiuorũ, visus, auditus, & odoratus, tactus autem & gustus referuntur ad ipsum cor per medium coniunctum.* Constat autem, verba hæc solum posse intelligi de principio, & organo radicali: quandoquidem experimur, actionem gustandi non fieri propè cor.

Cæterùm, cum hoc stat, vt quia principium, & organum radicale debet esse principium viuum vita sensitiua, ideò debet etiam habere sensum tactus, & esse etiam organum proximè susceptiuum illius ac proinde loquendo de partibus intrinsecis animalis; debeat in illo magis vigere tactus, ideò S. Doct. plura ibidem commiscet, per quæ hoc ipsum denotat.

Secundum fundamentum veræ sententiæ.

§. IV.

95. DEindè, assertio quoad secundam partem scilicet visum subiectari in neruis opticis, ita nimirum, vt diffundatur per illos modo dicto, ab oculis vsque ad prædictam coniunctionem eorundem probatur ratione desumpta ex Arist. & D. Thom. locis citat. (Prima enim pars ex 1. & 2. fundamento oppositæ sententiæ satis constat) quoniam in animali tantùm datur vnicus numero visus: ergo organum illius non sunt solùm duo oculi secundùm humorem crystallinum ipsorum, sed organum quoddam totale constans ex prædictis oculis, & neruis opticis modo dicto, ita vt in coniunctione illorum magis visus vigeat.

Antecedens probatur, quoniam sicut ad sciendum omnia obiecta cadentia sub aliqua scientia, v. g. Philosophia, non licet ponere in homine nisi vnicam numero Philosophiam, quia vnica extenditur ad omnia illa: ita propter eandem rationem ad videndum omnium obiecta quæ possunt cadere sub visum, sufficit vnicus solummodo visus. Ex quo etiam consequentia quoad priorem illius partem constat: quia vnicus visus requirit vnicum tantùm organum totale, & proximum, vt ex se patet: ergo cùm duo oculi tantùm constituant vnicum, & idem totale, ac proximum organum quatenus in neruis opticis, à quibus quasi suspensi sunt, vniuntur ratione prædictæ cõiunctionis eorum sic fiet indè, vt visus non subiectetur

ibidem non poterat valdè profundus, & legitimus huius diffinitionis sensus plura ad sui etiam aliqualem intelligentiam petens aperiri, & ita iuxta facilo aliorum placitum loquuti sumus, quia ad rem de qua ibidem ex professo fiebat sermo, scilicet colorem non esse proprium passionem mixti, satis erat, quòd hoc, vel alio modo philosopharemur, vt in eodem loco etiam notauimus. Cæterùm in præsenti, vbi tes hæc ex professo, & ex propriis discutienda erat, debuit propria natura coloris, & eius subiectum explicari, & propterea loco in logica citato explicationem huius in locum istum remisimus dicentes, *De quo redibit sermo in l. de Anima.*

48. Ad fundamentum secundæ sententiæ quoad secundam eius partem (prima enim nobis non aduersatur) negandum est antecedens, & ad probationem dicendum est, quòd licet color existens in profundo parietis, non possit immutare visum, quia eius vis immutatiua impedita est, nihilominùs non ideò in diffinitione adducta dicitur illum esse extremitatem perspicui, quia in sola extremitate existens immutat; sed quia tenera color vbicumque sit, est extremitas illius ad genus qualitatis pertinens, alioqui diffinitio non esset exacta, nam color existens in intimis, & profunditate vitri viridis immutat visum, vt experientia constat, & ita corpuscula alia in eodem inclusa videri ibidem possunt.

Ad verba autem ex Diuo Thoma ibidem adducta dicendum est S. Doct. solùm velle corpora opaca non colorari intrinsecus actu, quoad munus expeditum immutandi visum, nam licet ipsa ex se eoam quoad partes intrinsecus existentes sint per se immutatiua visus, non tamen quatenus sic impediuntur media opacitate aliarum partium eiusdem corporis, possunt exercere id quod alias ex se habent, vt ex dicendis quæst. 5. magis patebit.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm color quatenus visibilis rectè diffiniatur per hoc, quod sit motiuus diaphani secundùm actum.

POstquam explicuimus quicquid est coloris secundùm suam entitatem, & essentiam absolutè consideratam: meritò de eo in ratione visibilis agimus, vt ita cognito obiecto potentiæ visiuæ, tam in esse rei, seu secundùm se, quàm in esse visibilis, melius natura eiusdem potentiæ dignoscatur.

Rationes dubitandi.

§. I.

49. PRima. Nam hæc diffinitio conuenit luci, ergo non est legitima. Consequentia patet, antecedens autem probatur, quoniam etiam lux vt visibilis est motiua perspicui per immutationem specierum intentionalium, de qua in præsenti fit sermo, alioqui dum medium est illuminatum non posset intentionaliter immutare visum, atque adeò neque videri.

Secunda. Nam color nequit esse per se actiuus respectu diaphani, secundùm actum, id est, vt actu illuminati, ita vt diaphanum secundùm istam rationem habeat rationem per se passiui respectu illius: ergo cùm hoc significetur in ista diffinitione non erit legitima. Antecedens probatur, nam ratio per se agendi, debet esse nobilior ratione per se patiendi: ergò cùm lumen sit perfectius, quàm color, non poterit hic esse ratio per se agendi, & illud ratio per se patiendi.

50. Nec refert si dicas colorem non esse rationem per se agendi, nisi vt illuminatum sic autem non esse ignobiliorem lumine: nam contra hoc est: tum, quod lumen non requiritur ex parte obiecti ad visionem, vt infrà dicemus, atque adeò non erit immutatiuus diaphani secundùm quod est illuminatus: Tum etiam, quia si semel lumen requiritur ex parte coloris ad hanc immutationem, non poterit immutare diaphanum vt actu diaphanum, & illuminatum est; quandoquidem diaphanum secundùm istam rationem, non est ignobilius lumine per quod in esse talis constituitur: & ratio per se agendi debet (vt diceba mus) esse nobilior ratione per se patiendi.

Tertia. Quia alioqui lumen constitueret diaphanum in ratione immutabilis à coloro, ac proindè cælum posset ab illo pati: hoc autem apertè repugnat: ergo, &c. Sequela quoad priorem partem satis constat, quoad posteriorem verò etiam patet: quandoquidem lumen quod est tota ratio patiendi à colore, est eiusdem rationis, & speciei; tam in his inferioribus: quàm in corporibus cælestibus. Minor autem etiam liquet: quoniam repugnat incorruptibilitati, & perfectioni cæli subdi, & pati ab istis inferioribus, & maximè qualitatibus ita imperfectis, & terrestribus qualis est color.

51. Quarta. Nam licet diaphanum non sit actuale, id est actu illustratum, sed solum in potentia, atque adeò tenebrosum, nihilominus poterit color videri, ac proinde idem color poterit immutare illud, tanquam medium per quod videtur; ergo color vt visibilis non habet esse immutatiuum diaphani, præcisè, & formaliter vt actu diaphani. Consequentia satis constat. Antecedens autem experientia patet, nam oculus existens in tenebris videt obiectum coloratum, & illuminatum.

Nec refert si dixeris: quod tunc partes medii, seu quod idem est diaphani proximiores obiecto sunt etiam illuminatæ: ac proinde color etiam tunc erit immutatiuus diaphani in actu. Nam contra hoc est, posse contingere, quod non omnes partes medij interiecti inter oculum & colorem illuminatum, sint illuminatæ, & tamen ad visionem necessarium est quod omnes immutentur ab obiecto: ergo ad hoc, vt color in ratione visibilis agat in medium, non est per se necessarium, vt medium sit illuminatum, ac proinde, color, secundùm quod obiectum visibile, non erit immutatiuus diaphani, vt actu diaphanum est.

Confirmatur, quia color semel illuminatus comparatur ad visum (sicut ea, quæ ex se lucida sunt) ex eo quod in se habet lucem eiusdem rationis, & speciei cum illis; ergo sicut res lucida potest producere species in medio, licet non sit illuminatum; vt ex infra dicendis constabit: ita etiam color illuminatus.

Sententia Arist. & D. Thom. præfertur.

§. II.

52. DIcendum tamen est, colorem in ratione obiecti visibilis consideratum, optimè diffiniri per hoc, quod sit motiuus diaphani secundùm actum, id est diaphani habentis proprium actum, scilicet lumen. Ita Aristotel. in hoc 2. l. cap. 7. text. 71. & 73. his verbis. *Hoc inerat ipsi colori esse, motiuum esse secundùm actum diaphani.* Vbi D. Th. lect. 15. *Dicit ergo primò, quòd vt supra dictum est, hoc est de ratione coloris, quod sit motiuum diaphani, quod quidem fit per lumen, quod est actus diaphani.* Vbi, vt vides coloris ratio, ac proindè, & diffinitio ponitur in hoc, quod sic

sit motiuus diaphani secundùm actum, cùmque hæc vis ad immutandum diaphanum, tantum sit ad immutationem per species intentionales, quia color non est qualitas per se actiua actione naturali, prout distinguitur ab intentionali, consequens est, vt ratio hæc, & diffinitio, quæ illam denotat, conueniat ei in esse obiecti visibilis, secundùm quam rationem habet vim ad immutandum per immutationem intentionalem. Vndè, hanc eandem sententiam sequuntur Caietan. in præsenti capit. 6. Bañez 1. p. art. 3. q. 78. tract. de visu dub. 1. Conimb. in hoc 2. lib. c. 7. quæst. 1. art. 2. Toletus quæst. 17. Iandonus q. 10. Thienensis ibidem, & alij plures.

53. Probatur ratione desumpta ex Aristot. & D. Thom. loco citato, nam in hac diffinitione explicatur id in quo color conuenit cum aliis sensibilibus proprijs, scilicet cum lumine, & cum cæteria obiectis aliorum sensuum, & insuper id per quod ab illis, & à quibusuis aliis distinguitur, ergo erit optima. Consequentia videtur legitima, Antecedens autem, quoad priorem partem satis liquet; quoniam cuiuis sensibili proprio conuenit esse immutatiuum sui medij per species intentionales, quod significatur per illam particulam *motiuus*, vt ex communi Doctorum sententia constat.

Quoad secundam verò partem probatur, & explicatur discurrendo per singula alia sensibilia propria: nam per illam particulam *diaphani secundùm actum* differt in primis à luce, ex eo quod lux, licèt sit immutatiua diaphani, non tamen vt actu diaphanum est. Cuius rationem tetigit D. Thom. lect. cit. his verbis: *Lux enim cum sit efficacior ad mouendum diaphanum, quàm color, & magis visibilis cum minori immutatione diaphani videri potest.* Ac proindè sine eo quod prius immutetur immutatione naturali per eandem lucem, vt infrà magis explicabitur.

54. Et similiter per eandem particulam distinguitur: Tum à sono qui solùm est immutatiuus aëris, & non vt actu diaphanus est, siquidem etiam in tenebris sonus auditur: Tum etiam ab odore, qui licet immutatiuus aquæ, & aëris, sicut color, & lux; nihilominus hæc duo non mouentur ab odore secundùm quod sunt diaphana, quia etiam in tenebris odor sentitur. Et ita D. Thom. in fine lect. 15. iam citatæ inquit: *Medium autem quod mouetur ab odore, est aliquid commune aeri, & aquæ sicut, & vtrumque eorum est medium, quod mouetur à colore, sed a te mouerentur vtrumque eorum secundùm quod diaphanum: passio autem communis aeris, & aquæ secundùm quam mouetur ab odore est innominata, non enim mouentur ab odore secundùm quod sunt diaphana:* Tum denique ab obiecto tactus, & gustus, de quibus certum est non esse immutatiua diaphani, quatenus talis vt ex se communi Philosophorum sententia constat.

55. Confirmatur, quia quando accidens diffinitur in abstracto, & non vtcumque, sed vt habet rationem causæ effectiuæ, tunc non incongruè diffinitur per aliquam rationem superiorem loco generis, & per subiectum, seu materiam circa quam, loco differentiæ: sed diffinitum huius diffinitionis est color in abstracto, quatenus habet peculiarem quandam rationem obiecti visibilis, & consequenter causæ intentionaliter actiuæ: ergo optimè diffinitur per hoc, quod est esse motiuum per species intentionales, tanquam per rationem loco generis positam, & per diaphanum secundùm actum, tanquam per quid loco differentiæ collocatum.

Maior quoad primam partem non indigent probatione. Quoad secundam verò suadetur, quia secundùm istam rationem causæ actiuæ, dicit intrinsecam habitudinem ad prædictum subiectum, seu materiam circa quam, sicut in esse rei, & secundùm suam entitatem absolutè consideratam importat essentialem habitudinem ad suum subiectum inhæsionis. Minor verò satis ex dictis constat. Consequentia autem etiam liquet. Siquidem ratio motiui, est quid essentialiter superius ad colorem in ratione obiecti sensibilis considerati, & diaphanum secundùm actum est subiectum, seu materia, circa quam prædictum obiectum operatur.

56. Nec refert si obiicias: Tum, quod omnia obiecta alicuius potentiæ cognoscitiuæ debent habere eundem modum immutandi prædictam potentiam; sed lumen, & color sunt obiecta eiusdem potentiæ visiuæ: ergo habent eundem modum immutandi respectu illius, ac proindè si semel color habet talem modum immutandi, vt requirat diaphanum in actu, tanquam materiam, seu subiectum *circa quod*, fiet inde vt hoc ipsum lumini debeat conuenire, tum etiam, quod proprium subiectum circa quod obiectum sensibile operatur, est potentia sensitiua: quandoquidem ideò immutat medium, vt immutet prædictam potentiam: ergo potiùs debuisset diffiniri color per hoc quod sit immutatiuus visus, quàm diaphani secundùm actum.

57. Non itaque hoc refert: nam ad primam ex his impugnationibus dicendum est: quod licet modi immutandi, qui competunt diuersis obiectis inadæquatis eiusdem potentiæ, debeant conuenire in aliqua vna ratione superiori, & eiusdem speciei atomæ, si considerentur, vt ad lineam obiecti in esse obiectorum, tanquam modi illarum, intra hanc lineam spectant; non tamen inconuenit, quod postea inter se materialiter distinguantur, & quod si diffiniatur quatenus sic sunt inter se distincti: tunc hæc ratio materialis sit potissima, & vt sic dicamus, illud formalissimum, quod in prædicta diffinitione explicatur, vt in præsenti contingit.

Nam vterque modus immutandi visum quem habent lux, & color, conuenit in hoc, quod sit purè intentionalis, & vt sic dicamus, spiritualis absque admixtione immutationis naturalis per se requisitæ, vel ex parte obiecti tantum, vel etiam ex parte organi; vt in aliis sensibus contingit, & disputat. 14. num. 50. magis explicabimus, & vnus ab alio distinguitur materialiter tanquam diuersimodi immutandi duplicis obiecti inadæquati, quorum vnum, scilicet lux secundùm id, quod de materiali in esse obiecti inadæquati dicit, seu, vt distinctum à colore, non petit per se tanquam materiam circa quam diaphanum in actu, secùs verò aliud nimirum color, qui in præsenti secundùm hanc rationem secundùm quam sic est distinctus diffinitur: quomodo autem & in quo sensu hæc diuersitas sit materialis quatenus subordinantur vni, & eidem rationi formali, & adæquatæ illorum, & plura huc spectantia, constat ex his, quæ in libr. de Generat. disp. 4. quæst. 55. diximus.

58. Ad secundam respondetur; quod hoc ipso quod color diffinitur per ordinem ad perspicuum in actu, vt habet rationem medij deferentis species intentionales ad visum, vt in præsenti contingit, satis innuitur ordo ad eundem visum tanquam ad id, quod vltimatè immutatur per eundem colorem. Cæterum, quia in præsenti diffinitur color; non qualitercumque, sed quatenus habet modum immutandi inadæquatum respectu potentiæ visiuæ, & materialiter diuersum ab eo, qui conuenit luci; ideò optimè diffinitur per ordinem ad distinctum medium per quod species intentionales deferuntur ad illam, quia hæc diuersitas non potest melius explicari, quàm per hoc, quòd modus immutandi coloris petit tanquam

medium diaphanum in actu; modus verò quo lux immutat solùm petit diaphanum, licèt non in actu, quamuis per accidens prædictum diaphanum possit esse actuale.

Occurritur rationibus dubitandi initio adductis.

§. III.

59. AD primam patet ex dictis; quomodo lux non petat per se diaphanum in actu tanquam medium per quod immutet visum, secùs verò color, vndè corpora in se fulgentia, non tamen emittentia lumen in medium possunt in tenebris videri, vt lucida sunt, licet non vt colorata, vt docuit Arist. in hoc 2. lib. text. 72. his verbis: *Non omnia autem visibilia sunt in lumine, sed solùm vniuscuiusque proprius color, quædam enim in lumine quidem non videntur, in tenebris autem faciunt sensum, vt quæ ignea videntur, & lucentia, non autem nominata sunt hæc vno nomine, vt quercus putrida, cornu, capita piscium, & squama, & oculi, sed nullius horum videtur proprius color.* Vbi D. Thom. lect. 15. *Quià iam determinatum est de colore, determinat de alio visibili, quod supra dixit esse innominatum; & dicit quod non omnia sunt visibilia in lumine, sed solum proprius color vniuscuiusque corporis in lumine visibilis est, quædam enim non videntur in lumine, sed in tenebris sicut animalia, quæ in tenebris videntur ignita & lucentia, & hæc sunt multa, sed non habent vnum nomen commune sicut putredines quercuum, & aliquod cornu alicuius animalis, & capita quorundam piscium: sed licet ista videantur in tenebris, nullius tamen horum proprius color in tenebris videtur. Videntur ergo ista in tenebris, & in lumine, sed in tenebris vt lucentia, in lumine autem vt colorata.*

60. Diximus per se, quia per accidens benè possunt lucida habentia tantum de luce, vt possint illustrare medium: videri tam in lumine, quam in tenebris, imò supposita illustratione medij ab eisdem facta, quæ ad hoc, vt viderentur, non erat per se necessariò requisita, sed solum per accidens (siquidem etiam in tenebris possunt videri) debent necessariò etiam in luce videri; & ideò Arist. vbi supra text. 74. addidit. *Ignis autem in vtrisque videtur, & in tenebris, & in lumine, & hoc ex necessitate: diaphanum enim ab hoc diaphanum fit.* Vbi D. Thom. lect. citat. *Ostendit quomodo videatur ignis, & lucida corpora, & dicit, quod videntur non solum in lumine sicut colorata, sed etiam in tenebris sicut illa de quibus supradixit: & hoc ex necessitate contingit: quia ignis habet tantum de lumine, quod possit diaphanum omnino facere actu, ita vt & ipsum, & alia videantur, nec est tantum debile lumen eius quod ad præsentiam maioris luminis obumbretur sicut accidit in his, quæ sunt dicta supra.* scil. in his quæ possunt fulgere, non tamen lucem in medium immittere.

Adde, quòd licet probabilius sit lucida corporea iuxta Aristot. & D. Thom. sententiam non requirere per se lumen in medio ad hoc vt immutent illud intentionaliter; & ideò vterque de sensu, & sensibili cap. 2. docent esse aliqua, quæ ex se fulgent, non tamen producunt lumen in medio: nihilominus probabile etiam est, quòd prædicta corpora immutant medium aliquo modo illustratum, quamuis hæc illustratio per se loquendo, & secundùm ea, quæ immutatio eorum intentionalis intrinsecè petit, sit adeò exigua, vt non reddat illud simpliciter illustratum, sed solùm secundùm quid, & talis illustratio per se loquendo non supponatur facta ab alio lucido, vt in colore contingit; sed per se fiat ab eodem lucido, quod diaphanum intentionaliter immutat.

Vnde D. Thom. lect. 15. non videtur negare his lucidis, quæ in tenebris videntur, quod non illustrent aliquo modo medium, sed quòd non illustrent illud ita perfectè, qualiter requiritur ad hoc, vt color videatur; & ita inquit: *Lux autem horum propter sui debilitatem non potest diaphanum perfectè reducere in actum secundum quod natum est moueri in colore*: quamuis re benè inspecta, & contextu reliquorum verborum attente considerato probabilius sit; D. Thom. ibidem nomine reductionis perfectæ diaphani in actum solùm intelligere immutationem naturalem per lucem, respectu cuius reductio eiusdem diaphani in actum per species intentionales, est imperfecta quatenus prædictæ species tribuunt esse diminutum.

61. Ad secundam respondetur negando antecedens, & ad probationem ad summum colligi, ex eo quod lumen sit nobilius colore, illud non esse per se primò institutum à natura vt præparet diaphanum, ad hoc, vt possit immutari à colore, non tamen quod non possit secundariò ad hoc ipsum deseruire: nam licèt demus quòd ratio per se agendi debeat esse nobilior ratione per se patiendi per se primo instituta ad hoc: non tamen ratione per se patiendi, quæ secundariò præparat passum, vt in luce contingit: quæ quidem per se primò in ordine ad alium altiorem finem instituta est.

Ad tertiam concessa priore parte sequelæ, poterit negari posterior; & ad probationem dicendum est cum Caietan. in hoc 2. l. cap. 6. quod color non est motiuus cuiusuis perspicui, sed tantum perspicui quod habet materiam eiusdem generis physici cum colorato, & ita non potest mouere intentionaliter cœlum, vndè lux non nisi vt connotat perspicuum corruptibile, est ratio per se patiendi à colore.

62. Adde, posse etiam concedi vtramque partem sequelæ, & ad probationem in contrarium dicendum est cum eodem Caietan. non esse inconueniens cœlum pati ab his inferioribus passione intentionali, & perfectiua, quia actio, qua hæc inferiora immutant intentionaliter, non conuenit eis nisi secundùm quandam rationem magis eleuatam, scilicèt, secundùm quod participant aliquid de natura substantiarum separatarum, vt in lib. de Generat. tetigimus.

Ad quartum negandum est antecedens, & ad probationem constabit ex dicendis q. seq. n. 82. Ad confirmationem respondetur: tantùm conuincere colorem illuminatum, præcisè quoad lumen, posse videri in tenebris, sed hinc nihil contra nos.

QVÆSTIO V.

Vtrum ad hoc vt color videatur, requiratur lumen ex parte ipsius, an verò solùm ex parte medij.

POstquam explicuimus lumen requiri ex parte medij ad hoc vt color per illum diffundat species sui vsque ad visum, atque adeò videri possit ab illo, restat, vt sic dicamus; an requiratur etiam ex parte coloris, & non tantum ex parte medij, ita vt color non sit sufficiens ad immutandum intentionaliter visum, qui in lumine actuetur taliter quòd prædictum lumen non solùm disponat passum, seu diaphanum, vt quæst. præced. diffinitum est; sed etiam det virtutem ipsis coloribus ad hoc, vt tam medium, quàm visum possit intentionaliter immutare.

* *
*

Refertur prior sententia.

§. I.

63. PRima sententia asserit, lumen requiri ex parte coloris ad hoc, vt prædictus color possit videri. Ita Auen pace, & Auicenna vt refert Ferrara in præsenti q. 15. Palacios, Petr. Mart. Sebast. Perez, & Conimb. c. 7. huius 2. lib. quam videntur etiam tueri Conrad. & Medina 1. 2. quæst. 8. artic. 3. & alij plures.

Probatur primò testimoniis D. Thom. nam 1. part. quæst. 63. art. 3. ad tertium inquit, quòd lumen facit colores visibiles actu in quantum est qualitas primi corporis sensibilis: & in 2. dist. 13. art. 3. in corp. asserit. *Sed verum quod per lucem videtur color, quia facit colorem esse visibilem in actu*, atque adeò lumen requiretur ex parte coloris ad hoc vt videri possit.

Confirmatur ex eodem S. Doct. qu. 13. de veritate art. 7. vbi inquit, in obiecto visus color est quasi materiale; lux verò quasi formale, quia per eam efficitur color visibilis in actu. Quod etiam docet pluribus aliis locis, scil. in 1. distinct. 45. q. 1. art. 2. ad primum in 2. dist. 20. q. 2. art. 2. ad secundum 1. 2. qu. 1. art. 3. 2-2. qu. 1. r. 3. de veritate qu. 8. art. 14. ad sextum, & qu. 2. art. 1 in corp. & q. 25. art. 1. & 1 contra Gen. cap. 6. & alibi sæpè.

Secundò probatur ratione, quam in fauorem huius sententiæ adducit, D. Tho. lib. 2. huius operis lect. 14. his verbis: *Quia oportet quia cùm visus sit vnus, quod visibile non sit nisi per rationem, vnam, quod non esset, si color esset per se visibilis, non per virtutem luminis, & item lumen esset per se visibile.*

64 Tertiò, nam experimur, quòd oculus in obscuro loco positus videt coloratum procul existens, si lumine perfusum sit: è contra verò si obiectum in obscuro sit nequit videri, quamuis oculus luce perfundatur, & sit in loco illuminato: hoc autem satis indicat lumen requiri ex parte coloris ad hoc vt videatur.

Confirmatur, nam quo color est magis illuminatus eo perfectiùs videtur, etiam si medium eodem modo se habeat vt experientia docet: ergo signum est, lumen ex parte obiecti seu coloris se tenere in ordine ad visionem illius. Patet consequentia, quia si solùm ex parte medij se teneret, non videretur perfectiùs, ex eo quod medio eodem modo illuminato haberet color magis & perfectiùs illuminari.

65. Nec refert, si cum Caietano, & Ferrara dixeris, in dictis exemplis semper in medio, & propè oculum produci nonnihil luminis, quamuis id non appareat, nec possit crescere lumen in colore, quin inde aliquid maioris luminis refundatur in medium; ita tamen, vt in medio, quod est prope obiectum, vberior lux requiratur ad recipiendam speciem, eamque traiiciendam, quàm in reliquis partibus eiusdem medij; & ideò semper saluari, quod medium habeat tantum luminis, quantum requiritur ad hoc: vt deseruiat speciebus in repræsentantibus colorem, & quod dum obiectum magis illuminatum melius videtur, id proueniat ex eo quod medium est magis illustratum.

Nam contra hoc est: Tum, quod frustraneum videtur affirmare, dari eam lucem in toto medio, vsque ad oculum quæ nec visu dignoscatur, nec efficacia rationis comprobetur: Tum etiam, quia non videtur satis consequenter dictum, quod satis sit ad visionem dari exiguum illud lumen in medio distantiori; dummodo in proximiori maius lumen sit: quoniam agens agit fortiùs & perfectiùs in proximum, quam in distans; ergo si color potest in medio remotiori, & exigua luce affecto imprimere speciem sui; cur in medio propinquiori, & eodem modo tenuem lucem habente, non poterit eandem speciem imprimere? maximè, quia quo medium fuerit distantius ab obiecto visibili, eo recipit speciem immaterialiorem, & subtiliorem, vt disp. 9. num. 47. diximus. Atque adeò si semel lumen ponitur ad hoc, vt disponat medium, necesse est, vt ad subtiliorem speciem plus luminis requiratur.

66. Quartò, nam color non videtur in abstracto, sed vt est in suo proprio susceptiuo, scil. in perspicuo terminato: ergo id quod requiritur ad perspicuum terminatum, desiderabitur etiam ex parte obiecti, ad hoc, vt color sit visibilis: sed ad prædictum perspicuum requiritur lumen; siquidem lumen est actus perspicui constituens illud in esse talis: ergo etiam requiretur ex parte obiecti ad hoc, vt color possit videri.

Vltimò, nam si lumen solùm desideraretur ex parte medij tanquam dispositio præparans illud ad hoc, vt color possit sui similitudinem in eo producere: fieret indè, vt color non solùm esset immutatiuus eiusdem medij, seu diaphani per species intentionales; sed etiam esset illuminatiuus eiusdem medij: hoc autem est apertè falsum: ergo, &c. Sequela probatur, nam idem agens quod producit aliquam formam, potest disponere ad illam: & ideò ignis, qui potest producere alium ignem sibi similem, valet etiam disponere passum in ordine ad talem productionem. Ergo si color per suam virtutem, & non per virtutem luminis ex parte sui desideratam potest producere species intentionales eiusdem coloris repræsentatiuas, etiam poterit se ipso producere dispositionem ex parte passi desideratam, scilicèt lumen.

Vera Sententia Aristot. & D. Thom. testimoniis ex vtroque desumptis fulcitur.

§. II.

67. DIcendum tamen est, lumen non requiri ex parte obiecti seu coloris ad visionem illius, sed solùm ex parte medij, seu diaphani ad hoc, vt reddat illud dispositum in ordine ad recipiendas species intentionales ab eodem colore emmissas. Ita Aristot. & D. Thom. locis statim referendis, quos sequuntur Auerroës in præsenti com. 67. Ferrara quæst. 13. Vbi etiam Aquarius quæst. 13. Ægidius ad text. 66. dubitation. 1. Flandria tract. 2. esp. 8. Tolet. quæst. 17. in probatione 2. conclus. Iandunus quæst. 19 Vbi etiam Caietan. Thiniens. Rubio tract de sensu visus qu. 6 Zanardus lect 3. 2. quæst. 27. & communiter discipuli D. Thom. vt fatetur Bañez 1. part. quæst. 79. art. 3. dubitatio. vlt.

Probatur primò ex Aristot. in hoc 2. lib. text. 67. his verbis: *Omnis enim color motiuus est eius, quod secundùm actum est diaphanu, & hæc ipsius natura, vndè nihil est visibile sine lumine, sed omninò vnusquisque color per lumen visibilis est* Vbi ex eo colligit, colorem non esse visibilem nisi per lumen, quia color est motiuus perspicui in actu, & hoc per idem lumen in esse talis constituitur. Ergo iuxta Philosophi mentem, non requiritur lumen ex parte obiecti, scilicèt coloris, sed ex parte medij, nimirum perspicui in actu.

68. Vndè D. Thomas ibidem lect. 14. sic ait: *Intelligendum est ergo, quòd color est visibilis per se, quia in se ipso habet causam, vt sit visibile, sicut subiectum in ipso habet causam propria passionis, quod probat per hoc, quòd omnis color est motiuus diaphani secundùm actum. Diaphanum autem est idem quòd transparens, vt aer, vel aqua, & hoc habet color de sua natura, quod possit mouere diaphanum*

num in actu ; ex hoc autem, quod mouet diaphanum in actu, est visibile. Vnde, sequitur, quòd color secundùm suam naturam est visibilis , & quia diaphanum non fit in actu, nisi per lumen ; sequitur, quòd color non sit visibilis sine lumine.

Et infra in eadem lect. explicans ad huc magis hanc esse mentem Philosophi addit. *Quidam dixerunt, quod lumen necessarium est ad videndum ex parte ipsius coloris, dicunt enim quod color non habet virtutem, vt moueat diaphanum nisi per lumen. Sed hoc manifestè est contra id quod Arist. hic dicit, (& quod habet in se causam essendi visibile.) Vndè, secundùm sententiam Arist. dicendum est, quòd lumen est necessarium ad videndum non ex parte coloris ec quod faciat colores esse actu , ques quidam tamen dicunt esse in potentia cum sunt in tenebris , sed ex parte diaphani in quantum facit ipsum esse in actu , vt in littera dicitur.* Ex quo etiam liquet, quàm immeritò testimonium hoc Philosophi pro se aduersarij adducant.

69. Confirmatur primo ex eodem Arist. 3. huius operis text. 18. vbi sic ait ; *Et est intellectus his quidem talis in omnia fieri , ille verò in omnia facere sicut habitus quidam , & sicut lumen ; quodam enim modo , & lumen facit potentia existentes colores, actu colores.* Vbi D. Tho. lect. 10. his verbis : *Dicit quod est habitus, vt lumen, quod quodammodo facit colores existentes in potentia , esse actu colores , & dicit quodam modo , quia supra ostensum est, quòd color secundùm se est visibilis ; hoc autem solummodo facit lumen ipsum esse actu colorem, in quantum diaphanum facit esse in actu, vt moueri possit à colore, & sic color videatur , intellectus autem agens facit ipsa intelligibilia esse in actu , qua prius erant in potentia , per hoc, quod abstrahit ea à materia, sic enim sunt intelligibilia in actu, vt dictum est.* Ex quo etiam , vt id obiter dicamus , satis constat, quàm sine fundamento testimonium hoc Aristot. à contrariis pro sua sententia adducatur.

Confirmatur secundò ex eodem Angel Doct. qq. vnica de Anima artic. 4. ad 4. vbi postquam retulit opinionem dicentium, lumen requiri ex parte colorum ad visionem eorumdem, ex eo quod det virtutem coloribus , quasi color non ex se ipso sit visibilis , sed per lumen : statim addidit : *Sed hoc videtur Aristot repugnare cum dicit in secundo de Anima, quòd color est per se visibilis , quod non esset si solum ex lumine haberet visibilitatem, & ideò alij aliter dicunt, & meliùs quod lumen necessarium est ad videndum in quantum perficit diaphanum faciens illud esse lucidum in actu.*

Eadem Aristot. & D. Thom. sententia ratione ex eisdem petita, stabilitur.

§. III.

70. DEindè, probatur ratione ex Philosopho , & ex S. Doct. locis citatis desumpta , quæ potest ad hanc formam reduci, quoniam color per se ipsum est visibilis: ergo non potest reddi visibilis per lucem; ac proindè lumen , quod necessariò requiritur ad visionem , non tenebit se ex parte coloris , sed ex parte medij , quatenus reddit illud dispositum ad hoc , vt intentionaliter immutetur ab eodem colore.

Antecedens probatur ; quia color est sensibile proprium visus , quandoquidem solus ipse inter sensus externos illum attingit, ergo per se ipsum erit visibilis; siquidem sensibile proprium alicuius sensus est per se sensibile respectu illius, vt constat ex his, quę disp. 9. n. 2. diximus Prima verò consequentia etiam constat; quoniam , quod per se , & ab intrinseco est tale, non redditur tale per formam extrinsecam, seu de foris aduenientem ; ergo si color per se , & ab intrinseco est visibilis , non fiet talis per lucem , quod de foris ei aduenit. Secunda verò consequentia ex dictis quæst. præced. satis liquet.

Ex quo corruit prima solutio aduersariorum asserentium colorem non esse per se visibilem visibilitate completa , & perfecta , sed solùm inchoata , incompleta ; & ideò indigere lumine ad hoc , vt in ratione visibilis ex parte sua compleatur , & ratione illius possit videri.

71. Hæc igitur solutio ex dictis satis corruit; nam hæc duo non possunt inter se cohærere , scilicet colorem esse sensibile proprium visus , & non habere per se visibilitatem completam ex parte obiecti se tenentem , nam in hoc distinguitur sensibile proprium alicuius sensus , à sensibili communi , vel per accidens , quod sensibile proprium per se primò attingitur à sensu , sensibile verò commune , non nisi per se secundò , & ratione alicuius sensibilis proprij , & tandem sensibile per accidens , nullo modo per se ab eodem sensu percipitur ; ergo repugnat , quòd color sit sensibile proprium visus , atque adeò per se primò attingibilis ab eo, & quod tantum habeat visibilitatem inchoatam , & imperfectam , alioqui non per se primò , sed ratione alterius esset visibilis. Vndè D. Thom. lect. cit. loquens de formis, quæ sunt propria sensibilia alicuius sensus , sic ait ; *Omnis forma in quantum huiusmodi, est principium agendi sibi simile. Vndè, cum color sit quadam forma , ex se habet , quòd habeat sui similitudinem in medio.*

Ex quo etiam corruit alia solutio ; scilicet ex hac ratione solùm conuinci lumen non requiri ex parte coloris , vt quid dans ei virtutem ad immutandum visum , & per modum formæ ad id concurrens , non tamen non requiri ex parte ipsius tanquam conditionem ad talem immutationem ex parte eiusdem coloris petitam.

72. Nam contra hoc etiam vrget impugnatio nuper facta. Quoniam si semel color est sensibile proprium visus, atque adeò per se primò ab illo attingitur : ipseque color habet vim completam ad immutandum visum; nequit lumen etiam per modum conditionis per se ex parte eiusdem coloris petitæ concurrere. Et ratio est aperta ; nam virtus completa alicuo ordine, non potest etiam per modum conditionis requirere in eodem ordine aliud , vt quid ex parte illius se tenens, nisi habeat rationem conditionis, quæ sit approximatio , & applicatio talis virtutis in ordine ad operandum: sed lumen non se haberet per modum approximationis coloris ad immutandum visum : ergo , &c Minor ex se constat : & insuper quia color absque lumine potest esse intra sphæram actiuitatis respectu visus , vt patet.

Maior autem probatur 1. Tum , quia virtus in aliquo ordine ex se completa ad producendum aliquem effectum, hoc ipso quòd sit ei approximata nihil aliud in eodem ordine ex parte sui requirit in ordine ad influendum , & ita si aliquando prædicta virtus indigueric aliquo alio, vt conditione : tunc talis conditio habebit se per modum approximationis , & applicationis talis virtutis , & ideo bonitas ex se sufficiens ad monendam voluntatem in suo ordine , indiget propositione intellectus , quia talis propositio applicat, & veluti contungit in hoc ordine prædictam bonitatem cum voluntate.

73. Et tandem hinc corruit tertia solutio aliquorum dicentium , quod ex hac ratione solùm conuincitur, colorem se ipso, & absque concursu luminis ex parte illius se tenentis præbere omnes concursum obiectiuum respectu potentiæ visiuæ , non tamen quod lumen per modum causæ, partialis, non quidem obiectiuæ , sed efficientis , & vniuersalis non coadiuuet illum cum eodem concurrendo in ordine ad immutandum medium , & potentiam , quia cum sit perfectissimum omnium visibilium , præstat cæteris

alias

aliis concursum, sed hoc vt etiam ipsa videantur, & ita causa illa totalis ex colore, & lumine coalescens non est totalis obiectiua, sed consurgens ex partiali obiectiua, & ex partiali purè efficiente.

Hoc autem explicant exemplo intellectus agentis, qui vt vniuersalis causa omnium intelligibilium concurrit simul cum obiecto aut phantasmate ad productionem specierum intelligibilium: & licet eius concursus sit omnino pro hoc statu necessarius, nihilominus non est obiectiuus, quia non vt obiectum, sed vt purè efficiens influit.

74. Hæc tamen solutio, ex sola expensione rationis Arist. & D.Thom. iam adductæ etiam corruit: nam eo ipso, quod color sit sensibile proprium visus, non indiget alia causa purè effectiua, & specialiter destinata ad concurrendum cum illo, hoc autem sic ostenditur, quoniam ad hoc, vt aliquod obiectum possit per se ipsum immutare potentiam absque adminiculo alterius causæ peculiariter destinatæ ad hanc immutationem, & ex parte illius se tenentis, sufficit, quòd sit ex se fœcundum, & habeat rationem obiecti per se completi intra lineam obiecti: sed hoc ipso, quòd color sit sensibile proprium visus, est obiectum sensibile ex se fœcundum, & habet rationem obiecti per se completi intra lineam obiecti visibilis, vt ex dictis constat: & in hac solutione admittitur: ergo se ipso, & absque concursu alterius causæ purè effectiuæ ex parte illius se tenentis, & ad hoc specialiter destinatæ, scilicet luminis, poterit immutare medium, & potentiam.

Maior patet: Tum inductiuè in omnibus aliis sensibilibus propriis cæterorum sensuum externorum, quæ hoc ipso, quod ex se sunt fœcunda, & habeat rationem completam obiecti sensibilis intra lineam prædicti obiecti; ideò se ipsis absque adminiculo alicuius alterius causæ ad id specialiter destinatæ, & ex parte eorum se tenentis, possunt immutare medium, & potentiam sensitiuam eis correspondentem: Tum etiam, quia cùm species sit naturalis imago obiecti in esse obiecti, non requirit aliam causam ad illam specialiter destinatam, nisi idem obiectum, quoties hoc est ex se per modum causæ principalis fœcundum, & habet completam rationem obiecti: sicut quia filius in humanis est naturalis imago patris, non requirit aliam causam effectiuam ad hoc specialiter destinatam, nisi tantùm ipsum patrem.

75. Minor autem ex dictis constat: quoniam sensibile proprium cuiusuis sensus externi est ex se fœcundum, & habet completam, & integram rationem obiecti per se sensibilis respectu illius, ex eo quod, vt suprà dicebamus, per se primo, ac proinde solùm ratione sui, non verò ratione alterius a prædicta potentia attingitur.

Adde, non rectè cohærere illa duo, quæ ab aduersariis in hac solutione coniunguntur, scilicet lumen ex eo, quod est primum, & perfectissimum visibile, concurrere ad omnes immutationes, quibus alia visibilia per species intentionales immutant medium, ita vt ex parte eorum se teneat, & quod nihilominus non influat concursu obiectiuo, sed purè effectiuo; quoniam quod influit vt primum visibile, à quo cætera alia visibilia dependent; cùm tamen ipsum sit independens ab illis, oportet vt per propriam sibi visibilitatem præstet hunc influxum, alioqui non concurret vt primum visibile: ergo etiam oportebit, vt influat tanquam obiectum perfectissimum visus, & consequenter quod concurrat concursu obiectiuo.

Patet hæc vltima consequentia, quia non aliundè potest conuinci, quòd influxus, quem præstat color respectu visionis, qua videtur, sit obiectiuus, nisi quia vt obiectum visus (seu quod idem est) quatenus est visibile influit: ergo nequit lumen concurrere, vt primum visibile vnà cum colore, & vt aliquid ex parte illius se tenens nisi simul concurrat concursu obiectiuo, non verò influxi purè effectiuo.

76. Confirmatur, nam si lumen, & color considerentur; vt sunt qualitates absolutæ talis, vel talis naturæ, non habent inter se nexum, & ita lumen potest reperiri in sole sine colore, & color in mixtis sine lumine: ergo si quæ inter vtrumque potest assignari dependentia, tantum erit secundùm quod visibilia sunt: ergo, vel lumen nequit concurrere vna cum colore, vt aliquid ex parte ipsius se tenens, vel debebit influere, non per influxum purè effectiuum, sed obiectiuum.

Neque exemplum illud de intellectu agente ab his authoritatibus adductum eis fauet: nam obiecta sensibilia, siue materialia, quæ sola ab intellectu possibili pro hoc statu per se primò, & per propriam speciem attinguntur, sunt ex se improportionata in ratione obiecti respectu illius ex eo, quòd sunt materialis; & ideò, non mirum quod egeant aliqua vniuersali causa, scilicet intellectu agente à qua à sua materialitate denudentur, vt ita debita proportio inter potentiam, & speciem reperiatur. Quæ ratio, cùm in obiecto sensibili respectu sensus non procedat; vt ex se, & ex alibi dictis constat; fit inde, vt color nulla ratione indigeat lumine tanquam causa ex parte illius se tenente, ipsumque in ordine ad productionem speciei sensibilis adiuuante.

Fit obuiam argumentis primæ sententiæ.

§. IV.

77. AD primum respondetur S. Doctorem solùm velle lumen facere colores visibiles actu in quantum facit diaphanum esse in actu, ad hoc vt possit immutari intentionaliter à colore, & sic color ipse videri. Ita se explicuit idem S. Doct. lect. 10. citat. dicens: *Hoc autem solummodò facit lumen ipsum esse actu colorem in quantum facit diaphanum esse in actu vt moueri possit a colore, & sic color videri.* Vnde lumen solùm dispositiuè, & in genere causæ materialis, ac tandem ex parte passi se tenendo ad prædictam immutationem concurrit, ita Aristotel. in hoc 2. lib. text. 67. reddens rationem propter quam vnusquisque color per lumen fit visibilis sic ait: *Quia omnis color motiuus est eius quod secundùm actum est diaphani.* Per quem loquendi modum nihil aliud vult, vt D. Thom. vbi supra explicat, nisi quia diaphanum non fit in actu nisi per lumen, sequitur quòd color non fit visibilis sine lumine.

Secundò respondetur, seu magis explicatur præcedens solutio D.Thomam in illis prioribus testimoniis nolle lumen simpliciter reddere colorem visibilem in actu, & tanquam aliquid ex parte illius se tenens, sed solùm quodammodo in quantum facit diaphanum in actu, ac proinde dispositum, vt moueri possit à colore, nam hoc est quodammodo facere, vt color sit visibilis, quia est facere dispositionem requisitam ad hoc vt videri possit, vt ex eodem S.Doct. loco cit. vidimus, vbi hoc modo se ipsum explicat.

78. Adde verba illa in prædictis testimoniis adducta posse intelligi in sensu causali, & radicali, quatenus vt supra n. 30. & 31. ex Angel. Doct. diximus, color causatur tanquam ex radice, ex aliqua mixtione primarum qualitatum, tanquam ex materia, seu dispositione materiali remota, ex lumine verò tanquam ex principio formali in comparatione ad prædictam mixtionem, quod proinde proximus, & tanquam determinans mixtionem concurrit; ita vt pro maiori,

vel

vel minori copia luminis resultet magis, vel minùs perfectus color, in quo lumen ipsum virtualiter permaneat ex eo quod color est participatio quædam æquiuoca, & deficiens eiusdem luminis. Cæterùm, hæc iuxta ibidem dicta debent intelligi.

Ad confirmationem ex pluribus eiusdem D. Thom. testimoniis desumptam respondetur S. Doct. in omnibus illis non dixisse absolutè lumen facere colores actu visibiles, aut se habere tanquam obiectum formale respectu coloris, sed solùm id asseruisse adducendo quoad hoc lumen, & colorem in exemplum ad explicandas alias res Theologicas, ex eo quod vt idem S. Doct. 1. p. q. 79. art. 3. ad secundùm expressè fatetur: vtraque ex his sententiis, scilicet lumen se tenere ex parte coloris ad hoc, vt reddatur visibilis, & quod non se tenet ex parte illius, sed ex parte medij à diuersis auctoribus, & sanè probabiliter defenditur: & ideò nunc vna, nunc alia ad res Theologicas explicandas vtitur: quia vt ex communi Doctorum sententia constat ad adducendum aliquid in exemplum, satis superque est vti opinione aliqua probabili.

79. Vnde vniuersaliter verum est, quòd ex his locis in quibus S. Doct. aliquid asserit adducendo rem aliquam in exemplum, non licet colligere doctrinam in illo contentam esse de mente ipsius, nisi ex aliis locis eiusdem (circa quæ tamen alibi non se explicuerit) certo id constet, vel ea contextu pateat illum ea propria mente prædictum exemplum approbare, vt in exemplo illo de eodem lumine ad explicandum modum quo intellectus agens concurrit ad productionem specierum à nobis in hac eadem quæst. num. 69 adducto contingit.

Estque regula hæc vniuersalis satis consona eidem Doct. Ang. 1. part. quæst. 67. artic. 2. vbi cum sibi apposuisset quoddam testimonium Aristotel. dicentis, quod lumen est species ignis; Respondet Aristot. protulisset hæc verba adducendo lumen in exemplum ad aliquid aliud explicandum, & ita inquit: *Non tamen est multum curandum de eis exemplis quæ Aristot. adducit in lib. logicalibus, quia inducit ea, vt probabilia in opinione aliorum.*

Ex quo etiam satis intelligitur, quanto iure oppositam sententiam, scilicet lumen tenere se solùm ex parte medij, vt D. Thomæ magis conformem eligimus: quandoquidem non adducendo aliquid in exemplum: sed absolutè, nec per transennam (vt aiunt) sed in propriis locis vbi discuti solet, & ea professo eam amplexus est.

80. Ad e. ex ratione petitum patet ex dictis: quòd cùm color causetur radicaliter, & modo explicato lumine, & in eo lumen virtualiter maneat: ex eo quod color est quædam participatio virtualis ipsius: ideò lumen est quodammodo, & in sensu explicato ipsa substantia coloris, & ideò omne visibile reducitur ad vnam, & eandē naturam: ac proinde propter hoc non est necessarium, vt color per lumen extrinsecum, seu de foris adueniens, & formaliter tale fiat actu visibile. Quæ solutio desumitur ex D. Thoma lect. 14. vbi ad hoc argumentum respondet his verbis. *Ex quo etiam patet, quòd cùm lux sit, quodammodo substantia coloris ad eandem naturam, reducitur omne visibile, nec oportet quod color per lumen extrinsecum fiat actu visibile.*

Adde ex eodem Ang. Doct. de sensu, & sensibili lect. 6. colorem, & lumen conuenire in vnica ratione, scilicet, quod vterque est actus perspicui, quamuis lux non petat esse actum perspicui terminati, secus verò color, & ita secundùm illam rationem secundùm quam conueniunt, participant esse radicem vnius, & eiusdem rationis formalia quæ, in esse visibili. Adde secundo ea eodem D. Th. 1. p. q. 78. art. 3. colorem, & lumen conuenire in vna, & eadem ratione, sub qua immutandi visum, vt quæst. præced. diximus: quamuis in ea materialiter, & modo ibidem explicato distinguantur.

81. Nec refert si dicas, quòd si color est talis per participationem à lumine æquiuocam, & deficientem: fiet inde, vt solùm reductiuè, non verò per se, & ratione sui, habeat rationem visibilis, quia participatio æquiuoca, & deficiens alienius, reducitur ad id cuius est participatio Non itaque hoc refert, quia participatio qua color dicitur participare lucem, dicitur deficiens ex eo quod non pertingit ad perfectionem essentiam, nec ad modum immorandi per se petitum à lumine, vt est peculiare quoddam visibile, non tamen quia sit deficiens quoad virtutem quæ requiritur ad immutandum simpliciter visum, licet eo modo, atque adeò cum tanta perfectione quanta lumen immutat eundem visum, & ideò est proprium sensibile visus per se, & ratione sui, non verò per reductionem ad lumen formaliter tale, & ratione illius formaliter, aut aliquo ex modis impugnatis.

82. Ad tertium respondetur ea D. Thom. quæst. vnica de Anima artic. 4. ad 4. vbi sic ait: *Nec obstat, quod ab eo, qui est in tenebris videntur ea quæ sunt in luce, & non è conuerso: hoc enim accidit ex eo quod oportet illuminari diaphanum, quod circumstat rem visibilem, vt recipiat speciem, quæ vsque ad hoc visibilis est quousque porrigitur actus luminis illuminantis diaphanum, licet de propinquo perfectius illuminet, & à longinquo magis debilitet.* Quod etiam docuit Ang. Doct. lect. 14. iam citata, his verbis: *quod autem colores illuminati ab eo, qui est in obscuro videantur, contingit, ex eo quod etiam medium illuminatur, quantum sufficit ad immutationem ipsius.*

Vnde solutio in argumento adducta est optima, & ad primam probationem in contrarium patet ex testimoniis modo adductis, & ex his, quæ ex Aristot. à num. 67. vsque ad 69. adduximus, quomodo doctrina in ea contenta sufficienti authoritate Aristot. & D. Thomæ fulciatur, sicut etiam ex dictis tam in hac, quàm in præced. quæst. liquet: eo porrigi illuminationem medij, quo immissio speciei visibilis porrigitur.

83. Ad secundam impugnationem dicendum cum Ferrate vbi supra, maximam illam, quod agens naturale fortiùs agit in propinquum quàm in remotum, esse veram, si cætera sint paria; in præsenti autem cætera non sunt paria. Nam color existens in corpore habet propter suam materialitatem requirere maiorem dispositionem in aëre, in quem immediatè agit quàm species intentionalis coloris, quæ est spiritualior, & cum facta comparatione inter ipsas species, tunc illæ quæ sunt propinquiores oculo sint immaterialiores: fit inde, vt requiratur magis luminis in aëre propinquo colori, quàm in aëre, qui est magis approximatus oculo: cùm hoc tamen stat, quod aliquando maxima illuminatio medij, dum obiectum est in tenebris, aut in loco parum illuminato, soleat impedire visionem, quia à maiori illo lumine offuscatur talis color; ita vt vel nullo modo, vel non ita benè possit conspici.

Ad confirmationem respondetur, eo magis inspici colorem per se loquendo, quo maiori fuerit perfusus lumine: nam eo ipso, quod maius lumen in eo sit, etiam in medio plus luminis erit: & si hoc ibidem non adesset, neququam melius videretur color. Quoniam visibilitas obiecti, quantum ad proprium actum etiam proportionatur dispositioni medij: cum debeat fieri per speciem de potentia eius eductam, & in eo tanquam in subiecto, siue medio proportionato recipi.

84. Ad quartum, concesso primo euthymemate, neganda est minor statim subsumpta: quia ed perspicuū, quod

quod est proprium susceptiuum coloris, non requiritur necessariò lumen formaliter tale, quod constituat ipsum ratione perspicui in actu: sed satis est, quod habeat rationem perspicui in potentia proxima: licet simul possit modo alibi dicto esse perspicuum in actu. Adde cum Ferrara loco citato, posse etiam dici, quod proprium susceptiuum coloris formatum tamen semper est perspicuum aliquo modo in actu, quia est perspicuum formatum per colorem, qui habet aliquo modo, vt iam explicuimus, rationem luminis.

Ad vltimum neganda est sequela: & ad probationem respondetur primò, antecedens esse verum, quando dispositio est talis naturæ, vt hoc ipso quod sit perfecta, debeat ad illam necessariò subsequi forma pro qua disponit, vt in exemplo ibidem adducto contingit; hoc autem non conuenit lumini respectu specierum sensibilium.

Secundò respondetur ad eandem probationem, antecedens esse concedendum in agentibus perfectæ virtutis, non autem in habentibus virtutem imperfectam in agendo. Nam hæc licet possit agere si semel passum sit dispositum; non tamen possunt prædictum passum per se disponere: quare, quia color est quodammodo imperfectæ virtutis in agendo, ideò licet semel perspicuo disposito per lumen habeat virtutem ad illud intentionaliter immutandum; non tamen si talis dispositio non præsupponatur.

85. Quæ solutio desumitur ex D. Thoma lect. 14. iam citat. vbi postquam dixit, colorem ex se esse motiuum perspicui in actu per lumen, statim vt redderet rationem propter quam requiritur, quòd lux disponat idem perspicuum per lumen in illud diffusum, quam tamen dispositionem nequit idem prædictus color efficere, sic ait: *Forma, quæ est perfecta virtutis in agendo, non solùm potest inducere suam similitudinem in suo susceptibili, sed potest etiam disponere patiens, vt sit proprium eius susceptiuum, quod quidem non potest facere cum fuerit imperfecta virtutis. Dicendum est igitur, quod virtus coloris in agendo est imperfecta respectu virtutis luminis: nam color nihil aliud est, quam lux quodammodo obscurata ex admixtione corporis opaci*, modo tamen suprà explicato. *Vnde non habet virtutem, vt faciat medium in illa dispositione qua sit susceptiuum coloris, quod tamen potest facere lux pura.*

QVÆSTIO VI.

Quid sit subiectum potentia visiua.

SEmel explicato obiecto, & medio visus, statim pulsat animum inquirere de illius subiecto, & ideò post prædicta quæstionem hanc merito excitamus.

Notationes pro vtili explicatione.

§. I.

VT quæstionis titulus melius intelligatur notandum est in oculo esse inter alia saltem quinque tunicas, tres humores, & septem musculos, quibus versus omnes partes, versus quas est aptus moueri, tendit. Primo igitur in centro oculi, qui est substantia quædam quasi circularis, non quidem perfectè, sed ad modum, & figuram cui, adest quidam humor per lucidus, qui nomine crystallini, & pupillæ insignitur: quia etsi aliquantulum mollis sit, nihilominus est transparens velut crystallus, & ei valdè assimilatur; habétque figuram similem lupino, vel lenticulæ. Post hunc sequitur tunica quædam eum circumdat, aptissimátque est ad illius conseruationem, & appellatur tunica specularis, quia ad videndum, seu speculandum valdè accommodata est.

86. Deinde humor crystallinus, quasi immersus est alteri humori, qui vitreus appellatur, quoniam splendore, & mollitie gaudet: sicut massa vitrea dum in fornace decoquitur, & humor hic ita complectitur illum priorem, vt in anteriori saltem parte relinquat quasi fenestram circularem, quoniam humor crystallinus ita immersus est vitreo: vt media illius pars supereminear, ac si globus ligneus in aqua immergeretur; ex quibus duobus humoribus vitreus, Galen. lib. 10 de vsu partium c. 1. est à natura institutus, vt sit in nutrimentum crystallino: quia humor hic non est ita aptus ad hoc, vt immediatè nutriatur ex solo sanguine. Vnde vitreum humorem ex parte quædam tunica ambit, quæ dicitur reticularis, quia multis venis, & arteriis inserta est, & cum reti magnam habet similitudinem, & desinit ad eam partem, quia crystallinus humor habet in anteriori parte prædictam fenestram, cuius munus ait Galen. vbi supr. c. 2. est ministrare, & præparare alimentum humoribus prædictis; quia hi ex hoc quòd molles sunt, nequaquam venis, & arteriis gaudent, vel saltem non ita accommodatis, & perfectis, vt non indigeant specialiter dicta tunica.

Post hanc deinde tunicam subsequitur alia, quæ dicitur vuea, quia folliculo vuæ similis est, & tunica ista solet esse diuersi coloris in diuersis oculis, quamuis quilibet color ex his, qui illi conueniunt, sit subobscurus, & ita ratione huius diuersitatis oculi distinctis nominibus insigniuntur, nam alij nigri, alij albi, &c. appellantur. Deinde huic tunicellæ contigua est alia, quæ cornea dicitur, quæque dura, & transparens ad modum laminæ corneæ est, & hæc ex omni parte pupillam cingit, vtpotè quæ eidem in propugnaculum, & munimen data est.

87. Præter hæc subsequitur tertius humor, aqueus vel albugineus dictus, qui & albo similis est, & instituitur à natura, vt internum humorem crystallinum; vtpotè delicatissimum humectet, ac foueat; & tandem totam illam concauitatem oculi repleat; quamuis etiam alij dicant, humorem hunc esse ante præteritam tunicellam: & deinde humor iste regitur alia tunica habente foramen quoddam, per quam queat humor crystallinus conspici, & species ingredi ad visum, quæ quidem tunicella fortis est, & ab aliquibus appellatur album oculi; ab aliis verò adhærens, seu adnata, quæ quidem integrum oculi quasi format, & in suâ sede consistere facit; imò suo calore (in quo aliis oculi partibus præeminet) eas fouet ne congelentur, deriuatúrque à tunica alia caluariã ambiẽte quæ pericraniũ dicitur.

Præterea vterque oculis est pendens à quodam neruo à cerebro descendente, & habente duos ramos vsque ad oculos protractos, qui taliter sunt dispositi, vt vnus versus partem dexteram, alter verò versus sinistram descendat: Hi autem duo ramiculi vocantur optici, seu visorij, & induti sunt duabus tunicellis, & sub celebrali quarum altera, & intimior tunica est tenuis; altera verò duritie affecta est. Et tandem quiuis oculos quasi ligatus est septem musculis, qui non sunt aliud, quoad præsens attinet, quàm ligamenta quædam facilè mobilia, quibus oculus sustinetur, & in varias partes hinc inde moueri potest.

His ergo suppositis, quod in hac quæstione inquirimus, est, an potentia visiua in omnibus istis, an verò in aliquibus, vel aliquo ex illis, vt in subiecto

proximo subiectetur; & si non in omnibus immediatè recipitur, quænam sit illa, vel illæ partes, in quibus proximè subiectatur.

Proponitur prior sententia.

§. II.

88. PRima sententia asserit, visum in solo humore crystallino proximè subiectari. Ita Galenus lib. 8. de vsu partium cap. 6. & lib. 1. cap. 10. Vega Medibus in Galenum de locis affectis lib. 4. cap. primo, Valesius libr. 2. controu. medicat. cap. 8. & alij ex insignibus Medicis. Idem tenent Conimbric. in hoc 2. lib. c. 7. quæst. 7. art. 2. Rubio tract. de sensu visus quæst. 8. Suar. 2. tom. summæ Theologiæ tract. 3. lib. 3. cap. 18. num. 4. asserens hanc esse communem sententiam Philosophorum.

Probatur primo testimonio Aristotel. lib. 1. de historia animalium cap. 9. his verbis: *Humor oculi interior quo videmus pupilla est: quod eam ambit nigrum dicitur quod postremo nigrum candidum seu albugo.* Vbi, vt constat, soli pupillæ, seu, quod idem est, humori crystallino tribuit rationem subiecti, & organi visus: non verò aliis humoribus vel cæteris partibus oculi iam enumeratis. Idem etiam docet libro de sensu, & sensibili c. 2. & lib. 3. de Generat. Animal.

89. Confirmatur ex D. Thom. In hoc. 2. lib. lect. 17. vbi assignando organum visus, solius pupillæ meminit, dicens: *Sicut enim humidum aqueum, quod est in pupilla, caret omni colore, vt possit cognoscere omnium colorum differentias, &c.*

Secundo probatur ratione: nam humor crystallinus seu pupilla est pars oculi omnium perfectissima: habétque accidentia, quæ maximè ad visionem, & ad potentiam visiuam in se sustinendam conducunt: illique cæteræ partes deseruiunt: ergo erit aptissimum illius subiectum. Consequentia probatur: quoniam certum est potentiam visiuam in oculis esse collocandam: eo enim mirabilis eorum structura tendit, vt in se recipiat, & conseruet illam, eo sane modo quo tota annuli structura ad recipiendam in se gemmam aliquam pretiosam solet ordinari. Vnde sicut in omnium pretiosiori parte, quæ est veluti annuli centrú, cuique aliæ partes veluti deseruiunt, lapis ille pretiosus proximè, iuxta regulas artis recipiendus est: sic inter oculi partes, illa proximè in se pretiosam potentiæ visiuæ gemmam recipiat, quæ cæteras nobilitate vicerit, & veluti centrum talis structuræ fuerit, cuique reliquæ partes veluti deseruierint.

Antecedens autem probatur, nam humor crystallinus, siue pupilla magna perspicuitate pollet, quæ magnæ perfectionis nota est, quæque valdè ad visionem elicendam conducit, & est expers omnis coloris, vt sic possit omnes illos tueri, & deinde residet in centro oculi, & in medio omnium aliarum partium, vt omnibus illis septus, & munitus sit, ideóque omnes ad eum tuendum, ornandum, & conseruandum à natura ordinatæ esse videntur: ac proindè ei omnes veluti famulantur.

90. Confirmatur. Nam organum visus debet esse aqueum, sed humor crystallinus est aqueus: ergo cùm habeat cætera alia, quæ ratione præcedenti diximus, erit valdè accommodatus ad hoc, vt sit organum visus. Consequentia videtur perspicua. Minor autem satis constat: tum ex se: tum etiam, quia propter hanc rationem est similis crystallo, quod est aqueum. Maior verò probatur: tum ex Arist. l. de sensu, & sensibili, vbi inquit. *Quod si oportet asserere secundùm hunc modum attribuere, & assignare vnumquodque sensitiuum vni elementorum oculi quidem visiuum aqua existimandum:* tum etiam D. Th. lectio 4. his verbis: *Existimandum est, quòd visiuum oculi attribuendum sit aquæ.*

Tum etiam ratione desumpta ex eodem Aristot. vbi supra, & D. Th. ibidem, nam licet visus non attribuatur aquæ, secundùm quod est aqua, sed ratione perspicuitatis, quæ in aqua, & in aere inuenitur ex eo quòd visibile est motiuum perspicui: nihilominus magis attribuitur visio aquæ, quàm aeri, propter duo. Primò quidem, quia aqua magis potest conseruari, quàm aër, ex eo quod iste facile diffunditur, & ideò ad conseruationem visus conuenientior fuit aqua, quàm aër, seu humor aqueus, quàm aliquid aëreum. Secundo, quia aqua est magis spissa, quàm aër, & ex ratione suæ spissitudinis habet, quòd in ea per quandam reuerberationem appareat forma rei visæ, & hoc competit instrumento visus: & ideò prædictum instrumentum magis debet esse aqueum, quàm aëreum.

Vera Arist. & D. Thom. opinio, & primum illius fundamentum.

§. III.

91. DIcendum tamen est, potentiam visiuam subiectari tum in pupilla, seu humore crystallino: tum etiam in neruis opticis, seu visoriis, & præcipuè in illa parte, vbi prædicti nerui coniunguntur. Assertionem hanc tuentur Aristot. & D. Thom. locis statim referendis. Bañez 1. p. qu. 78. art. 3. tract. de visu dub. 2. & eandem quoad priorem partem docent authores pro contraria sententia relati. Quoad posteriorem verò eam ex parte defendunt Auicena 6. natural. part. 3. cap. 8. Ciruel. lib. 1. perspect. cap. 9. conclus. 6. Vitellius l. 3. Theorem. 2. & Albert. 2. de Anima tract. 3. cap. 14. quatenus aiunt visionem fieri in confinio prædictorum neruorum, & inter Medicos Doctor. Matthæus Fernandez l. de facultatibus tract. 1. q. 4. ad quartum argumentum.

Probatur primò ex Aristot. de sensu, & sensibili, nam postquam dixit, visum esse in oculo, & in humore aqueo, & crystallino, post modum, vt denotaret illum non esse in superficie eiusdem oculi, bene tamen esse etiam interius in neruis opticis, addidit. *Non enim in vltimo oculi anima, aut animæ sensitiuum est, sed manifestum quoniam interius.*

Vbi D. Thom. lectio 5. postquam asseruit pupillam esse organum visus, deinde explicans prædicta verba sic ait. *Anima, siue sensitiuum animæ, non est in exteriori superficie oculi, sed intra, & est attendendum, quòd signanter addidit (aut animæ sensitiuum) anima enim, cum sit forma totius corporis, & singularum partium eius, necesse est quod sit in corpore & in qualibet parte eius, quia necesse est formam esse in eo, cuius est forma. sed sensitiuum animæ dicitur potentia sensitiua, quæ quia est principium sensibilis operationis animæ, quæ per corpus exercetur, oportet esse in aliqua determinata parte corporis & sic principium visionis est interius, iuxta cerebrum, vbi coniunguntur duo nerui ex oculis procedentes.*

Vbi vt vides, tam pupillæ, quàm prædictis neruis, quoad eam partem in qua coniunguntur, tribuitur quòd sint organa visus, cúmque visus nequeat esse in animali discontinuatus, vt ex eodem Aristotel. & D. Thoma statim dicemus, consequens est, eum esse tam in pupilla, quàm in neruis illis continuatè, vsque ad coniunctionem eorundem, ac proinde ideò particulariter dici, visum residere in coniunctione prædictorum neruorum, quia facta collatione ad alias partes eorundem magis in hac, quàm in aliis partibus viget.

92. Confirmatur,

92. Confirmatur, & explicatur ex eodem Aristot. de sensu, & sensato, lectione vltima apud Diuum Thomam, vbi sic inquit. *Si autem quemadmodum oculi duo sunt, dicat quis, nihil prohibere, sic etiam in anima. Dicendum, quòd fortè ex his quidem vnum aliquid fit, & vna operatio ipsorum.* Quæ verba sic explicat D. Thom. *Quòd si aliquis dicat, quòd sicut sunt duo organa visus, scilicet duo oculi, sic nihil prohibet in anima sensitiua, etiam esse duos visus. Dicendum est hoc esse falsum, quia ex duobus oculis fit aliquid vnum, & vna est operatio amborum oculorum, in quantum scilicet visio vtriusque oculi cõcurrit per quosdam neruos ad aliquod intrinsecum in suum organum, quod est circa cerebrum, vt suprà dictum est*, scilicet in lectione 5. nuper citata. *Non ergo videtur rationabiliter dici, quòd sint duo visus in Anima.* Vbi, vt constat, tam oculis, quàm neruis opticis conceditur, quòd sint organa visus, ita tamen, vt ex omnibus illis, vnum, & idem organum continuum, &, vt sic dicamus, totale coalescat, & vnus, & idem visus, non verò plures in prædicto organo completo totali subiectetur. Hoc autem fieri non posset, nisi potentia visiua diffusa esset ab oculis, vsque ad coniunctionem prædictorum neruorum, vbi prædicti neruuli inter se, & cùm oculis vniuntur, & continuantur. Confirmatur ex eodem Angel. Doct. opuscul. 43. cap. 3. vbi sic habet. *Patet, quòd organum proximum, & extrinsecum visus sũt oculi, primum autem, & intrinsecum sunt nerui visuales:*

Ex quo etiam corruit solutio, quam innuit Rub. scilicet testimonia hæc non esse intelligenda de organo proximo visus, sed de primo, & radicali, à quo organum proximum dependet, licèt visus in eo non subiectetur, & ita neruos opticos, & coniunctionem eorum, tantum esse organum radicale visus, & organi illius, ex eo quod vtrumque ab eis pendet.

93. Hæc igitur solutio ex dictis facilè corruit, quia ex vnitate organi radicali non licèt colligere vnitatem potentiarum sensitiuarum: sed Aristot. & Diuus Thomas, colligunt identitatem numericam visus, ex eo quod oculi habent rationem vnius & eiusdem integri organi, vnà cum prædictis neruis modo explicato respectu visus: ergo loquuntur de organo totali proximo receptiuo visus, non verò de organo radicali, in quo visus ipse non subiectatur. Minor cùm consequentia satis constant. Maior verò etiam liquet, nam licèt cor sit principium formale, & radicale sensuum interiorum, & exteriorum, & indè ad cerebrum virtus hæc deriuetur, vt docet D. Thom. de senso, & sensibili, seu sensato lectio. 5. nihilominùs non ideò prædicti sensus inter se identificantur: ergo, &c.

Adde quòd postquam D. Thom. dixit principium visiuum subiectari in illa coniunctione neruorum opticorum, statim reddens huius rationem addidit. *Et ideò oportet, quòd intra oculum sit aliquod perspicuum receptiuum luminis, vt sit vniformis immutatio à re visa, vsque ad principium visiuum.* Constat autem, quòd si coniunctio illa neruorum opticorum, non esse etiam organum proximum receptiuum visus, & elicitiuum visionis, neque etiam esset vniformis immutatio à re visa vsque ad ipsos: quandoquidem immutatio vniformis facta à re visa, seu ab obiecto visibili, vt visibile est, tantùm pertingit ab illa vsque ad visum, & organum, seu subiectum eius; non verò vsque ad principium, & organum radicale in quod visus non subiectatur.

Nec refert si obiicias, quòd Arist. in eodem capit. de sensu, & sensibili, & D. Thom. in eadem lect. 5. etiam docent, organum gustus, & tactus esse iuxta cor, & ita Aristot. inquit. *Tactiuum autem terra, gustatiuum verò species quædam tactus est, & ideo iuxta cor sensitiuum est ipsorum, scilicet gustus, & tactus.* Diu. Th. ibidem in hæc verba prorumpit. *Ostendit vbi sit organum tactus, & gustus constitutum, & dicit, quod est iuxta cor.* Ergo sicut hoc necessario est intelligendum de organo radicali, quandoquidem euidens est organum proximum gustus non esse iuxta cor, fiet indè, vt eodem modo debeant intelligi, dum inquiunt, coniunctionem illam neruorum opticorum esse organum visus.

94. Non itaque hoc refert; nam obiectio hæc ex dictis ferè manet soluta, quia vt iam vidimus, verba quæ ex Arist. & S. Doct. attulimus; non possunt non (vt ex contextu, à nobis expenso constat) intelligi de organo proximè susceptiuo visus, secus verò ea quæ in hac obiectione adducuntur. Et enim vt ex cont. patet D. Thom. ac proindè Aristotel. loquuntur de organo radicali gustus, & tactus dum inquiunt illud esse iuxta cor, & ita S. Doctor statim addidit. *Nec tamen oportet esse duo principia sensitiua in animali, vnum circa cerebrum, vbi constituntur principium visiuum, odoratiuum, & auditiuum, & aliud circa cor, vbi constituitur principium tactiuum & gustatiuum, sensitiuum enim principiũ primo quidẽ est in corde, vbi est fons caloris in corde animalis: nihil enim est sensitiuum, sine calore, vt dicitur in lib. 2. de Anima, sed à corde deriuatur virtus sensitiua ad cerebrum, & ex inde procedit ad organa triam sensitiuorũ, visus, auditus, & odoratus, tactus autem & gustus referuntur ad ipsum cor per medium coniunctam.* Constat autem, verba hæc solum posse intelligi de principio, & organo radicali: quandoquidem experimur, actionem gustandi non fieri propè cor.

Cæterùm, cum hoc stat, vt quia principium, & organum radicale debet esse principium viuum vita sensitiua, ideò debet etiam habere sensum tactus, & esse etiam organum proximè susceptiuum illius ac proinde loquendo de partibus intrinsecis animalis, debeat in illo magis vigere tactus, ideò S. Doct. plura ibidem commiscet, per quæ hoc ipsum denotat.

Secundum fundamentum veræ sententiæ.

§. IV.

95. DEindè, assertio quoad secundum partem scilicet visum subiectari in neruis opticis, ita nimirum, vt diffundatur per illos modo dicto, ab oculis vsque ad prædictam coniunctionem eorundem probatur ratione desumpta ex Arist. & D. Thom. locis citat. (Prima enim pars ex 1. & 2. fundamento oppositæ sententiæ satis constat) quoniam in animali tantùm datur vnicus numero visus: ergo organum illius non sunt solùm duo oculi secundùm humorem crystallinum ipsorum, sed organum quoddam totale constans ex prædictis oculis, & neruis opticis modo dicto, ita vt in coniunctione illorum magis visus vigeat.

Antecedens probatur, quoniam sicut ad sciendum omnia obiecta cadentia sub aliqua scientia, v. g. Philosophia, non licet ponere in homine nisi vnicam numero Philosophiam, quia vnica extenditur ad omnia illa: ita propter eandem rationem ad videndum omnium obiecta quæ possunt cadere sub visum, sufficit vnicus solummodo visus. Ex quo etiam consequentia quoad priorem illius partem constat: quia vnicus visus requirit vnicum tantùm organum totale, & proximum, vt ex se patet: ergo cùm duo oculi tantùm constituant vnicum, & idem totale, ac proximum organum quatenus in neruis opticis, à quibus quasi suspensi sunt, vniuntur ratione prædictæ cõiunctionis eorum fiet indè, vt visus non subiectetur

in quolibet ex prædictis oculis, vt in subiecto adæquato proximo sed in organo coalescente ex omnibus prædictis.

Ex quo etiam secunda pars eiusdem consequentiæ satis liquet; nam quoties aliqua operantur, quatenus vniuntur in aliquo vno, toties illa operatio magis viget in illo vno in quo vniuntur: ergo cùm oculi, & rami prædicti neruorum opticorum concurrant ad visionem, quatenus constituunt vnicum totale organum, ex eo quod vniuntur, tanquam in tertio in coniunctione illa neruorum iam explicata, consequens erit, vt in ea parte, & coniunctione magis potentia visiua, ac proinde visio vigeat.

96. Confirmatur à signo, & coniectura quadam, nam si aliquis vulneretur circa tempora, ita vt meatus, quibus pupilla continuatur visiuo principio, sc. prædictis neruis abscindantur, statim fiunt tenebræ, & visus, siue visio cessat, vt contingit dum lucerna quædam deseruiens ad visionem extinguitur: ergo signum est visum non solùm in pupilla, sed etiam in alio visiuo principio, scilicet in prædictis neruis, & modo dicto subiectari.

Antecedens constat experientia, & insuper potest declarari, ex eo quòd licèt pupilla sit organũ partiale visus, nihilominùs habet etiam rationem medij illuminati respectu prædicti principij visiui, & ita destructis meatibus medijs, quibus lumen illius communicatur principio visiuo, scilicet prædictis neruis, non possunt non fieri tenebræ, & visio petens illuminationem cessare.

Consequentia verò probatur, nam hoc ipso, quòd visio non cesset ex defectu pupillæ, sed ex defectu prædictorum meatuum, quia nequit lumen pupillæ communicari alteri principio, oportet, vt tale principium concurrat per modum organi proximi visus: quia id quod habet rationem prædicti organi requirit esse illuminatum ad hoc, vt in visionem influat, sicut à conuerso illud quod concurrit vt illuminatum & non vt purum medium, concurrit vt organum proximum eiusdem visus.

97. Quam coniecturam adduxit Aristot. loco citato, qui postquam dixit visum esse interius, id est, vt explicat D. Thom. in coniunctione neruorum visualium, & modo iam dicto, statim addidit. *Quod etiam ex his quæ contingere solent palam est, nam in quibusdam in prælijs secundum tempora vulneratis ita vt oculi meatus abscinderentur, visæ sunt effundi tenebræ, seu extincta lucerna; quoniam perspicuum, & eam, quam vocant pupillam, seu lucerna quadam effecta esset.*

Vbi D. Thom. lect. 5. *Manifestat, quod dixerat per signum, quod accidit in quibusdam, qui in pugnis, circa tempora vulnerantur; scissis enim poris, pupillam continuant visiuo principio, subito tenebræ fiunt per visus amissionem, ac si lucerna extingueretur. Pupilla enim est sicut quædam lampas illuminata ab exteriori lumine, & ideo quando præscinduntur pori continuantes pupillam principio visiuo, non potest lumen huius lampadis vsque ad visiuum principium peruenire, & ideò visus obscuratur.*

Obiectiones contra prædicta, & enodatio earum.

§. V.

98. SEd obiicies primò, falsum esse organum visus debere esse aqueum, ac proinde humorem crystallinum, qui est naturæ aqueæ, esse organum illius, nam organum visus potiùs debet esse igneum: tum quia visus est nobilior inter sensus externos, & consequenter potiùs debet prædominari in eius organo ignis, qui inter elementa est nobilior quàm aqua. Tum etiam, quia si oculus in tenebris comprimatur, & fortiter moueatur, apparet quidem fulgor, & radius ab oculo emissus, qui tamen non emitteretur, nec appareret, nisi organum visus esset igneum: ex eo quod, sicut inter elementa solus ignis est fulgens ita solùm ea, quæ sunt ignea, seu in quibus prædominatur ignis, emittunt fulgorem.

Confirmatur primò, nam si organum visus debet esse aqueum, non poterit subiectari in neruis opticis, quippè qui sunt terrestres, nam vt communiter Medici docent proprium est neruorum esse terreos. Confirmatur secundo nam etiam si demus, humorem crystallinum esse aqueum, nihilominùs non erit idoneus ad hoc, vt sit organum visus: ergo, &c. Antecedens patet, quia humor iste solet nigri coloris apparere, organum autem visus debet esse denudatum ab omni colore, vt omnes possit percipere.

99. Secundò obiicies, non rectè colligi ex eo quod in homine sit vnica tantùm scientia, verbi gratia, vnica Philosophia ad attingendum omnia, quæ in illam cadunt; quòd debeat esse in illo vnicus tantum visus ad videndum omnia visibilia: ergò præcipua ratio adducta ad probandam secundam partem assertionis corruit. Consequentia patet.

Antecedens autem probatur ex disparitate, quæ est inter Philosophiam, visum, nam illa subiectatur in vnico, & indiuisibili subiecto, scil. intellectu: in vnico autem, & eodem indiuisibili subiecto, non possunt esse duo accidentia solùm numero distincta, secùs verò in duobus subiectis partialibus, & corporeis, quales sunt duo oculi: & ita videmus quòd in eodem pariete possunt esse diuersæ numero albedines vt contingit dum secundùm priorem sui partem est totaliter albus, & postea secundùm partem immediatam est totaliter niger, & tandem secundùm subsequentem est etiam albus, quia tunc albedines harum partium inter se non continuantur.

Confirmatur, quia licèt in homine darentur plures visus, nihilominus non ideò superflui ibidem essent: siquidem posset hæc multiplicitas inter alia deseruire ad hoc, vt pereunte vno maneret alius, ne homo sine hoc sensu adeò necessario, & facilè corruptibilis maneret.

100. Tertiò obiicies, non posse inter se cohærere, quòd visus subiectetur in humore crystallino, & simul in prædictis neruis: nam hoc ipso, quòd in illo subiectetur, debet prædictus humor terminari per aliquod aliud corpusculum, ratione cuius species non possint vltra progredi, sed in prædicto humore fiat visio: alioquin non haberet rationem organi, sed potius medij in ordine ad visionem. Ergo ipso non poterunt species visibiles, nec lumen exterius deuenire vsque ad neruos opticos, ac proinde nec isti rationem visiui principij habebunt. Patet consequentia, quia si natura instituti essent ad videndum, possent tam species visibiles, quàm prædictum lumen recipere.

Confirmatur, nam speculum artificiale, in quo reflectuntur species, debet esse terminatum per aliquod aliud corpus, verbi gratia, per aliquid plumbi, & ratione huius impeditur transitus specierum, & luminis per illud: at pupilla habet rationem cuiusdam quasi speculi naturalis, & ideò in ipsa refranguntur species sicut in speculo, & per illam refractionem potest vnus homo se in pupilla alterius intueri, vt experientia constat. Ergo debet esse terminatum per aliquod aliud opacum, ratione cuius impediantur species visibiles, & lumen externum, ne ad neruos opticos pertingant.

101. Quartò obiicies, non posse etiam cohærere cum compositione, & organizatione oculi, vt etiam

prædicti

prædicti nerui sint organum visus : quoniam aliàs, omnia visibilia apparerent illius coloris, cuius est tunica vuea. Patet consequentia, nam tunica ista cingit humorem crystallinum ita vt solùm relinquat foramen quoddam in parte anteriori, quam nos conspicimus, & ita nerui optici attingerent visibilia per hanc tunicam, tanquam per medium, per quod transirent species visibilis : ergo cùm hæc sit colorata, vt suprà dicebamus, fiet indè, vt prædicti nerui indicarent, omnia obiecta esse illius coloris, cuius est prædicta tunica, sicut cum quis per vitreum viride recipit species, tunc omnia apparent illi viridia.

Vltimo, nam nerui isti non sunt instituti à natura ad hoc, vt videant, sed ad hoc, vt per illos descendant spiritus animales desiderati ad visionem : ergo, &c. Antecedens probatur, nam ideò clauso vno oculo videmus per alium intensius, quàm antea per illum videbamus, vt fatetur Arist. sect. 31. Probl. quæst. 4. quia spiritus animales à celebro per prædictos neruos immissis, non diuiduntur respectu vtriusque oculi, sed omnes illi, per illam partem in qua coniunguntur nerui communicantur illi oculo aperto, non verò alteri clauso, & ita propter maiorem illam copiam potest tunc talis oculus melius quàm antea videre.

102. Ad primam respondetur negando antecedens, & ad primam probationem ad summum conuincere, quòd in organo visus debeat ignis quoad fulgorem prædominari. Vnde D. Thom. de sensu, & sensibili lect. 5. ait, *Nihil prohibet visum attribui igni, non secundum proprias eius qualitates, quæ sunt calidum, & siccum, sed secundum quod est lucidum actu*, Cuius rationem ibidem reddit. S. Doctor, ex eo quòd pupilla est corpus leue, & politum, & ideò potest habere aliquem fulgorem: licèt non sit naturæ igneæ quoad qualitates iam dictas.

Per quod etiam ad secundam probationem constat. Vnde D. Thom. ibidem lect. 3. loquit, causam apparitionis illius fulgoris esse, non quia pupilla sit naturæ igneæ, idest calida, & sicca, sed quia media illa forti percussione, & celeri motu aliqui spiritus animales, quia sunt substantia quædam splendida emittuntur ab aliqua parte pupillæ, & ità à fulgore illorum spirituum animalium, qui foras erumpunt immutari potest illum intueri, quia licèt hoc ipso, quòd foras erumpant, amittant vitam, & rationem spiritus animalis, attamen conuertuntur in substantiam quandam, etiam splendidam, sicut sanguis naturalis desineos esse, transit in substantiam quandam habentem similes dispositiones cum præcedenti, quamuis prædicti spiritus ob summam eorundem tenuitatem statim dissipeant, & dissipentur.

Ad primam confirmationem respondetur ex eodem Diuo Thomæ lect. 5. iam citata, quòd licèt plures alij nerui sint terrestres, non tamen iste, qui specialiter destinatus est ad hoc, vt sit organum visus, ac proinde ad hoc, quòd sit naturæ aqueæ, cuius rationem tradiderunt Aristot. & Angelic Doctor ibidem, ex eo quod nerui isti, & præcipuè coniunctio illorum est propè cerebrum, & eius qualitates participans. Vnde sicut cerebrum inter omnes corporis partes est humidius, & frigidius, & propterea habet naturam aquæ, quæ est naturaliter frigida, & humida, ita prædicti nerui, & ideò habent perspicuitatem requisitam ad organum visus.

103. Ad secundam confirmationem negandum est antecedens, & ad probationem, quòd etsi pupilla appareat nigra, re tamen vera nigredine caret; ratio autem ob quam sic apparet, est copia humoris, quæ intra illam residet, propter quam causam nequit visione penetrari, & ideò apparet nigra; ad quod quidem non parum iuuat tunica illa vuea qua modo iam dicto, & statim magis explicando, humor crystallinus quasi cingitur, nam cùm hæc sit coloris sub obscuri, & multoties nigra, fit indè, vt humor crystallinus, qui propè illam est appareat etiam niger, sicut crystallinus propè aliquod corpus coloratum existens, solet eiusdem coloris apparere.

Ad secundum respondetur negando antecedens, & ad probationem ex ea ad summum conuinci esse maiorem repugnantiam in hoc, quòd in vno & eodem homine dentur plures Philosophiæ, quàm in hoc, quòd in illo dentur plures visus, quia illud priùs repugnat: tum ratione indiuisibilitatis subiecti: tum etiam ratione superfluitatis, quia per vnam, & eandem Philosophiam possunt attingi omnia, quæ sob illa cadunt. At multiplicitas visus in eodem homine saltem repugnat ratione superfluitatis, ex eo quod attentis omnibus potest per vnum, & eundem visum attingi quodlibet visibile.

Ad confirmationem negandum est antecedens, & ad probationem dicendum est, eadem ratione posse probari dandum esse in animali duplicem gustum, quia hic valdè necessarius est, ad sumptionem cibi, atque adeò ad conseruationem animalis, & potest alias deperdi si lingua euellatur. Dicendum ergo est, naturam suo muneri perfectè satisfecisse tribuendo animali vnicum visum, & ex se sufficientem ad omnia visibilia eidem proportionata attingenda quia ad ipsam non pertinet præcauere omnia, quæ per accidens contingunt, qualis esset deperditio visus, sicut propter eandem rationem, licèt sint plura organa partialia auditus, vt hinc, & illinc possit immutari à sono, non tamen plures auditus, vt infrà dicemus, & similiter quamuis sint plura organa partialia potentiæ nutritiuæ, & tactiuæ, non tamen plures tactus aut potentiæ nutritiuæ, sed vna, & eadem, quæ per prædicta organa sit dispersa.

104. Ad tertium, & eius confirmationem, & similiter ad quartum respondetur, quòd vt colligitur ex Diuo Thoma de sensu, & sensibili lectione quarta, licèt pupilla habeat in fundo aliquam maiorem spissitudinem ratione cuius possint ibi refrangi species, ac proinde sit ibidem aliquid habens se ad instar plumbi ad hanc reflexionem conducens, non tamen est tanta hæc spissitudo, vt impediat transitum luminis; & specierum, & ita neque ibi ita perfectè refranguntur species, sicut in speculo artificiali. Et similiter, licèt prædictus humor secundùm sui posteriorem medietatem esset veluti cinctus tunica vuea absque aliquo foramine, non tamen hinc sequeretur non posse species, aut lumen ad neruos, siue ramos istos opticos deuenire, vel simpliciter, vel absque eo quòd vt sic dicamus inficiantur colore tunicæ vuea.

105. Et ratio est, quoniam nerui prædicti habent se instar cuiusdam fistulæ intra quam sit meatus quidam, & veluti concauitas à summo, vsque deorsum, & insuper, ita sunt in oculo radicati, vt pertingant ad humorem crystallinum; quantum satis est ad hoc, vt eo medio recipiant species & lumen, ac tandem quatenus ad illum præcisè pertingunt ad hoc, vt per eos spiritus animales ipsi communicentur, non habent nisi solum, per connexam sui superficiem, tunicam vueam contingere. Vnde sicut spiritus animales possunt per prædictos neruos, & per concauitatem eorum sic pertingentem, vsque ad humorem crystallinum descendere, & prædicto humori ita communicari, vt illi qui ei præcisè deseruiunt, nulla ratione contingant tunicam vueam; ita per eosdem, vt modo dicto pertingunt ad hu-

morem crystallinum, & intra illum aliqualiter sunt (absque penetratione tamen) intromissi, & veluti radicati possunt ab humore crystallino ad eosdem neruos deuenire, tam lumen, quam species visibiles, absque eo quòd per voicam vueam transeant: sicuti si fistula alia esset intra prædictum humorem infixa, posset per illam lumen quod est in humore crystallino, pertransire absque eo quod per tunicam vueam transiret.

Ad vltimum debet negari antecedens, & ad probationem dicendum est, vtrumque munus præstari à prædictis neruis, nam habent meatus quosdam, per quos spiritus animales descendunt ad oculos, & insuper partes solidas, & perspicuas, ratione quarum possunt esse organum visus.

Argomenta pro prima sententia, non indigent solutione, quia vt ex dictis constat, probant primam partem nostræ assertionis, & non sunt contra secundam.

DISPVTATIO XI.

De Auditu.

POst disputationem de visu, merito ad explicandam naturam auditus, & eorum, quæ ad ipsum spectant accedimus: nam sicut prius egimus de visu, quàm de aliis sensibus externis, eo quod est nobilior illis, ita statim disputandum erat de Auditu, quia cæteros alios in perfectione superat, vt testatur D. Thom. in hoc 2. l. lect. 14. his verbis. *Vnde ex ipsa natura obiecti apparet, quod visus est altior inter sensus, & auditus propinquior ei, & alij sensus magis remoti.*

QVÆSTIO PRIMA.

QVID SIT SONVS.

1. COgnitio auditus ex sui obiecti cognitione dependet, ideò primo loco de sono, qui vt experientia docet, est obiectum auditus, agimus. Cæterùm quoniam certum, & indubitabile est, sonum esse, propterea quæstione an est relicta, à quæstione quid est exordium sumimus.

Ex mente Arist. & D. Tho. quæstionis nodus dissoluitur.

§. I.

2. DIcendum ergo est, sonum posse vtcumque describi, per hoc quòd sit qualitas sensibilis resultans ex forti percussione corporum sonororum, & medij resilientia. Descriptio hæc desumitur ex Aristot. in hoc 2. l. cap. 8. text. 85. & Diuo Thom. ibidem lectione 17. vt ex statim dicendis magis constabit, eámque communiter admittunt ferè omnes Philosophi, & ideò ab eis in particulari referendis abstinemus.

Vt autem prædicta descriptio meliùs capiatur, singulas illius particulas breuiter percurremus. Dicitur ergo in primis sonum esse qualitatem, vt per hoc denotetur conuenientia, quæ inter illum, & cæteras alias qualitates inuenitur, & simul separetur à quouis motu, & peculiariter à motu illo locali corporum se collidentium, nec non, & corporis medij inter prædicta corpora, quòd per talem collisionem resilit, & fugam arripit: nam vt constat ex his, quæ in Logica disp. 15. num. 35. Arist & D. Thom. diximus, omnia obiecta sensuum per se, & directè pertinent ad prædicamentum qualitatis, secùs verò motus.

3. Additur deindè particula illa *sensibilis*, vt per hoc innuatur diuersitas, quæ est inter sonum, & impulsum, qui alicui graui, vel leui imprimitur, cùm contra propriam inclinationem in locum eisdem violentum impelluntur. Nam licèt demus (vt aliqui volunt, de quo nihil modò) talem impulsum esse qualitatem, & imprimi ex violenta percussione, qua prædictum graue, vel leue ab impellente percutiuntur, nihilominus non est qualitas per se sensibilis ab aliquo externo sensu: secus tamen sonus per quod etiam rursus à motu distinguitur, nam iste solùm sensibile commune, vt ea Aristotel. & D. Thom. supra disp. 9. n. 5. diximus, sonus autem est proprium sensibile auditus, vt experientia constat.

Subsequitur statim alia particula scil. *ex forti percussione*, quæ desumpta est ex Aristot. in hoc lib capit. 8. text. 79. vbi loquens de generatione soni inquit: *Oportet solidorum percussionem fieri ad se inuicem, & ad aera, hoc autem fit cùm permaneat percussus aer & non dissoluatur, vnde, si velociter, & fortiter, percutiatur, sonat.* Vbi etiam D. Th. lect. 16. his verbis: *Si percussio sit fortis tunc fit sonus.* Quod idem de diuisione, & resilientia medij dicendum est, & ideò adiectiuum hoc *fortis* in diffinitione positum, debet etiam cum particula subsequenti coniungi, & construi.

4. Per hanc autem particulam significatur, tria debere ad sonum concurrere, scilicet, percutiens, percussum, & medium, quod ea vi talis percussionis resilit. Vnde Aristotel. cap. citato text. 78. inquit. *Fit autem qui secundum actum sonus semper alicuius ad aliquid & in aliquo*, & rationem reddit *Percussio enim est faciens, vnde impossibile est cum sit vnum fieri sonum, alterum enim est verberans, & quod verberatur, quare sonans ad aliquid sonat. tangit enim aliquid, cum autem illu tangitur, sonat. ictus autem non fit sine motu.* Vbi D. Thom. lectione 16. citat. his verbis. *Dicit ergo, primò quod ad hoc, vt sonus fiat in actu oportet tria concurrere, fit enim semper alicuius, & ad aliquid, & in aliquo, & ideò si fit vnum tantum, non potest sonum facere, & huius ratio est sine signum, quia percussio est causa soni; oportet igitur esse aliquid, id est percutiens, & aliquid percussum, & propter hoc dicit, quod sonus est alicuius ad aliquid id est percutientis ad percussum; oportet enim, quod illud, quod facit sonum, tangat aliquid, & cùm tetigerit sic ictus generatur tunc sonus, ictus autem percutientis non fit sine motu locali, motus autem localis non est sine medio, vnde relinquitur quod oportet esse medium ad hoc quod fiat sonus in actu, & hoc est, quod dictum est, quod oportet esse sonum, non solùm alicuius, & ad aliquid, sed etiam in*

in aliquo. Cæterum non est necessariò, vt tria prædicta sint discontinua, ac proindè realiter per modum trium corporum distinguantur, sed sufficit, vt sint diuersæ realiter partes vnius & eiusdem corporis, vt in agitatione ventorum constat.

5. Additur etiam in eadem diffinitione, quòd talis percussio debet esse inter corpora sonora, id est, inter corpora potentiâ sonum efficere, quæ autem sint ista corpora ex quorum ictu, & percussione sonus causatur, explicuit Arist. in hoc 2. l. c. 8. duas ad hoc exigens conditiones. Primam quidem text. 78. & 79. his verbis. *Sicut autem diximus, non quorumlibet ictus sonus est, nullum enim faciunt sonum pili, & si percutiantur. &c. Sed oportet solidorum percussione fieri ad se inuicem.* Quæ verba sic explicat D.Thom. lect. citata. *Ostendit qualia oportet esse quæ requiruntur ad soni generationem. Dicit ergo primò, quòd sicut prædictum est, sonus non fit ex percussione quorumcunque corporum, dictum est enim supra, quòd pili, & spongia, & huiusmodi mollia non habent potentiam sonandi, vnde nullum sonum faciunt, etiam si percutiantur, sed æs, & corpora lenia, & concaua sua percussione faciunt sonum.*

Et rationem reddit. *Quia mobilia cedunt percutienti, vnde ex percussione, non extruditur aer; vt sic in eo possit formari sonus, ex ictu percutientis, & resistentia percussi: necesse est enim, quòd illa ex quorum percussione sonus redditur, sint dura, vt aer extrudatur: quæ quidem extrusio est causa generationis soni.*

6. Secundam verò conditionem adduxit idem Philosophus text. 85. vbi ad soni generationem, non tantum petit soliditatem, sed etiam lenitatem corporum, id est quod habeant superficiem vniformem, & regularem, ita vt vna pars, non super emineat alteri, & ita ait. *Non igitur sicut dictum est, omne sonat, quòd verberatur, & verberans, vt si obiciatur acus acui, sed oportet, quòd percutiatur planum leue regulare esse.* Et rationem reddit. *Et aer subito dissiliat & moueatur.* Vbi D. Thom. lect. 17. citata. *Quia in generatione soni necesse est, quòd quædam resilitio fiat ex resistentia percussi, non omne quod verberat, & verberatur sonat, sicut dictum est prius, puta si obiciatur acus acui non fit sonus, sed ad hoc quod generetur sonus, oportet hoc, quod percutitur, esse regulare, id est sic dispositum, vt aer subito dissiliat, & ex eius resistentia, & ex tali motu generetur sonus.*

7. Nec solùm conditiones simpliciter requisitas ad soni generationem Arist. connumerauit, sed etiam meminit alterius, quæ ad bonitatem illius conducit, scilicet concauitas corporum sonororum. Vnde in text. 78. postquam dixit, corpora solida, & concaua esse apta ad sonum, statim reddit rationem, quare concaua sint magis apta ad illum causandum, his verbis. *Concaua autem ex percussione faciunt multos ictus, post primum in potenti exire, quod motum est.* Quæ verba sic explicat D. Thom. *Concaua autem, etiam benè percussa, reddunt sonum, quia in eis intus aër concluditur, & cum illud, quod primo motum est, non possit statim exire, percutit alium aerem, & sic est repercussione fiunt multi ictus, & multiplicatur sonus.* Huius autem signum quoddam adducit, dicens. *Et propter hoc etiam ea, quæ in sui compositione habent aërem benè dispositum, sunt benè sonora, sicut æs, & argentum, in quorum autem compositione aër non benè se habet, non sunt benè sonora, sicut plumbum, & alia huiusmodi, quæ sunt magis terrestria.*

Additur tandem particula illa ex *resilientia medij*, quia vt ex dictis constat, nequit sonus generari, nisi vltra percutiens, & percussum sit aliquid medium, quod ex vi huius percussionis resiliat, & fugam arripiat, maximè, quia vt ex dicendis quæstione sequenti constabit, sonus non recipitur in corporibus sonantibus, aut sonoris, sed in corpore medio resiliente.

Obiiciuntur aliqua contra prædicta.

§. II.

8. Sed obiicies primò sonum non esse qualitatem, sed motum quendam. Nam Aristot. diffiniens illum in hoc 2. lib. text. 85. inquit. *Est enim sonus motus possibilis moueri hoc modo, quo quidem saltantia à lenibus, cum aliquibus ea traxerit,* seu vt explicat D.Thom. *cum aliquis ea fortiter percusserit,* & text. 90. diffiniens vocem quæ est peculiaris quidam sonus eam per percussionem, quæ motus quidem est, diffinit, dicens. *Quare percussio respirati aëris ab anima, quæ est in his partibus ad vocalem arteriam vox est:* ergo malè sonus per qualitatem diffinitus est.

Confirmatur primò, quia sonus, nec est qualitas prima, siquidem distinguitur à calore, & siccitate, frigiditate, & humiditate, in quas Arist. 2. de Generatione qualitatem primam diuisit; nec etiam est qualitas secunda, quia non fit ex permixtione primarum, vt ex se constat: ergo non habebit rationem qualitatis. Patet consequentia, quia omnis qualitas, vel est prima, id est non facta ex alia priori; vel secunda, seu facta ex priori qualitate, siquidem inter hoc, quod est produci, vel non produci ex alia priori qualitate, non est dare medium.

Confirmatur secundò, nam sonus non est qualitas permanens, aut successiua: ergo neque erit qualitas. Consequentia patet, quoniam omnis qualitas, non potest non permanere finito motu, & si permaneat, erit qualitas permanens; si autem non permanserit, successiua. Antecedens autem quoad primam partem constat: quia sonus solum durat quamdiu durat motus, qualitas autem permanens potest finito motu durare. Quoad secundam verò partem etiam liquet; nam id quod terminat motum, vt in sono contingit, debet habere aliquid consistentiæ, & permanentiæ, vt in eo quiescat mobile.

9. Secundò obiicies, sonum non requirere necessariò fortem percussionem extremorum, ad hoc vt generetur, nam multoties fit ex diuisione alicuius corporis: ergo non ex percussione. Patet consequentia, nam cùm corpus diuiditur, tunc partes illius, ex quibus causatur sonus non se percutiunt, siquidem ad percussionem contactus, & coniunctio corporum requiritur, hic autem non coniunguntur, sed potius separantur.

Confirmatur, nam licèt aliquando sonus causetur ex percussione, tunc tamen non sufficit percussio fortis, sed insuper desideratur quòd sit velox: ergo diminutè in diffinitione soni dictum est, illum esse qualitatem ex forti percussione resultantem. Consequentia patet, antecedens autem probatur: nam Aristot. vtramque percussionem, scilicet fortem, & velocem ad soni generationem petiuit. Et ita in præs. text. 79. inquit. *Vnde si fortiter, & velociter percutiatur sonat.* Vbi D.Thom. lectione 17. *Et propter hoc videmus, quod si aliquid tardo motu tangat alterum, non facit sonum, sed si percussio sit fortis, & velox, tunc fit sonus.*

10. Tertiò contra eandem particulam obiicies, falsò in eius explicatione additum fuisse, quòd ad generationem soni sufficiat, vt percutiens, & percussum, ac medium resiliens realiter partialiter distinguantur. Nam Arist. in verbis sup. num. 4. relatis videtur innuere prædicta corpora debere esse discontinua, ita vt non sint vnum, & idem, & ita ait. *Vnde impossibile est cùm sit vnum fieri sonum.* At certum

est distinctionem realem duarum partium eiusdem corporis non tollere, quo minus prædictum corpus sit vnum: ergo, &c.

Quartò, quia etiam si detur percussio fortis, & velox; adhuc non producetur sonus; ergo, &c. Antecedens probatur, nam percussio quantumuis fortis, & velox, tantùm est motus localis, hic autem tantùm terminatur ad vbi, non verò ad qualitates tertiæ speciei, quæ terminant verum, & proprium motum, vt in lib. de Generat. disput. 4. num. 5. diximus.

Quintò obiicies, non rectè adductam esse duplicem illam conditionem ad rationem corporis sonori; scilicet quod sint solida, & sint lenia, nam tam corpora lenia, quàm non lenia solent efficere sonum; ergo, &c. Antecedens quoad primam partem patet, quoniam aër, & aqua, nec non, & ferè omnia corpora mollia possunt esse sonatiua. Vnde si virga fortiter percutiatur aër, qui est corpus satis molle, efficitur sonus, & similiter tempestate maris ingruente fit magnus sonus absque interuentu alterius corporis distincti ab aëre, & aqua. Quoad secundam verò partem etiam constat, nam si duo lapides, non lenea se inuicem percutiant, resultabit sonus, vt experientia constat; ergo, &c.

Diluuntur obiectiones propositæ.

§. III.

11. AD primam respondetur cum D. Thom. in præs. lect. 17. & 18. diffinitionem illam Aristot: tantum est causalem, reddentem hunc sensum; sonus est quid per motum, &c. causatum. Potuit autem hoc diffiniendi modo vti Philosophus, quia in his rebus, quarum generæ proxima ignota sunt, optimè earum natura, per proximas causas sensibiles describitur. Quare diffinitio hæc erit similis illi, qua solet eclipsis diffiniri dum dicitur, eclipsis est interpositio terræ, &c. Vnde si res bene perpendatur, hæc aliqualis descriptio soni à nobis adducta, apertè colligitur ex hac, quam Aristot. tradit, quia per motum speciatim ab eo in præsenti explicatum, non potest non, modo statim dicendo, qualitas sensibilis produci, atque adeò sonus erit qualitas sensibilis causata ex motu, quo mouentur saltantia à lenibus, cùm ea quis fortiter percusserit; seu quod in idem redit, vt ex dictis constat, ex forti percussione, &c. Maluimus autem in nostra aliquali descriptione explicare, quid Philosophus per sua verba intenderet, quàm eiusdem verbis vti, quia sic melius ipsius mentem quoad præsens attinet, assecutos fuisse arbitramur.

Per quod etiam ad id, quod ibidem de diffinitione vocis adducitur, patet. Vnde vt idem Angel. Doctor explicans illam lect. 16. inquit. Datur hæc diffinitio per causam, non enim vox est percussio, sed sonus ex percussione causatus.

Ad primam confirmationem respondetur negando primam partem antecedentis, & ad probationem dicendum est Aristotelem loco ibidem citato, non diuisisse adæquatè qualitatem primam generaliter sumptam, sed ad summum numerasse eas qualitates primas inter se contrarias, & quarum permixtione, & contrarietate resultant mixtum, & qualitates secundæ illius. Vnde lux est qualitas prima, & nihilominùs, quia non est qualitas prima habens contrarium, ideò ibidem non numeratur.

12. Ad secundam confirmationem negandum est antecedens quoad priorem partem, & ad probationem dicendum est quod licèt ea, quæ habeut esse difficilè mobile à subiecto, non possent in esse, fieri, & conseruari depende à motu, non tamen est contra naturam earum qualitatum, quæ quantum est ex se parum durant, ac proindè per modum transitus, & fluxus sunt in subiecto, quod pendeant, tam in fieri, quam in conseruari à motu eiusdem subiecti; sonus autem est de genere earum qualitatum, quæ sunt in subiecto per modum fluxus, licèt reuera sit qualitas permanens, id est cuius esse potest totum simul conseruari.

Vnde idem numero sonus, qui recipitur in aëre, qui primò colliditur à corporibus sonantibus, potest permanere in illo, saltem per aliquam paruam moram temporis, & ita idemmet sonus, qui simul auditur auditione directa potest aliquando iterum audiri auditione (vt sic dicamus) reflexa, vt ex his quæ infrà dicemus constabit.

Quæ solutio desumitur ex D. Thoma lectione 16. iam citata, his verbis: *Sonus autem causatur ex motu, & non habet esse fixum, & quiescens in subiecto, sed in quadam immutatione consistit.* Vbi, ex qua parte tribuit illi, quod causetur ex motu innuit permanentiam eius; & ex qua parte eidem denegat, quod habeat esse fixum, & quiescens, denotat esse facilè transeuntem, & quantum est ex se earum durantem:

13. Nec refert si obiicias, sonum incipere per primum sui esse, antequam motus sit, atque adeo non esse qualitatem pendentem à motu in fieri, & conseruari. Consequentia patet. Antecedens autem probatur. Nam tunc incipit, & auditur sonus, quando corpora se collidunt, & tangunt; at corpora tangunt se in instanti terminatiuo motus; seu in instanti, in quo non est motus: ergo in eodem incipiet, & auditur sonus.

Non itaque hoc refert, negandum est enim antecedens, & ad probationem negandum etiam est, quòd primum esse contractus corporum se collidentium sit primum esse soni, sed tantum vltimum non esse illius; quia vt est dicendis quæstione sequenti constabit, sonus non subiectatur in corporibus se collidentibus sed in medio resiliente, & fugam arripiente, ita vt necessaria sit resilientia eius, vt in eo generetur sonus: constat autem prædictam resilientiam non incipere tunc intrinsecè, & per primum sui esse, sed extrinsecè, & per vltimum non esse.

Ad secundam negandum est antecedens, & ad probationem concesso antecedenti neganda est consequentia: nam quando ex diuisione alicuius corporis fit sonus, reperitur adhuc fortis percussio, nam partes aëris proximiores corpori diuiso velocissimè mouentur ad replendum vacuum, & in loco partis primo ingredientis locum diuisionis, ne repleat vacuum succedit impetu quodam alia pars aëris, & sic percutit priorem, & facit eam illidere ad latera corpora diuisi, & ita resultat sonus in quo percutiens est aër, & percussum ipsum corpus diuisum: imò licèt remotiores partes aëris non impellant proximiores; posset fieri sonus ex eo quòd partes proximiores ex naturali impetu & inclinatione, quam partes vniuersi habent ad replendum vacuum mouerentur magno impetu, ne vacuum daretur, vt in lib. Phys. disp. 10. num. 4. diximus, & ita percuterent partes corporis diuisi.

14. Ad confirmationem respondent aliqui non esse necessariam velocem percussionem corporum ad soni generationem, & ita si fortiter tardo tamen motu prematur papyrus ducendo fortiter digitum super illam, fiet sonus.

Cæterùm solutio hæc non placet, quia ad soni generationem desideratur, vt antequam aër medius paulatim,

paulatim, & per partes refrangatur, & in illas fecetur, corpora sonara se collidant; seu quod aër in vnum collectus, & non diuisus, & iam refractus concutiatur inter prædicta corpora se collidentia, sed ad hoc requiritur, vt motus, & percussio eorum sit velox, vt ita possit plus aëris in vnum collecti inter vtrumque concuti; ergo, &c.

15. Consequentia satis constat. Minor verò cum maiori est Aristot. in hoc 2. libro text. 79. vbi postquam dixit requiri percussionem solidorum corporum ad soni generationem statim addidit. *Hoc autem fit cum permaneat percussus aër, & non dissoluatur; vnde si velociter, & fortiter percutiatur sonat. Oportet enim praeoccupare motum ferientis fracturam aeris, sicut si congregationem, aut cumulum lapillorum percutiat aliquis latum velociter.* Vbi D. Thom. lect. 16. *Quòd autem simul fiat percussio solidorum ad inuicem, & per consequens sonus, & ad aera, contingit, cum aër in sua integritate manet, vt possit percuti, & non diuiditur ante percussionem, & propter hoc videmus, quòd si aliquis tardo motu tangat alterum, quia non facit sonum, quia prius recedit aer & dissoluitur, quàm contactus solidorum corporum fiat, sed si percussio sit velox, & fortis, tunc fit sonus, quia ad hoc vt fiat sonus oportet, quod motus percutientis praueniat diuisione aëris, vt aër adunatus, siue collectus percuti possit, & in eo sonus generari, & est simile sicut cum aliquid velociter fertur, percutere potest aceruum lapidum antequam dissoluatur.*

Vnde ad prædictam confirmationem aliter respondetur, concedendo requiri ad sonum velocitatem percussionis. Cæterùm hoc ipso, quòd percussio sit fortis, satis innuitur forè etiam velocem quantum ad genarationem soni desideratur; quia eo ipso imprimitur aëri resilienti maior impetus, ad hoc vt citiùs resiliat, atque adeò plus eiusdem aëris in vnum collecti fugam arripiat, vt in exemplo papyri fortiter percussæ, ex eo qood manus fortiter eam premendo ducatur, super illam contingit.

16. Ad tertiam respondetur, Aristotelem tantum velle tria illa ad soni generationem desiderata debere esse saltem realiter partialiter distincta; ac proindè non esse vnum & idem, quatenus per hoc significatur tanta vnitas, & identitas, vt prædicta distinctio excludatur; quia hæc æquiualent, quoad generationem soni, tribus corporibus realiter discontinuis. Vnde ratio ob quam Arist. vsus est modo illo loquendi, quo discontinuitas plurium corporum denotatur; est hæc quam tetigimus; quia, vt experientia testatur, prædicta corpora realiter partialiter diuersa, non minus reddunt sonum, quàm si essent discontinua, & totalia.

Ad quartam respondetur, quòd licèt ad generationem soni requiratur motus localis medij, & corporum se collidentium, non tamen prædictus sonus (vt benè notauit Bañes 1. part. quæst. 78. artic. 3. tractatu de Auditu dub. 1.) fit per illum tanquam per actionem per se, & directe terminatam ad prædictum sonum, sed ibidem coniungitur alteratio quædam, per quam producitur; sicut licèt motus primi mobilis, sit per se requisitus ad generationem aliquorum effectuum, qui ab illo possunt fieri, non tamen producuntur per illum motum, tanquam per actionem, per quam fiunt, sed tanquam per aliquid quod assumitur per modum instrumenti ad prædictum effectum.

17. Ad vltimam respondetur negando vtramque partem antecedentis, & ad probationem contra priorem dicendum est, solùm conuincere corpora mollia, quatenus talia, non esse sonora, non verò quatenus habent aliquid soliditatis, quantum satis sit, vt non ita facilè cedant percutienti, sed habeant eam resistentiam, quæ ad generationem soni desideratur: quandoquidem soliditas in corporibus sonoris tantum requiritur ad hoc, vt non facilè cedant percutienti. Vnde si prædicta corpora mollia comprimantur, aut alia de causa præstent sufficientem resistentiam, quamuis mediocrem, tunc aliquis sonus imperfectus tamen generabitur, ex eo quod licet formaliter non essent solida, nihilominùs tunc æquiualenter, & quoad prædictum effectum habent soliditatem, iam explicatam. Quæ solutio desumitur ex Diuo Thoma lect. 16. citata. Nam postquam dixit mollia, quia facilè cedunt percutienti, non causare sonum, etiam si percutiantur, addit: *Sed si huiusmodi mollia comprimantur, ita vt aliquam duritiem habeant, & resistant percutienti, sequitur sonus licèt sonus surdus.*

Ad probationem verò secundæ partis eiusdem antecedentis similiter respondetur solùm probare, quòd corpora non lenia, sed aspera, non efficiant sonum, quatenus talia, non verò secundum quòd aliquam vniformitatem in superficie (licet non tantam, quantam corpora dura, & lenia) habent: ratio potem, ob quam prædicta corpora, quatenus aspera non sunt idonea ad causandum sonum, est, quia secundùm istam rationem habent, vt explicat D. Thom. lectione 17. huius libri, diuersas partes, quarum quædam præeminent aliis; ex quo prouenit, vt ibidem sint, quasi quædam foramina, in quibus taliter recipitur aër, vt possint esse apta ad expulsionem, & resilientiam aëris medij, & consequenter neque ad soni generationem.

QVÆSTIO II.

AN SONVS SIT SVBIECTIVE IN corporibus sonantibus, an verò in solo medio?

EX dictis quæstione præcedenti constat, quæ sit causa efficiens soni; quare, vt magis eius natura pare fiat, de causa eius materiali inquirimus: quia verò solùm potest, vel in corporibus sonantibus, vel in medio resilienti subiectari, siquidem hæc tria tantùm ad illius generationem concurrunt, vt ex Arist. & D. Thom. num. 4. diximus, ideò de his tantùm inquirit titulus in quonam ex eisdem sonus subiectetur.

Adducitur prior dicendi modus.

§. I.

18. PRimus dicendi modus est aliquorum asserentium in omnibus prædictis sonum subiectari. Ita Venetus, quem citat. Paludanus in præsenti, ad text. 85. Vega lib. 1. de Arte medendi folio 144. quem nonnullos ex antiquioribus Arist. interpretibus tenuisse testatur Apollinaris, quæst. 11. huius libri, & alij ex recentioribus, quos refert Rubio in præsenti.

Sententia hæc, quoad corpus medium, constabit ex dicendis pro nostra. Quoad corpora verò se collidentia probatur primò; quia pro diuersitate corporum se collidentium causatur diuersus sonus, magis, vel minus perfectus, etiam si collisio sit æqualis, vt experientia docet: ergo signum est prædicta corpora non solum efficere, sed etiam recipere sonum. Patet consequentia, quia ideò calor productus ab igne, non debet esse perfectior, quàm si producatur à sole, per actionem æquè intentam, quia sol & ignis tantum habent rationem causæ efficientis respectu illius: ergo, &c.

19. Secundò

19. Secundò, quia si corpora illa solùm concurrerent ad sonum percutiendo aërem, & non recipiendo ipsum sonum, fieret indè, vt ex diuersitate percussionum tota sonorum diuersitas oriretur, hoc autem est falsum: ergo, &c. Sequela videtur aperta, quoniam subiectum soni esset solus aër. Quare cùm hic semper sit vnus & idem, non posset ex illo diuersitas sonorum prouenire, sed solùm ex diuersitate percussionis: falsitas autem consequentis indè liquet nam si fiat æquè vehemens, & velox aëris percussio à duobus lignis, & à cymbalo aliquo percusso, non producitur æqualis sonus, quin potius per minorem percussionem cymbali maior sonus resultabit.

Nec refert, si dicas id oriri ex eo, quod cymbalum est magis sonorum, atque adeò semper verificatur, quòd cæteris paribus, iuxta magnitudinem ictus, & resilientiam medij resultat maior; vel minor sonus.

Nam contra hoc est, quòd cymbalum esse magis susceptiuum soni, aut magis effectiuum illius. Si primum, iam sonus in ipso recipietur. Si secundùm, tunc argumentum factum vrget, nam sonus non fit, nisi mediante ictu, & resilientia medij: ergo si ictus, & resilientia non est maior, quando cymbalum percutitur, aut duo ligna se collidunt, non est cur maior sonus tunc edatur.

20. Tertiò, nam illud est subiectum inhæsionis soni, quod auditu percipitur mediante soni perceptione, sed corpora se collidentia cognoscuntur perfecto sono: ergo etiam hæc erunt subiectum illius. Consequentia patet. Minor verò etiam constat, siquidem percepto sono, percipitur an sit à cymbalo, vel à ligno, vel ab alio corpore. Maior autem etiam constat, nam sicut illud est subiectum coloris, quod videtur per accidens visa albedine, ita illud erit subiectum soni, quod per accidens auditur audito sono.

Quartò, nam experimur, quod post factum sonum remanet tinnitus cymbali, qui est quidam sonus languescens: at sonus ille à lingua prædicti cymbali productus statim cessat, si lingua illa manu apprehendatur: ergo signum est, sonum in ea recipi, non verò in solo aëre, ac proinde etiam in ipso cymbalo subiectari. Prima consequentia patet, nam si sonus in solo aëre esset, nihil ad cessationem eius conduceret, quod lingua cymbali manu apprehenderetur. Secunda verò consequentia etiam constat, nam cùm cymbalum sit etiam corpus collidens prædictam linguam, & media hac collisione concurrens ad sonum, non est cur in lingua illa ratione prædictæ collisionis, & concursus subiectetur sonus, non verò in cymbalo.

Eligitur sententia Aristot. & D. Thomæ.

§. I.

21. Dicendum tamen est, sonum non subiectari in corporibus se collidentibus, siue sonantibus, sed in corpore medio, & ax vi talis collisionis resiliente. Ita Aristot. in hoc 2. lib. cap. 8. text. 78. his verbis. *Fit autem, qui secundum actum sonus semper alicuius ad aliquid, vel in aliquo.* Vbi per ly *alicuius, & ad aliquid*, intelligit corpora se collidentia, vt ex dictis quæst. præced. num. 4. constat, & per ly *in aliquo* (in quo denotat fieri sonum) intelligit corpus medium quod resilit, vt ex eodem contextu, & ex his, quæ loco nuper citato asseruimus, satis liquet.

Idem etiam tenet Philosophus text. 77. his verbis: *Est autem duplex sonus hic quidam actu, quidam autem potentia: quædam enim non dicimus habere sonum, quædam autem habent, vt æs, & quæcumque plana, & lenia sunt, quoniam possunt sonare, hoc autem est ipsius medij, & auditus facere sonum.*

Vbi Diuus Thomas lectione 16. inquit: *Omne sensibile dupliciter dicitur esse in actu, vno modo, quando actu sentitur, hoc est dum species eius est in sensu, & sic sonus est actu secundum quod est in auditu: alio modo secundùm quod habet propriam speciem*, siue naturam, *per quam sentiri potest, prout est in suo subiecto, & sic alia sensibilia fiunt in actu, prout sunt in corporibus sensibilibus, sicut color prout est in corpore colorato, & odor, & sapor prout sunt in corpore odorifero, & saporoso. Sic autem non est de sono, nam in corpore sonante non est nisi in potentia, in medio autem, quod mouetur ex percussione corporis sonantis, fit sonus in actu, & propter hoc dicitur, quod sonus in actu est medij, & auditus, non autem subiecti sonabilis.*

22. Eandem etiam sententiam tuentur Auicenna, Simplicius, Albertus Magnus, vterque Caietanus, Toletus, Couimbricens. Rubio, & ferè omnes interpretes, tam iuniores, quàm antiqui. Aristot. comment. cap. 8. Bañez 1. part. quæst. 78. art. 3. de auditu dub. 3. Suarez in 2. tomo summæ Theologiæ lib. 3. cap. 19.

Prior autem, & fundamentalis huius assertionis ratio desumitur ex Aristotele & D. Thomæ doctrina, circa principium indiuiduationis accidentium: quoniam sonus, non potest recipi in vnico solummodo ex corporibus se collidentibus, neque in vtroque: simul ergo solum subiectabitur in corpore medio resiliente. Consequentia patet, quoniam, vt ex dictis constat, tantùm hæc tria desiderantur ad sonum, & ita si non recipitur in corporibus se collidentibus, non potest non recipi in corpore medio.

Antecedens autem, quoad priorem partem constat, quia non est maior ratio, cur in vno potius, quàm in alio subiectetur, vt patet, cùm duo corpora ad inuicem se percutiunt: Quoad secundam verò partem etiam constat, quoniam sonus est vnum, & idem accidens, quod proindè in diuersis subiectis esse nequit.

23. Nec refert id, quod aliqui respondent, scilicet semper produci duplici sonum numero distinctum, quoties corpora se collidunt; & ita vnus in vnico corpore, & alius in alio subiectabitur. Cæterùm licet prædicti soni sint duo in esse rei, nihilominùs sunt vnum in esse audibilis, sicut cùm duo canentes emittunt voces æquè intensas, tunc tantum videtur audiri vnica vox, cùm reuera sint duæ.

Nam contra hoc est, quòd corpora sonantia, non possunt semper esse Mathematicè æqualia in duritie (& vt sic dicamus) in sonoreitate, quandoquidem sæpissimè contingit, vt ex corporibus se collidentibus vnum eorum sit magis solidum, & sonorum, quàm aliud: ergo si sonus subiectaretur in illis, ac proinde necessariò secundùm numerum multiplicaretur, non possent hi duo soni esse indiuisibiliter æquales, ita vt vnum excederet alium, siquidem maior sonoreitas, & soliditas corporis sonantis maximè ad sonum conduceret, & consequenter iam ibidem audirentur duo soni, & excessus vnius supra alium perciperetur, quòd quidem contra manifestam experientiam est: ergo, &c.

24. Secunda ratio innuitur ab Aristotele & Diuo Thoma lectione 16. citata. Quoniam sonus non habet esse fixum, & quietum, sed facilè mobile, & non vtcumque, sed ita, vt possit vna cum suo subiecto à ventis agitari: ergo non recipitur in corporibus sonantibus, sed in corpore medio, quod resilit & agitatur media collisione eorundem. Consequentia patet, quoniam

quoniam corpora sonantia, seu se collidentia multoties sunt corpora fixa, & à ventis immobilia, vt dum maximus quidam malleus ex materia ferrea confectus alium collidit, & nihilominùs tunc sonus à ventis agitari potest: ergo, &c.

Antecedens autem probatur, quoniam experimur, quòd flante versus nos vento, percipimus sonum illum, quem alias non perciperemus, etiam si à prædictis corporibus grauissimis, & se percutientibus fieret: ergo signum est, quòd aër, in quo recipitur sonus, & simul sonus cum illo agitatur secundùm suum esse reale à ventis, & ita trahitur ad sphæram actiuitatis intra quam potest mouere nostrum auditum, cùm tamen anteà esset extra illam. Patet hæc consequentia, nam si sonus ille non agitaretur ad agitationem illius partis aëris, in quo est, & ita ad sphæram actiuitatis auditus non traheretur, cùm tamen anteà esset extra illam, non esset cur potius flante versus nos vento, quàm eo sic non flante audiretur.

25. Non satis erit si dixeris sonum illum non ideò tunc percipi, quia secundùm suum esse reale, & naturale diffusus sit per medium aërem, tanquam per subiectum: sed quia ventus versus nos flans iuuat, ad hoc vt species intentionales illius vsque ad auditum perueniant. Vnde si prædictus ventus in contrarium flaret, non audiretur sonus, ex eo quod species illius impedirentur, ne vsque ad auditum peruenirent.

Nam contra hoc est, quoniam sicut ventus in contrarium flans, non potest impedire accessum specierum ad potentiam, ita nec modo isto in hac solutione insinuato iuuare ad eundem accessum: ergo, &c. Antecedens probatur, nam ideo ventus in contrarium, vel versus nos flans, non impedit visionem colorum, nec iuuat ad illam, ita vt vento versus nos flante videantur colores, qui alias non viderentur, nisi quia color non diffunditur realiter per aërem medium, sed tantùm intentionaliter mediis speciebus: ergo si sonus non diffunditur secundùm suum esse reale, & naturale, sed solùm secundùm esse intentionale per aërem, tanquam per subiectum, non est cur in prædicto casu flante in contrarium vento non audiatur, & versus nos flante percipiatur.

Soluuntur argumenta prioris modi dicendi.

§. III.

26. AD primum concesso antecedenti, neganda est consequentia: quia licet sonus subiectetur in corporibus sonantibus, nihilominùs potest ex eorum diuersitate, diuersitas sonorum prouenire, quoniam ex ea potest ortum ducere, vt aër medius diuersimodè & conteratur, & percutiatur: & per consequens, vt diuersus sonus inde in illo resultet; ex eo, quòd aër melius refrangitur in corpore leui, quàm in aspero, & in concauo, quàm in plano: & ad probationem posset in primis negari antecedens, quia diuersi numero calores, ac per consequens se in perfectione indiuiduali excedentes fiunt, cùm à diuersis agentibus, puta cùm ab igne, vel à sole producuntur, etiam si vterque agat per actionem æquè intensam, vt in libro Physic. disput 15. num. 60. diximus.

Adde, quòd etiam sic concedatur antecedens, nihilominus neganda est consequentia, quoniam actio, per quam proximè, & immediatè fit sonus, non est motus illa localis, vel percussio corporum se collidentium, sed alteratio quædam, quæ ibidem interuenit, & ad sonum immediatè terminatur. Hæc autem, vel inæqualis est, hoc ipso quòd maior sonus auditur; vel est talis conditionis, vt propter rationem tactam exeat diuersimodè modificata, hoc ipso quòd à diuersis corporibus sonantibus eliciatur, sicut hoc ipso quòd vnus calor vnius corporis magis sentiatur per tactum, quàm calor alterius, signum est, vel quòd ille calor sit maior, vel quòd diuersimodè modificatus procedat ab vno calido, quàm alio, puta si vnum sit densius alio.

27. Ad secundum concedenda est sequela, si per ly diuersitate percussionum intelligatur, etiam diuersitas resilientiæ medij, & deinde neganda est minor, & ad probationem dicendum est, quòd licet ex omnoti percussione resultet in cymbalo maior sonus, nihilominùs non inde conuincitur, quòd si cætera sint paria, non resultet maior, vel minor sonus, iuxta maiorem, vel minorem percussionem; in eo autem euentu cætera non sunt paria, quia excessus ille aliunde prouenit, scilicet ex interna dispositione, & figura cymbali; ratione cuius aër medius, qui intra ambitum eiusdem cymbali continetur, melius modo iam dicto per minorem percussionem quatitur, & resilit in ordine ad generationem soni.

Vnde solutio ibidem data est optima, & ad probationem in contrarium respondetur per corpus magis sonorum, intelligi corpus habens maiorem potentiam, seu virtutem sonatiuam, quæ qualitas quædam est effectiua soni. Vnde licet percussio sit æqualis, potest sonatio, seu productio soni esse maior, ex eo quod procedit à corpore habente maiorem virtutem sonatiuam, & secundùm illam concurrente, quandoquidem percussio illa ad summum se habet, per modum instrumenti in ordine ad productionem soni: constat autem, quòd maior virtus per æquale instrumentum ei subordinatum potest perfectiorem effectum producere.

28. Ad tertium respondetur, sensibilia per accidens, non percipi à sensu, nisi quatenus proprio sensibili eiusdem sensus affecta sunt, & modo supra disputatione 9. numero 13. & 17. explicato, si quando autem audito sono in cymbalo, percipimus non solum sonum, sed etiam iudicamus illud cymbalum, & non aliud corpus sonare, non est, quia auditu prædictum cymbalum, etiam confusa quadam ratione in se percipiamus, sed quia mediante alio sensu, scilicet visu, habemus speciem cymbali, & mediante auditu speciem soni per illud causari, & istæ excitantur percepto sono per auditum, & ita non per auditum, sed per aliam potentiam internam causam soni percipimus.

Ad quartum respondetur negando minorem, quia tinnitus ille saltem potest, per aliquam valde breuem temporis morulam percipi, etiam si lingua cymbali manu apprehendatur, nam aër ab ea percussus, seu ex percussione linguæ illius, & cymbali resiliens, potest iterum percutere aërem intra ambitum illius contentum, vt suprà explicuimus, & ideò potest aliquis quamuis valdè exiguus sonus in alia parte eiusdem aëris ex tali percussione à resiliente generari, ac proinde audiri.

Vnde sic se habet motus ille, & percussio à cymbali lingua facta respectu soni, & tinnitus indè resultantis, sicut se habet percussio, qua percutimus aliquam magnam hydriam aëre plenam: vbi experimur, quòd finita percussione à nobis facta adhuc intra prædictum vas sonus perseuerat, ex eo quod per illam motionem commouentur aliquæ particulæ aëris in poris eiusdem hydriæ inclusæ, & hæ commouent aërem internum hydriæ: ita vt ibidem iuxta supradicta detur aliquid aëris percutiens, & rursus aliquid percussum, & tandem aliquid eiusdem resiliens,

resiliens, & veluti fugam arripiens: nec tamen hinc fit (vt id obiter dicamus, tacitaque cuidam obiectioni occurramus) poros illius manere vacuos: quia aër in illis inclusus, ita dilatatur, vt possit ad vtrumque munus deseruire.

QVÆSTIO III.

An solus aër, an verò tam aër, quàm aqua, & alia corpora his similia, possint esse medium, & subiectum soni secundùm suum esse reale sumpti?

29. POstquam diximus, corpus medium intra duo corpora se collidentia esse subiectum aptum ad recipiendum sonum, restat vt explicemus, quænam sint corpora illa, quæ sint apta ad hoc, vt habeant prædictam rationem medij, & consequenter subiecti respectu soni.

In titulo autem aliquid vt certum supponimus, & aliquid in dubium vocamus: supponimus enim: Tum quod aër sit aptus ad hoc, vt habeat rationem medij, & subiecti soni: Tum etiam corpora omninò dura, & densa qualia sunt lapides, ligna, ferrum, &c. non posse, vt talia esse medium & subiectum soni, secundùm suum esse reale sumpti, vt docet Aristot. cap. 8. huius libri. Et ex iam dictis, & infra dicendis amplius constabit. Vocamus autem in dubium, an aqua, & alij liquores, aliaque corpora his similia, quæ facilè agitari, & resilire ex vi percussionis possunt, sint etiam apta ad hoc, vt rationem medij, & subiecti respectu soni sortiantur.

Refertur prior sententia.

§. I.

PRima sententia ait: illa corpora esse apta ad hoc, vt sint medium in generatione soni, & in eis sonus ipse recipiatur, quæ possunt resilire ex vi percussionis corporum se collidentium, qualia sunt aqua, aër, cæteraque alia corpora fluida his similia, quamuis aër inter omnia illa sit ad hoc munus aptissimus. Ita Themistius, Simplicius, Caietan. Tolet. Rubio, & alij plures in comment. cap. 8. huius lib. Suarez tom. 2. summæ Theologiæ tract. 3. lib. 3. cap. 19. num. 12.

Probatur primò testimonio Aristotelis text. 79. huius libri, his verbis: *Amplius auditur in aere, & in aqua, sed minus in aqua.* Vbi D. Th. explicans prædicta verba, sic inquit: *Ostendit quale sit medium, in quo generatur sonus, & dicit, quod medium, in quo sonus auditur, est aer, & aqua; sed minus auditur in aqua quàm in aëre. Vnde, propriissimum medium tam in generatione soni, quàm in auditu est aër.*

30. Confirmatur ex eodem Philosopho, nam 4. de historia animal. cap. 9. expressè affirmat ranas sub aquis sonos edere; atque adeò medium, in quo talis sonus recipitur, solùm erit aqua, & per consequens, etiam alia corpora huic similia poterunt esse subiectum soni.

Secundò probatur ratione, quoniam aqua v.g. habet omnes conditiones: licet non ita perfectè, quas habet aër ratione quarum est medium ad generationem soni, & subiectum eiusdem: ergo etiam ipsa, licet non ita perfectè, erit medium & subiectum eiusdem soni. Antecedens probatur, nam etiam aqua mollis est, ac diuisu facilis, & impetuosa, comprimique violenter potest: sicut aër, quamuis non ita perfectè sicut ille, ergo etiam erit sufficiens subiectum soni, & medium in generatione illius. Patet consequentia, quia aër, ratione earum est subiectum soni, vt intuenti constabit. Vnde, si prædictæ conditiones reperiuntur in aqua, licet non ita perfectè sicut in aëre, fit inde vt ipsa etiam; licet non ita perfectè fit subiectum soni, & medium in generatione illius.

31. Confirmatur, nam si lebes immittatur in puteum, & percurrat vsque ad fundum, solemus sonum ex tali contactu resultantem audire, & similiter remigia nauium commouentur in aquis, & sonum efficiunt; si ergo signum est aquam esse medium idoneum ad generationem, & receptionem soni.

Sententia Arist. & D. Thomæ stabilitur.

§. II.

32. DIcendum tamen est solum aërem non verò aquam, aut alia corpora eis similia esse apta ad hoc, vt habeant rationem medij, & subiecti respectu generationis soni, & eiusdemmet soni secundùm suum esse reale, & naturale sumpti. Ita Arist. in hoc 2. lib. text. 79. vbi loquens de sono, & de generatione illius secundùm suum esse reale accepti ita inquit: *Sed oportet solidorum repercussionem fieri ad inuicem, & ad aera.*

Vbi Diuus Thomas lectione 16. postquam explicuit quomodo medium, in quo auditur sonus, sit tam aër, quàm aqua, ac proinde quomodo vtrumque ex his elementis sit subiectum & medium ad recipiendum illum secundùm suum esse intentionale, statim, vt explicaret quid sit necessarium ad hoc, vt producatur sonus secundùm suum esse reale: vt ita possit intentionaliter recipi, tam in aëre, quàm in aqua, addit: *Quia in medium in quolibet sensu, qualitatibus sensibilibus secundùm illum sensum caret, vt possit omnes recipere: manifestum est, quod neque aer, neque aqua habent proprium sonum: sed necessarium est ad soni generationem in aere, vel aqua, quod aliqua corpora firma, vel solida, & dura percutiant se inuicem, & percutiant aerem,* vt ita generetur sonus secundùm suum esse reale: & sic iam in aqua, quàm in aëre secundùm suum esse intentionale generari possit.

Vbi vt vides, ad realem generationem soni semper petitur, quod ibidem interueniat aër, cùmque non possit peti per modum percutientis, & causæ efficientis illius, vt ex se, & ex iam dictis constat, planè fit desiderari per modum medij resilientis, in quo sonus ipse, & generatio illius subiectetur, & ideò Angelicus Doctor. lect. 17. iterum repetit hoc ipsum, inquiens: *Dictum est enim quod ad generationem soni oportet fieri percussionem duorum solidorum ad inuicem: & ad aerem.*

33. Et similiter Philosophus 4. de historia animalium cap. 9. inquit: quod omnia animalia tam aquatilia, quàm terrestria, quæ vocem, vel strepitum emittunt, id faciunt aëre percusso, & verberato, & sigillatim per omnia illa discurrens, conatur ostendere in omnibus illis, etiam in piscibus sonum fieri ex attractione spiritus, id est aëris, & ideò sect. 11. Probl. quæst. 49. inquit strepitum esse spiritum quendam, id est causari ex attractione spiritus. Et ita hanc sententiam sequuntur commentator in præsenti c. 8. text. 76. Philop. comment. 7. Albertus tract. 3. cap. 18. Ægidius comm. 77. Isbellus q. 73. Bañez 1. p. q. 78. art. 3. tract. de auditu dub. 3. & alij.

Deinde probatur ratione, quam Aristot. & Angel. Doct. insinuant: nam experimur, quòd licet plures pisces sub aquis natent, nihilominus non causant sonum: at statim vt perueniunt ad superficiem aquæ, & aëre contingunt, sonum causant: ergo signum

signum est aquam, & consequenter alia corpora his similia non esse accommodata, ad hoc, vt in eis sonus secundùm suum esse reale, & naturale recipiatur. Patet consequeotia, quia non videtur aliquid aliud deesse intra aquas ad hoc vt soous generetur : nisi quia non est ibi sufficiens medium, scilicet aër, qui possit esse subiectum illius : quandoquidem pisces habent debitam soliditatem, & similiter aquis in vnum collectis, & condensatis inest sufficiens soliditas ad hoc, vt possint esse extremum percussum à piscibus, vt ex his, quæ n. 17. diximus, constat. Quare si ibi non generetur sonus, non erit ex defectu corporum solidorum se collidentium, sed ex defectu medij idonei, scilicet aëris qui ibi non datur.

34. Occurrunt aduersarij : non ideò non causari sonum ab his piscibus intra aquam natantibus, quia aqua non sit medium idoneum ad generationem & receptionem soni, sed quia sine sufficienti violentia, aquas natando diuidunt. Et rationem reddunt, oam ad hoc, vt sonus in aqua generetur, oportet vt maior vis ei imprimatur, quàm aëri, dum in eo gignitur: quia cùm illi sit densior isto, requiritur maior vis, & violentia ad hoc vt corpora citò se collidant per motum, & aqua ipsa fortiter resilire possit.

Sed contra : nam experimur, ingentes pisces magna vi, & valdè fortiter aquas diuidere, maximè cum contra impetum eiusdem aquæ natant : hæc autem violentia, & percussio adeò magna sufficeret ad generaodum sonum inter easdem aquas, si ipsa esset medium idoneum ad generationem, & receptionem illius. Quare cum experiamur, sonum ibidem non generari, signum erit, aquam non esse medium aptum ad prædictam generationem, & receptionem soni.

35. Confirmatur, nam hic vrget experientia illa de lebete in puteum non ita magnam aquæ copiam habentem immisso, & sonum ibidem causante, quam aduersarij pro se adducunt : nam vel sonus ille fit intra aquas medio aëre, vel oon. Si primum, habetur intentum. Si secundum, rursus inquirimus. An violentia, quæ tunc infertur aquæ sit maior quàm illa, quæ ab ingenti pisce, & non multum à superficie aquarum distanti illis infertur, vel an sit minor? Cùmque non possit hoc vltimum dici, quandoquidem experimur, quod licet non adeò fortiter fundum prædicti putei, mediante illo lebete, percutiatur, nihilominus auditur sonus : cum tamen pisces illi fortiùs aquam percutiant, fortiúsque, & violentiùs illam resilire faciant, vt intuenti constabit, fiet inde, non ex defectu violentiæ, & percussionis, sed ex eo, quod aqua sit incapax ad recipiendum sonum oriri, quòd pisces isti fortiter natando non efficiant sonum: quod argumentum non solùm de aqua, sed etiam & multò melius de aliis liquoribus intentum suadet.

Diluuntur fundamenta primæ sententiæ.

§. III.

36. AD primum respondetur : Tam Arist. quàm D. Thom. loqui de medio, & subiecto soni secundùm suum esse intentionale sumpti: & ideò comparant illum ad auditum, & auditionem respectu quorum solùm influit secundùm suum esse intentionale. Nec refert si dicas, hanc eandem expositionem posse verbis eiusdem Aristot. & D. Thom. pro nostra sententia adductis adaptari : nam contra hoc est, quod in eis expressè fit sermo de sono secundùm suum esse reale, & naturale accepto : quandoquidem in illis expressè dicitur quod ad soni generationem requiritur, quòd duo corpora dura, & solida se percutiant, & simul collidant aërem. Constat autem, quod hæc percussio ioter prædicta corpora conditiones has habentia oon requiritur formaliter ad immutationem inteotionalem soni, sed ad generationem naturalem eiusdem : ac proinde in prædictis verbis fieri sermonem de medio eiusdem soni, secundùm suum esse oaturale accepti.

Ad confirmationem respondetur ex Arist. locis citatis, concedendo antecedens, & oegando consequentiam : nam ranæ retinent intra eam partem, vbi sonos illus formant, aliquid aëris, eo quod propter paruum aliquem calorem, quem habent indigent parua quadam refrigeratione ad illum : & ideo ratione huius aëris ibidem contenti sonos causant. Per quod etiam patet ad aliud, quod de aliquibus animalibus obiici solet, scilicet, quod branchiis intra aquas solent sonos edere. Nam vel neganda est prædicta experientia cum Bañez, & Alberto Magno, qui vt benè ootauit idem Bañez naturæ secreta coriosissimè fuit contemplatus, vt dicendum sit fieri ratione alicuius aëris in branchiis eorum detenti.

37. Nec refert, si contra secundam partem huius solutionis dicas prædicta animalia in quouis tempore branchiis sonos causare : at aër oequit tanto tempore manere sub aquis detentus : ea eo quòd oon patitur natura leuiora elementa sub grauioribus saltem diu degere, præsertim in magna quantitate, qualis requiritur ad hunc finem, cum sint innumeri pisces illi, qui prædictos strepitus edunt.

Non itaque hoc refert: quoniã obiectio hæc intentum conuincit solùm quoad eas partes aëris quæ sunt (vt sic dicamus) solutæ sub aquis; non verò de illis particulis, quæ intra poros animalis continentur. Vndè, licet corpus aliquod durum habens poros immergatur intra aquas, noo ideò oecesse est aërem in prædictis poris inclusum supra aquas ascendere : alioqui innumeræ bullæ, seu campanulæ ascodentes ibidem apparerent, quod tamen est contra manifestam experientiam.

38. Ad secundum respondet Bañez, quòd licet illæ conditiooes reperiantur vtcumqoe in aqua, non tamen in tanta perfectione, quanta requiritur ad hoc, vt sit medium, & subiectum soni secundùm suum esse reale sumpti, vt constat ea his quæ ad confirmandam assertionem adduximus.

Ad confirmationem constat ex dictis, nam lebes in puteum immissus causat sonum : Tum ratione aëris in poris illius existentis : Tum ratione aliquarum particularum eiusdem aëris, quæ vnà cum lebete descendunt, & statim ascendunt : & ideò soleot aliquæ campanulæ in superficie eiusdem aquæ statim apparere. Ad illud autem de remigiis patet etiam ex dictis, quamuis in his sit etiam alia specialis ratio, ex eo quod altera ea parte aërem externum contingunt.

QVÆSTIO IV.

Quodnam sit subiectum, & medium soni secundùm suum esse intentionale sumpti?

QVia sonus non solùm habet esse reale, & oaturale, sed etiam intentionale mediantibus speciebus : ideò postqoam de medio, & subiecto eius secundùm esse naturale egimus : restat vt explicecemus quodnam sit medium, & subiectum eius intentionaliter sumpti, ac proinde per quid, tanquam per medium species audibiles ad auditum perueniant.

Quæstionis iuxta Aristotelis & Tuis Thomæ doctrinam decisio.

§. I.

39. Dicendum ergo est: sonum secundùm suum esse intentionale sumptum recipi tanquam in subiecto & medio, non solùm in aëre, sed etiam in aqua, & illi corporibus similibus: secùs in corporibus terrestribus, & densissimis, quatenus talia sunt. Ita Arist. in hoc 2. lib. text. 79. pro contraria sententia quæstione præcedenti adductus, dicens: *Auditur in aëre & in aqua, sed minus in aqua.* Vbi. D. Th. lect. 16. his verbis: *Dicit medium in quo sonus auditur, est aër, & aqua, sed minus auditur in aqua, quàm in aere.* Vbi vt num. 36. notauimus apertè loquuntur de medio soni secundùm suum esse intentionale: & cum eadem sit ratio de aqua, & de aliis corporibus, ei similibus, vt experientia docet, planè ibidem innuunt etiam prædicta corpora esse subiectum & medium idoneum soni secundùm suũ esse intentionale sumpti: cùmque aquæ ac proinde prædictis corporibus rationē suæ grossitiei denegant, quòd sint medium ita aptum ad species audibiles, sicut aëri: etiam ibi denotant corpora valdè densa, crassa & terrestria non esse quatenus talia medium, & subiectum soni secundum suum esse intentionale, quandoquidem sicut grossities, & densitas tollunt à corpore rationem medij valdè idonei ad deferendas species audibiles. Ita si hæc multum crescant, tollent simpliciter ab eisdem corporibus, vt sint subiectum, & medium simpliciter aptum ad deferendas species audibiles, vsque ad auditum.

40. Quod etiam docuit idem Aristoteles 4. de historia animalium cap. 8. vbi inquit, pisces sub aquis audire. Vndè Angelicus Doct. in præsent. lect. 17. sic inquit: *Quidam autem libri habent, in aqua non audimus, quod est contra illud, quod dictum est, quod audimus in aere, & in aqua, & contra id, quod Philosophus dicit in libro de historia animalium, quod animalia audiunt in aqua, licet enim aqua non ingrediatur ad interiorem aërem, tamen potest eum commouere, & sic imprimere ei speciem soni.*

Ratio autem potissima, & fundamentalis huius assertionis est illa, quam Aristot. & D. Thomas innuunt: scilicet aërem, & aquam, & alia corpora his similia habere sufficientem raritatem ad hoc, vt possint esse medium aptum ad species audibiles deferendas, secùs verò corpora, quæ sunt densissima vt talia: vnde illa, non verò ista habuerunt rationem medij, & subiecti, respectu prædictarum specierum.

41. Et confirmari potest experientia, quã tam Aristot. quàm D. Thom. adducunt, de piscibus sub aquis audientibus, nam si foras strepitus fiat, fugiunt: quam tamen fugam non arriperent, nisi strepitum illum audirent, ergo signum erit aquam esse medium idoneum ad audiendum, & consequenter corpora fluida aquæ similia, & multo magis aërem in hoc ipsum habere, vt experientia docet.

Nec refert, si occurras, quòd fugiunt, ea eo, quòd vident homines v. g. in littore: nam contra hoc est, tum quòd si foras non sit strepitus, sed silentium, sæpè non fugiunt. Tum etiam quia si aqua sit perturbida, & crassa ad videndúmque inepta, nihilominus fugam arripiunt. Vnde Plinius lib. 10. naturalis historiæ cap. 70. refert, fuisse in piscinis cæsaris aliquos pisces adeò perfecti auditus, vt haberent propria nomina eisdem imposita, & vocati venirent: tunc autem satis constat, quòd minimè sonus realis, sed solùm intentionalis, seu per species in aqua recipiebatur, quandoquidem ea eo quod quis in littore loquatur, non est necesse, quod realis & naturalis commotio in aquis fiat: Si autem sonus secundùm suum esse reale & naturale in illis subiectaretur, non posset non prædicta commotio ibidem interuenire.

Proponuntur & soluuntur aliqua argumenta contra prædicta.

§. II.

42. Sed obiicies primò Aristot. In hoc 2. lib. cap. 8. text. 76. constituisse diuersitatem inter sensum auditus, & odoratus, quod medium auditus est aër, odoratus verò aër, & aqua, Confirmatur, nam text. 82. diffiniens sonatiuum inquit: quod sonatiuum est motiuum aëris: at ibi fit sermo de immutatione secundùm esse intentionale, quia loquitur de immutatione medij ad sensationem deseruiente, quæ quidem est immutatio intentionalis: ergo, &c.

Nec satisfacit id, quod Simplicius respondet, scilicet Aristot. solum ibidem loqui de medio, quod est aptissimum ad hoc munus, non verò de omni illo, quod simpliciter habet rationem medij. Vnde non mirum, quòd solum aërem nominauerit, quippe cum elementum istud sit aptissimum ad hoc, vt per modum medij immutetur per species intentionales soni.

Nam contra hoc est: Tum hinc fieri nullam remanere differentiam inter medium auditus, & odoratus, nam etiam aër est aptissimum medium odoratus maximè respectu eorum animalium, quæ olfaciunt respirando, vt habetur text. 98. eiusdem capitis. Tum etiam, quia ex eo quòd Aristoteles diffinierit colorem, vt est immutatiuus intentionaliter visus, per hoc, quòd sit motiuus perspicui: colligimus ipsum non solùm loqui de medio aptissimo coloris intentionaliter sumpti, sed etiam de medio adæquato illius: ergo etiam ea eo, quod diffinierit sonatiuum per hoc, quòd sit motiuum aëris, debemus colligere illum loqui de medio adæquato eiusdem soni, vt per species intentionales diffunditur. Patet consequentia: quia sicut accidens dum diffinitur per subiectum debet per adæquatum subiectum diffiniri: ita dum diffinitur per medium, oportet vt per medium adæquatum diffiniatur.

43. Secundò obiicies: quòd si quis claudatur in cubiculo densissimis parietibus vndique clauso, nihilominus audit externum sonum: ergò falsò dictum est, corpora densissima non esse medium ad deferendas species audibiles vsque ad auditum.

Nec satis erit, si cum aliquibus dixeris, nunquam inueniri apud nos corpus aliquod adeò densum, quin in eo sint pori aëre pleni; & ita per illos poterunt species ad auditum peruenire. Nam contra hoc est; nam si quis clauderetur in cubiculo, cuius parietes essent ex terra purè elementali, in qua nulli sunt pori; nihilominus si paries ille magno impetu percuteretur, tunc strepitus indè resultans, intra cubiculum illum audiretur: tunc etiam quia licet prædicti pori in corpore densissimo admittantur, nihilominus non poterunt per eosdem species audibiles ad auditum deferri; & ratio est, quoniam prædicti pori sunt pauci, & minimè linea recta constituti; & ideò species per multos anfractus deberent transire antequam possent ad auditum peruenire: ergò cùm auditio citissimè fiat, nequibit tunc mediis speciebus per tot tantósque anfractus adeò laboriosè deuenientes elici, sed per alias quæ non per poros, sed per ipsa densissima corpora rectà via deuenirent.

44. Nec etiam satisfacit, si cum Caietan. addas: nunquam medium, quod apud nos est, tanta soliditate gaudere,

gaudere, quin in eo sint, non solum aliqui pori valdè exigui, sed etiam aliquæ timulæ, & partes valdè porosæ, per quas aër intrinsecus & extrinsecus coniungantur, sicque sonus percipi possit.

Non itaque hoc satisfacit: Tum, quia non redditur sufficiens ratio propter quam necesse sit talia foramina in quouis corpore inueniri: ergo cùm aliunde experiamur: quod in quouis cubiculo clauso externum sonum audimus, poterit satis probabiliter deduci quodlibet corpus, quantumuis densum esse medium aptum ad deferendum sonum secundùm suum esse intentionale: Tum etiam, quia actio, qua sonus producit species in medio, est subtilior, quàm actio calefatiua ignis, cùm sit spiritualior quàm illa; sed ignis potest calefacere per medium satis densum, quale est ferrum, aut æs, quia actione sua subtili illud intimè penetradit; ergo multò meliùs sonus per spiritualem suam actionem hoc ipsum poterit præstare.

Ad primum, benè respondetur ibidem; nam sicut aliqua scientia potest diffiniri per suum obiectum principale: ita obiectum sensus, potest etiam diffiniri per medium principale, & potissimum per quod eundem sensum immutat: aër autem est medium aptius ad immutationem intentionalem soni, vt Arist. in præf. cap. 4. & D. Thom. ibid. lect. 16. docent. Cæterùm, cum hoc stat, vt benè notauit Caiet. vt ibidem virtute contineantur cætera alia media, per que sonus intentionaliter diffunditur: nam appellatione principalis medij virtualiter veniunt cætera.

45. Et primam probationem in contrarium neganda est sequela: nam licet demus aërem esse etiam aptius medium respectu odoris; & olfactus; nihilominus ad hoc vt audiatur sonus, necessarius est aliquis aër; ille saltem qui intra ipsam autem residet; & ideò homo v. g. existens sub aquis audit quandiu aqua intra anfractus aurium non ingreditur: & vbi primo illud ingreditur, cessat auditio. Cæterùm, ad olfaciendum non est ita necessarius aër, neque aqua olfactionem ita impedit, & ita Philosophus ad hoc attendens, assignauit discrimen illud inter vtramque potentiam.

Ad secundam verò probationem, concesso: antecedemi neganda est consequentia; nam perspicuum secundùm ea, quæ exprimit, dicit rationem quandam ex se indifferentem ad aërem, & ad aquam; & ideò in diffinitione coloris positum, sumitur pro eodem perspicuo, prout vtrumque claudit: aër autem secundùm ea, quæ expressè importat, solùm exprimit aërem, & ita positum in diffinitione soni sumitur pro eodem aëre, licet non qualitercunque, sed quatenus est principale medium auditus, quia secundùm se id habet. Cæterum vt nuper dicebamus, cum hoc stat, vt virtualiter & indirectè extendatur etiam ad alia media, ex eo quod assignato præcipuo medio alicuius obiecti, & potentiæ, virtualiter ibidem, & indirectè cætera alia veniunt.

46. Ad secundum legitima est solutio Caietan. ibidem data: Vndè si quis intra cubiculum confectum ex densissimis parietibus, vndique clausis, & sine prædictis foraminibus esset, non posset audire externum sonum, vel aliorum corporum, vel illum, qui ex forti percussione eorumdem parietum resultaret. Et ad primam probationem in contrarium dicendum est, satis probabiliter colligi à posteriori danda esse prædicta foramina, ex eo quod immutatio intentionalis, non est ita fortis, vt possit penetrare corpora quantumuis densa. Per quod etiam ad secundam probationem constat, quoniam hoc quod est, penetrare, & velut penetrare corpora, quantumuis dēsa, non prouenit à maiori abstractione à materia, quam actio intentionalis habet, sed à maiori vigorositate in agendo, quamuis prædicta abstractio conducat ad hoc, vt per medium non ita densum, sed habens eam raritatem, quæ aquæ & aliis similibus corporibus communis est, deferri possit.

QVÆSTIO V.

Quomodo deferatur sonus per medium vsque ad auditum.

47. Explicuimus in quæstionibus præcedent. quod sit subiectum, & medium soni; explicemus oportet, quonam modo per illum ad potentiam vsque auditiuam deferatur; an nimirum idem sonus realis, & secundùm suum esse reale semper, & necessariò vsque ad auditum deducatur: an verò solùm ad aliquam distantiam; & rursus vtrum vsque ad hanc distantiam idem prorsus sonus minimè in se multiplicatus deferatur: an verò ita deducatur, vt vnus sonus realis producat alium, & ille alium, &c. Et tandem vtrum ab hac sola distantia, in qua definit esse secundùm suum esse reale, & naturale, incipiat effundere species intentionales: an verò indè, vbi sic dicamus, primò producitur; immittat prædictas species ad potentiam; ita vt medium, aut secundùm se totum, aut à prædicta distantia vsque ad potentiam sit simul affectum sono reali, & naturali, ac speciebus illius. Non loquimur autem de sono, quando inter ipsum, & potentiam solùm media aqua, v. g. quæ solius immutationis intentionalis capax est: sed quando mediat aër, qui per vtramque immutationem immutari potest.

Refertur, & refellitur duplex sententia.

§. I.

48. Prima sententia asserit requiri ad perceptionem soni, quod secundùm suum esse reale pertingat vsque ad organum auditus. Ita Auicen. lib. 1. natural. cap. de auditu. Simplicius c. 8. huius lib. in quadam digressione contra Alex. Albertus Magnus in summa de Anima tract. de auditu: & quamuis non omnes eadem via sententiam istam defendant: nihilominus quoad id, in quo conueniunt: potest in primis suaderi testimonio Aristot. nam in lib de sensu, & sensibili cum excitasset quæstionem illam: an dum plura animalia dum intra sphæram actiuitatis soni continentur: tunc omnia simul eundem numero sonum audiant; verò diuersum: respondet non omnia audire eundem sonum secundùm numerum, sed tantùm secundum speciem: ergo sentit quod ad hoc vt sonus auditur, necesse sit eum peruenire secundùm suum esse reale, vsque ad auditum.

Patet consequentia: quoniam alioquin nihil obesset ad hoc, vt omnia animalia eundem numero sonum perciperent, siquidem idem met sonus secundùm numerum posset producere plures species repræsentatiuas in singulis auribus eorundem: & ita idem met numero audiretur: sicut, quia color mediis præcisè speciebus intentionalibus videtur, ideò idem numero color à pluribus & innumeris oculis videri potest.

49. Secundò probatur ratione: nam flante in contrarium vento non percipimus sonum, quem percepissemus, si ventus non esset, vel versus nos flaret: ergo signum est, ad soni perceptionem requiri, vt ad nos secundùm suum esse reale perueniat. Patet consequentia, quia aliàs sicut ventus vehemēs in con-

trarium flans non impedit visionem coloris, vel quod color sui species per medium diffundat sic nec impediret quominus species soni ad nos tunc peruenirent: ac proinde nec quod prædictum sonum perciperemus.

50. Secunda sententia inquit, non esse necessarium, quòd sonus realis vsque ad auditum multiplicetur, sed solùm vsque ad aliquam distantiam, & hanc multiplicitatem esse maiorem, vel minorem iuxta maioritatem, vel minoritatem soni primò producti: quia ab hoc producitur alius, & ab isto alius vsque ad dictam distantiam: ita tamen, vt nunquam in eodem medio, in quo sonus secundùm suum esse reale fuerit, sit etiam intentionaliter per species. Pro hac sententia refert Rubius, Caietan. cap. 8. huius libri. Et Conimbr. ibidem quæst. 2. & plures alios, suppressu taman eorum nomine.

Et quidem quoad priorem partem, scilicet non requiri ad hoc, vt sonus audatur, quod secundùm suum esse reale, vsque ad auditum deferatur; constabit ex impugnatione præcedentis sententiæ quam statim adducemus. Quoad secundam verò nimirum sonum, modo dicto multiplicari secundùm suum esse reale, & naturale, ex dicendis num. 55, & sequentibus, patebit. Quoad vltimam autem, videlicet sonum ab ea solummodo parte medij, in qua non est realiter, & naturaliter, diffundi intentionaliter: suadetur primò, quia aliàs eo ipso, quòd esset sonus intra sphæram actiuitatis auditus posset, & deberet istantaneè audiri. Hoc autem est contra apertam experientiam. ergo sonus non immittit species à prima sui productione, sed post aliquam temporis morulam, cùm primò secundùm suum esse naturale desinit in medio multiplicari.

Sequela patet: nam cùm species intentionale instantaneè perueniant vsque ad auditum, ex eo quod nullum habent contrarium: fit inde, vt si sonus ab initio suæ productionis se intentionaliter per medium diffundit: tunc species instantaneè ad auditum accedant: ac proinde in eodem instanti audito eliciatur. Falsitas autem consequentis etiam liquet: nam si quis à longè videat alium in sylua percutientem arborem, tunc priùs videt contactum securis ad arborem, & paulò post audit sonum: hoc autem satis conuincit sonum non audiri statim, ac est, sed post illam morulam, quæ intercedit inter visionem illius percussionis, & sonum ipsum: quæque tanta esse videtur, quanta illa, quam sonus in sui multiplicatione secundùm suum esse reale consumit.

51. Secundò, quia alias quiuis sonus directus bis audiretur, sed hoc est apertè falsum: siquidem experimur, sonum nō nisi mediante sono reflexo, seu echo bis audiri: ergo, &c. Sequela patet; nam si sonus in principio sui esse diffundit species vsque ad auditum, & hæc diffusi debet esse instantanea, vt modò dicebamus: fiet inde, quod cùm sonus delatus per medium vsque ad illam distantiam adhuc duret, possit nouas à se immittere species, per quas transacta prima auditione in instanti facta, iterum atque iterum audiatur, imò & infinities auditiones multiplicentur, cùm in toto illo tempore, in quo durat sonus secundùm suum esse reale vsque dum vltimò perueniat ad istam distantiam, in qua desinit, dentur infinita instantia, nec non infinitæ partes proportionales, & auditio in quauis ex his partibus, & in quolibet instanti possit exerceri.

Vtraque tamen sententia falsa est: Prima quidem: nam in primis est contra Arist. & Angelicum Doct. vt ex statim ex dicendis patebit. Deinde contra sequentem rationem ex vtroque desumptam. Quia fieri nequit, sonum aliquem produci medio secundùm suum esse reale, & naturale sine percussione reali, & naturale eiusdem medij: sicut impossibile est, produci impulsum sine motu proiicientis, vel proiecti, aut vtriusque: at non videtur possibile, quòd Petro, verbi gratia loquente, tunc parua illa percussio aëris, & adeò debili instrumento facta habeat vim ad commouendum, & collidendum totum illum aërem, qui est in omni illa distantia, in qua ipsius vox auditur: ergo, &c.

52. Confirmatur, nam si duo homines distarent ab aliquo alio loquente, ita vt vnus aliquantulum minus quàm alter esset ab eo distans: tunc si necessarium est, sonum ad auditum vsque pertingere, non simul vocem alterius hominis loquentis ambo perciperent. Hoc autem est contra manifestam experientiam: ergo, &c. Sequela patet: quia priùs tempore non qualicunque, sed perceptibili mouerentur partes proximiores aëris quam remote, & priùs in illis, quàm in his sonus efficeretur, atque adeò priùs tempore perceptibili audiretur sonus ab eo, qui aliquantulum à loquente distabat. Falsitas autem consequentis satis est perspicua, quandoquidem videmus, vtrumque multoties simul moueri ad nutum, & imperium loquentis: quod quidem apertè indicat, vocem illius ab vtroque simul auditam fuisse, vel saltem quòd ille qui minùs distabat, prædictam vocem posterius tempore perceptibili non audiuit.

53. Secunda verò sententia quoad vltimam eius partem etiam corruit: tum quia non minus quàm præcedens est contra Philosophum, & D. Thomam vt ex supradictis, & statim dicendis constabit: tum etiam, quia contra eam sequens ratio ex eodem Philosopho, & S. Doctore deprompta, vrget: nam sonus statim ac producitur, ac proinde vna cum aëre resiliente statim ac mouetur, est proprium per se sensibile auditus: ergo eo ipso modo sibi proportionato diffundit species sui vsque ad illum, si intra sphæram suæ actiuitatis contineatur, vt supponimus. Antecedens est euidens, consequentia verò probatur, quia omne agens naturale non impeditum, & approximatum passo rectè disposito, necessariò producit effectum suæ virtuti proportionatum; sed sonus est agens naturale respectu diffusionis sui per species intentionales, & passum, scilicet medium, nec non, & auditus sunt rectè disposita, & approximata, vt supponitur; ergo sonus statim ac producitur, immittet species sui per medium vsque ad auditum.

54. Confirmatur, & explicatur ratione, quam insinuant idem Arist. & D. Thomas, quoniam ideo lux statim ac est, immittit species sui, quia tunc est proprium sensibile visus, habetque omnia requisita ad hanc immutationem, & propter eandem rationem sonus iuxta oppositam sententiam potest se intentionaliter diffundere, postquam cessat eius diffusio, & communicatio secundùm suum esse reale & naturale, quia eodem proportionali modo habet rationem proprij sensibilis respectu auditus; ergo cum idem sonus statim ac producitur, & cum aëre resiliente mouetur, habeat etiam rationem proprij sensibilis auditus: non poterit non tunc intentionaliter se diffundere.

Consequentia patet: tum ex paritate rationis, tum etiam quia si aliquid obesset, quo minùs cùm se communicat secundùm suum esse naturale, nequeat se intentionaliter per species diffundere. Secùs verò cùm cessat communicatio secundùm prædictum esse naturale; maximè, ut simul medium haberet in se, sonum; tàm secundùm esse naturale; quàm secundùm esse intentionale, hoc autem

nullum

nullum est inconueniens, siquidem idem medium benè potest habere aliquid sensibile, secundùm vtrumque esse iam dictum, vt patet in luce, quæ multoties est in medio tam secundùm esse naturale, quàm secundùm esse intentionale, vt ex se, & ex iam dictis disput. 10. num. 10. & 60. constat: ergo, &c.

Arist. & D. Thom. sententia defenditur.

§. II.

55. Dicendum ergo est, sonum secundùm esse reale, & naturale communicari per medium; & hanc communicationem esse maiorem, vel minorem iuxta maiorem, vel minorem violentiam primæ percussionis; non tamen esse necessarium ad hoc, vt audiatur, quòd secundùm prædictum esse pertingat vsque ad auditum. Cæterum cum hoc stare, vt statim ac producitur, & cum aëre resiliente, & cum recipiente mouetur, habeat etiam diffundi per species intentionales modo sibi proportionato vsque ad eundem auditum.

Diximus modo sibi proportionato, quia cum sonus incipiat per motum, & cum motu; atque adeò successiuè, non potest non successiuè cùm primò (vt sic dicamus) producitur, se intentionaliter diffundere, quamuis postquam iam productus est, & aliquantulum durat, valeat si intra debitam distantiam, immutare instantaneè, & intentionaliter prædictum auditum. Ita Aristot. & D. Thom. locis relatis & statim referendis; quos sequuntur Zanardus in hoc. 2 lib. q. 32. Bañez 1. part. quæst. 78. art. 3. tract. de auditu, dub. 4. inquiens esse communem sententiam discipulorum D. Thomæ, & aliis Conimb. in hoc 2. lib. cap. 8. q. 2. art. 2. Suarez 2. tom. summæ Theologiæ tract. 3. lib. 3. cap. 21. & alij plures.

Assertio hæc, quoad secundam & tertiam eius partem, scilicet non requiri ad hoc vt sonus audiatur; eum secundùm suum esse reale & naturale multiplicari, & pertingere vsque ad auditum, constat ex his, quæ ex Aristotele & D. Thoma num. 51. & 52. diximus. Quoad primam verò, nimirum sonum multiplicari, siuè communicari secundùm suum esse naturale vsque ad certam aliquam distantiam; ac proindè hanc communicationem esse maiorem, vel minorem iuxta maiorem vel minorem percussionem, per quam sonus primò productus est. Probatur ex Aristot. hoc 2. lib. cap. 8. text. 78. & 80. & D. Thoma ibidem lect. 16. vbi apertè concedunt, sonum secundùm suum esse reale, & naturale communicari, & ex hac communicatione posse, vt quæst. seq. explicabimus, formari realem, & naturalem sonum directum, & deinde reflexum, qui dicitur Echo.

56. Confirmatur ex D. Thom. in 2. dist. 2. q. 2. art. 2. in solutione ad quintum, vbi sic ait: *Quædam sensibilia deferuntur ad sensum secundùm esse spirituale tantùm: sicut species colorum: quadam quæ contingunt organum secundùm suum esse materiale, sicut in gustu & tactu: quædam verò deferuntur vtroque modo sicut species odorum cum permixtione fumalis euaporationis; tamen species extenditur vltra fumalem euaporationem, & similiter est de sono & motu.*

Secundò probatur ratione desumpta ex Aristotele loco citato, & D. Thom. ibidem lectione 16. quæ potest sub hac forma proponi, nam collisis duobus corporibus, & ex hac collisione, & resilientia aëris medij generato sono, potest aër ille tanto impetu resilire, vt commoueat, & percutiat ita fortiter aliam partem aëris proximiorem, quantum requiritur ad nouam generationem soni, & sic de aliis iuxta maiorem, vel minorem violentiam primæ percussionis per quam sonus primò generatus est. Ergo tunc sonus diffundetur, & communicabitur secundùm suum esse naturale, ita vt nouus sonus generetur vsque ad illam distantiam, vsque ad quam possunt fieri percussiones adeò fortes.

57. Consequentia patet; antecedens autem probatur, & explicatur optimè à Diuo Thoma exemplo iacti lapilli in aquam, ex vi cuius mouetur aqua in gyrum; ita vt primò fiat voica gyratio parua per quam aqua fortiùs commouetur, & ex vi illius fiunt aliæ, & aliæ maiores, licet motus, ac commotio aquæ sit minor, & ita ait: *Considerandum est, quòd generatio soni in aëre consequitur motum aëris, vt dictum est: sic autem contingit de immutatione aëris apud generationem soni, sicut de immutatione aquæ quando aliquid in aquam proijcitur; manifestum est enim quod fiunt quædam regyrationes in circuitu aquæ percussa, quæ quidem circa locum percussionis sunt parua, & motus est fortis; in remotis autem regyrationes sunt magnæ, & motus debilior. Tandem motus totaliter euanescit, & gyrationes cessant; sic igitur intelligendum est, quod ad percussionem corporum sonantium aer in gyrum mouetur, & sonus vndique diffunditur, & in vicino quidem gyrationes sunt minores, sed motus fortior: vnde & sonus fortius percipitur; in remotis autem gyrationes sunt maiores, & motus debilior, & sonus obscurius auditur, tandem autem deficit totum.*

58. Confirmatur, & explicatur ratione depromptа ex Phil. in præsenti text. 79. S. Doct. ibidem, nam corpora concaua benè sonant ex eo, quod intra illa ex vi prioris percussionis multiplicantur ictus, & generationes soni; ergo signum est, sonum posse vsque ad certam aliquam distantiam secundùm suum esse reale, & naturale diffundi, & multiplicari. Consequentia patet. Antecedens autem probatur ab Arist. loco citato nam vt redderet rationem, quare corpora concaua benè sonant, & melius quàm alia, sic ait: *Concaua autem ex refractione multos post primum ictus efficiunt, dum quod motum est, exire non potest.* Vbi D. Thomas: *Concaua autem etiam percussa, benè reddunt sonum, quia in eis aer concluditur, & cum illud, quod primò motum est, non potest statim exire, percutit ulium aëreum, & sic ex repercussione fiunt multi ictus, & multiplicantur sonus.*

Obiectio notanda, & solutio illius.

§. III.

59. Sed obiicies, si sonus multiplicaretur secundùm suum esse reale & naturale per medium; tunc omnes illis soni denuò geniti audirentur: at non omnes audiuntur, sed solus ille, qui ex vi solius primæ percussionis generatur; ergo signum est, hunc solummodo produci. Maior cum consequentia satis constat, minor autem probatur; quoniam ille tantùm sonus auditur, cuius distantia simul cum illo per eundem auditum percipitur, sicut solus ille color per visum attingitur, cuius distantia vnà cum illo videtur: sed per auditum tantùm percipitur sonus in ea distantia, in qua prima percussio, & collisio corporum facta est; & ideò licet commotio aëris sit tanta, vt perueniat ferè vsque ad auditum, non sentitur sonus in ea distantia, quæ est propè auditum; ergo solus ille sonus, qui per primam percussionem fit, audietur.

Confirmatur, nam si sonus secundùm suum esse reale, & naturale diffunderetur, ac proindè tota illa sonorum collectio audiretur; fieret inde, vt sentiremus illam paulatim languescentem; hoc autem est falsum, & contra experientiam; ergo, &c.

Sequela probatur; nam ita perciperemus sonos illos sicut in se sunt, & multiplicantur; at prædicti soni ita essent, & multiplicarentur, vt primus sonus esset vehementior, & secundus non ita vehemens, & sic de aliis, donec tandem omnes deficerent: ergo sic illos seorsim deficientes, & languescentes audiremus. Minor autem probatur; nam si duo corpora fortiter, & subitò se collidant, tunc subitò auditur sonus, & dum durat subita illius auditio, tunc sentitur sonus in eademmet intensione, ita vt auditus non percipiat illum languescentem, vt experientia docet: ergo, &c.

60. Ad hanc obiectionem respondetur concedendo maiorem, & negando minorem, si omnes illi non sint ita exigui, vt nequeant auditum, vel absolutè, vel in ea distantia immutare: & ad probationem concedenda est maior de cognitione saltem imperfecta distantiæ cuiuslibet soni: & neganda minor, si de cognitione imperfecta eiusdem distantiæ intelligatur; ac proinde, neganda est consequentia.

Explicatur hoc; etenim auditus, qui est imperfectior visu, licèt percipiat distantiam, non tamen perfectè, sed imperfectè; & ita nisi videamus contactum corporum se collidentium, nescimus in quonam situ, mathematicè loquendo, sonus ille sit; vnde cum prædicti soni denuò geniti, quique per auditionem directam percipi possunt, parum distent à priori, & vnum sonum modo statim explicando cum eo efficiant; ideò licet distantia eorum sonorum, qui audiuntur, vtcumque percipiatur, non tamen perfectè, sed imperfectè, & propterea non discernitur in quonam situ mathematicè loquendo sint. Cæterùm quia ille, qui ex vi solius primæ percussionis fit potior, & in virtute talis percussionis cæteri fiunt: ideò dum durat tunc distantia eius, meliùs cæteris paribus per auditum percipitur.

61. Ad confirmationem respondetur; quod licèt aliquando prima facie, & re non attentè considerata; videatur quòd sonus secundùm se totum, id est tam secundùm primum, quàm secundùm alios sonos denuò genitos, & tunc durantes in eadem intentione auditur; nihilominùs si attentiùs id experimento comprobetur, inuenietur, non nihil minoris intensionis in fine illius esse, & ita propè finem aliquantulum obscuriùs sonum audiri, vt ex D. Thoma, qui curiosissimè omnes has experientias obseruauit numero 57. dicebamus. Hoc autem clariùs cernitur in sono resultante ex collisione, & percussione corporis concaui; nam licèt semel tantum ab alio corpore duro, & solido percutiatur, tunc aër intra existens solet tali impetu resilire, vt faciat alios ictus, & minores alij soni audiantur. Vnde si aliquando hæc minor intensio non sentitur, poterit prouenire ex eo, quòd sit adeò parua, vt auditu non discernatur, sicut vna albedo potest metaphysicè loquendo esse intensior, quàm alia, & in vna parte subiecti habere esse intensius, quàm in altera, & nihilominus hic excessus esse ita exiguus, vt non discernatur per visum.

Adde, confirmationem hanc etiam vrgere contra omnem aliam sententiam: nam in quauis dici debet sonum paulò antè sui desitionem esse minorem ratione minoris commotionis corporis resilientis, & nihilominus propter rationem dictam non semper id perfectè sentitur.

Enodatio argumentorum vtriusque sententiæ initio adducta.

§. IV.

62. AD primum primæ sententiæ respondetur, Aristotel. solum velle, quod sæpè non omnes contenti intra sphæram alicuius soni audiunt eundem numero sonum. Cæterum hoc potest oriri ex eo, quòd aër, in quo est tantùm vnicus sonus diuidatur; & ad diuisionem ipsius, sonus fiat multiplex; & consequenter iuxta diuersitatem situs, & distantiæ, & ratione aliarum circumstantiarum recurrentium poterit contingere, quòd ad auditum vnius animalis perueniant species vnius soni, non verò alterius, & è contra; atque adeò percipiant diuersum numero sonum, quamuis ipse secundùm suum esse reale, & naturale ad aures vtriusque non pertingat.

Ad secundum respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam; nam id potest aliundè prouenire, scilicet ex eo, quod sonus ipse realis fortè extrahatur per ventorum agitationem extra sphæram actiuitatis respectu alicuius auditus in certa aliqua distantia constituti, vt suprà tetigimus, & ita nequit ad illum species intentionales immittere, ac proindè nec audiri.

Ad primum secundæ sententiæ, quo vltima eius pars suadetur, neganda est sequela vniuersaliter intellecta: Tum quia sonus fit cum motu, & per motum, atque adeò successiuè, & ita non poterit instantaneè se diffundere: Tum quia licet postquam sonus ex vi solius primæ percussionis factus iam est productus, possit idemmet saltem secundùm aliquas sui partes simul durare; nihilominus si multum ab auditu distet, nequibit species sui intentionales ad illum in instanti immittere, vt in experientia in hoc argumento adducta apparet.

Et ad probationem in contrarium dicendum est, quòd licet species intentionales non habeant positiuum contrarium; nihilominus ratione resistentiæ negatiuæ subiecti debilis, vel non ita fortis virtutis actiuæ, ex eo quod vel in se sit tenuis, vel passum sit multum distans ab illa, potest contingere, vt effectus vel absolutè impediatur, vel non nisi cum difficultate, ac proindè cum aliqua retardatione fiat. Cæterùm, in quo consistat hæc resistentia negatiua, & quomodo sit sufficiens ad retardandum, vel impediendum effectum; & tandem qui prædicta resistentia appellLetur negatiua, iam supra in lib. de Generat. disp. 8. q. 3. explicuimus.

63. Ad secundum neganda est sequela, & ad probationem dicendum est, quòd licet quiuis ex illis sonis paululum duret, nihilominùs postquam sui species immisit ad auditum alicuius animalis, semper saltem quantum est ex parte sua, conseruat easdem species in prædicto auditu, non verò nouas alias ei immittit; & ideò sicut percipitur per easdem species continuatè immissas: ita per eandem numero auditionem toto illo tempore durantem; non verò per multiplicem, & vnam post aliam auditur.

Adde, quod vt benè notauit Bañez vbi supra, omnes illi soni directi, qui simul in eodem aëre continuo, & continuatè extiterint, efficiunt vnum, & eundem numero sonum: sicut cùm calor per medium multiplicatur, omnes illi calores, qui in vno, & eodem subiecto continuò, & continuatè inueniuntur, efficiunt vnum, & eundem numero calorem, & ita non solùm quiuis ex illis sonis, sed etiam omnes illi soni partiales non audiuntur per multiplicem auditionem interruptam, sed per vnam, & eandem continuatam

tinuatam. Diximus,omnes illi soni directi,qui simul io eodem aëre continuò, & cootinuatè extiterint, &c. vt denotemus sonum esse facilè dissipabilem, & multoties contingere, quòd ille, qui ex vi solius primæ percussionis factus est, pereat, manentibus tamen aliis sonis partialibus: tuoc autem vt constat,nequit constituere vnum sonum totalem cum illis, quamuis qui remanent, non aoittant tunc suam vnitatem numericam, dummodò priori sooo modo dicto succedant,& io eodem subiecto continuo,& continuatè inhæreant. Quia soous ob sui imperfectionem non petit maiorem coosistentiam, simultatem, & vniooem ad hoc, vt idem numero censeatur. Cæterùm, io quo sensu prædicti soni, sint partiales,& an à se,& intra propriam liocam, an verò à quantitate, & vtrùm hoc ipso quòd sint in eadem quantitate, & ab illa continuatè extendantur, sint vnum quid, & plures, ac grauissimæ difficultates hinc emergentes constant ex his, quæ in simili in libro de Geoerat. disp. 5. à quæst.3.vsque ad 7. diximus.

QVÆSTIO VI.

Quomodo sonus reflexus generetur?

HVcusque de sono directo egimus, vbi etiam plura, quæ souo reflexo, qoi echo dicitur,commonia suor, explicuimus: Quare circa sonum tantùm restat aliqua explicare, quæ vel sunt propria soni reflexi, vel necesse est maioris claritatis gratia ea illi expresè veluti appropriare, & ita ad hoc præsentem quæstionem excitamus.

Iuxta Aristot. & D. Thom. mentem quæstionis difficultas expeditur.

§. I.

64. DIcendum est primò, sonum reflexum, qui dicitur echo, fieri per regressionem soni secundùm suum esse reale,& naturale, ex eo quod aër motus, & deferens sonum inoeoit aliquo corpus, præcipuè si sit concauum, quod ei obsistat, quodque sit causa, vt io contrarium reflectatur. Ita Aristor. in hoc 2.lib. text.80. his verbis: *Echo autem fit, cùm ab aëre vno facto propter vas determinans,& probibens diffundi: iterum aër repellitur sicuti sphæra.* Vbi D. Thomas lectione 16. postquam dixit id, qood in præced. quæst. tetigimus, scilicet sonum secundùm suum esse reale, & naturale diffundi, ingyrum per medium ad eum modum,quo iacto lapillo in aqua, fiuot gyrationes quædam in principio quidem minores, & deinde maiores: ita vt si ante quam motus aquæ cesset, gyrationes illæ aliqood obstaculom ioueoiant: tunc fiant gyrationes in contrarium, & tanto vehementiùs, quanto propinquiùs fiunt primæ percussioni, & refractioni in corpore obsistenti,statim addit: *Sic igitur intelligendum est quod ad percussionem corporum sonantium aër in gyrum mouetur, & sonus vndique diffunditur si autem antequam huiusmodi gyrationes deficiant, fiat reuerberatio aëris sic moti,& sonum deferentis ad aliquod corpus, gyrationes reuertentur in contrarium, & sic auditur sonus quasi ex aduerso, & hæc vocatur echo, quod præcipuè fit, quando illud obstans ad quod repercutitur aër motus est aliquod corpus concauum quasi quoddam vas determinans & concludens aërem in sua vnitate,& ideo probibens ipsum diuidi,tunc enim ille aër sic vnitus, & commotus, quia non potest vlterius motum protendere propter corpus obstans,percutit iterum aërem à quo percutiebatur & fit motus in contrarium,sicut accidit quando aliquis proiicit pilam, quæ hic sphæra dicitur, & inueniens obstaculum retro resilit.*

Idem etiam docet Philosophus in sect.11.Problem. quæst.13. vbi postquam inquisierat, quare vox prolata sæpè amittat formam, & eam iterum per reflexionem audiamus,respoodet, quòd vox resonandi similis primæ efficitur per reflexionem, & ita Aristotelem & D.Thomam sequuntur Flandria in breui recol. super lib. de Anima ad lect.16.D.Thom.Conimbr.io hoc 2. lib.cap.8. quæst.2. art.2. Bañez 1. part. quæst.78. art.3. dubit. vlt. Suarez 2. tom. summæ Theologiæ tract.3. lib.3. cap.20. numero 4. referens Auicen. Philoponum, & Albertum, Commentatorem Ægidium, & alios.

65. Ratio est autem fundamentalis huius assertionis non aliunde desumitur, quàm ex dictis quæst. præced.& ex his,quæ ex Arist. & D.Thom. modo addidimus,quæ potest sub hac forma proponi: quoniam generatio soni fit eo proportionali modo, quo iacto lapillo in aquam fiunt gyrationes orbiculares io illa, vt nuper dicebamus: sed hoc ipso quod huiusmodi gyrationes inueniant aliquod corpus obsistens, tuoc reuertuntur in contrarium, ac proinde generantur gyrationes quædam reflexè,per aquas aqua priùs mota retrò resilit;ergo eo ipso quod aër deferens sonum,& secundùm prædictas gyrationes motus inueniat aliquod corpus obsistens, reuertuntur io cootrarium gyratiooes illæ, mediis quibus defertur sonus, ac proinde aliæ gyratiooes reflexè soousque reflexus in degenerabitur.

Proponuntur, & diluuntur aliqua argumenta contradicta.

§. II.

66. SEd obiicies primò, quod si echo generatur ex eo, quod aër deferens sonum secundùm suum esse reale, inueniat aliqood corpus obsistens, ratione cuios retrò resiliat, non poterit non semper audiri echo, seu sonus reflexus; hoc autem est contra manifestam experientiam: ergo, &c. Sequela patet, quia semper adest corpus obsistens,& prohibens,quod aër ille motus & deferens sonum vltra progrediatur, ex eo quod prope finem motus non habet tantam vim, vt possit impellere aliud corpus, vel aliam partem eiusdem aëris;& ita ab illis detinetur ne vltra progrediatur, ac proindè non potest non ailquantulum retrò resilire.

Secundò obiicies,qnod si soous reflexus generatur modo dicto, neque esset idem, neque diuersus à sono directo,& per consequens nec esset possibilis. Antecedens quoad priorem partem patet, qoia connaturaliter peteret fieri per motum contrarium, & directè oppositum motui per quem causaretur motus directus, ac proinde non esset idem cum sono directo. Quoad secundam verò partem videtur constare,quoniam idcò soous,qui primò producitur,& multiplicatur per medium est, (vt supra dicebamus) idem numero, quia est in eodem subiecto contiouo, sed sonus ille reflexus est in eodem subiecto continuo cum sono directo,quippè qui defertur,& recipitur in eodemmet aëre retrò resiliente: ergo,&c.

67. Tertiò obiicies, saltem vocem reflexam oon posse generari, ex eo quod vox directa, quæ est sonus animalis, defertur, secundùm suum esse reale vsque ad aliquod corpus obsistens, & inde retrò resiliat; quoniam res non habentes animam, & instrumeota necessaria ad vocis geoerationem, non possunt efficere sonum articulatum, & distinctum io syllabas: ergo neque corpus impediens, neque aër percutiens

ipſum, aut alium aërem poterunt cauſare ſonum, qui fit in echo, ſeu voce reflexa, per quam ſæpè audiuimos voces integras, & diſtinctas.

Confirmatur argumento Toleti in præſenti q.22: nam experimur, quòd tuba quantumcunque à lingua moueatur, non poteſt diſtinctè vocem exprimere: ergo neque aër percutiens murum; vel alium aërem, aut murus ipſe obſiſtens, & percuſſus, poterit producere ſonum, ſeu vocem in ſyllabas diſtinctam, qualis eſt vox reflexa.

68. Ad primum reſpondetur, verum eſſe generari ſonum reflexum, quoties ſonus directus generatur, non tamē ſemper ſentiri & apparere: ſicut quoties generatur lux, fit etiam aliqua reflexio ipſius, non tamen ſemper apparet, & ſentitur. Quæ ſolutio ſumitur ex Ariſt. in hoc 2. lib. text. 80. his verbis: *Videtur autem ſemper fieri echo, ſed non certus, qui accidit in ſono, ſicut & in lumine; etenim lumen ſemper repercutitur, nec enim fieret penitus lumen, ſed tenebra extra locum à ſole illuminatum.* Vbi D.Th. lect. 16. oſtendit, quomodo diuerſimodè echo fit, & dicit: *Quod videtur per fieri echo; ſed non ſemper fit certus, id eſt manifeſtè perceptibilis, & hoc oſtendit per ſimile. Dicit enim, quod accidit in ſono, ſicut in lumine: lumen enim ſemper repercutitur, ſed quandoque quidem eſt manifeſta repercuſſio luminis, quandoque autem non niſi à corporibus opacis fieret repercuſſio radiorum ſolis, non fieret lumen penitus, id eſt in qualibet parte aeris ſuperioris hemiſphæri; ſed vbique eſſent tenebræ extra ſolem, id eſt, extra loca, ad quæ directè perueniunt radij ſolares.*

Cur autem non ſemper fiat manifeſta repercuſſio luminis prædicta, ac proindè nec repercuſſio, ſeu reflexio ſoni, explicat idem Philoſophus in verbis ſtatim ſubſequentibus, dicens: *Sed non ſic repercutitur, ſicut ab aqua, aut aëre, aut, & ab aliquo alio leuium.* Quæ verba ſic explicat idem Doctor Angelicus loco citato: *Manifeſta quidem eſt repercuſſio luminis, quando repercutitur ab aliquo corpore fulgido, ita quod cum quadam claritate fiat luminis repercuſſio ſimili modo primæ luminis emiſſioni. Immanifeſta autem eſt percuſſio luminis, quando repercutitur ab aliquo corpore opaco, quia huiuſmodi percuſſio fit ſine claritate & radiorum emiſſione; ſimiliter autem quando repercuſſio ſoni fit ad corpus concauum,* (id eſt, ad corpus habens ſaltem aliquas concauitates, & alias conditiones ſupra inſinuatas) *in quo natus eſt multiplicari ſonus, fit echo certus, id eſt, manifeſtè comprehenſibilis. Quando autem ad alia corpora fit reuerberatio ſoni, quæ non ſunt nata multiplicare ſonum, non fit echo manifeſtus.*

69. Ad ſecundam reſpondetur cum D. Thoma in præſent. cum Comment. & Bañez loco citato ſonum illum reflexum, & directum ſecundùm ſuum eſſe reale ſumptum diſtingui numero, cuius optimam rationem tradit Bañez, quia nimirum ſtat, quod iam ſit omninò terminata prior vox, quando auditur echo, & ita non poterit continuari cum præcedenti ſono directo.

Ad tertiam reſpondetur, quòd licet res inanimatæ non habeant ſecundùm ſe virtutem ad formandam vocem, & per conſequens neque ad efficiendum eum ſonum, qui in reflexione illius percipitur: attamen vt motæ ab animali poſſunt vocem formare, ſeu aliquid ſimile illi, & ita corpus impediens non cauſat illum ſonum dearticulatum, ſed aër, qui ab animali fuerit dearticulatè percuſſus regrediens propter repercuſſionem factam in corpore impedienti percutit alium aërem cum ſimili de articulatione, & in virtute animalis.

Vnde modus, quo generatur echo, hic eſt, ſcilicet, quod aliqua pars aëris moueatur immediatè ab animali motu quodam dearticulato, & quaſi diuiſo, ita vt ſonus ipſum conſequens ſit etiam in ſyllabas diſtinctus: deinde iſta pars aëris retinens rationem prædictam motus, percutit aliam partem, & format atque diſponit illam eodem modo, & ita per varias inundationes & percuſſiones multiplicatur iſta forma motus, & ſoni ipſum conſequentis, quouſque finiatur vis impulſus, aut inueniatur aliquod obſtaculum, quo poſito illa pars aëris; quæ cum violentia tangit latera corporis continentis, & obſiſtentis, & repulſa ab ipſis lateribus eodem modo inundant, reuertitur, & format alterum aërem ſibi occurrentem, & ita generatur ſonus iſte, ſeu vox reflexa.

70. Ad confirmationem patet ex his, quæ in ſolutione ad primum, & pro noſtra aſſertione ex Ariſt. & D.Th. diximus, nec non ex his, quæ modo in ſolutione præced. argumenti tetigimus, quomodo ad hoc, vt generetur vox reflexa, quæ eſt ſimilitudo quædam, & impreſſio vocis directæ, requiritur, tum quòd præcedat vox ipſa directa: Tum etiam corpus obſiſtens, & debitè diſpoſitum; ac proindè cum conditionibus iam inſinuatis, quæ omnia in caſu illo confirmationis non inueniuntur, & ita ſi hæc non deeſſent, poſſet vox reflexa, & modo dicto generari.

Sed vrgebis primò quod pars aëris, quæ patitur reflexionem à corpore impediente amittit propriam figuram, & formationem, & formatur iuxta figuram corporis, à quo reflectitur, quandoquidem hoc eſt commune rebus fluidis, vt facilè recipiant alienam terminationem, & figuram, vt ex dictis iam in lib. de Gener. quam in hoc opere conſtat. Ergo pars illa cum regrediens percutit alium, iam non habet dearticulationem, & per conſequens nequibit in illa parte, quam percutit, cauſare dearticulationem.

71. Reſpondent aliqui non pertingere vſque ad corpus obſiſtens totum aërem, qui habet dearticulationem, neceſſariam ad integram vocem, ſed ſolum priorem partem eiuſdem aëris, in qua priores ſyllabæ continentur, & ita illa amittit antiquam formationem, & recipit aliam; & pars aëris, quæ continet vltimas ſyllabas, non attingit corpus obſiſtens, & ideò poteſt manere cum antiqua formatione, & percuſſa alia parte regredi iuxta modum explicatum formando aliam partem aëris. Cuius ſignum eſſe poterit, quod in echo ſolùm audiantur vltimæ ſyllabæ, quia partes aëris, in quibus continebantur priores ſyllabæ, amiſerunt antiquam figuram, & formationem.

Sed non placeat ſolutio, nam ſi paulatim proferantur ſyllabæ, tunc etiam poſt reflexionem ſeruat aër priorem formationem: ergo non ſemper pars attingens obſtaculum deperdit formationem, quam habebat.

72. Vnde aliter reſpondetur, quòd non ſemper pars attingens corpus obſiſtens amittit priorem formationem, ſed ſolùm quando propter magnam diſtantiam, facilè deſinit eſſe illa formatio, quoniam etiam deſinit eſſe impetus neceſſarius ad retinendum aërem in illa figura, & formatione. Ratio autem, ob quam ſolùm audiuntur vltimæ ſyllabæ, non obſtante quòd pars aëris attingens corpus obſiſtens, retineat priorem formationem; eſt quoniam pars aëris continens vltimas ſyllabas, eſt proximior auditui, & ita impedit perceptionem primarum ſyllabarum. Cuius ſignum eſt illud, quod iam tetigimus, ſcilicet, quod ſi paulatim proferantur ſyllabæ, tunc omnes audiuntur ſi tamen reflexio in debita diſtantia fiat.

Secundò vrgebis, quod ſi ſonus reflexus cauſatur à directo, ſeu ab aëre, vt deferente illum non audietur echo poſtquam omnino terminata eſt vox directa, cuius oppoſitum in ſolutione ad tertium diximus;

timus;ergo,&c. Antecedens probatur,nam causa realis alicuius effectus non debet terminari, & finiri, antequam talis effectus producatur : ergo si sonus directus,& consequenter aër vt debitè agitatus,& actu deferens eundem sonum desinit, non poterit sonus reflexus causari.

73. Respondetur, posse optimè contingere aërem deferentem sonum directum causare sonum reflexum, atque adeò existere, dum illum causat, seu vt meliùs loquamur, dum impellit, & percutit partem aliam aëris, modo iam explicato, & quod nihilominus non audiatur, nisi postquam prædictus sonus directus, terminatus, & finitus est. Nam percussio facta ab aëre deferente sonum directum, fit in instanti, in quo partes illæ aëris iam dictæ se tangunt, & deinde generatio soni fit in tempore, & per motum, ac tandem species audibiles non in instanti, sed per aliquam temporis morulam pertingunt vsque ad potentiam auditiuam : & ita poterit contingere, vt sonus, seu vox directa fit omninò finita, & terminata, quando auditur echo. Quomodo autem per eiuote sono directo, & illa numero agitatione aeris, media qua conseruatur, possit in tempore sequenti produci sonus ex eo, quod prædictus aer, vt agitatione illa motus, & modo iam insinuato consideratus relinquit suam virtutem in alia parte aeris ab eo percussa, constat ea his quæ 2. Phys. disp. 10. sæpius diximus.

Si tamen aliquando corpus obsistens sit propè locum, vbi primò sonus directus secundùm suum esse reale magno impetu formatur, tunc non desinet, quando auditur echo, sed simul duo soni, quorum alter alterum confundat, simul audientur, & ideò soni illi non sunt in eadem parte subiecti, neque inter se continuati, sicut accidit in sono directo, cuius partes modo iam insinuato continentur. Sed de his videantur ea, quæ ferè in simili in 2. lib. Physic. disput. 10. diximus.

Occurritur cuidam interrogationi.

§. III.

74. Sed inquires, vtrùm sicut generato sono reflexo, qui fit sonus realiter distinctus à directo, tunc auditur prædictus sonus, siue echo absque eo, quòd perueniat secundùm suum esse reale ad auditum : ita possit etiam audiri echo; ac proinde, audiri iterum eadem vox, etiam si præter sonum directum, non generetur alius sonus realis, sed auditio illa fiat mediis speciebus reflectentibus ab aliquo corpore obsistente, vsque ad auditum.

Respondet Bañez, quem sequitur Suarez loco citato, & alij, non esse contra doctrinam Diui Thomæ nuper traditam, quod licet echo formetur, & audiatur modo ab eodem S. Doctore explicato nihilominus possit, etiam aliter audiri, scilicet non producto alio sono reali, & reflexo, sed solum mediis speciebus reflectentibus ab aliquo corpore obsistente, & deinde auditum immutantibus, & ita tunc vox illa apparebit vt duplex, cum tamen reuera non sit nisi vnica.

75. Ratio autem huius decisionis sumi potest ex similitudine, & affinitate, quæ est inter visum & auditum, ac proinde inter species visibiles, & audibiles. Nam si potest dari visio reflexa mediis solis speciebus reflectentibus ac speculo vsque ad visum absque eo, quod obiectum visibile multiplicetur, & fiat duplex numero : cur non poterit idem numero sonus nunc directè, & statim reflexè mediis speciebus reflectentibus audiri?

Nec refert, si obiicias primò, inde fieri, quod non sentiretur sonus reflexus vt existens propè corpus obsistens, sed vt existens vltra illud, cuius oppositum experientia docet : ergo, &c. Sequela patet, nam obiectum visibile mediis speciebus reflectentibus ab speculo; & per visionem reflexam videtur in profundo speculi, & quasi vltra illum, ex eo, quod inspicitur media prædicta reflexione, seu modo opposito visioni directè, atque adeò si per visionem directam videri debeat, vt existens ante speculum, & in ea distantia, ita per visionem reflexam videndus est opposito modo, & in eadem proportionali distantia quasi existens vltra speculum, vt experientia docet : ergo hoc ipsum posset, & deberet cum proportione in perceptione soni mediis speciebus reflectentibus contingere.

76. Non itaque hoc refert, quoniam sicut species visibiles directæ, & earum obiectum excedunt species audibiles, & proprium earundem obiectum, ita etiam superant illas quoad modum repræsentandi reflexè distantiam obiecti. Vnde, quia proprium est specierum visibilium, vt perfectè repræsentent distantiam obiecti, atque adeò hoc ipso, quod reflectantur, repræsentent illam modo illo repræsentandi, qui in hac obiectione tangitur, & probatur; propterea species audibiles cadentes ab hac perfectione nequeunt proprium obiectum modo illo reflexo perfectè repræsentare, sed vt existens prope, siue contiguè ad corpus obsistens.

Accedit, quod in speciebus visibilibus maximè conducat ad hanc repræsentationem reflexam, quod corpus vnde reflectuntur, sit perspicuum perfectè politum, quale est speculum purum : & propterea si speculum non sit purum, non repræsentatur obiectum visibile in profundo ipsius, & vltra illud in ea proportionali distantia secundùm quam est ante speculum, sed in externa, aut propè externam eius superficiem versus profundum eius speculi, vt experientia docet. Quare cùm ad reflexionem specierum soni, non occurrat corpus obsistens ita tersum, nec eius tersitas possit conducere ad repræsentationem reflexam, similis conditionis ac est illa, quæ in speciebus visibilibus quoad hoc reperitur, quia non habent quoad hoc eam proportionem, quam species visibiles & speculum retinent, vt ea proprijs earum naturis, & ex his, quæ experimur : constat : fit inde, vt quoad hoc diuersimodè in speciebus visibilibus, & audibilibus philosophandum sit.

77. Nec etiam refert, si secundò obiicias, constate euidenti experientia, quòd sonus directus, & reflexus non auditur simul, sed successiuè vnus post alium : ergo illæ auditiones non fiunt per solam reflexionem specierum. Patet consequentia, quia species non reflectuntur, nisi dum adest sonus secundùm suum esse reale, ex eo quod ab eo in esse, fieri, & conseruari dependent : ac si idem sonus realis, & non realiter multiplicatus, & numero distinctus semper perseuerat, semper audietur auditione directa : quia semper, & continuò emittit species directas vsque ad auditum. Ergo non percipietur duplici auditione, quarum vna sit directa, & alia reflexa, & per aliquam temporis morulam subsequuta post directam.

Confirmatur, quia ad summum hinc sequeretur eundem sonum simul, & semel audiri, ac si esset multiplex, non verò multiplici auditione, quarum vna succedat post aliam, cuius oppositum multoties experimur. Patet sequela, nam si idem numero sonus immittit species reflexas vsque ad auditum, immittet etiam simul directas : quia versus omnem partem diffunditur. Ergo ad summum sentietur simul, & semel idem sonus, ac si esset multiplex, ex eo, quod per

per diuersas species, & per diuersam lineam ad potentiam pertingentes perciperetur: sicut accidit in oculis, quorum vnus digito eleuetur supra alium, nam tunc immutatur per diuersam lineam ab obiecto visibili, & ideò obiectum illud apparet duplex, cum tamen reuera non sit nisi vnicum.

78. Non igitur hoc obest, quoniam licèt echo solùm percipiatur media reflexione specierum audibilium, & hæ in fieri, & conseruari à sono dependeant, potest nihilominus idemmet sonus iterum atque iterum auditione directa, & reflexa, nec non, & successiuè sentiri. Tum quia potest contingere, vt sonus ille sit secundùm suum esse reale intra sphæram auditus, dum semel auditur auditione directa, & quòd statim à ventis agitetur, & extra illam extrahatur, ac proinde cesset auditio directa, & tandem quod sic extractus emittat species, quæ per reflexionem in aliquo corpore obsistente redeant statim vnà cum aëre, in quo deferuntur ad sphæram auditus, & illum modo iam insinuato immutent, & ita idemmet sonus post auditionem priorem directam, quæ iam cessauit, poterit iterum auditione reflexa sentiri.

Tum etiam, quia licet sonus secundum suum esse reale perseueret intra sphæram auditus, & gratis dato quòd non producatur alius numero sonus reflexus, qui persistat desinente sono directo: nihilominùs poterit mediis speciebus reflexis, iterum sonus ille auditione reflexa sentiri, si in eo casu contingat quod aër, in quo defertur sonus secundùm suum esse reale adeò lentè, & imperfectè pertingat vsque ad corpus obsistens, vt nequeat retrò resiliendo producere alium sonum reflexum, quamuis maneat cum sufficienti agitatione, & impulsu ad hanc, vt paululum, & imperfectè sonus directus in eo conseruetur. Nam tunc ex quo capite sonus est debilis, & debiliter immutat, poterit contingere, vt per immutationem directam non possit immutare sufficienter ad hoc, vt percipiatur: & ex quo capite species reflexæ sunt talis conditionis, vt multoties faciant apparere obiectum, cùm tamen ad id species directè non valeant peruenire poterit tunc finita auditione directa, & transacto breuissimo illo tempore, quod species reflexæ consumunt, antequam ad potentiam accedant, percipi per auditionem reflexam idemmet sonus, qui adhuc in rerum natura licet debilis persistit. Nam sicut lumen reflexum magis sentitur, & splendidius, ac magis apparet, quàm directum, licet multoties non sit splendidius: ita species reflexæ possunt attentis omnibus esse rationes sentiendi & percipiendi obiectum, ac proinde faciendi, vt tale obiectum appareat potentiæ, quamuis id non possint species directæ præstare, ex eo quod deficit illis aliqua modificatio, quæ in speciebus reflexis reperitur.

Quod potest etiam explicari exemplo visus, nam sicut per visum solet attingi aliquod obiectum visibile mediis conspicillis, quod tamen sine illis non videretur, quia in eis species magis solent vniri, vel refrangi, & taliter modificari, vt deseruiant ad visionem: ita ex refractione specierum audibilium in aliquo corpore habente debitas conditiones, possunt sic vniri, & modificari, vt possint deseruire ad auditionem reflexam alicuius obiecti: cum tamen species tunc ab eodem obiecto directæ immissæ non possint ad id deseruire. Videantur ea, quæ ferè in simili lib. de Generatione disp. 8. n. 16. & 17. diximus.

79. Ex quo etiam patet, quòd etiam si sonus secundùm suum esse reale non pertingat ad corpus obsistens, nihilominus possit idemmet sonus iterum atque iterum, & successiuè mediis solis speciebus reflectentibus percipi, ex eo quod species directæ ita debiliter informent potentiam, vt non possint esse ratio percipiendi directè suum obiectum, secus verò species reflexæ propter rationem tactam: si quando tamen contigerit, vt species directæ & reflexæ, simul & per distinctam lineam informent sufficienter auditum, atque adeò in distinctis partibus eiusdem auditus recipiantur, tunc non auditur idem sonus per auditionem directam, & reflexam, ita vt vna sit post aliam, sed simul audietur idem sonus, ac si esset multiplex, & perturbata quadam ratione: quamuis possit contingere, vt taliter res disponantur, quòd in fine auditionis ita languescat sonus, vt per auditionem directam nequeat audiri, benè tamen media reflectione, ita finales syllabæ vocis reflexæ post auditionem directam audiantur. Per quod ad confirmationem satis patet.

QVÆSTIO VII.

Quodnam sit organum, & subiectum proprium auditus.

80. VT clariùs in hac quæstione procedamus, oportebit, de officina potentiæ auditiuæ aliqua breuiter delineare, vt sic clariùs innotescat, in qua parte illius proximè auditus resideat. Inter has autem occurrunt nobis primò aures quæ institutæ sunt à natura propter eum proportionalem finem, propter quem supra oculos, pilos superciliorum instituit: nam sicut hos supra illos collocauit, vt eosdem oculos, in quibus modo iam dicto potentia visiua residet, defenderent ab aliquibus iniuriis, quæ sæpè occurrere solent, ita eadem natura posuit aures ante organum auditus, vt hoc sit eis vallatum, & munitum contra plures iniurias, quibus molestare poterat.

Et sicut aures deseruiunt ad prædictum munus, ita interna ipsarum via, per quam ad auditum tenditur, est plena anfractibus, & obliquitatibus, & disposita veluti in modum labyrinthi, vt in his anfractibus aër ipse commotus refrangatur, & auditus nullum ex tali commotione damnum patiatur. Nam si sonus in aëre rapido delatus concurreret magna vi, & quasi directè sensum, non posset non aliqua læsio in illo inde resultare.

81. Nec solùm via hæc est plena prædictis obliquitatibus, & anfractibus, sed insuper debuit esse valdè angusta, ne pateret auditus aquæ, aut alteri rei externæ, quæ temperiem organi auditus læderet: & ob eundem finem collocatus est in eis à natura humor quidam densus, & viscosus, vt si fortè aliquæ bestiolæ præsumerent, hanc viam percurrere, tunc in eadem hærentes manerent, faciléque capi possent, & propterea iter, seu foramen hoc solet foramen cæcum nuncupari, quasi per ipsum ad internas partes organi auditus non pateat aditus.

82. Cæterùm quamuis via hæc sit adeò angusta, nihilominùs desinit in quandam concauitatem quasi orbicularem, quæ quidem plena est substantia quadam spirituosa & aërea, animata tamen, & ideò prædicta substantia solet nomine aëris insiti insigniri. Et vt meliùs substantia hæc adeò subtilis, ac proinde facilè dissipabilis conseruaretur, propterea instituit natura pelliculam quandam, qua operietur illa eius medietas, quæ existit versus externam partem aurium, quæ quidem pellicula solet nuncupari membrana, vel miringa, aut tympanum, quia cum tympano similitudinem habet. Sustinent autem membranam hanc tria ossiuncula, quorum vnum simile est incudi duobus veluti pedibus innitenti, aliud verò malleolo, aliud denique stapedæ, reliquum verò aliarum concauitatum

rum ante pelliculam hanc existentium, est plenum aëre, qui iuxta multorum sententiam (de quo alibi) cum aëre externo continuatur.

Et sicut sopra de organo visus diximus, quod est pendens à neruo quodam descendente à cerebro, sic hoc ipsum in præsenti, proportione tamen seruata, de organo auditus dicendum est, quoniam à cerebro vsque ad concauitatem dictam, siue dextram, siue sinistram descendit quidam neruus, per quem spiritus animales à cerebro ad potentiam descendunt, & species etiam sensatas sonorum ad sensum communum & internum transmittuntur.

Ex mente Aristot. & D. Thom. statuitur, auditum subiectari in substantia quàm aërea intra tympanum aëris inclusa.

§. I.

83. Dicendum ergo est primò auditum residere proximè tanquam in organo, & subiecto in substantia illa aërea, & spirituosa iam dicta, quæ intra aures animalis reperitur. Ita Aristot. de sensu, & sensato, lectione 5. apud D. Thom. his verbis: *Manifestum, quod si oportet secundùm hunc modum attribuere, & assignare vnumquodque sensitiuum vni elementorum, oculi quidem visiuum aquæ existimandum, aëris verò sonorum sensitiuum.* Vbi Diuus Thomas. *Quia alij Philosophi organa sensuum quatuor elementis attribuebant, ideò quasi in hoc condescendens dicit, quòd suppositis his quæ dicta sunt de visu, oportet secundùm quod aliqui dicunt vnumquodque sensitiuorum, id est organorum sensus attribuere alicui vni elementorum, sicut alij fecerunt. Existimandum est, quod visiuum oculi attribuendum sit aquæ, sensitiuum autem sonorum sit attribuendum aëri.*

Idem etiam tenet Philosophus in hoc secundo lib. text. 82. vbi inquit: *Auditus autem connaturalis est aëri, propter id autem quod in aere est, &c.* Quæ verba sic explicat D. Thom. ibidem lect. 17. *Ostendit quod aer appropriatur organo auditus: dicit ergo primò, quod auditus connaturalis est in aëre, ita quod sicut humidum aqueum conuenit instrumento visus, ita aer conuenit instrumento auditus.*

Vnde hanc sententiam tuentur Galenus lib. 4. de vsu partium cap. 6. vbi ait: *Alteratur non à quouis sensibilis omne sensorium, sed splendidum quidem, & lucidum, à coloribus, aëreum à sonis.* Flandria in breui recol. super 3. librum Aristotel. de Anima ad lect. 17. Diu. Thom. super eundem librum. Caietanus in præsent. cap. 8. quæst. vlt. Conimbric. ibidem quæst. 4. Rubio tractat. de sensu auditus, quæst. 6. Suarez 2. tom. summæ Theologiæ, tract. 3. lib. 3. cap. 22. & communiter Philosophi.

84. Probatur primò ratione desumpta ex Aristot. & D. Thom. in præsenti, quæ potest sub hac forma proponi. Nam organum & medium auditus debent quantum fieri possit, habere maximam affinitatem, sed medium præcipuum auditus est aër: ergo organum, & instrumentum illius debet esse substantia quædam aërea. Consequentia patet, nam substantia hæc magnam habet affinitatem cum aëre, quandoquidem in ea aër prædominatur. Minor verò constat ex dictis.

Maior autem probatur tum ex Aristot. text. 82. iam citata, vbi ex affinitate, quæ debet esse inter medium, & organum auditus, colligit, quòd si medium illius, scilicet aër externus, mouetur à sono intentionaliter, quod etiam internus, qui est instrumentum auditus, debet etiam per se loquendo ab eodem sono intentionaliter immutari, & ait: *Auditus autem connaturalis est aëri, propter id autem, quod in aëre est, moto exteriori, & qui intus est, mouetur.* Quod etiam docet Diuus Thomas ibidem lectione 17. dicens: *Et hoc ideò, quia si attribuatur aër instrumento auditus, sequitur quòd eadem passio soni erit in aëre, exterius moto, & in aëre qui mouetur intus, & est instrumentum auditus.* Ob affinitatem nimirum, quæ est inter organum, & medium alicuius sensus.

Tum etiam sequenti ratione, nam sicut medium potest immutari intentionaliter ab obiecto, quia habet talem, vel talem dispositionem, ita etiam illud, quòd fuerit pars animalis sentientis, & in debita proportione habuerit similem dispositionem, erit valdè accommodatum ad hoc, vt per modum organi ab eodem obiecto immutetur, atque adeò inter organum & medium sensus debet quantum fieri possit, esse maxima affinitas, & similitudo.

85. Confirmatur ratione, quam insinuat idem Aristotel. & Diuus Thomas, nam ideò animal non audit per quamlibet corporis partem, quia non in quolibet earum reperitur prædicta substantia aërea, & similiter ideò intra aquas audit dum hæ non ingrediuntur vsque ad aërem insitum, seu dictam substantiam aëream, & illam lædunt, à contra verò hoc ipso quòd ad illam accedant, & ipsam lædant, statim cessat auditio, quia prædicta substantia dissipatur, vel debitá temperiem amittit. Ergo signum est substantiam illam esse proprium, & connaturale organum auditus. Consequentia cum antecedenti ex se videntur patere, & insuper vtrumque docuit Aristoteles textu citato, vbi vt redderet rationem, propter quam aër insitus, seu substantia aërea in auribus inclusa, sit organum auditus, sic inquit: *Quamobrem animal qualibet sui parte non audit, neque quouis permeat aër, neque enim vbique habet aërem pars mouenda, & animata.* Et text. 84. *Quo fit, vt etiam in aqua audiamus, quoniam non penetrat in ipsum natiuum aerem, sed ne in aurem quidem propter anfractus, quòd cum contigerit, non audit.*

86. Vnde Diuus Thomas ibidem lectione 17. volens ostendere, prædictam substantiam esse organum auditus, ita ait: *Et ideò animal non audit in qualibet parte sui corporis, quia non habet in qualibet sui parte aërem, vt qualibet pars eius possit esse mouenda à sono, &c. Et adeò ex prædictis manifestum est, quod in aqua auditus fit, ita duntaxat quod aqua non ingrediatur ad ipsum connaturalem aërem, quem dixit ædificatum esse in auribus, sed neque etiam in aurem ingrediatur propter reflexiones, quæ prohibent introitum aquæ in aurem, sed cùm hoc accidit, quòd aqua scilicet ingrediatur ad naturalem aërem, non audit animal propter corruptionem aeris, qui est necessarius ad audiendum sicut etiam si corrumpatur humidum pupillæ ex immissione alicuius extranei impeditur visio.*

Confirmatur secundò ratione Aristot. & D. Thomæ, nam prædicta substantia aërea habet vltra illa duo, quæ in præcedenti ratione, & confirmatione explicata sunt, proprietatem aliam, scilicet quod est expers totius soni, vt ita omnes differentias sonorum possit percipere: ergo erit valdè accommodata ad hoc, vt sit organum auditus.

87. Antecedens probant Arist. in hoc 2. lib. text. 83. & D. Thomas ibidem lectione 17. ex eo qood aër non est subiectum soni secundùm suum esse reale, nisi quia contunditur inter corpora solida, & inde fortiter resilit, & mouetur: at aër, qui est connaturalis auditui, seu prædicta substantia aërea est firmiter ædificata in auribus, id est immobilis ibidem per se loquendo persistit, ac proinde per se loquendo non potest ibi esse subiectum soni secundùm suom esse reale, vt ita omnes sonorum differentias possit percipere.

Consequentia autem probatur, nam vltra illa duo

tum

iam enumerata, non videtur aliquid aliud desiderari ad hoc, vt prædicta substantia aërea sit subiectum soni, nisi quod sit expers totius soni realis in eadem realiter recepti. Vnde Diuus Thomas post verba nuper relata statim addit: *Sicut enim humidum aqueum, quod est in pupilla, caret omni calore, vt possit cognoscere omnes colorum differentias, ita oportet, quod aer, qui est intra tympanum auris ob magnam affinitatem, quam habet cum aere elementari, careat omni motu.* Ac proinde omni sono reali, qui in ipso non nisi resiliente, & moto subiectatur, *ad hoc vt possit discernere omnes sonorum differentias.*

Nec refert, si contra rationem hanc & eius confirmationem obiicias, tum quòd etiam aër est præcipuum medium respectu obiecti visibilis, & visus, & nihilominùs organum visus non est substantia aliqua aërea, sed aquea, vt ex dictis disputatione præcedenti num. 91. & 102. constat: ergo ex eo, quod præcipuum medium auditus, & obiecti illius sit aër, non benè colligitur, quòd organum eiusdem auditus debeat etiam esse substantia aliqua aërea.

88. Tum etiam, nam si laboret, aut dissipetur pellicula illa, qua tegitur prædicta substantia aërea, cessabit etiam auditio, & nihilominus non ideò auditus in ea subiectatur. Ergo ex eo, quod lædatur, aut dissipetur substantia illa aërea per ingressum aquæ in aures, & propter hanc dissipationem cesset auditio, non ideò rectè colligitur talem substantiam esse organum auditus. Consequentia cum minori satis videntur constare. Maior autem etiam liquet, & eam docet Aristot. in præs. text. 83. vbi postquam dixit, cessare auditionem propter læsionem illius substantiæ aëreæ causatam ab ingressu aquarum in aures statim addidit: *Neque etiam si membrana ægrotauerit, quemadmodum pellis ea, qua pupilla obtunditur, cum ægrotauerit.* Et ita D.Th. ibidem lectione citata ait: *Et non solùm ex corruptione aeris impeditur auditus, sed etiam si miringa, id est, pellis circumdans aerem, aut aliqua pars coniuncta laborat, sicut etiam visio impeditur, si impediatur pellis pupillæ, quæ continet humorem aqueum pupillæ.*

89. Non itaque hoc refert, nam ad primam probationem dicendum est, ideò in ratione ex Aristot. & Diuo Thoma desumpta, non peti quamcumque affinitatem, & similitudinem, sed quòd quantum fieri possit, organum, & medium auditus, seruata natura vtriusque, sint similia. Cæterùm quia organum visus magis patet externis iniuriis, & in eo debet obiectum visibile tanquam in speculo quodam mediis speciebus apparere, ideò licet præcipuum medium visus sit aër, non verò aqua, debuit prædictum organum non aëreum, sed aqueum esse, quia sic melius duas illas conditiones iam enumeratas habebit: ex eo quod substantia aquea magis spissa est, & difficilius dissipetur, quàm aërea, sicut etiam aptior est ad hoc, vt habeat prædictam rationem speculi respectu obiecti visibilis.

Cæterùm organum auditus non ita patet iniuriis externis, quia auribus, & anfractibus illius, & aliis iam dictis magis munitus est, nec requirit, vt in eo species audibiles reflectantur, aut quod instar speculi respectu earum se habeat & ideò nihil obest, quo minus habeat affinitatem, & similitudinem dictam, cum medio eiusdem auditus. Vnde Aristoteles lectione 4. de sensu, & sensato apud Diuum Thomam, licet concedat medium visus esse tam aërem, quàm aquam, nihilominùs propter hanc rationem attribuit organum visus potiùs aquæ, quàm aëri, dicens: *Quod visus namque est aqua, verum quidem. Non tamen accidit videre secundum quod aqua est, sed secundum quod perspicuum, quod & aeri commune est, sed magis seruabilis est aqua aëre, & magis spissa, quare pupilla, & oculus aqua sunt.*

90. Vbi D.Th. ita inquit: *Attribuitur tamen magis visio aquæ, quàm aëri propter duo: Primo quidem, quia aqua potest magis conseruari, quàm aer, quia aer de facili diffunditur, & ideo ad conseruationem visus conuenientior fuit aqua, quam aer. natura autem facit semper quod melius est. Secundo, quia aqua magis spissa, quam aer, & ratione sua spissitudinis habet, quod in ea per quandam reuerberationem appareat forma rei visæ, & hoc competit instrumento visus, esse autem perspicuum competit medio in visu, eo quod commune est aëri & aquæ, & ideò concludit, quod oculo & pupilla magis attribuuntur aqua quàm aeri.*

Ad secundam verò probationem dicendum est, Aristotelem & nos cum illo non colligere substantiam illam aëteam esse organum auditum ex eo solum, quòd ea læsa, aut dissipata non fit auditio, sed ex hoc, & ex maxima affinitate, & similitudine, quam habet cum medio eiusdem auditus, nam cum substantia hæc aërea, sit pars viua animalis, in qua ita prædominatur aër, vt sit similis illi in subtilitate, & aliis qualitatibus, ac proinde sit satis idonea ad hoc, vt mediis speciebus audibilibus immutetur, & ea dissipata, vel laborante non detur auditio: optimè inde colligitur substantiam hanc esse accommodatam ad hoc, vt rationem organi auditus habeat.

91. Nec etiam refert, si secundò contra rationem factam obiicias, quòd si esset legitima, etiam probaret prædictam substantiam aeream non esse organum auditus animalium aqualitium, sed aliam aqueam, quandoquidem potentia auditiua eorum habet pro medio magis connaturali non aerem, sed aquam, & ita dum intra aquas existunt, connaturalissimè adiunt.

Non igitur hoc refert, quia licet prædicta animalia connaturalissimè in aquis degant, & aqua sit medium valdè connaturale in ordine ad eorum auditum, nihilominùs aer est medium principalius, & indispensabilitet, saltem naturaliter loquendo, requisitum ad hoc, vt prædicta animalia audiant: quia sonus secundùm suum esse reale non potest esse nisi in aere, vt supra num. 32. diximus, atque adeò non potest non intentionaliter diffundi etiam per aerem, vt ad auditum animalium aquatilium perueniat, & ita non mediante aere nequeunt audire, quamuis mediet sola aqua, mediante verò aere, & non aqua audire poterunt, si paulisper supra aquas eleuentur quamuis ob alias ratione, non possint extra illas, nisi paulisper sistere.

92. Nec tandem obest, si vltimò contra secundam confirmationem obiicias Aristotelem in præsenti text. 82. dixisse aerem auribus insitum moueri exteriori aere moto: ergo non est certum secundùm doctrinam Aristot. prædictam substantiam aeream esse firmiter ædificatam, seu immobilem.

Respondetur enim cum Sanct. Thoma, & Simplicio, aerem auris de se esse immobilem ab intrinseco, tamen moueri aliquando ob prauam dispositionem auditus. Hoc autem nihil obstat, vt ex se patet, quandoquidem in subiectis, sensuum, sicut & in aliis rebus non attenditur, nisi ad naturalem dispositionem, quæ per se loquendo eis conuenit. Est autem hæc expositio satis consona verbis Aristot. nam cùm dixisset, aerem illum moueri, subdidit. *Verum ipse sonus alienus est, & non proprius.* Vbi innuit eum motum signum esse deprauati auditus, seu organi illius, quod, vt ipse dixerat, debet esse taliter dispositum, & ædificatum, vt sit immobile.

Ex

Ex mente D. Thomæ resoluitur, auditum subiectari etiam in quibusdam neruis mollibus à cerebro procedentibus.

§. II.

93. DIcendum est secundò, licet prædicta substantia aërea sit subiectum, & organum auditus, non tamen totale, & adæquatum, ex eo quod auditus etiam subiectaeur in neruis mollibus inter se continuatis, & à cerebro procedentibus vsque ad prædictam substantiam aëream in vtroque tympano aurium existentem, vt ferè in simili de visu disputatione præcedenti numero 91. diximus. Ita D. Thomas opusculo 43. de potentiis animæ capite 3. vbi sic inquit: *Auditus est vis ordinata in neruis mollibus, à cerebro procedentibus, ad apprehendendum sonum causatum ex aëris commotione constricti inter percutiens, & percussum.*

Vnde cùm in locis supra citatis dixerit, auditum subiectari etiam in substantia illa aërea iam explicata, sicut etiam in locis disputatione præcedenti numero 91. relatis semel dixerat, de visu subiectari in humore crystallino, & deinde asseruerit recipi etiam in neruis opticis: fit inde, vt sicut circa visum intendit, tam prædictum humorem, quàm neruulos illos esse subiectum, & sensorium adæquatum visus, ita etiam in his duobus dictis, quæ ex eodem S. Doctore adduximus, mens eius erit, quòd etiam auditus subiectabitur tanquam in organo primo, & adæquato; tam in substantia illa aërea, quàm in neruis prædictis, & modo explicato. Nam plures ex rationibus, quibus ibidem ostendimus, visum debere subiectari etiam in neruis opticis, vt ita saluetur sententia Aristotelis vnicum tantum visum in quouis animali constituentem, etiam ostendunt, debere eodem proportionali modo subiectari auditum in prædictis neruis mollibus, & simul in substantia aërea in tympano vtriusque aëris inclusa vt intuenti constabit, & ita necesse non erit, nouas alias rationes ad hanc assertionem confirmandam adduci: hoc pro certo stabilitur à Doctore Matthæo Fernandez libro citato tract. 2. quæst. 1.

94. Nec obstat, si contra omnia ferè, quæ hucusque dicta sunt obiicias; quòd in scissionibus, & diuisionibus anathomici, licet reperiatur prædictus neruus, ossiuncula, & membrana, seu tympanum, vt Besalius lib. 1. de fabrica c. 8. Baluerd. lib. 1. c. 3. notarunt, nihilominùs non inuenitur pars illa aërea, quam sensorium auditus esse diximus, ac proinde ferè cuncta hucusque explicata corruunt, cum omnia illa innitantur in hoc, quòd verè talis substantia in rerum natura detur.

Respondet Suarez loco citato forte id contingere, quia dissoluta vnione corporis, & animæ, pars illa aërea facilè dissipatur, quippè, quæ est valdè subtilis, & facillimè dissipabilis. Vnde licet experimento non sit cognita, nihilominus neganda non erit, cùm ratio conuincat, organum auditus debere esse aëreum: vnde cum cætera, quæ in auribus reperiuntur, terrestria sint, fit inde, vt ponendum sit aliquod aëreum, ad hoc, vt in eo tanquam in organo auditus collocetur.

95. Sed hæc solutio, nisi ampliùs explicetur, non videtur plenè satisfacere: nam cùm animal multoties absque læsione organi auditus pereat, non videtur negandum, quod si statim vsus anathomicæ artis petitè fieret, tunc reperiretur prædicta substantia, quæ licet facilè dissipabilis sit, non tamen sufficienti ratione conuincitur, quòd hoc ipso quòd animal quouis modo, & absque læsione tympanorum auditus moriatur, debeat statim dissipari, quod si multoties vsu anathomicæ artis reperta non est, forte id contigit, vel quia animal illud, dum interiit, habuit aliquam læsionem in illa, vel non ita citò vsus anathomicæ artis exercitus est, & ideò potuit optimè in eo temporis interuallo, substantia illa facilè dissipabilis dissipari. Vnde cum eam dandam esse rationes factæ suadent; non ob id deneganda videtur.

DISPVTATIO XII.

DE ODORATV.

POST tractatum visus, & auditus, subsequitur etiam explicatio odoratus, & aliorum ad ipsum spectantium; nam odoratus est nobilior, quàm gustus, & tactus: tum, quia est minus materialis: tum etiam quia ad maiorem distantiam, quàm illi percipit suum obiectum, vt ex dicendis constabit.

QVÆSTIO PRIMA.

QVID SIT ODOR?

IN quæstionis titulo supponimus reuerà dari in rerum natura odorem, & hunc esse obiectum odoratus: quia id experientia ipsa, quæ est testis omni exceptione maior, satis confirmat: cæterum, quia essentiæ rerum sunt magis reconditæ, & licet odoratus odorem sentiat, nihilominùs non percipit, quod quid est illius, ideò oportet naturam eiusdem odoris, ex cuius cognitione, maximè notitia odoratus pendet, explicare.

Ex mente Aristot. & D. Thomæ difficultas quæstionis expeditur.

§. I.

1. DIcendum ergo est, posse naturam odoris vtcumque explicari, per hoc, quòd sit qualitas secunda ex certo temperamento primarum, in qua siccum comprehendit humidum, causata. Ita Aristoteles & Diuus Thomas in hoc 2. lib. cap. 9. & de

sensu, & sensibili cap. 5. Albertus in summa de homine tractat. de olfactu quæst. 9. Alexander in libro de sensibili cap. de odora, Theophrastus lib. 6. de causis plantarum cap. 1. Conim. in præf. c. 9. q. 2. Rubio tract. de sensu olfactus quæst. 1. Basses 1. part. quæst. 7. art. 3. tract. de odoratu dub. 2. notab. 2. fauet Suar. 2. tom. summæ Theologiæ tract. 3. lib. 3. c. 23. & alij plures.

Cæterum, vt definitio hæc meliùs capiatur, oportebit singulas eius particulas percurrere. Ponitur ergo pro genere ly *qualitas*, vt ita conuenientia odoris cum cæteris qualitatibus, & simul distinctio eius à substantia explicetur: nam teste Philosopho loco citato de sensu, & sensibili, & D. Thoma ibidem lect. 14. prope finem, de intrinseca ratione odoris est, vt sit accidens, quod etiam ratio, quod insinuat D. Thom. de sensu, & sensato lect. 10. suadet: nam cum odor per se habeat esse proprium sensibile odoratus, & substantiæ non sint per se sensibiles, vt disp. 9. num. 4. diximus: fit indè, vt odor non sit connumerandus, inter substantias, sed potius inter accidentia, & non vtcumque, sed ita, vt inter qualitates tertiæ speciei sedem habeat, vt patet ex his, quæ in Logica disp. 14. n. 36. asseruimus, & constat etiam ex Aristotel. de sensu, & sensato lect. 9. apud Diuum Thomam, vbi sic inquit: *De odore verò, & sapore dicendum est ferè enim eadem passio.* Quæ verba sic explicat S. Doctor ibidem: *Assignat duorum causam, primò quidem quare coniunctim de eis sit agendum, scilicet propter eorum conuenientiam, quia vtrumque eorum est ferè eadem passio. Nominat autem vtrumque passionem, quia vtrumque eorum est in tertia specie qualitatis, quæ est passio vel passibilis qualitas.*

2. Additur deinde ly *secunda*, quia odor, vt docet Aristoteles lib. de sensu, & sensibili cap. 5. causatur ex permixtione primarum qualitatum. Quod etiam docuit idem S. Doct. in hoc 2. lib. lection. 19. his verbis: *Dicendum quòd odor, & sapor causantur ex determinata commixtione qualitatum elementarium.* Et ita odor non inter primas, sed inter secundas qualitates connumerandus erit.

Vnde, per hanc particulam denotatur, pura elementa non posse esse odorabilia, atque adeò si aliquando odorem emiserint, tunc non esse in omni sua puritate, sed aliquid mixtionis habere, vt docuit Aristotel. de sensu, & sensibili lect. 12. apud D. Th. vbi sic ait: *Elementa enim inodorabilia sunt, vel ignis, aer, terra, aqua, quia sicca & humida eorum enchyma sunt, nisi aliquid commixtum faciat propter quod, & mare habet odorem.* Quæ verba sic explicat D. Th. *Primò enim elementa omnia, scilicet ignis, aqua, terra carent odore, nisi sit facta aliqua commixtio elementorum, vnde mare habet aliquem odorem, quia in eo siccum terrestre, est admixtum humido aqueo, vt manifestatur, per salsum saporem.*

3. Potestque hoc ratione quam ibidem Arist. & D. Thom. insinuant, confirmari: nam experimur, quod in mixtis reperiuntur varij odores, iuxta diuersas mixtiones, diuersaque temperamenta, quæ in eisdem reperiuntur. Hoc autem satis indicat odores causari ex mixtione primarum qualitatum: ergo, &c. Minor constat, nam si ad odorem non requireretur mixtio, nequaquam pro diuersitate mixtionum diuersificaretur, vt ex se constat.

Ponitur deinde in eadem diffinitione particula illa, *ex certo temperamento, in quo siccum comprehendit humidum causata.* Per quam denotatur, odorem non causari ex quauis permixtione primarum qualitatum, sed præcipuè ex humido, & sicco: ita tamen, vt siccum excedat humidum: nam excessus iste per ly *comprehendit*, significatur. Quod etiam docuit Aristoteles de sensu, & sensibili cap. 5. & D. Thom. ibid. lect. 10. his verbis: *Dicit ergo primo quod manifestum est, & per ea, quæ habent odorem, quòd hæc passio quæ est odor, sit impressa ab enchymo, id est, ab humore imbibito & comprehenso à sicco, vt supra dictum est.* Et rationem reddit: *Primò enim elementa omnia carent odore, quia siue sint humida, siue sicca, sunt sine humore comprehenso à sicco, quia quæ horum sunt humida, habent humidum sine sicco: quæ autem eorum sunt sicca, habent siccum sine humido, nisi sit facta aliqua commixtio elementorum.*

4. Et confirmari possunt omnia hæc, nimirùm odorem peculiariter causari ex humido, & sicco, & non vtrumque, sed ita, vt siccum comprehendat, siue excedat humidum ex eodem Philosophi dicto cap. 5. vbi sic ait: *Ampliùs in eis, quæ metallantur, aurum inodorabile, achimum enim, æs autem odorabile, & ferrum: quando verè exuritur humidum, inodorabiles scoriæ fiunt omnium, argentum verò, & stagnum his quidem magis odorabilia, his verè minùs, aquatica enim.*

Quæ verba sic explicat Diuus Thomas ibidem lectione citata in hæc verba: *Manifestat idem in metallis inter quæ aurum est minimè odorabile, ex eo, quòd caret prædicto humore, quod contingit propter eius magnam terrestreitatem, quæ significatur ex maximo pondere eius, est enim ponderosius cæteris metallis, sed æs, & ferrum est odorabile, quia humidum in eis digestum, est imbibitum à sicco, & non est totaliter ab eo separatum, sicut in auro, vnde & scoria eorum propter adustionem humidi sunt, minus odorabiles, argentum verò, & stagnum, sunt magis odorabilia, quàm aurum, minus verò, quàm æs, & ferrum, habent enim humorem magis aquaticum, & minus comprehensum à sicco, quàm æs & ferrum, quia tamen humiditas eorum aliqualiter comprehenditur à sicco, non sunt penitus absque odore, sicut aurum.*

5. Nec solùm testimoniis Aristotelis & D. Thomæ, sed etiam aliquibus experientiis potest explicari: quomodo ad odorem requiratur, tum certa humiditas: tum etiam siccitas comprehendens humidum: & in primis quoad humiditatem sic ostenditur, nam videmus multa nimis arefacta reddi odorabilia ex admixtione humidi, vt patet in terra, si post diuturnam, & maximam siccitatem aspergatur aqua pluuiali, tunc enim redolet, & postquam diu madefacta est, ita vt humidum in omnibus partibus, comprehendat siccum, non spirat odorem, & similiter videmus, quòd multa odorifera, si nimirum exsiccentur amittunt odorem.

Et deindè, quoad siccitatem comprehendentem humidum, etiam constat, quoniam si res odorifera igni apponatur, tunc maiorem, & iucundiorem odorem solet spirare, quia per calorem magis excitatur, & augetur eius siccitas ex eo, quod ex vi prædicti caloris fit maior decoctio, & resolutio humidi, in proportione tamen debita, sicut etiam quia calor plus in æstate, quàm hyeme vigat, ideò prædicta corpora odorifera solent in æstate magis redolere. Vnde si nimium humectentur, redduntur inodorabilia, & propterea in Ægypto, vt referunt Conimbr. flores non redolent, quia incubat illis roridus, & nebulosus aër à Nilo flumine; è contra verò rosa serenis diebus collecta maioris odoris fragantiam emittit.

6. Ex quo etiam fit, quod in eadem particula innuatur, quænam saltem regulariter loquendo sit causa efficiens, seu virtus proxima actiua odoris, nam cùm proprium temperamentum, ex quo odor causatur, sit illud, in quo siccitas dominatur, & hæc saltem regulariter loquendo non habeat hoc prædominium supra humiditatem, nisi accedat calor, qui humidum decoquat, & attenuet: consequens est, vt saltem regulariter loquendo causæ efficiens odoris sit calor. Quod quidem etiam insinuauit Aristotel.

dictu

dicto capit. 15. dicens: *Et propter hoc frigus, & congelatio, & sapores hebetant, & odores exterminant, calidum enim quod mouet, & generat, auferunt infrigidatio, & congelatio:* Vbi Diuus Thomas lectione citata. *Per frigus, & congelationem sapores hebetantur, & odores extenuantur in quantum per prædicta aufertur calidum, quod generat, & mouet odores, & sapores, vt ex dictis patet.*

Vnde, vt benè notauit Cantarenus lib. 4. de elementis, rosæ ennsitæ iuxta allia solent esse maioris odoris, quia allia terram calefaciunt, & exiccant & ideò rosæ plus inde siccitatis, in debita tamen proportione participantes, habent melius te operamentum ad redolendum, meliusque consequentur redolent: & tandem hinc Alexander Macedo, vt in eius vita Plutarchus scribit, suauem odorem ex membris efflabat, quia erat temperamenti perferuidi, in ea tamen proportione, vt debitè concoqueret & extenuaret humidum, ac proindè siccum prædominaretur quantum ad prædictum odorem requirebatur.

Obiectiones contra prædicta.

§. II.

7. Sed obiicies primò contra priorem particulam, odorem esse vaporem aut exhalationem illam, quam corpora odorifera spirant: ergo non erit qualitas, sed vera substantia. Consequentia ex se constat, quandoquidem vapor, aut exhalatio illa veræ substantiæ rationem habet, & ideò absque adminiculo alterius substantiæ eadem sustentantis sursum ascendit. Antecedens autem probatur: tum ex Arist. sect. 13. Problem. quæst. 15. Vbi eum ita sic inquiteret: *Odor verò fumosa euaporatio est quam ob causam res malè olida, grauius olent cùm calent, quàm cum frigent?* Respondet. *An quod natura odoris vapor quidem, & exhalatio est, qua calore existunt.* Tum etiam ratione, quoniam ab odoribus nutriuntur partes corporis animalis, vt Galenus 2. Aphorismorum docere videtur, vbi inquit in animali, esse duo genera partium, alias solidas, & has cibo nutriri, alias verò tenues, & aereas, inter quas spiritus vitales connumerantur, & harum nutrimentum esse aerem attractum, & odorem: ergo cum vna substantia, non nisi alia nutriatur, fit inde, vt odor nutriens prædictas partes animalis habeat rationem substantiæ.

8. Secundò contra secundam particulam eiusdem diffinitionis obiicies, odorem esse productiuum alterius odoris sibi similis: ergo non erit qualitas secunda, sed prima Consequentia patet inductione facta per omnes, & singulas qualitates secundas. Vnde calor, & aliæ secundæ qualitates, non producunt sibi simile, vt experientia docet. Antecedens autem probatur ex Aristot. in hoc 2. libro text. 117. Vbi inquit, medium pati à sono, & ab odore, & aerem sic pati à re odorata, vt redoleat, quare eum nihil redolere posse, nisi participet realem, & naturalem odorem, quemadmodum, neque esse candidum, nisi candorem habeat, fit inde, vt aer patiens ab odore, vt te doleat, participet ab eo realem odorem, & per consequens iuxta mentem Arist. vnus odor realiter producet alium sibi similem.

Maximè, quia Philosophus eodem modo ait, aerem pati ab odore, à sono, quare eum à sono patiatur participando realem, & naturalem sonum, vt suprà dictum est, non verò quia præcisè recipiat species intentionales eiusdem soni, fit inde, vt etiam patiatur ab odore, recipiendo realem, & naturalem odorem.

Confirmatur, nam si corpora ex se non habentia odorem, opponantur iuxta aliquod corpus odoriferum, tunc redduntur odorifera, & ita parum aquæ redolentis infusum in vas plenum aquæ non habente odorem, reddit totam illam aquam benè olentem, & si aër per hortos rosis, aut aliis floribus plenis pertranseat, tunc aër ipse optimè olet; hoc autem satis indicat odorem esse productiuum sibi similis, quia non apparet alia causa efficiens, quæ in prædictis corporibus odoriferis odorem illum producat.

9. Tertiò contra ea, quæ in explicatione vltimæ particulæ diximus, obiicies: vnam & eandem rem sæpè esse lapidam, atque odoriferam, vt patet in pluribus cibis, qui, & suauissimum odorem à se diffundunt, & simul sapidi sunt: ergo odor non resultat ex prædominio sicci supra humidum. Patet consequentia, quia cùm sapor fiat ex humido, seu ex prædominio illius supra siccum, vt docet Aristot. in hoc. 2. lib. text. 100. his verbis: *Est autem odor sicci, sicut humidi sapor* fiet inde, vt si odor ex sicco prædominante oriatur, quòd in eodem subiecto essent simul sic cum, & humidum sibi inuicem prædominantia, quod quidem apertam inuoluit repugnantiam.

Confirmatur, nam plura corpora nimis humida sunt odorifera, vt patet in aqua stillatitia, non igitur odor ex abundantia, & prædominio sicci debet necessariò causari.

Vltimò obiicies, nam si causa odoris est calidum attenuans humidum, non poterit non in re odorifera calor præeminere; ergo odor non solùm causabitur ex tali permixtione in qua siccum præemineat humido, sed ex tali in qua siccum & calidum dominatum obtineant: ergo diminutè diffinitus fuit odor per hoe, quòd sit qualitas resultans ex certa permixtione, in qua siccum comprehendat humidum. Vtraque consequentia ex antecedenti patet. Antecedens autem etiam liquet, quoniam per actionem caloris non crescit in aliquo mixto siccitas, quin ex vi eiusdem actionis calor saltem in eadem proportione crescat.

Solutio obiectionum.

§. III.

10. Ad primum respondetur negando antecedens, & ad primam probationem dicendum est Arist. non loqui in sensu formali, sed in causali & materiali. Quia nimirum fumalis euaporatio à corpore odorifero spirata, est id in quo odor secundùm suum esse reale, & naturale per medium defertur vt benè notauit Bañes in loco citato, & docet D. Th. de sensu, & sensato lect. 5. Ad secundam verò probationem respõdetur negando antecedens, quoniam vt testatur Aristot. de sensu & sensibili lect. 14. apud D. Thom. odor non nutrit, & ita ait. *Quod autem quidam Pythagoricorum dicunt, non est rationabile nutriri, namque dicunt quædam animalia odoribus.* Quod etiam docet D. Thom. ibidem.

Rationem autem huius assignat idem Philosophus infra loco citato, dicens: *Ad hæc autem, quòd omnibus inest animalibus alimenti capax locus. Vnde trahens accipit corpus, at odoris in capite est sensitorum, & spirabili cum habitu ingreditur, idcircò ad respirantè perueniet locum, quod igitur alimento olfatile, vt olfatile est, nihil conferat, clarè patet,* quam quidè rationem sic explicat. D. Th. *Dicit quòd in omnibus animalibus est aliquis locus, in quo primo recipitur cibus, scilicet stomachus; vnde deriuatur ad singulas partes corporis. Quia vero animalia plurima respirando odorant, si consideremus ipsum odorabile manifestum est quòd sentitur organo circa cerebrũ existen-*

e, vt supra dictum est, ipse autem aer respiratus cum eo odor attrahitur, vadit ad locum respirantium, id est ad pulmonem. Manifestum est autem, quòd in animalibus neque cerebrum, neque pulmo est locus recipiens cibum: vnde manifestum est, quòd odor non nutrit, confortat autem propter immutationem, quæ est a calido, humido, & sicco, & propter delectationem, sicut & malus odor corrumpit, vt supra dictum est.

11. Ad secundam respondetur negando antecedens & ad primam probationem respondetur cum Bañ. & quæstione, & dub. citatis, & Ferrara in præs. quæst. 17. Arist. loqui de aëre non qualicumque, sed commixto cum fumosa illa euaporatione, seu exhalatione à corpore odorifero exhalata, nam aër sic commixtus & ratione prædictæ exhalationis etiam redolet.

Adde, quòd Arist. ibidem præcipuè loquitur de immutatione, & passione intentionali, vnde postquam dixit aërem pati ob odore, statim sibi obiicit, quòd si aër patitur ab illo quod odorabit, & huius obiectioni respondet, vt explicat ibidem D. Thom. *Quòd odorare est sic aliquid pati ab odore quod sentiat odorem: aer autem non sic patitur vt sentiat, quia non habet potentiam sensitiuam, sed sic patiatur, vt sic sensibilis in quantum scilicet est medium in sensu.* Si autem cum Aristot. dixit, aerem pati ab odore, loqueretur saltem principaliter de passione, & receptione è odoris secundùm suum esse reale, & naturale: non posset inde vel apparens sumi argumentum, ad hoc vt aer olfaceret si odorem recipit, secùs tamen de receptione intentionali, ex eo quod organum animalis recipiens species intentionales odorat per illas quamuis quia idem aer non recipit illas media potentia vitali, nequeat mediis eisdem olfacere.

12. Ad confirmationem respondetur, nullum realem odorem denuo ibidem produci, vnde talia corpora redduntur benè olentia ex eo, quod exhalationes illæ odoriferæ, quæ ab odorabili corpore exeunt, recipiuntur inter poros corporum, quæ iuxta illud sunt: & ideò talia corpora ob prædictas exhalationes in eisdem inclusas redolent, quamuis cum hoc stet, vt aer propter sui subtilitatem nequeat veluti intimè imbibere prædictas exhalationes, siue fumales euaporationes, sed solùm cum eodem commisceantur, seu confundantur eo modo quo parum fumi thuris adusti, & sursum ascendentis solet cum aere commisceri, & ratione huius commixtionis redolet, & olfactum intentionaliter immutat, per quod adhuc amplius ad secundam obiectionem patet.

Ad tertiam fatemur, posse vnum, & eundem cibum esse simul sapidum, & odoriferum. Cæterum adhuc dato (de quo disput. seq.) saporem oriri ea prædominio humidi supra siccum, nihil conuincit obiectio: quia non secundùm vnam, & eandem prorsus partem, sed secundùm diuersas haberet saporem & odorem: ita tamen, vt partes illæ sapidæ, & odoriferè sint inter se permiatæ & odor in subtilioribus, sapor verò in crassioribus partibus subiectetur. Quare etsi repugnet vnam, & eandem prorsus partem diuersis, & oppositis gaudere temperiebus, non tamen quod plures, & diuersa, & opposita habeant temperamenta.

13. Desumiturque hæc solutio ea D. Thoma in hoc 2. libr. lect. 19. vbi inquit *Sciendum est quod quædam habent proportionalem odorem, & saporem scilicet dulcem odorem; & dulcem saporem, quædam verò per contrarium scilicet suauem saporem & non suauem odorem, vel è conuerso; cuius ratio est quia sapor consistit in humido aqueo æqualiter digesto, odor autem consistit in sicco aereo æqualiter contemperato. Contingit autem quandoque vtramque substantiam, scilicet subtilem aeream, & aqueam grossiorem secundùm debitam proportionem commixtam esse, & sic est suauitas saporis, & odoris: si verò sit debita proportio in vno, & non in altera, erit in vno suauita, & in alio non.* Vbi vt vides, ideo, iuxta doctrinam S. Doct. cibus est simul sapidus, & odoriferus, quia habet aliquas partes subtiliores, & alias grossiores, quæ inter se commiscentur: & si secundùm debitam proportionem fiat commixtio ex parte qualitatum, quæ ad bonum odorem in partibus subtilioribus desiderantur, & similiter ex parte qualitatum, quæ ad suauem saporem requiruntur tunc odor suauis, & sapor dulcis ibidem inueniuntur, &c. Vnde hunc dicendi modum sequuntur Tolet & Conimb. in præs. cap. 9. & alij plures.

Nec obest quòd habere partes diuersæ rationis est proprium viuentium, atque adeò id non poterit rebus inanimatis conuenire. Respondetur enim, antecedens esse verum de partibus diuersæ rationis, non inter se confusis, & permistis, sed habentibus veram organizationem, ac proinde ad diuersas functiones vitales debitè dispositis, & per consequens exigentibus pro forma vltima earum potentiam vitalem non verò de partibus diuersæ rationis, & inter se confusis, quæ aliqualiter sunt tales ob similitudinem aliquam, quam cum etherogeneitate partium viuentium habent maximè si partes istæ inueniantur in aliquibus rebus quæ aliquo modo à viuentibus procedunt, vt sunt semina arborum, & earum fructus, siue mediati, vt vinum, siue immediati vt pomum.

14. Ad confirmationem respondetur aquam distillatam, & odoriferam tantum habere siccitatis, quantum requiritur ad hoc vt odorem habeat, sicut etiam tantum calorem solet retinere, quantum sufficit ad hoc, vt sit debitum medicamentum ad medendum plures ægritudines ex frigore prouenientes. Nec refert prædictam aquam semper per se loquendo esse liquidam: nam sicut rectè potest compati, quòd aqua nostra naturalis sit valdè calida, & consequenter valde etiam sicca, & nihilominus eam adhuc liquidam conspicimus: ita non inconuenit hoc ipsum in aqua distillata modo dicto inueniri, sicut etiam id in pluribus aliis liquoribus satis calidis, & siccis inueniri solet.

Ad vltimum respondetur negari non posse, quin calor prædominans debeat esse in corpore odorifero vna cum siccitate prædominante in eodem, vt argumentum rectè probat. Cæterùm hæc duo ita se habent, quòd ideò tantus calor desideretur, vt tantumdem sicci in eodem subiecto inueniri possit. Vnde calor siccitati veluti deseruit, & est illius quasi famulus, quare mirum non est quod Aristot. & D. Th. ad id attendentes, per siccitatem prædominantem potiùs quàm, per calorem dominatum, etiam habentem explicuerint naturam odoris.

QVÆSTIO II.

Quomodo per medium scilicet per aërem, & aquam diffundatur.

15. IN titulo aliqua vt certa supponimus, & aliqua in dubium vocamus. Supponimus enim primò, odoratum necessariò petere medium aliquod intercedens inter ipsum, & rem odorabilem tum quia hoc est commune omnibus sensibus ex eo, quòd sensibile positum supra sensum non facit sensationem, vt disp. 9. n. 4. diximus. Tum etiam quia sicut visus, & auditus, quia sunt immaterialiores gustu, & tactu, petunt per se medium externum, ita etiam propter eandem rationem odoratus illud petet vt communiter docent Philosophi, & ex iam dicendis satis constabit.

Supponimus

Supponimus secundò, medium hoc in ordine ad immutationem intentionalem esse aerem aut aquam, vt docet Arist. in hoc 2. l. text. 97. his verbis. *Est autem, & olfactus per medium, vt aerem, aut aquam.* Cuius rationem subdit. *Et namque aquatica videntur odorem sentire. Similiter autem, & quæcunque cum sanguine, & sine sanguine sicut; & quæ in aere. Etenim horum quædam à longè occurrunt ab alimento, quæ ab odore, mouentur.*

Vbi D. Thom. lect. 20. *Dicit quòd sensus olfactus immutatur ab odorabili per medium, scilicet aerem aut aquam, & quòd aer sit medium in olfactu manifestè apparet; quia nos per aerem odoramus, vnde oportuit manifestare, aqua esse medium in olfactu quod quidem ostendit per hoc, quòd animalia aquatica odorem sentiunt, non solùm illa, quæ habent sanguinem, sed etiam illa, quæ sanguine carent, sicut, & animalia, quæ viuunt in aere; quod apparet ex hoc quod quædã eorum de longinquo veniunt ad alimentũ, quod non posset esse nisi in quantum prouocantur ab odore.*

16. Supponimus tertiò, odorem secundum suum esse reale, & naturale non posse diffundi per aerem, aut aquam, nisi mediante fumosa illa euaporatione, seù exhalatione, quam corpus odoriferum spirat, vt q. præced. diximus. Quod potest etiam confirmari, ex eo quòd res odorifera existens in vase cooperto, & illo pleno non minuitur, nec deperdit per aliquod tempus odorem, & in discooperto, aut non pleno res illa odorifera minuitur, aut deperdit illum: hoc autem non aliunde prouenit, nisi ex eo quod res odorifera existens intra vas non plenum, & discoopertum substantialiter euaporatur, & in fumosam illam exhalationem paulatim resoluitur: secus verò saltem per aliquod tempus in pleno & cooperto. Vnde si res odorifera substantialiter non exhalaretur, sed solùm immitteret suas species, aut produceret alium odorem in medium. v.g. in aerem, non esset cur substantialiter minueretur, aut odorem deperderet, sicut neque Sol substantialiter minuitur, aut deperdit lucem per hoc, quòd producat aliud lucidum.

Vocamus autem in dubium, quomodò odor media hac quasi fumosa exhalatione diffundatur ad hoc, vt possit per odoratum sentiri? An nimirum sit necessarium, quòd media prædicta exhalatione secundùm suum esse reale, vsque ad odoratum, vel vsque ad certam aliquam distantiam diffundatur: an verò sufficiat, quòd solùm intentionaliter, non verò secundùm suum esse reale immutet medium, & potentiam? Et licet quæstio hæc ferè decisa maneat ex his quæ in simili circa sonum tetigimus, nihilominus vt mens Arist. & D. Th. magis pateat, & aliquibus obiectionibus solutione dignis fiat satis, ideò illam excitamus.

Vera Arist. & D. Thom. sententia duabus conclusionibus explicatur.

§. I.

17. Dicendum ergo primò non esse necessarium quod odor media illa fumosa exhalatione realiter diffundatur à re odorabili vsque ad olfactum ad hoc, vt per illum percipiatur. Ita Aristot. in hoc 2. l. text. 97. iam citato. Vbi pro medio auditus petit aerem, aut aquam: si autem odor necessariò deferendus esset secundùm suum esse reale, vsque ad olfactum mediante hac fumosa exhalatione, quæ est naturæ igneæ, vt docet D. Thom. de sensu, & sensato lect. 5. non requirerentur aqua, aut aer tanquam medium ad olfaciendum; siquidem mediante hac sola fumosa substantiali, & ignea exhalatione posset odoratus olfacere, quem sequuntur D. Thom. loco citato ex 2. de Anima lectione 20. vt statim dicemus, & communiter omnes ferè Philosophi, & ideò à singulis referendis abstinendum.

Rationem autem fundamentalem adducit idem S. Doctor lect. citat. his verbis. *Cum enim odor cadaueris vsque ad quinquaginta milliaria, vel amplius à vulturibus sentitur, impossibile esset, quòd aliqua corporalis euaporatio cadaueris, vsque ad tantum spatium diffunderetur, præcipuè cum sensibile immutet mediũ vndique secundum eandem distantiam, nisi impediatur, non autem sufficeret ad occupandum tantum spatium, etiam si totum cadauer resolueretur in fumalẽ euaporationem, cùm sit certus terminus rarefactionis ad quem corpus naturale peruenire potest, qui est raritas ignis, & præcipuè cum per huiusmodi odorem cadauer non appareat sensibiliter.*

18. Dicendum est secundò, quamuis odor possit media exhalatione iam dicta diffundi secundùm suum esse reale, & naturale per medium: nihilominus ad hoc, vt olfactus percipiat vtcumque odorem, probabile est, non requiri hanc realem, & naturalem diffusionem, sed intentionalem, & ita odor intentionaliter se diffundit vsque ad olfactum vt per illum sentiatur, quamuis etiam probabile sit requiri aliquam realem, & naturalem diffusionem media fumosa exhalatione. Ita Arist. in hoc 2. l. c. 9. & D. Th. lect. citata: vbi postquam dixit, non esse necessarium ad olfaciendum, quòd res odorifera diffundat se secundùm suum esse reale, & naturale media illa fumosa exhalatione vsque ad odoratum statim addidit. *Et ideò dicendum; quòd ab odorabili resolui quidem potest fumalis euaporatio, quæ tamen non pertingit* (intellige necessariò) *vsque ad terminum; vbi odor percipitur, sed immutatur medium spiritualiter vltra quam dicta euaporatio pertingere possit.* Vnde assertionem hanc tuentur Ferrara in præl. q. 17. Caietan. c. 8. q. vnic. Flandria in recollect. breuia super 3. l. de Anima tract. 2. c. 14. ad lect. 20. D. Th. Conimbr. c. 9. q. 3. Bañes 1. p. q. 78. art. 3. de tract. dub. 2. Zanard. 2. de Anima q. 42. & alij plures.

Assertio hæc quoad priorem partem scilicet odorem posse media illa fumosa exhalatione diffundi secundùm suum esse reale & naturale per medium, satis constat ex dictis, & experientia ipsa. Vnde iuxta magnitudinem, vel paruitatem rei odoriferæ; & alias circunstantias tunc occurrentes, vt quod stante vento nimium agitetur prædicta euaporatio, poterit hæc diffusio esse ad maiorem, vel minorem distantiam, vt ex se patet.

19. Secunda verò pars, nimirum non esse necessariam prædictam euaporationem, ad hoc vt odor ille vtcumque per odoratum sentiatur, satis etiam constat ratione, quam Arist. & D. Th. innuunt quámque supra insinuauimus. Quoniam plura odorabilia aquæ immersa solent percipi tam ab animalibus existentibus intra aquam, quàm extra aquas, cùm tamen in eo euentu nullam fumosam exhalationem spirent, vt experientia docet, alioqui appareret ibidem aliqua commotio aquarum; cuius oppositum experimur: ergo, &c.

Quoad tertiam autem partem nimirum probabile esse, quòd desideretur realis, & naturalis diffusio odoris media fumosa exhalatione, satis innuitur à Diuo Th. 1. p. q. 78. art. 3. & quæst. de Anima art. 13. vbi loquens de immutatione materiali, quæ ex parte sensibilis debet in aliquibus ex illis esse annexa immutationi intentionali, inquit: *Huiusmodi autem transmutatio, vel est secundùm resolutionem & alterationem quandam sensibilis, sicut accidit in sensu odoratus,* & 3. huius operis lect. 1. in fine illius, his verbis: *Alio modo immutatur sensus, per medium, & hæc quidem immutatio aut est cum alteratione sensibilis, & sic odor immutat sensum cum aliqua resolutione odorabilis.*

Ratio autem huius vltimæ partis desumitur ex D. Th. locis cit. quam infra dispt. 14. n. 50. vsque ad 53 expendemus: nam cùm odorabile sit imperfectius

quàm sonus, & hic necessariò inuoluat aliquam immutationem naturalem ex parte sensibilis, scilicet motum localem: oportet, vt odorabile inuoluat etiam aliquam immutationem ex parte odorabilis, quæ sit maior, quàm immutatio localis requisita ad sonum, atque adeò sit aliqua alteratio ex parte illius se tenens. Patet consequentia, quoniam quo obiecta sensibilia externa sunt imperfectiora, eo inuoluunt in ordine ad immutationem intentionalem maiorem immutationem materialem, & naturalem ex parte obiecti, vel organi se tenentem, vt loco citato magis expendemus.

Obiiciuntur aliqua contra vtramque conclusionem.

§. II.

20. SEd obiicies primò contra priorem conclusionem, & rationem illius, quòd tempore pestis solet contingere, corruptionem illam pestiferam peruenire ad regionem longinquam, & valdè distantem ab eo loco, vbi viget pestis, ex eo quod ventus vsque ad illum locum defert exhalationes infectas pestilentia, eius odore: ergo similiter fieri poterit, quòd fumosæ illæ euapotationes à cadaueribus immissæ, & à vulturibus in dicta distantia existentibus perceptæ deferantur vsque ad illas à vento flante; ac proinde ad hoc necesse non esset, vt cadauera illa in fumosas exhalationes resoluerentur, quia vna, & eadem exhalatio posset vsque in illum locum deferri, vt in exhalatione pestifera contingere potest.

Secundò contra eandem assertionem obiicies, ad olfactionem requiri in pluribus animalibus præuiam respirationem, & ita si halitum omninò detineamus, nihil prorsus olfaciemus, vt experientia docet: at hæc præuia respiratio nec potest requiri ad hoc, vt odoratus recipiat species intentionales: ergo requiritur ad hoc, vt realis odor ad ipsum perueniat. Maior cum consequentia satis constant; minor autem probatur: Tum quia alij sensus non egent actione aliqua attractiua ad hoc vt attrahant ad se species: ergo neque olfactus indigebit prædicta respiratione, quæ est actio quædam attractiua, ad hoc vt illas attrahat, sed vt trahat ad se realem odorem. Tum etiam, nam species rei odorabilis deberent instantaneè vsque ad odoratum peruenire; maximè si odor sit parum distans: at non possent sic peruenire si ad earum receptionem esset necessaria respiratio, quippè cùm hæc fiat mediante motu, & consequenter non instantaneè, sed successiuè: ergo, &c.

21. Tertiò contra eandem conclusionem obiicies vehementem, & pessimum odorem lædere cerebrum statim, ac sentitur: maximè si sensatio illius sit diuturnior: sed species intentionales non lædunt organum, aut aliquam aliam corporis partem: ergo læsio hæc prouenit ex eo quòd odor ipse realis, & Physicus pertingit vsque ad organum olfactus. Minor probatur, nam species intentionales, quippe quæ tantùm habent esse intentionale diminutum, non possunt esse causæ læsionis naturalis, & physicæ.

Quartò contra secundam conclusionem obiicies, quod ea, quæ se impediunt in medio, v. g. in aëre, habent esse naturale, & non solùm intetionale in illo, at si duo corpora diuersimodè redolentia sint parum inter se distantia, tunc non potest distinctè odor cuiuslibet ex illis percipi, sed tantùm quidam odor mixtus sentitur: ergo signum est odorabilia illa saltem aliquam medij partem, non solùm intentionaliter, sed etiam naturaliter, & physicè immutasse. Consequentia satis constat, minor verò experientia liquet. Maior autem exemplo rei visibilis ostenditur, quæ quia solùm intentionaliter est in medio, ideò diuersæ res visibiles inter se distantes, & debitè applicatæ non se impediunt, quo minùs distinctè, & vt in se sunt, videantur.

22. Confirmatur, nam perceptio odoris impeditur flante aëre ex aduerso corporis odoriferi: ergo non fit medijs solis speciebus intentionalibus, sed simul per diffusionem odoris saltem vsque ad certam aliquam distantiam. Patet consequentia, quia specierum multiplicatio non potest vi aëris impediri, vt patet in speciebus caloris.

Confirmatur secundò, quia stando in doctrina D. Thom. non videtur posse probabiliter defendi, non requiri alterationem, & resolutionem illam rei odorabilis media fumosa exhalatione ad hoc, vt immutat intentionaliter odoratum: quia S. Doct. non solùm si in locis allegatis pro tertia eiusdem assertionis parte, sed etiam quoties agit de distincto modo immutationis, quo sensus externi immutantur: semper petit immutationem naturalem, & resolutionem ex parte rei odorabilis ad hoc vt intentionaliter immutet odoratum, vt perlegenti S. Doctorem constabit: ergo, &c.

23. Vltimò contra tertiam partem secundæ conclusionis obiicies: quoniam si res odorabilis debet alterari, & fumosam illam exhalationem immittere ad hoc, vt immutet intentionaliter odoratum: fieret inde, vt granum piperis citò, vel saltem transacto mense, aut anno mediis his exhalationibus totum resolueretur in illas. Hoc autem est contra manifestam experientiam; ergo, &c. Sequela patet: siquidem continuò redolet, seu immittit species intentionales ad odoratum, & ita quoties odoratus est intra sphæram suæ actiuitatis, toties percipit per se loquendo eius odorem: ergo si ad hanc immissionem specierum requiritur prædicta exhalatio, non poterit non prædictum granum adeò exiguæ quantitatis citò vel saltem transacto mense, aut anno secundùm se totum, euaporari, & in fumosam illam exhalationem resolui.

Diluuntur obiectiones factæ.

§. III.

24. AD primam respondetur, quod si ad perceptionem odoris desideratur diffusio realis, & naturalis illius vsque ad sensum odoratus, tunc in casu obiectionis non sufficeret diffusio illa in argumento tacta, sed requireretur insuper, vt odor esset simul diffusus à loco, in quo est res odorifera vsque ad locum, in quo à vulturibus illis perceptus est. Nam cum animalia hæc sequentia odorem peruenerint ductu illius, vsque ad locum vbi erant corpora odorabilia, scilicet prædicta cadauera, oportet odorem esse diffusum per totum spacium inter cadauera, & vultures: alioqui, vt bene notauit Ferrara, non esset ratio cur potiùs ad locum vbi erant cadauera illa, quam ad aliquem alium aduolassent.

Ad secundam respondetur: verum esse homines, aut alia animalia non aquatilia egere respiratione ad hoc, vt percipiant odorem: hoc tamen non prouenit ex eo quod ad talem perceptionem necessaria sit attractiu fumosæ euapotationis, in qua odor secundùm suum esse reale defertur: sed ex diuersa dispositione organi olfactus in animalibus respirantibus, & in illis, quæ non respirant, qualia sunt quam plurima ex aquatilibus; nam in illis prioribus organum hoc habet præter alia duo tegumenta cooperientia ipsum,

eo aliqualiter simili modo, quo palpebræ oculos cooperiunt; vnde sicut homo non videt nisi aperiantur palpebræ, ita idem homo, & cætera animalia respirantia non olfaciunt nisi per attractionem aëris, hæc tegumenta suo modo eleuentur, vt ita species odoris ad organum olfactus deferantur: quod tamen in aquatilibus animalibus non contingit, quia sicut organa eorum prædictis tegumentis carent, sic non indigent respiratione ad hoc, vt per illam eleuentur. Vtrùm autem aliunde in aliis animalibus non possint species odorabiles instantaneè produci, ex infra dicendis constabit.

25. Hanc autem solutionem explicuit, & docuit Arist. in hoc 2. lib. text. 100. & eam magis elucidauit D. Thom. lect. 20. his verbis: *Organum olfactus in hominine differt ab organis olfactus aliorum animalium, sicut oculi hominum differunt ab oculis duris quorundam animalium: oculi enim hominum habent quoddam phragma, id est pannum ad cooperiendum scilicet palpebras; vnde homo non potest videre, nisi quodam motu palpebra retrahantur, quod non accidit in animalibus habentibus duros oculos, sed statim vident ea, quorum species fiunt in diaphano, ita etiam, & in animalibus non respirantibus organum odoratus est sine opercule, sed in animalibus respirantibus habent quoddam cooperculum, quod oportet aperiri ampliatis poris per respirationem: Et ideò animalia respirantia non odorant in aqua, quia oportet quod patiantur ab odore respirando, quod non potest fieri in aqua.*

Sed contra solutionem hanc arguit Ang. Doct. de sensu, & sensato lect. 14. quod ex ea videtur sequi, sensum olfactus esse diuersæ speciei in animalibus respirantibus, & non respirantibus, hoc autem admitti nequit, vt Arist. ibidem docet; ergo, &c. Sequelam probat sanctus Doctor his verbis: *Quia sentire est pati quoddam, vnde diuersus modus sentiendi est, quasi diuersus modus patiendi, qui indicat diuersitatem potentia passiua, sicut diuersus modus agendi significat diuersitatem virtutis actiua, & sic qua alio modo sentiunt videntur habere alium sensum*: ac proinde, cùm animalia respirantia, & non respirantia diuersimodè sentiunt odorem, habebunt vtique diuersum specie odoratum.

26. Respondetur negando sequelam. Ratio autem eam negandi est duplex, & vtraque adducitur ab Arist. in hoc 2. lib. text. 99. vbi disputans contra eos, qui diuersum specie sensum olfactus in animalibus respirantibus, & non respirantibus concedunt, sic arguit: *Sed impossibile est, siquidem odorem sentiunt, odorabilis enim sensus & mali odoramenti, & boni odoramenti olfactus est. Amplius autem & corrumpi videntur à fortibus odoribus à quibus homo corrumpitur, vt à sphalto sulphure, & huiusmodi: olfactum igitur habere necessarium etiam non respirantia.*

Quas duas rationes sic explicat D. Thom. *Obiicit in contrarium duabus rationibus. Prima ratio est, quia sensus distinguuntur secundùm sensibilia: Vnde cum sensus olfactus sit sensus odorabilis scilicet boni, & mali odoramenti, & hoc communiter sentiatur, tam ab homine, quam animalibus aliis non respirantibus sequitur quod idem sensus olfactus sit in homine, & in aliis animalibus. Alia ratio est, quia eiusdem sensus eadem sunt corruptiua, non enim visus patitur aliquid à sonis, neque auditus à caloribus: sed sensus animalium non respirantium videntur corrumpi à grauibus odoribus, & excellentibus ex quibus sensus hominis corrumpitur, scilicet à sphalto, quod est quadam confectio ex succis herbarum, & à sulphure, & ab huiusmodi, ergo alia habent sensum olfactus sicut homo, licet non respirent.*

27. Vnde ad probationem eiusdem sequelæ respondet idem Philosophus de sensu, & sensato lection. 14. apud D. Thom. his verbis: *Hoc enim videtur in spirantibus accidens omnibus, illorum autem nullum respirat; sentiunt tamen, odorabiles enim olfactus, illa verò hoc sentiunt*, Quæ verba sic explicat S. Doct. ibidem: *Soluit præmissam dubitationem per hoc quod idem odorabile sentiunt cum eodem sensu, sed non eodem modo: considerandum enim est, quod modus sentiendi potest diuersificari dupliciter; vno modo per se, quod est secundùm diuersam habitudinem sensibilis ad sensum, & talis diuersitas in modo sentiendi diuersificat sensum; puta quod vnus sensus sentit sensibile coniunctum, sicut tactus; alius autem sensibile remotum sicut visus. Est & alia diuersitas in modo sentiendi per accidens, qua non diuersificat sensus, & attenditur secundùm remotionem prohibentis, & talis diuersitas in modo sentiendi est in proposito, quia in animalibus respirantibus per respirationem remouetur quoddam, quod per modum cooperculi subiacet organo odoratus, & ideò quando non respirant, impediuntur ab odorando propter huiusmodi cooperculum: sed animalia non respirantia carent huiusmodi cooperculo, & ideò non indigent respiratione ad odorandum, sicut videmus in oculis, quòd quadam animalia habent palpebras qua si non aperiantur, non possunt huiusmodi animalia videre.*

28. Nec obest id quod Galenus, & alij Medici irridentes Aristot. ex eo quod organum olfactus hoc tegumento coopertum esse dixerit. Obiiciunt scilicet, tum quod vsus anatomicæ artis numquam tale cooperculum inuenit. Tum etiam quia si tale cooperculum datur; tunc impetu aëris spontè ingredientis ad organum olfactus, non minùs aperiretur, seu eleuaretur, quàm si vi eiusdem respirationis aër attraheretur, ac proindè ad olfaciendum non esset necessaria actio respirandi cotus oppositum communiter docent Philosophi. Tum denique, quia cooperculum non est necessarium ad defensionem potentiæ, quandoquidem odoratus naso satis contextus, munitusque ab externis iniuriis est. Ergo ad nihil aliud erit necessarium, quia prædictum tegumentum correspondet in oculis palpebris eorum, & hæ solùm ad defensionem oculorum sunt necessariæ: ergo, &c.

Respondetur enim, prædictum tegumentum ab Aristot. & D. Thoma positum re vera ab anatomica arte inueniri: quia non est aliqua tunica, quæ ita eleuetur sicuti palpebræ oculorum, sed consistit in hoc quod via illa per quam species, & aliquando odor deducitur ad sensorium in interiori parte, est arctissima, & respiratione dilatatur, detentione verò aëris constringitur; & ita cùm est compressa, dicitur organum esse coopertum, quia tunc ad odorem siue speciem illius nullus patet aditus; cùm verò est dilatata dicitur esse discooperta, quia eo ipso patet aditus ad prædictum organum, quod videtur significasse Arist. cum in hoc 2. lib. text. 100. loquens de prædicto cooperimento inquit: *Quod respirantibus discooperitur ampliatis venis & poris.* Quo etiam loquendi modo vtitur etiam Angel. Doctor ibidem lect. 20. Vnde Venetus, Toler. Conimb. Rubio, & alij sic explicant Philosophum & sanctum Doctorem.

Ex quo etiam ad secundam probationem obiectionis Galeni constat; nam licèt si operculum hoc ita se haberet sicuti palpebræ oculi, tunc possibilius esset, quòd à magno aëre aperiretur. Cæterùm quia hoc fit per solam dilatationem iam dictam, ideò præcisè per hoc quod aër externus magna vi, vsque ad prædictam viam accedat, non possunt aperiri, sed per se loquendo necessaria est actio vitalis animæ. Per quæ ad tertiam probationem eiusdem obiectionis satis constat.

29. Ad tertiam verò obiectionem constat ex his, quæ in hoc 2. lib. disput. 9. à num. 62. vsque ad 71. diximus: quibus etiam addi potest, quod licèt ad hoc, vt odoratus sentiat odorem, non desideretur

fumosam illam exhalationem deferentem illum secundùm suum esse reale, & naturale, pertingere vsque ad prædictum odoratum, nihilominùs aliquando solet vsque ad illum pertingere, & ita ratione qualitatum nociuarum ex quibus odor fætidus causatur, potest lædi, aut corrumpi sensus odoratus, & consequenter odoratus ipse.

Ad quartam patet ex dictis; confusionem illam odorum posse oriri ex eo quod à quolibet ex illis corporibus odoriferis exeat fumalis illa euaporatio in qua odor secundùm suum esse reale & naturale defertur; nam vtraque exhalatione inter se confusa, non mirùm quod non percipiatur distinctè quiuis ex illis odoribus. Cæterùm cùm hoc stat, probabile sit talem euaporationem ad sensationem qualemcumque odoris, qui reuera est in corpore odorifero, non esse necessariam.

30. Ad primam confirmationem respondetur, quod multoties corpus odoriferum non est intra sphæram olfactus; nisi mediante exhalatione ad eundem olfactum accedat; & ita nos pro tenuitate, & debilitate olfactus non percipimus odorem procul distantem; quarè, quia prædicta exhalatio, & odor in ea delatus ex vento agitabilis, ideò potest flante vento impediri olfactio, ex eo quòd odor non manet intra sphæram olfactus. Adde, quod licèt in visu nequeat impediri visio, & debita transmissio specierum intentionalium propter ventorum agitationem; nihilominùs non est improbabile posse saltem ex parte impediri olfactionem, debitamque transmissionem speciarum ratione agitationis ventorum; & ratio disparitatis reddi potest ex eo quòd immutatio visus ab obiecto visibili proueniens, est immaterialior, ex eo quod vt loquitur D. Thom. in hoc 2. lect. 20. *Visibiles qualitates insunt corruptibilibus corporibus, secundum quod communicant cum corporibus incorruptibilibus.* Scilicet in perspicuitate. *Vnde habent esse formalius, & nobilius, quam reliqua sensibilia, quæ sunt propria corruptibilium corporum.* Et ita minus pendent ab immutationibus aliis naturalibus, & physicis: secùs verò immutatio odoratus à re odorabili causata.

31. Ad secundam confirmationem respondetur, negando antecedens, & ad probationem dicendum est probabile esse sanctum Doctorem solum velle, quod ad hoc, vt odorabile melius immutet odoratum, requiritur illa exhalatio; ac proindè alteratio obiecti odorabilis ratione cuius prædictam exhalationem spiret: ita tamen, vt per se, & intra propriam lineam, hanc petat, in ordine ad prædictum effectum meliùs præstandum. Vndè, sicut ad hoc, vt animal perfectiùs se habeat intra propriam lineam, requiritur coniunctio eius cum rationali, licèt talis coniunctio non sit simpliciter necessariò ad hoc vt simpliciter, & absolutè detur animal habens necessaria ad suam propriam lineam: ita ad hoc, vt odorabile immutet vtcumque intentionaliter non desideratur ad esse ibidem fumosam illam exhalationem ab eodem spiratam licet vt meliùs intra propriam lineam immutet, petatur per se loquendo talis exhalatio.

Hæc autem petitio satis erat sancto Doctori ad concludendam distinctionem sensuum externorum, & ad tribuendum odoratui minorem immaterialitatem, quàm auditui; quippè qui non petit per se loquendo, vel ad immutationem simpliciter, vel ad meliorem immutationem, quod suum obiectiuum alteretur, atque adeò, nec coniunctionem ad immutationem naturalem ita materialem, sicut odoratus per se loquendo eam petit.

32. Ad vltimam obiectionem respondetur primò negando sequelam, & ad probationem in contrarium poterit probabiliter dici, peti à S. Doct. alterationem, & resolutionem iam dictam rei odorabilis media fumosa exhalatione, ad hoc vt diffundat se intentionaliter, non tamen quod tamdiu duret illa fumosa exhalatio, quamdiu immutatio intentionalis, & ita non esse necessarium vt granum illud piperis in exhalationes citò, vel per tempus ibidem assignatum resoluetur, vel valdè minuatur; & ideò species odorabiles dependebunt à prædicta alteratione sui obiecti, & à fumosa exhalatione, quantum ad immitti, seu fieri illarum; non tamen quantum ad conseruari; ac proindè quoties de nouo immittuntur; toties erit necessaria exhalatio; secùs verò quandiu vna, & eadem continuata immissio earumdem respectu medij durauerit, quæ tamen per longissimum tempus solet durare, ex eo quod ex parte rei odorabilis, & medij dantur omnia requisita ad continuam illam immutationem.

Ratio autem ob quam prædicta dependentia, & non alia maior à sancto Doct. petitur, est quia ista dependentia quantum ad fieri solummodò specierum à prædicta immutatione naturali, & magis materiali quàm sit motus localis soni, satis est ad hoc vt olfactus sit imperfectior auditu.

33. Secundò respondetur negando etiam sequelam, & ad probationem esse in via D. Th. satis probabile, quòd desideretur continua exhalatio, & resolutio rei odorabilis ad hoc, vt continuò intentionaliter immutet, hinc tamen non fit granum illud citò, aut per tempus ibidem assignatum fore resoluendum in fumosam exhalationem, quia est adeò subtilis, & minima illa exhalatio, quippè, quæ visu etiam perspicacissimo non cernitur, vt per longum tempus possit continuò granum prædictum exhalari; absque eo quod secundùm se totum, aut fere in exhalationes resoluatur: quamuis post satis longum tempus soleat perceptibiliter minutius apparere.

Hoc autem fiet credibilius, si attendatur quod minutissima aquæ guttula posset millies millium diuidi in mille millium, & multò plures, finitas tamen partes aliquotas, ita vt per medietates illarum partium, aliquotarum continuò flueret, & satis longum tempus in hoc flexu continuo absque omni moda consumptione, & cessatione talis fluxus perennis ab illa minutissima guttula deriuari cõsumeret, quamuis talis flexus eo modo, quo hic depingitur, non sit naturaliter, sed solùm super naturaliter possibilis. Quarè cùm exhalatio illa prædicti grani sit longè minutior, & subtilior, quàm esset fluxus illius minutissimæ guttulæ, si modo depicto flueret, fit indè, vt sicut guttula illa posset diu durare in suo perenni fluxu, & distillatione absque eo, quod omninò consumeretur; ita etiam prædictum granum piperis.

34. Nec hinc fiet reddi infirmam rationem, quam ex S. Doct. adduximus ad probandum, non esse necessarium odorem diffundi media fumosa exhalatione vsque ad olfactum; ex eo quod ita fieret, non possent non cadauera illa, quæ à vulturibus procul existentibus odorantur, resolui in exhalationes, ad hoc vt illuc vsque mediis prædictis exhalationibus peruenirent. Nam ad hanc rationem posset idem responderi, quod nos ad hanc vltimam obiectionem de grano piperis dicimus.

Non itaque ex dictis redditur infirma ratio à S. Doct. adducta. Nam quoties fumosa illa exhalatio est adeò subtilis, vt non sit sufficiens ad resoluendum per longum tempus aliquod corpus in exhalationes, ast facillimè dissipabilis, ita vt sub propria specie ad breuissimum spatium solum pertingat. Quare cum ipsa sibi propria specie ad longissimum spatium modo in solutione ad primam obiectionem explicato peruenerit, signum est talem exhalationem esse longè crassiorem,

crassiorem, & sufficientem ad hoc, vt corpora longè maiora in breui tempore in exhalationes resoluantur.

Quarè, cum in ratione illa D. Thom. non de qualicumque qua poratione, sed tali vt ad longissimum spacium, & diffusa per totum illud sub propria specie perueniat, fiat sermo, vt intuenti constabit; fit indè, vt optimè indè S. Doct. intolerit contra eos, qui talem exhalationem, & fumosam euaporationem vsque ad odoratum quantumuis procul existentem petebant: quod si ta is exhalatio ad odora dum in loco distantissimo desideraretur: fieret indè cadauera illa, de quibus ibi fit sermo, fore in exhalationes resoluenda, & ad huc talem resolutionem non futuram satis ad hoc, vt tanta copia prædictarum exhalationum daretur.

QVÆSTIO III.

Vtrum odoratus proxime subiectetur in aliqua parte animalis, quæ sit iuxta cerebrum, & quæ illa sit.

POstquam explicuimus obiectum, & medium odoratus, restat, vt de organo, seu subiecto illius aliquid dicamus, vt ita natura huius sensus vndequaque patefiat; & licèt circa organum istius sensus plures, & diuersæ sint sententiæ, nihilominus quia debilibus nituntur fundamentis, ideò ab eis referendis abstinebimus.

Ostenditur odoratum collocandum esse iuxta cerebrum.

§. I.

35. DIcendum ergo est primò sensum odoratus proximè subiectari in aliqua parte animalis, quæ sit iuxtà cerebrum. Ita Arist. de sensu, & sensibili lect. 5. apud D. Thom. his verbis *Propter quod, & circa cerebrum loco odoratus proprium sensitiuum est.* Vbi etiam D. Thom. dicens: *Concludit ex præmissis, quòd organum odoratus dicitur esse in loco, qui est circa cerebrum.* Vndè tam Aristot. quàm D. Thom. sequuntur omnes doctores assertione seq. referendi.

Consultò autem in hac assertione non explicamus determinatam partem in qua odoratus proximè resideat, sed illum iuxta cerebrum situm esse, quia in via Arist. & D. Thom. certum omninò est odoratum debere esse iuxta cerebrum, non autem in eorum doctrina est ita certum, in quanam determinata parte ex his, quæ sunt propè cerebrum inhæreat; & ideò vt certiora à minùs certis separemus, priùs in hac assertione statuimus prædictam potentiam collocandam esse iuxta cerebrum, explicaturi statim in secunda assertione partem determinatam animalis, cui proximè inest, sicut ob eandem rationem in titulo huius quæstionis sigillatim de his duobus inquisiuimus.

36. Rationem autem fundamentalem adduxerunt Aristot. & D. Thom. in hoc 2. lib. text. 100. in fine illius, & vterque breuibus, & compendiosis verbis Arist. quidem dum dixit: *Est autem odor sicci, sicut humor humidi, odoratiuum autem sensitiuum potentia humidi talem.* Angel. verò Doct. dum ibidem asseruit; *Quod odor fundatur in sicco, sicut sapor in humido, organum autem odoratus oportet esse in potentia ad odorem, & ad siccum, sicut organum visus est in potentia ad colores, & ad lucem.*

Vis autem huius rationis magis apparebit, si ea, quæ idem Philosophus, & S. Doct. de sensu, & sensato lect. 5. docent, vbi illam fusiùs prosequuntur, ad hanc formam reducantur. Nam organum odoratus debet esse in potentia, id quod odorabile est in actu; sed odorabile fit in actu per calidum, & siccum; ergò organum prædictum debet esse in potentia calidum, & siccum, & actu frigidum, & humidum: ergo debet collocari iuxta cerebrum animalis, in quo magna frigiditas, & humiditas reperiuntur.

Maior probatur; nam ex eo organum visus debet esse perspicuum, quia obiectum illius est, tam color, quàm lux, & perspicuum est in potentia vtrumque quia tam lux, quàm color recipitur vt in subiecto, & propria potentia in illo, modo tamen supra explicato: & similiter ideò organum gustus debet esse in potentia humidum; quia obiectum illius, scilicèt sapidum, constat ex humiditate tanquam ex propria illius dispositione. Minor autem ex dictis quæ. 1. huius disput. constat.

Prima verò consequentia quoad priorem partem ex vtraque præmissa constat. Quoad posteriorem verò, & simul secunda consequentia ostenditur ab Aristot. & D. Thom. loco citat. de sensu, & sensato, his verbis: *Potentia calidum est materia frigidi, quia eadem est materia contrariorum, nec potest esse in potentia ad vnum eorum, nisi secundùm quod est actu sub altero; vel perfectè, vel imperfectè: Imperfectè sicut quando est sub forma medij, & ideò oportet, quòd substantia, & essentia organi odoratus sit id, quod est actu frigidum & humidum, quod præcipuè est in loco circa cerebrum: vnde organum odoratus est circa cerebrum, &c. quia cerebrum inter omnes partes corporis est humidius, & frigidius; & ita habet naturam aquæ, quæ est naturaliter frigida, & humida, & sic congruit organo odoratus quòd debet esse calidum in potentià, vt sit in prædicto loco.*

Statuitur odoratum subiectari in processibus mammillaribus.

§. II.

37. DIcendum est secundò organum odoratus, cui proximè prædictus sensus inhæret esse partem quandam animalis, scil. processus mammillares. Assertio hæc satis apertè colligitur ex his, quæ ex Arist. & D. Thom. diximus, vt statim ostendemus, & eam tuentur Philoponus in hoc 2. lib. Albert. Magn. 2. part. summæ de homine tr. de olfactu, vbi pro ea citat Algacelum, D. Greg. Nissen. lib. 4. de viribus animæ c. 6. Fernel. in lib. de part. corp. hum. c. 9. Galui. q. 69. Concil. diffin. 55. pro qua etiam refertur Auincen. fen. 3. Can. 1. Toler. q. 27. huius lib. Conimb. cap. 9. q. 4. art. 2. Rubio tr. de sensu olfactus q. 4. Bañes 1. part. q. 78. art. 3. tr. de odoratu dubit. 2. notabili 2. & omnes ferè recentiores.

Explicatur assertio. Etenim organum odoratus, tribus, vel quatuor (quoad præsens attinet) partibus constat: non quidem quia earum quælibet proximè recipiat odoratum, & rigorosè rationem organi illius sortiatur, sed quia omnes illæ suo modo ad illud conducunt. Inter quas prima est nasus, cuius superior medietas est ossea, inferior verò cartilaginea, illiusque duo foramina distincta sunt quodam quasi vallo partim osseo, partim verò cartilagineo. Secunda verò pars est quoddam os ad radicem nasi positum, ac foraminibus quibusdam distinctum, & propterea à Medicis vocatur cribrum, à Philosophis collatericum, quia ad excrementa, defluentia, & muscosam pluuiam emungendam deseruit.

Tertia autem pars est duo quasi canales à cerebro, vsque ad ossa formalinosa narium, quæ sunt propè concauitatem oculorum descendentes per quas descendunt duo nerui egredientes ab anteriori parte cerebri vsque ad nares in inferiori parte, vt per eos deferantur ad cerebrum, seu ad sensum communem

species

species odoris in odoratu receptæ. Quarta tandem pars continet duas mollities carneas similes capitibus mamillarum fæminæ lactantis, & ob hanc causam appellantur ab anathomistis processus mamillares, quæ quidem mollities, seu processus mamillares affixæ sunt prædictis neruis, vt ex vsu anathomicæ artis constat. Dicimus ergo immediatum organum odoratus, cui ipse proximè inhæret esse prædictos processus mamillares.

38. Probatur assertio: nam processus isti sunt iuxta cerebrum, & licèt indè satis humiditatis, & frigoris participent; nihilominus non sunt ita frigidi, & humidi sicut cerebrum, & tandem sunt caro quædam spongiosa, aut quasi spongiosa, quæ media respiratione potest dilatari, & detentione eiusdem respirationis constringi, ita vt per positionem, vel ablationem eiusdem respirationis pateat, vel non pateat aditus speciebus odoris ergo processus isti mamillares erunt satis accommodati ad hoc vt sint organum immediatum odoratus. Antecedens partim ex dictis, partim verò ex his, quæ ex vsu anatomicæ artis habentur constat.

Consequentia autem ex illis, quæ ex Arist. & D. Thom. assert. 1. & supra num. 25. & deinceps diximus, suadetur, quoniam organum odoratus debet esse iuxta cerebrum, & licèt sit actu frigidum, & humidum, non tamen oportet, vt hæ duæ qualitates sint in eo ita intensæ sicut in cerebro, quemadmodum, neque oppositæ qualitates in re odorifera inuentæ, scilicet calor, & siccitas cum quibus organi odoratus in ratione organi habet proportionem, debent esse in illa sub tanta intensione, sub quanta frigus, & humiditas in cerebro reperiuntur, & tandem in animalibus respirantibus petit habere suum operculum quod respiratione aperiatur per dilatationem pororum, ac venarum; & per detentionem respirationis eodem proportionali modo claudatur, & per consequens esse aliquid quasi spongiosum, quod modo dicto facilè claudi, & aperiri possit: ergo cùm prædictæ conditiones inueniantur in his processibus mamillaribus: fiet indè, vt sint non parum idonei ad hoc, vt in eis odoratus, proximè subiectetur.

Obiectiones contra dicta.

§. III.

39. SEd obiicies primò, odoratum non iuxta cerebrum, sed in ventriculis anterioribus cerebri debere subiectari, quoniam multi odores cerebrum reficiunt, & confortat dum sentiuntur, sicut etiam alij illud lædunt, vt experientia docet: ergo signum est cerebrum sentire prædictos odores, ac proinde odoratum subiectari in illo, & maximè in his ventriculis, qui in ea sunt sede, quæ idonea est ad hoc vt odores per nasum ascendentes sentiantur. Hæc secunda consequentia satis constat ex prima: prima verò ex antecedenti, nam si odores non olfierent à cerebro, non esset cur potiùs illud, quàm aliam partem animalis confortarent, aut læderent.

Confirmatur, quia tale debet esse organum odoratus, qualis est res odorabilis vt talis, vt ita inter sensorium, & obiectum cognatio, debitaque proportio seruetur: at corpus odoriferum est vaporosum, & sui exhalatiuum: ergo odoratus debet recipi in aliqua parte animalis halituosa, & vaporosa, ac proinde cum anteriores cerebri ventriculi hoc habent, quippè qui abundant spiritibus animalibus, qui sunt tenuissimi, & veluti fumosa quædam substantia; fit inde quod in eisdem debeat odoratus immediatè tanquam in subiecto collocari.

40. Secundò obiicies contra rationem Arist. & D. Thom. in fauorem primæ assertionis adductæ, quod odoratus tantum petit immutari ab odore per immutationem intentionalem, quæ mediis speciebus odorabilibus fit, non verò per immutationem realem, & naturalem facta ab odor, vel à primis qualitatibus scilicet è calore, & siccitate, ex quibus odor potissimè causatur: ergo ex eo quod organum huius sensus debeat esse in potentia ad id per quod odoratus ast in actu, malè colligitur prædictum organum debere esse frigidum, & humidum, sed solum debere quantum est ex se carere speciebus intentionalibus rei odorabilis, & esse in potentia ad illas. Patet consequentia, nam organum alicuius sensus tantum debet esse in potentia ad illud per quod fit in actu à suo sensibili: ergo si tantum fit actu ab illo per species intentionales, tantum debet esse in potentia ad illas, & esse sub opposito illarum, scilicet sub priuatione prædictarum specierum ex eo quod non habeat contrarium positiuum, sicut si immutaretur à primis qualitatibus nimirum à calido & sicco, ex quibus causatur odor, deberet esse in potentia calidum, & siccum, ac proinde actu humidum, & frigidum, cum quibus calor, & siccitas positiuè contrariantur.

Tertiò contra idem obiicies, organum alicuius sensus maiorem similitudinem, & simpathiam habere cum suo obiectio, quàm cum medio per quod immutatur ab eodem obiecto; sed ratione huius similitudinis, & simpathiæ debent organum & medium esse inter se similia in suis qualitatibus; ergo multo magis id habebunt organum, & obiectum; ac proinde, ex eo quod res odorabiles præcipuè constent ex calore, & siccitate, malè intulimus in prædicta ratione. quod organum odoratus debet esse frigidum, & humidum, sed potiùs oppositum esset inferendum.

41. Vtraque consequentia ex præmissis satis patet: Maior verò constat, quoniam obiectum respicitur ab organo propter se: medium autem non nisi propter obiectum ergo si debet habere similitudinem in qualitatibus cum medio, quia respicit illud propter obiectum; consequens erit vt habeat maiorem similitudinem in illis cum obiecto, quod propter se ipsum ab eodem organo respicitur. Minor autem constat ex dictis disp. præc. q. vltima vbi ex eo intulimus organum auditus esse substantiam quandam aëream; quia medium illius præcipuum est aër, & inter organum, & medium debet esse similitudo, & simpathia, vt ita possit immutari organum ab obiecto, sicut medium ab eo immutatur.

Quartò contra eandem rationem obiicies: testimonium quoddam Arist. ex l. de sensu, & sensato, lect. 5. apud D. Thom. vbi sensorium olfactus videtur tribuere igni, ac proinde prædominari, in eo siccitatem, & caliditatem, non verò frigiditatem, & humiditatem, & ita ait: *Si oportet secundum hunc modum attribuere, & assignare vnumquodque sensitiuum vni elementorum, oculi quidem visiuum aqua existimandum, aëris verò sonorum sensitiuum: ignis autem odoratum.* Quod etiam docuit D. Thom. ibidem, dicens: *existimandum est quod si visiuum oculi attribuendum sit aqua, &c. igni vero odoratiuum.*

42. Confirmatur, nam si organum odoratus non esset igneum sed humidum, & frigidum, esset aqueum, & ita haberet eandem rationem organi cum organo visus, quod vt supra diximus debet esse aqueum, & per consequens visus, & odoratus petentes idem organum non essent distincti sensus.

Quintò obiicies, plura esse animalia, quæ carent processibus mammillaribus seu prædicta carne spongiosa; ergo non bene asseruimus odoratum in illis subiectari: Patet consequentia, quia in præsenti assignatur subiectum, non huius, vel illius, sed cuius-

uis

vis odoratus, ficut dum fupra affignauimus fubiectum visus, non huius, vel illius, fed cuiufuis visus fubiectum tradidimus.

Vltimò obiicies contra fecundam conclufionem non rectè cohærere cum his, quæ circa organum auditus, & visus diximus: nam proceffus mammillares funt duo, & ita conftituent duo organa, & per confequens erit in quolibet animali duplex odoratus: hoc autem non eft confonum his, quæ loco citato diximus, vbi oftendimus, nullum fenfum externum in quouis animalium multiplicari, fed vnum, & eundem fecundùm numerum fufficere.

Satis fit obiectionibus propofitis.

§. III.

43. AD primam tranfeat antecedens, & negetur vtraque confequentia, & ad probationem prioris, ex qua dependet bonitas pofterioris, dicendum eft: quòd licet odores non olfiant à cerebro, poffunt illud lædere, aut confortare, potiùs quàm plures alias partes animalis, quia fecundùm fuum effe reale multoties afcendunt media fumofa exhalatione vfque ad illud, & prædicta exhalatio multoties habet qualitates confonas, multoties verò diffonas eidem cerebro. Vnde, cum vapores odoriferi afcendant vfque ad cerebrum confortandum, vel fædendum, confonum rationi erat, vt olfactus, quafi explorator, vaporem, locaretur ante cerebrum, ficut in guftu id obferuatum videmus effe nimirum in ore (in parte tamen infra explicanda) collocatum quafi in ianua, vt poffit de cibis iudicare, antequam ad ventriculum dimittantur.

Ad confirmationem dicendum eft, quòd licet inter organum odoratus, & rem odorabilem fit debita proportio, & commenfuratio; nihilominus non debet effe inter illa proportio, & cognatio in hac confirmatione adducta, fed fatis erit, vt inueniatur in eis ea proportio, quam in ratione fundamentali pro affertione priori adduximus, & oftendimus, & aliæ, quæ ex dictis colligi poffunt.

44. Ad fecundam conceffo antecedenti, neganda eft confequentia: nam ad hoc vt organum poffit intentionaliter immutari ab hoc potiùs obiecto, quàm ab illo, debet habere, has potiùs qualitates, & difpofitiones, quàm illas. Vnde ficut vifus, ad hoc vt immutetur, non quidem naturaliter, & phyficè, fed intentionaliter per colorem, & lucem debet effe potentia lucidum, & coloratum, id eft debet effe perfpicuum, quod quidem eft in potentia ad lucem, & colorem; ita ad hoc vt organum olfactus immutetur, ad hoc intentionaliter debet effe in potentia ad odorem, feu vt meliùs loquamur, ad qualitates, illas ex quibus odor caufatur, atque adeò debet effe in potentia calidum, & actu frigidum, & humidum, vt oftenfum eft.

Ad tertiam conceffa maiori, & minori debet negari vtraque confequentia, quia proportio, & affinitas, quæ eft inter organum alicuius fenfus, & medium illius, debet effe diftinctæ rationis ac illa, quæ eft inter prædictum organum, & obiectum: nam organum, & medium habent proportionem inter fe, quatenus vtrumque habet fe, vt quid paffiuum in immutatione intentionali. Cæterum proportio, quæ eft inter organum, & obiectum, eft proportio paffiui ad fuum actuum, ita vt obiectum fit actiuum; organum verò paffiuum, & per confequens obiectum fit in actu; organum verò fit in potentia fuum obiectum, habeatque in potentia eas qualitates ex quibus tale obiectum caufatur; & ita fi obiectum caufetur ex calido, & ficco, modo iam dicto debet organum habere in potentia has qualitates, & oppofitas in actu vt probatum eft.

45. Ad quartam refpondetur Ariftotel. non loqui de organo auditus provt eft olfactiuum, feu, vt præcisè eft in potentia, fed vt aliquo modo reducitur in actum per rem odorabilem, & qualitates ex quibus odor caufatur; non quidem, quia hoc fit fimpliciter neceffarium ad olfaciendum, fed quia hæc præuia alteratio multoties conducat ad meliorem olfactionem ex eo, quòd organum odoratus ex coniunctione ad cerebrum, & diftillationibus illius, folet effe nimis frigidum, & humidum; & ita fi per ficcitatem, & caliditatem, quæ eft in exhalatione deferente odorem, temperetur hæc nimia frigiditas, & humiditas, poteft meliùs odoratus olfacere. Vnde Ariftotel. non dixit odoratiuum, fed odoratum effe ignis, vt denotaret fe loqui de odorato, & organo illius, fecundùm quod eft aliquo modo in actu mediante actione rei odorabilis in ipfum.

Quæ folutio defumitur ex D. Thom. ibidem lection. 5. vbi ad hanc obiectionem fic refpondet. *Dicendum quod id, quod eft odoratus poteft accipi dupliciter: vno modo fecundùm potentiam: alio modo fecundùm actum, & fic eft verum quòd hic dicitur, & ideò fignanter non dixit odoratiuum effe ignis ficut dixerat fenfitiuum fonorum effe aeris, & vifiuum oculi effe aqua, fed dicit odoratum effe ignis; odoratiuum enim dicitur fecundùm potentiam, fed odoratus fecundùm actum.*

Nec refert fi vrgeas, quoniam fi hæc vera effent, etiam poffet dici vifum effe ignis, hoc autem admitti nequit; ergo, &c. Sequela videtur certa: nam etiam vifus fit in actu per ignem ad hoc vt videat: quia fit in actu per lucidum ignis antequam vifionem aliciat. Minor autem probatur teftimonio Ariftotel. 2. de Anima text. 130. Vbi poftquam dixit pupillam effe aquæ, & auditum aëris addidit. *Ignis autem nullius eft, aut omnibus communis.*

46. Refpondetur ex eodem Angel. Doctore lect. 5. iam citata, vbi fic habet: *Dicendum eft ergo quod eodem modo, quo Ariftot. attribuit odoratum igni, nihil prohibet vifum attribui igni non fecundùm proprias eius qualitates, quæ funt calidum, & ficcum, fed fecundùm quod eft lucidus actu.* Vnde, ad formam argumenti conceffa fequela diftinguenda eft minor, iuxta modò dicta, & ad probationem dicendum eft Ariftotelem intelligi de igne vt calido & ficco, & de fenforio, vt præcisè eft in potentia, non verò de igne, vt eft actu lucidus, & reddit in actu fenforium, & organum vifus.

Ad confirmationem refpondetur negando fequelam, & ad probationem occurrit Angel. Doct. lectione 5. de fenfu & fenfato, his verbis: *Dicendum eft autem quod organum odoratus eft aqua in quantum aqua eft potentia calidum quod eft ignis organum autem vifus eft aqua in quantum eft perfpicua, & per confequens lucida in potentia.* Et ita hæc duo organa erunt in ratione organorum effentialiter diftincta, & per confequens petent fenfus fpecie diftinctos.

Ad quintam refpondetur: quod licèt plura fint animalia non habentia prædictam carnem fpongiofam; correfpondet tamen illis aliqua pars fimilis proceffibus mammillaribus, & carni illi fpongiofæ, quoad temperiem fimilem temperiei, quæ in animalibus habentibus carnem iam dictam in ordine ad recipiendum odoratum reperitur; nos autem loquimur, de proceffibus mammillaribus, & carne fpongiofa formaliter fumpta in ratione organi, id eft, provt habet difpofitiones iam explicatas: nam ficut fingula animalia, quia valde diuerfa funt, non poffunt omnem eam ftructuram habere, diuerfarum partium, quæ organum odoratus in hominibus

concomi

concomitantur, quamque num. 37. depinximus; ita nec possunt habere omnes qualitates, & organizationem materialiter concurrentem ad ipsum organum; sed pro diuersitate eorum potest dari diuersitas in eodem organo materialiter accepto.

Ad vltimum negandum est antecedens, & ad probationem dicendum est processus illos mammillares inter se, saltem secundùm aliquam sui partem continuari, & ideò posse constituere vnum, & idem organum respectu vnius & eiusdem odoratus secundùm numerum, vt in simile de organo visus diximus.

DISPVTATIO XIII.

DE GVSTV.

Gvstvs est materialior, quàm visus, auditus, & olfactus, cum eius organum petat immutari priùs immutatione naturali, quàm intensionali, & superat aliqualiter tactum in immaterialitate; vt ex dicendis in hac eadem disputatione patebit; & ideò meritò post tres priores sensus, & ante tactum de illo agimus.

QVÆSTIO PRIMA.

QVID SIT SAPOR?

Saporem esse, non eget discussione, quia illum experientia ipsa veluti digito quodam signat; & ideò quæstione an est in hac disp. sicut, & in aliis de obiectis aliorum sensuum relicta, à quæstione quid est, exordium sumimus.

Ex mente Philosophi, & Ang. Doct. quæstionis nodus dissoluitur.

§. I.

1. Qvamuis diuersi diuersas saporis diffinitiones adducant, nihilominus nos eam solummodo adducemus; quam Arist. de sensu, & sensato lect. 10. apud D. Thom. tradit, vbi sic inquit *Et hoc est sapor, passio facta à dicto sicco*, id est à sicco terrestri, *in humido gustus alteratiua secundum potentiam in actum.* Quam diffinitionem amplectitur ibidem D. Thom. eumque eius discipuli sectantur.

Ponitur ergo primo loco, & per modum generis particula illa *passio*, id est, (vt statim id ex eodem Arist. & D. Thom. lect. 9. de sensu, & sensato ostendemus) qualitas tertiæ speciei, quæ est passio, vel passibilis qualitas. Additur deinde, passionem istam causari à sicco in humido, vt denotetur, tum saporem esse qualitatem secundam causatam ex permixtione primarum; & potissime ex mixtione sicci, & humidi, factam per calorem tanquam per causam, siue virtutem instrumentalem efficientem: Tum etiam, quod licèt facta collatione inter primas qualitates, tunc sapor potius resultet ex commixtione sicci, & humidi, quàm ex aliarum; nihilominus facta comparatione inter siccitatem, & humiditatem tunc potius ex ista, quàm ex illa causetur: vt per hoc inter alia distinguatur ab odore, qui ex siccitate potiùs, quàm ex humiditate prouenit, quamuis vtraque qualitas peculiariter ad illum desideretur.

2. Quæ omnia tetigit Aristot. lectione, apud D. Thom. nuper citata, vbi sic habet. *De odore verò, & sapore dicendum est: fere enim eadem est passio, non in eisdem autem est vtrumque eorum.* Quæ verba sic explicat D. Thom. ibidem: *Nominat autem vtrumque passionem, quia vtrumque eorum est in tertia specie qualitatis, quæ est passio, vel passibilis qualitas. Dicit autem saporem, & odorem fere esse eandem passionem, quia vtrumque causatur ex permixtione humidi, & sicci secundum aliqualem terminationem à calido, non tamen vtrumque eorum est omninò in eisdem, quia odor magis sequitur siccum, & ideò principalius est in fumali euaporatione, sapor autem magis sequitur humidum,*

Notanter autem in eisdem verbis additum est saporem esse passionem causatam à dicto sicco, id est à sicco terrestri; nam licèt duplex sit siccitas: alia ignea: alia terrea, & hæ duæ siccitates non distinguantur essentialiter, sed solùm accidentaliter, nihilominus sapor non ex qualicumque siccitate, sed ex terrea, quæ nutrimentalis dicitur, causatur ex eo, quod siccitas ignea est in materia valdè tenui, & ideo euanida est, ac parum apta ad nutriendum, & consequenter ad saporem vt sic dicamus nutrimentalem causandum.

3. Quod eleganter explicuit Aristot. de sensu & sensato lect. 10. apud D. Thom. his verbis: *Quoniam autem non omnes sicci, sed nutritiui sapores, aut passio sunt, aut priuatio, &c.* Vbi D. Thom. *Dicit ergo primò quòd sapores sunt passiones quantum ad dulce vel priuationes quantum ad amarum quod se habet vt imperfectum, & priuatio ad dulce, sicut nigrum ad album, sed non cuiuslibet sicci, sed nutrimentalis, ex quo scilicet possunt nutriri animalia, & plantæ.*

Vndè, licet humiditas sit etiam duplex: alia nimirum aërea, & alia aquea: ideò sapor non ex illa, sed ex hac posteriori oritur, & propterea particula illa *humido* in diffinitione posita non de humido aëreo, sed aqueo intelligenda est.

Additur tandem, quòd prædicta passio est gustus alteratiua secundùm potentiam in actum, vt per hoc etiam distinguatur sapor ab odore, & ab aliis qualitatibus causatis ab humido, & sicco per actionem calidi, quæ licèt possint immutare alios sensus, non tamen gustum. Vndè D. Thom. loco citato loquens de hac vltima particula sic inquit: *Additur ad differentiam odoris, & quarundam aliarum passionum, quæ causantur ab humido, & sicco per actionem calidi, quæ tamen non sunt immutatiua gustus, sed aliorum sensuum.*

Argumenta

Argumenta contra praedicta.

§. III.

4. SEd obiicies primò contra id, quod diximus, scilicet saporem potiùs se qui ad humiditatem quàm ad siccitatem. Nam si hoc ita esset praemineret in re sapida siccitati; quod quidem est falsum. Sequela probatur: Tum quia ideò odor sequitur potiùs ad siccitatem, quam ad humiditatem, quia in re odorifera praeminet siccitas humiditati; ergo etiam in re sapida ideò sapor subsequetur ad humiditatem potiùs quàm ad siccitatem, ex eo quod illa huic praemineat: Tum etiam, quia si humiditas non praemineret in praedicta permixtione, non esset cur sapor potiùs ab humiditate, quàm à siccitate causetur. Minor autem probatur; quia quàm plurimi sunt cibi valde sicci, vt constat in cibis illis qui deseruiunt ad medendas aegritudines ex nimio praedominio humiditatis prouenientes, in quibus hóc ipso, quod siccitas valdè praemineat, nequit humiditas primatum tenere.

Secundo obiicies contra hoc ipsum saporem non diffiniri ab Aristotel. per hoc quod sit passio facta, ab humido in sicco; sed è contra per hoc, quod sit passio facta à sicco in humido ergo non pote st cum hoc cohaerere, quod potiùs causetur ex humido, quàm ex sicco, vt & in explicatione huius particulae dicebamus Patet consequentia; quia qualitas secunda ab eo potissimè resultat, quod se habet vt forma illius in tali resultantia; sicut ideò color potissimè resultat ex commixtione lucis cum aliis qualitatibus, quia lux se habet vt formale in praedicta commixtione, modo tamen disput. 10. n. 30. & 31. explicato: sed hoc ipso, quod ad generationem saporum habeat se humidum vt patiens à sicco, tunc siccitas impressa à sicco in humido habet se, vt formale, & humidum, vt quid materiale, & potentiale, ergo sapor potiùs ad siccum, quàm ad humidum subsequitur.

5. Tertiò obiicies contra id quod diximus, nimirum particulam illam *humido*, non de humido aëreo, sed aqueo intelligendam esse; nam hinc fieret diffinitionem istam esse diminutam, atque adeò addendam fuisse ab Aristot. aliam particulam per quam praedictum humidum ad aqueum restringeretur. Patet consequentia, nam Philosophus aliquam addidit particulam ad hoc vt siccum ad siccum terrestre restringeret: ergo etiam debuisset aliam addere ad hoc vt humidum ad humidum aqueum coarctaret, alioquin vel illa superflueret, vel haec necessariò desiderabitur.

6. Quartò obiicies contra totam hanc diffinitionem, quòd vna, & eadem res non potest diffiniri per vnicam diffinitionem prout ad diuersos ordines spectat: at in praesenti sic diffinitur per hanc vnicam diffinitionem; ergo malè id fit. Consequentia patet. Minor verò etiam constat; nam hic diffinitur sapor vt pertineat ad ordinem naturalem, & entitatiuum; si quidem diffinitor per hoc quòd sit qualitas secunda causata ex permixtionem iam dicta sicci, & humidi, quod quidem conuenit illi vt ad ordinem naturalem, & entitatiuum spectat; & similiter diffinitur per hoc: quod sit qualitas immutatiua gustus, quod sanè competit illi vt pertinet ad ordinem intentionalem, seu ad genus obiecti sensibilis in esse talis, & vt distinguitur à se ipso in esse rei. Major vero etiam liquet, nam res vt pertinet ad distinctum ordinem non habet vnicam, sed multiplicem essentiam, eamque ad distinctum ordinem spectantem, ergo nequibit vna, & eadem diffinitione diffiniri.

Solutiones argumentorum.

§. III.

7. AD primum respondetur negando sequelam; & ad primam probationem concesso antecedenti neganda est consequentia: quia quod aliqua qualitas secunda oriatur potiùs ex hac, quàm ex illa qualitate prima, potest prouenire, vel ex peculiari natura eiusdem qualitatis primae, & simul ex conditione qualitatis secundae, vt in sapore contingit, vel ex hoc, & insuper ex maiori intensione eiusdem qualitatis primae supra intensionem alterius qualitatis primae sibi oppositae, vt in ordine saltem regulariter loquendo accipit.

Explicatur hoc: etenim odor communicatur per medium, non vtcumque, sed mediante exhalatione, & euaporatione àre odorabili spirata: quae quidem exhalatio ex se sicca, & ignea, non verò aquea est, vtpote ex propria natura sursum petens: hoc autem satis indicat proptrum subiectum odoris, ex siccitate praedominante intensione super humiditatem constare, atque adeò praedictum odorem potiùs ad siccitatem modo dicto praedominantem, quàm ad humiditatem subsequi.

Caeterùm, sapor non communicatur media exhalatione sursum petente, sed secundùm suam entitatem realem vnà cum re sapida coniungitur cum animali: Tum, vt per gustum sentiatur: Tum etiam vt per substantiam illam sapidam per calorem naturalem digestam animal nutriatur: Tum denique vt praedicta res sapida per modum medicinae ad plures aegritudines prouenientes ex nimio excessu humiditatis, medendas deseruiat: si autem res sapida hoc ipso quod talis deberet habere humiditatem intensiorem, & praeminentem in praedicta intensione aliis qualitatibus, tunc non parum laederetur semper lingua illam gustans nec non, & stomachus dum per calorem naturalem digeretur, nec posse ad plures illas aegritudines medendas deseruire.

8. Ex quo etiam ad secundam probationem patet; quia haec est peculiaris natura soporis, vt potiùs ad humiditatem, quàm ad siccitatem subsequatur, vt ex Arist. & Diuo Th. diximus, licet in mixtione ad ipsum per requisita, humiditas in intensione non dominatur siccitati, quamuis semper dominetur ipsi quoad hoc, quod est potiùs ad illam, quàm ad siccitatem saporem sequi. Vndè res sapida ideò inter alias causas necessariò praesupponit humectationem organi gustus, vel eam modo dicendo causat quia sapor potiùs ad humiditatem, quàm ad siccitatem sequitur, & organum ei correspondens non est ita immateriale, vt repugnet sicut aliis organis sensuum perfectiorem, quòd necessariò immotetur prius immutatione naturali, quàm intentionali.

9. Ad secundam respondetur, optime potuisse saporem diffiniri per hoc, quod sit passio facta ab humido in siccum terrestre, vt illum diffinit Toletus in praesenti quia sicut humidum à sicco patitur, ita siccum ab humido repatitor. Caeterum quia ex hoc quod illum modo dicto diffinierit Aristotel. nihil contra nos, aut eius doctrinam sequitur: ideò ad praedictam obiectionem respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, & ad probationem distinguenda est maior, *quod se habet vt formalius* in esse rei, neganda est in esse causae, & radicis concedenda est eodem modo distinguenda est minor: *Siccitas impressa à sicco in humido habet se vt formale, & humidum vt quid materiale* in esse rei conceditur: in esse causae, & radicis saporis negatur; & deindè neganda est consequentia,

quia ad eius bonitatem desiderabatur, vt siccitas haberet se vt quid formale in esse radicis saporis, & non solùm in esse rei, cuius oppositum contingit: nam potiùs humiditas, seu humidum aqueum, habet se vt quid formale in esse radicis, & subiecti, ex eo quod humidum non patitur à sicco, vt siccum sit ratio recipiendi saporem, sed potiùs humidum sit actu, & in exercitio id, ratione cuius sapor recipiatur in illo, & ita siccum deseruit humido, non tamen è contra, & propter eandem rationem potiùs aqueum, quàm siccum dicitur fieri sapidum; proindè, sapor potiùs ad humiditatem, quàm à siccitatem subsequetur, & illa ratione radicis habebit se vt quid formalis.

10. Quæ omnia tetigit Aristot. de sensu, & sensato lect. 10. apud D.Th. his verbis: *Quemadmodum ergo, qui lauant in humido colores, & sapores, talem faciunt habere aquam sic, & natura siccum, & terreum, & per terreum, & siccum collans, & mouens per calidum, quale quidem humidum facit.* Quæ verba explicat D.Thom. ibidem: *Concludit ex præmissis generationem saporum, & dicit, quod sicut illi, qui in humido aqueo lauant calores & sapores, idest corpora colorata, & saporosa, faciunt aquam habere talem colorem, & saporem, ita etiam è conuerso, quando humidum aqueum collatur per siccum terrestre, & cum hoc fit aliqua immutatio à calido digerente, & quodammodo commiscente humido sicco, qualificatur humor aqueus qualitate saporosa.* Vbi vt vides licet humor aqueus colletur per siccum terrestre, seu patiatur ab illo, atque adeò in esse rei habeat se siccitas vt formale, nihilominus id quod dicitur recipere saporem, vel esse rationem recipiendi illum, seu qualificari qualitate saporosa, ac proindè, id cui deseruit prædicta mixtio, non est siccum terrestre, sed humidum aqueum, & ita in ratione radicis, & subiecti saporis hoc erit formalius, & principalius.

11. Potestque hoc explicari exemplo materiæ primæ, & qualitatum accidentalium concomitantium formam substantialem denuo genitam, & ab ea dimanantium, quæ licet in esse rei habeant se, vt quid formale respectu materiæ primæ, quia eam modo alibi explicato informant; nihilominus in esse radicis materialis huius formæ substantialia, potiùs quàm alterius materia prima habet se vt quid formalius, seu vt quid magis principale; quia licet prædicta accidentia concurrant suo modo in genere causæ materialis ad hoc vt potiùs adueniat hæc forma substantialis, quàm illa: nihilominus prædicta forma non in ipsis, sed in materia prima recipitur; & ratio potior recipiendi illam est ipsa potentialitas materiæ; quamuis ad id desideretur prædictus concursus accidentium, & sic potiùs accidentia deseruiunt materiæ, quàm è contra, ita ergo in præsenti, proportione tamen seruata, philosophandum est.

12. Ad tertium neganda est sequela; & ad probationem concesso antecedenti neganda est consequentia; & ad eius probationem dicendum est; quod hoc ipso quod ad saporem petitur siccum terrestre, quia siccum igneum euanidum est, ac proindè ineptum ad nutritionem, & ad saporem nutrimentalem sufficienter ibidem iuxta communem acceptionem Doctorum innuitur, humidum ad eundem saporem desideratum debere propter eandem rationem esse aqueum, quia humidum aëreum etiam est euanidum, vt supra diximus, & ita quod Arist. addiderit particulam aliquam, qua siccum ad siccum terrestre restringeret, non conuincit debuisse, ab eodem addi aliam particulam, qua humidum ad humidum aqueum restringeret, vt ex dictis patet. Videantur ea, quæ ferè in simili disp. 10. n. 45. diximus.

Ad vltimum respondetur concedendo maiorem, & negando minorem, & ad probationem dicendum est: hic tantum diffiniri saporem, vt pertinet ad ordinem naturalem & entitatiuum; nam licet diffiniatur per esse immutatiuum gustus secundùm actum, non tamen per potentiam proximam quam habet ad prædictam immutationem causandam, sed per radicalem: nam licet esse proximè immutatiuum gustus conueniat sapori, vt ad ordinem intentionalem spectat, non tamen esse radicem primam prædictæ immutationis, nam hoc modo alibi dicto conuenit ei secundùm suam naturam, & vt ad ordinem naturalem, & entitatiuum spectat. Vnde, sensus diffinitionia est, quòd sapor est qualitas causata modo iam explicato ex commixtione humidi, & sicci, quæ sit talis conditionis, vt ex ea oriatur vis proxima ad intentionaliter immutandum gustum.

QVÆSTIO II.

Quot sint species saporis, & qua inter illas sint extrema.

13. DE speciebus saporis, potiùs quàm de speciebus odoris quæstionem excitamus; quia species odorum sunt ad instar specierum saporum; vt docet Philosophus de sensu, & sensato lect. 13. apud D.Thom. Et nos faciliùs & meliùs cognoscimus species saporum, quam odorum: & illis cognitis non difficulter media cognitione odoratus, & intellectus in cognitionem specierum odorum deuenimus. Vnde Arist. loco citato lect. 9. apud D.Thom. sic inquit, *Manifestius est autem nobis saporum genus quàm odorum,* & rationem reddit: *Huius autem causa quoniam peiorem habemus aliis animalibus odoratum, & ipsis sensibus, qui in nobis, tactum verò certissimum aliorum animalium, gustus verò tactus quidam est.*

Vbi D.Thom. sic inquit: *Manifestius est autem nobis genus saporum, quàm odorum, vnde de saporibus prius est agendum, ideò autem sapor est nobis manifestior, quia certiori sensu sentitur à nobis: Sensum enim olfactus peiorem habemus, & per comparationem ad cætera animalia, & per comparationem ad cæteros sensus, qui in nobis sunt: cuius ratio est, quia sicut supra dictum est, odoratus in actu perficitur per calidum igneum, est autem organum olfactus circa cerebrum, quod est frigidius & humidius omnibus partibus corporis, vt supra habitum est. Homo autem inter cætera animalia habet cerebrum maius secundùm quantitatem sui corporis, vt dicitur in lib. de partibus animal. & ideò oportet, quod homo deficiat in sensu odoratus, sed homo habet certissimum tactum inter omnia animalia, &c. & per consequens gustum, qui est tactus quidam.* Et ideò meliùs potest de saporibus iudicare, magisque illi saporum species sunt notæ.

Proponitur prior sententia.

§. I.

14. PRima sententia affirmat species saporum esse nouem, octo nimirum quas infra numerabimus, & insuper insipidum, quale est in albugine oui, ex his tamen saporem ponticum, & acutum esse extremos sapores. Ita Galen. 4. simplicium; quem citat Auerroës comm. 150. Prior huius sententiæ pars probari potest ex eo quòd sapor insipidus, per se est obiectum gustus: ergo per se constituet speciem quandam saporis. Patet consequentia, nam sicut odor per se inspectus ab odoratu constituit quandam speciem odoris, ita sapor, qui per se inspicitur à gustu

debet

debet quandam speciem saporis constituere.

Secunda verò eiusdem sententiæ pars probatur, nam illi sapores sunt extremi, qui ratione temperamenti primarum qualitatum, ex quibus causantur, magis accesserint ad aliquas primas qualitates inter se oppositas, & extremas, sed hoc habent sapor acutus, & ponticus, ergo censendi sunt extremi sapores. Maior videtur certa: nam cùm quatuor primæ qualitates extremæ, vt calor, & frigus sint qualitates perfectissimæ in ratione oppositarum extremarum, consequens est, vt illi sapores sint inter se extremi, qui ad aliquas extremas, & primas qualitates magis accesserint. Minor autem probatur, nam sapor acutus causatur ex vehementi, & subtili calido: ponticus verò ex vehementi, & grosso frigido, vt communiter docent Medici.

Sententia Arist. & D. Thomæ præfertur.

§. II.

15. Dicendum est primò, quòd licet species saporum sint quam plurimæ, attamen omnes, vel ferè omnes possunt ad 7. reduci. Ita Aristot. in hoc 2. lib. text. 105. his verbis: *Species autem humorum sunt dulce, & amarum: habita autem sunt, cùm hac quidem pingue, cùm illa verò salsum, media autem horum acre, & austerum, & ponticum, & acutum fere enim hæ videntur esse humorum differentiæ.* Vbi Diu. Th. lect. 21. *Determinat de speciebus saporum, & dicit: quod in saporibus simplices sunt dulce, & amarum, species autem saporũ habita, idest immediatè consequentes simplices species sũt pingue, quod sequitur dulce, & salsum, quod sequitur amarum: media autem horum sunt acetosum, & austerum, & ponticum, & acutum, quæ duo in idem reducuntur, ac proindè erunt 7. Ad has autem 7. species saporum ferè videntur reduci omnes aliæ.* Vnde tam Aristotelem, quàm D. Thom. sequuntur Caiet. in præf. cap. 10. & alij quàm plures.

Cæterùm, vt meliùs intelligatur assertio, oportebit aliqua harum specierum saporum exempla adducere, vt melius prædictæ species cognoscantur, etenim sapor dulcis est in melle, in ficubus, & vuis maturis, & aliis huiusmodi. Amarus in opio, absynthio, selle. Pinguis in rebus vnctuosis, vt pinguedine, medulla, lacte. Salsus in sale, in aqua maris. Acetosus in aceto, & aliquibus putrefactis. Austerus in fructibus ante maturationem. Ponticus in limoniis. Hæ tamen species non sunt iudicandæ infimæ, quia vt bene notauit D. Thomas de senso, & sensato lect. 11. sunt aliæ species plurimæ præterprædictas, omnes tamen, vel ferè omnes ad has reduci possunt.

16. Ratio autem, seu congruentia huius assertionis desumi potest ex his, quæ ex Aristot. & D. Thom. diximus, quæ potest ad hanc formam reduci; nam per gustum, quem inter omnia animalia perfectissimum habemus, sentimus has differentias saporum, ad illas autem omnes ferè aliæ reduci possunt ob similitudinem, quem cum eis habent, vt experientia ex eodem gustu desumpta, constat: ergo rectè omnes, vel ferè omnes species saporum sub prædicto numero septenario continentur.

Aduertendum tamen, has species saporum posse aliter ordinari, licet semper sub septenario numero comprehendi queant, nam sapor pinguis potest reduci ad dulce ob similitudinem, quam inter se habent: quamuis quia hæc similitudo non est omnimoda, valeat etiam vt species condistincta connumerari, sicut etiam sapor ponticus, & acutus, possunt etiam vt distincti recenseri, quia similitudo, quæ est inter eos non est tanta, vt omnino claudatur ianua ad illos distinguendos.

Et ita Aristot. de sensu, & sensibili apud Diuum Thomam lectione 11. nu. 7. species saporum, confundens dulcem cum pingui, & distinguens ponticum, & acutum, dicens: *Qui quidem ergo pinguis est dulcis sapor, amarum verò, & salsum fere idem sunt. Ponticus verò, & austerus, & stiptycus,* seu quod idem est ponticus, *& acutus in medio; ferè enim æquales humorum species, & colorum sunt: septem enim amborum species:* Vbi Diuus Thomas. *Distinguit sapores medios secundum numerum, per similitudinem ad colores: & dicit, quòd species humorum, id est saporum sunt ferè æquales numero speciebus colorum, septem autem species saporum sic numerandæ sunt, vt pinguis sapor non distinguatur à dulci, salsus autem distinguatur ab amaro, ita quòd si his tribus saporibus addantur alij quatuor super enumerati, erunt 7. sapores, similiter etiam rationabiliter dicitur ex parte colorum.*

17. Dicendum est secundò species extremas saporum, seu quod idem est, species simplices, siue inter se contrarias ad quas contrarietas aliarum reducitur, esse dulce, & amarum. Ita Aristot. in hoc lib. text 105. his verbis: *species autem saporum, vt etiam in coloribus simplices quidam sunt, quæ sunt contraria dulce, & amarum.* Quæ verba sic explicat D. Th. ibidem. *Dicit quod sicut in coloribus simplices colores sunt contrarij, vt album, & nigrum, sic in saporibus simplices sunt contrarij vt dulce, & amarum.* Et hoc ipsum docet idem Philosophus de sensu, & sensibili lect. 11. apud D. Th. & S. Doctor ibidem quos sequuntur Auerr. lib. 5. collect. c. 27. Garuius in summa lib. 1. tract. 5. q. 71. Cantaren. lib. de element. Caietan. in præf. c. 19. Iabel. q. 27. Tolet. q. 29. Conimb. q. 1. art. 2. Rubio in fine commen. eiusdem capitis, & alij plures.

Rationem autem fundamentalem tetigit Aristot. loco citato ex lib. de sensu, & sensibili, his verbis: *Quemadmodum autem colores de albi, & nigri sunt mixtione, ita & sapores ex dulci & amaro.* Quam rationem ad hanc ferè formam & sub his ferè verbis proponit Diu. Th. ibidem, nam ideò album, & nigrum sunt colores extremi, & contrarij ad quorum contrarietatem contrarietas cæterum colorum reducitur, quia cæteri colores, scilicet medij generantur ex commixtione albi, & nigri, vel ipsorum secundùm se, vel ex commixtione causarum eiusdem albi, & nigri, sed alij sapores generantur ex mixtione dulcis, & amari, vel ipsorum secundùm se, vel ex mixtione causarum prædictorum saporum dulcis, & amari: ergo dulce, & amarum censendi sunt sapores extremi, & maximè contrarij, ad quos contrarietas aliorum reducitur.

Consequentia cum maiori satis videtur nota, minorem autem quoad primam partem, scilicet sapores medios causari ex diuersa commixtione saporis dulcis, & amari secundùm se satis experientia constat. Quoad secundam verò sic probat Sanctus Doctor. Nam sicut calidum perfectè digerens humidum, causat saporem dulcem, priuatio autem humidi perfectè digesti est causa amaritudinis, ita alij sapores causantur, secundùm quod humidum medio modo se habet, nec totaliter est consumptum, nec totaliter est indigestum, & iuxta maiorem, vel minorem decoctionem, & digestionem, aut indigestionem iam dictam resultant diuersi sapores medij.

18. Nec refert, si contra hanc rationem obiicias: tum quòd extrema sensibilia lædunt sensus, aut dulcis sapor, quamuis sit valdè dulcis non lædit, sed potius reficit, & oblectat illum: ergo non habebit rationem extremi saporis: tum etiam quòd à sapore acerbo ad acrem fit transitus per dulcem saporem, non solet autem in qualitatibus fieri transitus per extremum, sed per medium, ac proinde, sapor dulcis non extremus, sed medius erit.

Non itaque hoc refert, num ad primam ex his impugnationibus, reſpondetur ſaporem nimis dulcem ſi excedat proportionem organi poſſe lædere guſtum, & ita multoties nimietas dulcedinis ſolet cauſare faſtidium ſi quando tamen ſapores valde dulces, illud non cauſant, nec ſenſum lædont, eſt, quia prædictus ſenſus in pluribus hominibus v. g. habet debitam, & connaturalem commenſurationem cum illo, ſicut oculi aquilarum, cum nimia luce.

19. Ad ſecundam verò dicendum eſt: hanc eſſe naturam ſaporum, vt vnus eorum nempè dulcis, qui ſiquidem extremus eſt, non oriatur ex nimio exceſſu primarum qualitatum, & ita per illum ab acerbo ad acerum poteſt fieri tranſitus, non quidem per ſe ſed per accidens, quia hi de extremis qualitatibus multum poſſident, ac proinde, niſi iſtæ remittantur, & ad temperiem reuocentur, ſub qua temperie ſolet euenire ſapor dulcis, non poſſunt duo illa ſapores corrumpi. Adde nihil obeſſe, quòd etiam in aliarum qualitatum generibus aliquando fiat tranſitus à medio per extremum, vt ſi ex ceruleo fiat nigrum, & deinde ex nigro punicum euadat.

Fit obuiam argumentis prioris ſententia.

§. III.

20. AD fundamentum Galeni, pro priori parte ſuæ ſententiæ reſpondetur cum Toleto, ſaporem inſipidum reduci ad dulcem remiſſum, & imperfectum. Ad fundamentum verò pro 2. p. diſtinguenda eſt maior, & conſedenda ſi intelligatur de contrarietate, ſeu extrema diſtantia ſaporum eiſdem accidentali, neganda verò ſi de contrarietate, & extrema diſtantia, per ſe eiſdem conuenıente intelligatur, & deinde eodem proportionali modo diſtinguenda eſt minor, & neganda, ſi ſenſus illius ſit, quòd ſapor acutus, & ponticus habent maximam contrarietatem, & diſtantiam per ſe conuenientem ſaporibus ſecùs verò ſi ſenſus eiuſdem fuerit, quòd poſſunt habere maximam contrarietatem, & extremam diſtantiam, quæ per accidens ſaporibus competit, & tandem eodem modo diſtinguendum erit conſequens, vt intuenti patebit.

Explicatur hoc, etenim ſapores duplex genus contrarietatis, & extremæ diſtantiæ poſſunt habere: aliam quidem prouenientem ex magna participatione frigoris, vel caloris, aliam verò ortam ex prædictis ſaporibus in comparatione ad guſtum, prout natus eſt immutari a ſapore, aut cum horrore, aut cum ſuauitate, inter quas contrarietates, & extremas diſtantias hoc eſt diſcrimen, quòd prior conuenit ſaporibus accidentaliter, & ita amaritudo modò procedit ex calore, vt in opio, modò ex frigiditate, vt in radice peponis, ſicut ob eandem proportionalem rationem contrarietas, & extrema diſtantia inter album, & nigrum deſumpta ex calido, & frigido, ſecundùm ſe ſuptis eſt accidentalis, ex eo quod albedo, modò frigiditate, modò à calore procedit, vt patet in niue, & calce.

Cæterum poſterior contrarietas, & extrema diſtantia conuenit ſaporibus per ſe, & ab intrinſeco, ac ſecundùm propriam naturam ſecundùm quam habent eſſe radicaliter immutatiuos potentiæ guſtatiuæ. Vnde quia ſapor dulcis & amarus maximè habent talē diſpoſitionem, vt eis conueniat eſſe nata maximè immutare guſtum, vel cum horrore, vel cum ſuauitate, ideò eis prædicta ratio contrarietatis, & extraneæ diſtantiæ inter alios ſapores competit, ſecùs autem pontico, & acuto, quibus vis iam explicata immutatiua guſtus, maximè non competit, vt experientia docet.

21. Quæ omnia eleganter explicuit D. Thomas in hoc 2. lib. lect. 21. Vbi poſtquam numerauit ſpecies ſaporum, iam explicatas, ſic ait: *Conſiderandum eſt autem circa has ſpecies, quòd quamuis ſapores cauſentur à calido, & frigido, & humido, & ſicco, & contraria ſint, qua maxime diſtant, non tamen ſecundum maximam diſtantiam calidi & frigidi, & humidi, & ſicci, attendetur contrarietas in ſpeciebus ſaporum, ſed ſecundum ordinem ad guſtum, prout natus eſt immutari à ſapore, vel cum horrore, vel cum ſuauitate. Vnde non eſt neceſſarium quòd dulce, vel, amarum ſit maxime, vel calidum, vel frigidum, vel humidum, vel ſiccum, ſed maximè ſe habeat in tali diſpoſitione, per quam comparatur ad ſenſum guſtus.*

Nec refert ſi obiicias, non cohærere iſta cum his, quæ diximus, ſcilicet ſaporem per ſe, & proximus oriri ab humido iam explicato, nam ſi ita ab illo oritur, fiat inde, vt contrarietas ſaporum per ſe, & maximè ſumatur ſaltem ex maxima diſtantia humidi, & ſicci, necnon, & caloris cauſantis ſiccitatem.

22. Reſpondetur enim, quòd licèt ſapor ſumatur per ſe, & proximiùs ex humiditate iam dicta, non tamen ita, vt ſapor ſummè perfectus ex maxima, aut propè maxima humiditatis participatione debeat ſumi, & ita propria, & per ſe contrarietas & maxima diſtantia ſaporum, non ex maxima diſtantia humidi, & ſicci accipitur, præcipuè cùm ſapor extremus non debeat neceſſariò eſſe valdè ſiccus. Vnde loquendo de permixtione primarum qualitatum ad ſapores diſponente, debet eorum contrarietas accipi ex ea permixtione, quam D. Th. de ſenſu, & ſenſato lect. 11. principio aſſignat, his verbis: *Quia enim ſapor propinquius ſequitur humorem quàm calorem, non oportet conſiderare medium, & extrema ſecundum calidum, ſed ſecundum humidum aliqualiter paſſum à ſicco & calido, quia in hoc principaliter conſiſtit natura ſaporis,* (intellige cauſaliter: vt contextu conſtat.) *Calidum enim perfectè digerens humidum cauſat ſaporem dulcem: priuatio autem humidi perfectè digeſti eſt cauſa amaritudinis: alij verò ſapores cauſantur, ſecundum quod humidum medio modo ſe habet, nec totaliter eſt conſumptum, nec totaliter eſt indigeſtum.*

QVÆSTIO III.

Quod ſit medium guſtus.

23. QVia ab obiecto alicuius ſenſus ad ſenſum ipſum deueniendo ſtatim poſt obiectum primò ſe offert medium, ideò poſt obiectum guſtus de medio illius primo loco agimus.

Pro huius quæſtionis deciſione notandum eſt ex D. Thoma in præſ. lect. 11. duplex eſſe medium, aliud extrinſecum, ſiue extraneum: aliud verò intrinſecum ſiue intraneum, aut coniunctum, ex quibus extrinſecum eſt aliquod corpus, quod non ſit vera pars animalis ſentientis, ſed corpus extraneum interiectum inter organum ſenſu, & obiectum percipiendum, vt contingit in ſenſus viſus, & auditus qui per intermidium aërem, vel aquam; modo iam explicato, percipiunt ſua obiecta medium verò intrinſecum, ſeu intraneum & coniunctum eſt aliqua pars animalis ſentientis intercedens inter ſenſum & obiectum, quia obiectum non niſi mediante aliqua parte animalis inter ipſum, & organum valet percipi: quo pacto, vt ſuprà tetigimus, & infra dicemus, caro eſt medium in ſenſus tactus, & quia animal mediante ſua carne tanquam aliquo intercepto, inter prædictum tactum, & obiectum percipit illud.

Ex

Ex mente Arist. & D. Thom. quæstio deciditur.

§ I.

24. Dicendum ergo est primò medium per se perceptum à gustu, non esse medium extraneum, seu extrinsecum, sed intraneum, & intrinsecum scilicet carnem illam, siue partem animalis, qua neruulus gustatorius tegitur ita communiter Philosophi in præsent. & ideò ab eis in particulari referendis abstinemus.

Assertionem hanc, & eius rationem fundamentalem adduxit Aristot. in hoc 2. libro text. 101. his verbis: *Gustabile autem est quoddam tangibile. & hæc est causa, quare non sit sensibile, per medium extraneum corpus, neque enim tactus. Et corpus in quo est humor, quod est gustabile, est in humido sicut in materia, hoc autem quidem tangibile.* 25. Quam rationem his ferè verbis, & sub hac ferè forma explicat D. Tho. ibidem lectione 21. Nam gustabile est quoddam tangibile, & gustus quidam tactus, sed tactus non sentit suum obiectum per medium extraneum, sed per medium coniunctum: ergo nec gustus, ac proinde prædicta caro, siue pars animalis erit medium illius. Hæc vltima consequentia, non indiget probatione; vt ex notabili adducto patet. Maior verò quoad primam partem probatur à S. Doct. nam sapor, qui est gustabile, radicatur in humido, sicut in materia propria: humidum autem est quoddam tangibile. Vnde manifestum est, quòd gustabile est quoddam tangibile. Quoad secundam verò partem ex hac priori satis liquet, nam si gustabile est quoddam tangibile, etiam gustus erit quidam tactus, vt ex se constat. Minor autem suadetur etiam à S. Doctore, ex eo quod caro est medium in sensu tactus, vt infra patebit.

Confirmatur, ratione desumpta ex his, quæ supra disput. 9. num: 43. & seqq. diximus, nam gustus non potest percipere saporem sine aliquo medio, quia vt loco citato diximus, sensibile positum supra sensum non facit sensationem: at non eget medio externo, ergo interno iam explicato. Consequentia satis constat. Minor autem etiam liquet, quandoquidem experimur nos non indigere aliquo medio externo, vt sapores ciborum gustemus.

Argumenta contra prædicta, & solutio eorum.

§. II.

26. Sed obiicies primò cum Aristot. in præsenti contra hanc assertionem; nam gustus aliquando percipit saporem cibi aliquantulum distantis: ergo sentiet per medium externum. Consequentia patet. Antecedens autem probatur: nam si aquæ in loco aliqualiter distanti ab animali infundatur, mel, tunc sentitur dulcedo illius ab eo, qui prædictæ aquæ gustum applicuerit, cùm tamen mixtio mellis non ibidem, sed in partibus aquæ distantioribus fuerit facta: ergo, &c.

Respondetur, tunc aquam non esse medium, sed ideò sentiri dulcedinem illam, quia illa aqua vsque ad gustum cum melle saltem aliqualiter commiscetur, ex hac commixtione fit dulcis, eo sanè proportionali modo, quo aqua commixta cum vino saporem, & conditionem illius participat. Quare postquam iam aqua ex commixtione facta cum melle redditur dulcis, tunc non sentitur dulcedo, quæ est in partibus remotioribus distantibus à lingua, sed illa, quæ est in partibus aquæ ab eadem lingua indistantibus: non sic autem fit cùm aliquid percipitur per medium externum: nam ad talem perceptionem non est necessaria aliqua commixtio obiecti cum prædicto medio, vt in colore cernitur.

27. Desumitur que hæc solutio ex Aristotel. in hoc 2. lib. text. 101. vbi sic ait: *Vnde, & si in aqua essemus, sentiremus vtique appositum dulce, non autem esset tunc nobis sensus per medium, sed ex eo quod misceretur humido, sicut in potu, color autem non sic videtur ex eo quod miscetur, neque defluxionibus.*

Quæ verba sic explicat, & elucidat Diuus Thomas ibidem lectione 21. *Concludit ex dictis, quòd si essemus in aqua sentiremus vtique corpus dulce appositum in aqua distans à nobis, non tamen esset nobis sensus per medium, sed ex eo quod sapor ille permiscetur aqueo humido, vt accidit in potu puta, cùm permiscetur aqua vel vino, mel, vel aliquid huiusmodi, ipsa enim aqua immutatur naturali immutatione à corpore saporoso, vnde gustus, non percipit saporem corporis distantis, vt est talis corporis sapor, cuius signum est, quòd gustus non immutatur ad aqua sic intensè, sicut natus est immutari à sapore corporis distantis eo, quòd sapor ille debilitatur per admixtionem aquæ, sed color non sic videtur per medium quòd scilicet corpus coloratum admisceatur medio, aut aliquid eius defluat ad visum, vt Democritus ponebat, sed per spiritualem immutationem medij, vnde visus non percipit colorem, vt aeris velut aquæ, sed vt corporis colorati distantis; & secundum eandem mensuram.*

28. Secundo obiicies quòd inter rem sapidam, & gustum mediat saliua: ergo iam mediabit medium externum. Patet consequentia, quoniam saliua est corpus extraneum, quippè cum non informetur eadem forma, qua animal in quo est.

Respondetur cum Bañes 1. quæst. 78. art. 3. tractat. de gustu dub. 1. saliuam non habere rationem medij, sed esse quasi condimentum omnium saporum sed hoc amplius statim magis explicabitur.

Tertiò Diuus Thomas contra rationem assertionis sic obiicit. *Sed si gustus est quidam tactus, videtur quod non debeat distingui contra tactum, cùm species non diuidatur ex opposito contra genus, & sic sequitur, quòd non sunt quinque sensus, sed tantum quatuor.* Maximè cum organum gustus, & organum tactus in eo euentu, non distinguerentur.

29. Confirmatur, nam etiam odorabile est quoddam tangibile eo proportionali modo quo gustabile, & nihilominus inde, non sequitur odoratum esse quemdam tactum: ergo ex eo quod gustabile sit eodem modo quoddam tangibile, non rectè colligitur prædictum gustum esse quendam tactum. Minor cum consequentia satis constat. Maior autem probatur, nam sicut sapor, qui est obiectum gustus non est aliqua qualitas de qualitatibus simplicium corporum, quæ sunt propria obiectu sensus tactus, sed causatur ab eis, & fundatur in aliquo eorum, sicut in materia, scilicet in humido, ità etiam odorabile, non est aliqua qualitas simplicium corporum, quæ sit obiectum tactus, sed fundatur in illa, scilicet in siccitate: ergo propter eandem rationem odorabile erit proportionaliter quoddam tangibile non minus, quàm gustabile.

Respondetur cum eodem S. Doctore negando sequelam, quia gustus non est quidam tactus formaliter aut identicè, sed proportionaliter, & quia fundatur, seu radicatur in illo. Dicitur autem proportionaliter tactus, quia ita se habet in sentiendo suum obiectum ac si esset tactus quidam, nam materialiter tangendo illud, & ei se approximando percipit ipsum. Dicitur verò idem gustus fundari, seu radicari in illo, quia sicut se habet obiectum gustus ad obiectum tactus, sic se habet sensus gustus ad sensum tactus.

Vnde D. Thom. loco citato, sic ait: *Sicut se habet*

obiectum gustus ad obiectum tactus, sic se habet sensus gustus ad sensum tactus. Manifestum est autem quòd sapor, qui est obiectum gustus, non est aliqua qualitas de qualitatibus simplicium corporum ex quibus animal constituitur, quæ sunt propria obiecta sensus tactus: sed causatur ab eis, & fundatur in aliquo eorum, sicut in materia, scilicet in humido. Vnde manifestum est, quòd gustus non est idem, quòd sensus tactus, sed quodammodo radicatur in eo. Ita nimirum, quòd sicut tangibile præsupponitur ad gustabile, & deinde illud concomitatur; ita etiam sensatio tactus præsupponatur, & deinde concomitetur sensationem gustus propter magnam imperfectionem eiusdem gustus, & conuenientiam in minori immaterialitate cum tactu.

30. Ad illud autem, quòd in eadem obiectione additur, scilicet, quòd si gustus esset tactus quidam, idem esset vtriusque organum, ac proinde duo isti sensus specie non distinguerentur. Respondetur cum D. Thom. de sensu, & sensato lectione 5. & Bañes loco citato. Verum esse organum gustus, & tactus quoad eam partem secundùm quam sentiuntur sapores, esse naturaliter idem, non verò formaliter, & in esse organorum, ac proinde, inde non colligi identitatem specificam inter hos duos sensus.

Quomodo autem hæc organa sint materialiter idem, & formaliter diuersa explicuit S. Doct. sic: *Organum tactus attribuitur terræ, & similiter organum gustus qui est, tactus quidam, vt in 3. de Anima dictum est: quod quidem non est sic intelligendum, quasi organum tactus, vel gustus, sit simpliciter terreum, capillis enim, & crinibus non sentimus, quæ sunt magis terrea, sed quia vt 3. de Anima dicitur, terra maximè miscetur in organo istorum sensuum, & de organo quidem tactus ratio ista est, quia vt dicitur 2. de Anima organum tactus ad hoc, vt sit in potentia ad contrarias qualitates tangibiles, debet esse mediocriter complexionatum, & ideò oportet, quod sit ibi secundùm quantitatem plus de terra, quam inter alia elementa minus habet de virtute actiua: de organo autẽ gustus ratio manifesta est, sicut enim organum odoratus debet esse aqueum, vt sit ibi potentia calidum sine quo non sit odoratus in actu: ita etiam organum gustus debet esse terreum, vt sit potentia humidũ sine quo non est gustus in actu.*

31. Vnde licet prædicta organa sint idem materialiter, non tamen formaliter in esse organorum, quia idemmet organum materialiter, vt est in potentia humidum, est organum gustus, & vt est potentia ad qualitates tangibiles modo sequenti disputatione explicando est organum tactus.

Adde, quòd identitas materialis iam explicata organi gustus, & tactus non est adæquata, ita vt tantum se extendat organum gustus, quantum organum tactus, atque adeò semper identificata saltem de materiali permaneant, sed solum est etiam de materiali inadæquata, ex eo quod non tantum se extendat organum tactus, quantum gustus, ex hac autem identificatione de materiali importata, & inadæquata, non sequitur identitas sensuum, vt optimè notauit Arist. in hoc 2. lib. text. 112. vbi de lingua: quæ modo explicato est sensorium gustus, sic loquit: *Omnia enim tangibilia sentis secundùm eam partem, & humorem; siquidem igitur, & alia caro sentiret humorem, videretur vnus & idem esse sensus gustus, & tactus. Nunc autem sunt duo propter id quod non conuertitur.*

32. Quæ verba sic explicat D. Thom. lect. 22. *Sentimus enim per linguam omnia tangibilia, quæ sentimus per alias partes corporis, & vlterius per ipsam sentimus humorem, idest saporem, quæ non sentimus per aliquam aliam partem corporis. Si autem alia caro sentiret saporem, non discerneremus inter gustum, & tactum, sicut nũc non discernimus inter tactum, qui est discretiuus calidi, & frigidi, & tactum, qui est discretiuus humidi, & sicci. Sed nunc apparet quòd gustus, & tactus sunt duo sensus, quia non conuertuntur ad inuicem, non enim per quamcunque partem fit sensus tactus, fit & gustus.*

Ex quo ad confirmationem respondetur aliter saporem, vt est gustabilis, fundari in humido, & aliter odorem, vt est odorabilis radicari in sicco; nam sapor, vt est gustabilis, fundatur in humido, non solum in esse rei, & materialiter sumpto, sed vt prædictum humidum est quoddam tangibile; ac proindè, vt habet rationem obiecti tactus. Cæterùm odor, vt est odorabilis, fundatur in sicco in esse rei, & materialiter sumpto, non verò vt siccum est quoddam tangibile, habens rationem obiecti tactus, cuius signum est, quod ad olfactionem non prærequiritur sensatio tactu per quam formaliter tangat rem odoriferam, nec quod tactio illa vitalis duret dum olfactio durat. Secùs verò ad sensationem gustus, nam eodem modo comparantur inter se obiecta sensuum in esse obiectorum, ac sensationes illorum in esse sensationum.

33. Quod etiam non parum confirmat id, quod de organo tactus, & gustus diximus, scilicet esse idem materialiter, non tamen formaliter, & in esse organorum: nam sicut ratione huius identitatis organa illorum formaliter sumpta in ratione organorum se concomitantur, ita etiam sensationes in esse sensationum, modo explicato, habent inter se connexionem, atque adeò, & obiecta in esse obiectorum formaliter sumpta; & sicut non obstante hac identitate, organum, quod saltem materialiter est organum gustus, prius humectatur, quàm gustat, ita sensatio elicita ab illo prout est organum tactus, & sentit humiditatem, procedit sensationem gustatiuam eiusdem, prout est organum gustus, & per consequens eodem proportionali modo in obiectis in ratione obiectorum consideratis philosophandum erit, & tandem sicut ratione prædictæ prioritatis potest dari tactus, sine gustu; ita tangibile, sine gustabili; licet non è contra.

QVÆSTIO IV.

Quale & quod sit organum gustus?

EXactior cognitio organi gustus ex duobus pendet. Primum, ex cognitione qualitatis ipsius, an nimirum debeat peculiariter esse siccum, vel humidum, &c. Secundum verò, quænam sit illa pars animalis habens prædictam qualitatem, ac proinde rationem organi, & ideò vtrumque in titulo coniunximus.

Expeditur quæstio iuxta Aristotel. & D. Thom. doctrinam.

§. I.

34. DIcendum est primò organum gustus debere esse siccum. Ita Aristot. de sensu, & sensibili lectione 5. apud Diuum Thomam, vbi etiam S. Doctor id optimè explicat, vt numero 30. vidimus, idem etiam docet Philosophus in hoc 2. lib. text. 105. & D. Thom. ibidem lectio 21. quos sequuntur communiter Philosophi. Ratio autem fundamentalis huius assertionis ex Arist. & Diuo Thoma desumpta, iam supra adducta, & explicata est disputat. præcedenti num. 36. & in hac disputatione, n. 30. nam sicut organum visus debet esse in potentia coloratum, & lucidum, idest perspicuum, quia eius obiectum est lucidum coloratum, vt ibidem ostendimus, & similiter

similiter organum odoratus debet esse potentia siccum, quia illius obiectum, scilicet odorabile est actu siccum, ita etiam organum gustus debet esse potentia humidum, quia eius obiectum, scilicet sapor, est actu humidum: ergo etiam debebit esse actu siccum, ita vt hæc sit peculiaris, & maximè propria eius qualitas. Patet consequentia ex ibidem dictis, nam cùm eadem sit potentia contrariorum, & de vno contrario fiat transitus in alterum, fit inde, vt id quod est potentia humidum, debeat esse actu siccum, ita vt hæc sit peculiaris propria eius qualitas, quam actu tunc habet.

35. Confirmatur ratione desumpta ex Aristot. & Diuo Thoma in præsenti lect. 31. nam antequam gustus sentiat, oportet, quòd organum eius humectetur, moderata quadam humectatione: ergo signum est prædictum organum esse potentia humidum, ac proinde peculiariter habere esse actum siccum Consequentia non videretur indigere probatione. Antecedens autem probat Diuus Thomas, his verbis. *Nec lingua existens sicca potest sentire, neque existens multum humida, quia cùm existit valdè humida à præcedente dominante humiditate, fit in ea tactus: & sensus præcedentis humidi, & non superuenientis, sicut cum aliquis ante gustauerit aliquem fortem saporem, postea si gustet alterum, non percipiet ipsum: quia manet adhuc sensus primi humoris in ligna: similiter febricitantibus omnia videntur esse amara, propter hoc, quod sentiunt per linguam plenam humiditate huiusmodi, scilicet cholera, quæ est amara.* Aduertendum tamen quod nomine sicci ad organum gustis præcipue petiri non qualecumque siccum, sed terreum debet intelligi, vt constat ex his, quæ ex Arist. & D. Th. num. 30. diximus.

36. Dicendum est secundò linguam esse organum gustus, non quidem secundùm omnes sui partes, sed secundùm neruum quendam mollem à cerebro descendentem, & per eandem sparsum: ita tamen, vt in linguæ culmine magis vigeat vis gustatiua, & aliqua talium neruorum ad palatum vsque descendat, & ibidem gustus etiam resideat. Assertio hæc quoad duos priores illius partes est Aristotel. cap. 11. de historia Animal. & quoad vltimam est etiam eiusdem 4. de partibus Animalibus cap. 11. Quam etiam docet D. Thomas opusc. 43. dicens: *Gustus est vis hordinata in neruo sparso supra corpus linguam, ad apprehendendum diuersos sapores resolutos ex corporibus contingentibus ipsam:* Et licet opusculum istud non sit omninò certum esse Diu. Thomæ, nihilominus est valde probabile esse ipsius, & ideò illi standum, dum in aliis locis eiusdem S. Doct. oppositum non inueotum fuerit. Quarè assertionem hanc communiter tueotur Philosophi, & propterea singulos oon referemus.

Diximus autem in assertione prædictum neruum mollem esse organum gustus, vt illum distinguamus ab alio oeruo eiusdem linguæ, quod vt beoè notarunt Cooimbricen, in præsenti concessum est linguæ à natura ad alias functiones obeondas.

Ratio aotem fundameotis huius assertioois, non potest aliunde meliùs reddi, quàm experientia ipsa, quæ est testia omni exceptione maior: & ita si res sapida debitè applicetur linguæ secundùm prædictum neruum, experimur eam statim gustari: & si applicetur cuspidi eiusdem linguæ meliùs gustari ac tandem, cùm cibus ad radicem linguæ deuoluitur, etiam ibidem per gustum percipi, quamuis minùs tunc delectet.

Obiiciuntur, & diluuntur aliqua argumenta contra prædicta.

§. II.

37. SEd obiicies primò quod sensorium gustus potiùs deberet esse humidum, quàm siccum ergo malò diximus potius esse siccum, quàm humidum. Consequeotia patet. Antecedens autem probatur, nam indiget tanquam dispositione, humectatione facta per linguam, & ita hac noo humectante illud, tunc cibus vel oullo modo, vel valdè, imperfectè percipitur; ergò signum est sensorium gustus esse humidum; quandoquidem quoduis sensorium petens aliquam dispositionem ad suas sensationes exigit illas quæ sunt consonæ, & similes naturali dispositioni, & qualitatibus propriis.

Confirmatur quia quàm plures sunt cibi valde sicci, vt constat in his cibis, qui ad medendas ægritudines ex nimia humiditate causatas deseruiunt: ergo non est cur organũ gustus potiùs debeat esse actu siccum, & in potentia humidum quàm è contra, siquideoi facta collatione inter obiecta illius, quædam sunt valdè sicca, quædam verò valde humida, & propterea dicebamus organom gustus debere esse actu siccum, & in potentia humidum, quia eius obiectum est actu humidum.

38. Secundò contra eandem conclusionem obiicies: gustum potiùs vigere io radice linguæ, quàm in cuspide illius: ergo noo beoe illum in prædicto cuspide vigere diximus. Antecedens probatus: oam saliua, quæ ad gustandum plurimom deseruit, vt docet Aristotel in præsenti capit. 10. maximè reperitur io radice eiusdem linguæ vbi generatur ex eo quod ad radicem linguæ reperiuntur duæ glandulæ carneæ, quæ suot generatrices saliuæ.

Confirmatur, nam cum neruulus ille iam dictus cum suis ramis sit proprium sensorium gustus oportet, vt vbi neruus iste perfectus fuerit, vbi gustus vigeat: sed neruus hic perfectior est in radice linguæ: ergo in eo magis vigebit gustus. Probatur minor, quia ibidem est maior, & consequenter tantam habebit virtutem ad gustandum, quantam rami minores illius, & insuper illam, quæ pro ratione magnitudinis eidem cooueniri; sicut ignis maior potest longè melius exercere proprias operationes ignis, quam alius minor.

39. Ad primam respondetur negando antecedens, & ad probationem concesso antecedenti negaoda est consequentia, quia humectatio illa, & humiditas per eam causata oon est aliquid teneos se ex parte organi, vt præcisè est sensitiuum, seu vt præcisè est io poteotia in ordine ad gustandum, sed vt incipit esse in actu in ordine ad actionem gustus eliciendam: vnde noo oportet quod ex natura sua potiùs sit humidum quàm siccum, quia, vt supra dicebamus, sensorium, quòd potest immutari per siccitatem debet io ratione sensorij & vt præcisè est sensitiuum in potentia esse actu humidum, sicut etiam illud, quod est immutabile per humidum, debet secundùm prædictam rationem esse siccum: quare ad summum solæ illæ qualitates, quæ sunt dispositiones eiusdem organi io ratione sensitiui cum præcisione sumpti, debent necessariò habere similitudinem, & proportionem illam cum organo in obiectione petitam: noo verò dispositiones illæ, quæ cooueniunt ei, vt incipit esse io actu in ordine ad sentiendum.

Ad confirmationem patet ex dictis in hac disput. à. n. 8. vsque ad 12. quomodo licet plùres cibium sit satis sicci: nihilominus sapor potius sequitur ad eos

quatenus humidi: quàm secundùm quod sicci, & ita organum gustus debet esse actu siccum, & in potentia humidum: non tamen è contra.

40. Ad secundam respondetur: quod licet saliua multum conducat ad gustandos sapores, & vt benè notauit Bañez, sit eorundem condimentum: nihilominus non propterea gustus debet vigere in radice linguæ, vbi maior copia prædictæ saliuæ est: quoniam nimia copia saliuæ, & humiditatis illius gustum aliquo modo obtundit, & ita aliqualiter hebetatur in ordine ad gustandum.

Ad confirmationem concessa maiori, neganda est minor: & ad probationem dicendum est: quod licet maior magnitudo organi soleat quando cætera, sunt paria conducere ad meliorem sensationem eliciendam, sicut cæteris paribus magnitudo ignis prodest ad melius calefaciendum, modo tamen secundo de Generation. iam explicato, non tamen si cætera non sint paria, sicut in præsenti contingit: quia neruus gustatorius in cuspide linguæ est melius dispositus, & attemperatus; quàm in radice linguæ; vbi adeò bonam temperiem non habet, & præcopia saliuæ prope illam existentis, aliqualiter obtunditur, & hebetatur.

DISPVTATIO XIV.

DE TACTV.

SENSVS Tactus, vt ex supra dictis constat, est imperfectior cæteris aliis sensibus, & ideò merito vltimam disputationem, & locum inter alios sensus eidem damus.

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM QVALITAS TANGIBILIS, QVÆ PER TACTVM sentitur, sit illa, quæ est in organo, aut quæ est in obiecto tangibili, aut tandem vtraque.

QVoties sensatio tactus fit: toties plures qualitates tangibiles ibidem inueniuntur. Nam in primis organum tactus constat ex quadam naturali temperie primarum qualitatum ex se tangibilium, per quam disponitur in ordine ad recipiendum prædictum sensum: & insuper solet alterari per qualitates tangibiles, & ita dum sentit calorem calefit ab illo, & dum percipit frigiditatem frigefit ab ea: & per consequens præter calorem, & frigiditatem existentes in organo, est etiam alia frigiditas, vel calor reperta in obiecto tangibili, per quæ organum infrigidatur, vel calefit: vnde meritò dubitamus, vtrùm qualitas, quæ à sensu tactus sentitur, sit ea, quæ existit in organo, siue illa sit illi propria, & connaturalis, siue communicata ab obiecto tangibili: an verò sentiat solam qualitatem, quæ est in obiecto tangibili, vel vtramque.

Refertur duplex opinio.

§. I.

1. PRima sententia asserit, vtramque qualitatem, scilicet illam, quæ est in organo, & eam quæ est in obiecto per eandem partem organi sentiri: ita tamen, vt prior illa ratione sui, & sine hac posteriori illa possit aliquo modo sentiri: hæc verò posterior sentiatur per eam, quæ in organo est. Existimat enim hæc sententia non esse necessariam speciem intentionalem in tactu ad hoc, vt eliciat propriam operationem, sed satis esse v. g. calorē internū vnà cum potentia tactiua ad prædictam operationem. Ita Tolet. 3. huius operis, q. 2. Valesius l. 2. cōtrouers. Medic. c. penult.

2. Et licet sententia hæc quatenus negat tactui species intentionales in ordine ad vitaliter tangendum satis corruet ex his quæ l. 3. disput. 18. q. 1. dicemus. Vbi latè ostendetur, quamuis potentiam cognoscitiuam indigere speciebus intentionalibus ad hoc vt percipiat suum obiectum: nihilominus quia prædicta sententia specialia pro se habet fundamenta, quæ non minoris roboris sunt, siue species intentionales admittantur, siue negentur, ideò eam in præsenti proponere, ac corroborare placuit.

3. Et in primis quòd qualitas tangibilis existens in obiecto extrinseco, & debitè approximato tactui possit absolutè sentiri per illum, non indiget probatione, quoad secundam verò partem, scilicet internam quantitatem organi, qualis esset calor in illo inhærens posse per tactum sentiri. Probatur primò, nam si aliquod animal iuxta solem poneretur, ita vt esset contiguum illi, tunc reuera calefiet à sole, & animal illud sentiret per tactum prædictum colorem, nec non & dolorem, ac distemperiem inde causatam, si calor eidem impressus esset nimius, at tunc nō sentiret calorem residentem in sole: ergo tantum sentiret calorem organi. Maior cum consequentia ex se constat: Minor verò etiam liquet: quoniam sol non est formaliter, sed solum virtualiter calidus: tactus autem non percipit nisi calorem formaliter talem: sicut visus non sentit colorem, aut lucem, quæ non sunt formaliter tales, nec gustus gustat sapores, qui solùm virtualiter ratione saporum participant.

Confirmatur, quoniam experimur, quod febricitantes percipiunt calorem febris, & nihilominus calor ille est in organo sentiente, ergo, &c.

4. Secundò qualitas producta in organo tactus v. g. frigiditas, non est minùs tangibilis, quàm ea, quæ in aqua eidem organo approximata reperitur, & aliàs habet intimiorem coniunctionem cum tactu: ergo cùm frigiditas existens in aqua possit ab illo vitaliter tangi, etiam poterit frigiditatem in organo existentem eodem modo tāgere. Antecedens quoad primam partem probatur: quia frigiditas organi est eiusdem speciei cum frigiditate aquæ: ac proinde vtraque erit eodem modo sensibilis. Quoad secundam verò partem etiam liquet: quandoquidem frigiditas organi ei inest;

ineſt : frigiditas verò aquæ ad ſummum habet indiſtantiam ab illo ; cooſtar autem illam priorem coniunctiooem eſſe longè intimiorem quàm iſtam. Ex quo etiam conſequentia manet perſpicua : nam in his ſenſibus, qui cooiunctionem realem cum obiecto requirunt, nequit maior cum illis coniunctio ſenſationem impedire.

Quoad vltimam verò partem : nimirum quoties qualitas tangibilis v. g. calor in obiecto extrinſeco exiſtens, ſentitur per tactum, toties id fieri per calorem internum in organo exiſtentem, probatur: quoniam ad dignoſcendum an ignis tactui approximatus habeat calorem, nec ne ? non patet alia melior via quàm ſentiendo impreſſionem caloris factam io organo ab illo : ergo ſignom eſt ideò ſentiri calorem in igne exiſtentem, quia ſentitur calor ab eodem igne cauſatus in organo : ac proiode, calor orgaoi erit ratio ſentiendi calorem ignis.

4. Secunda ſententia huic extremè appoſita aſſerit, non poſſe per tactum ſentiri qualitatem tangibilem in organo illius exiſtentem, ſed ſolā eam, quæ in obiecto tangibili exteroo reperitur, & ita externā illā qualitatē per internā minimè ſentiri. Ită plures ex iunioribus qui ſcripta ſua prælo nondum mandarūt.

Quorum fundamentum quoad primam partem eſt: quoniam ſi tactus ſentiret qualitates ſibi inhærentes ſemper eſſet in continua, & actuali ſenſatione: hoc autem eſt contra euidentem experientiam : ergo, &c. Sequela perſpicua eſt ; quandoquidem ſemper in organo tactus eſt aliquis calor ; & cum eo cæteræ aliæ primæ qualitates, quæ ſunt tangibiles.

Nec refert ſi occurras primo quòd hæ qualitates reuera per tactum ſemper ſentiuntur, quamuis ſenſatio illarum continua ideò à nobis non dignoſcatur: quia ab aſſuetis non fit paſſio. Non itaque hoc refert: nam cum omnes ſenſatiooes ceſſent io ſomnis, fieret inde, vt ſaltem cum quis poſt longum ſomnum excitatur, tunc ſentiret per tactum in qualibet parte ſui corporis omnes qualitates organi tactus: cuius oppoſitum experientia docet.

5. Neque etiam refert ſi cum quodam iuniore dixeris: ideò has qualitates non percipi, quia tactus non ſentit illas ſecundùm gradus ſibi connaturales, ſed ſecundùm exceſſum, vnde cum creuerint, & gradum naturalem exceſſerint, reuera per illum ſentientur: & ita non erit vniuerſaliter verum, quod qualitas inhærens in organo tactus, nequit ab illo percipi.

Nam contra hoc eſt: Tum hinc ſaltem ſequi quod quoties calor, vel frigus inhæſerint in gradu præternaturali, toties continua ſenſatio eorum io tactu dabitur. Hoc autē eſt contra experientiam, quandoquidē experimur, quòd ſi quis manum igni applicet, ſentit calorē, ſi remoueat tunc ſaltem paulo poſt, nō ſentit & tamen aliquādiu durat magis calor ille iotenſus, & præternaturalis, quàm duret ſenſatio : tum etiam, nam ſi calor naturalis remittatur, & poſtea intendatur vſque ad debitam intenſionem naturalem, talis calefactio ſentietur : ergo calor in naturali intenſione tactu percipitur, atque adeò ſi calor inhærens, & connaturalis ſentitur, ſemper plenè ſentietur.

6. Nec etiam obeſt, ſi cum aliis reſpondeas tactum non ſentire calorem in facto eſſe, ſed calorem in fieri. Nam contr hoc eſt qualitatem ſenſibilem, eſſe id quod pe ſe primò ſentitur: at calor in facto eſſe habet ratio..em prædictæ qualitatis, in fieri verò, tantum eſt qu..dam motus, ac proinde, ſenſibile quoddam commune : ergo, &c.

Secunda verò eiuſdem ſententiæ pars, ſcilicet calorem internum non ſolùm non ſentiri vt quod, verum etiam calorem externum non ſentiri per internum probatur ſic: nam tactus maiorem calorem percipit, quàm ſit ille, qui ei inhæret : ergo calor inhærens oon eſt ratio ſentiendi calorem extrinſecum, & non inhærentem. Antecedens patet : nam cùm quis applicat manum igni ſentit illicò vehementem, ac moleſtum calorem: & tamen io adeò breui temporis mora non potuit ab igne tantus calor manui imprimi : vt ex ſe conſtat, ergo, &c. Conſequentia verò etiam conſtat, quoniam ſi calor internus eſſet ratio ſentiendi externum, non poſſet ſentiri maior calor, quàm ſit ille, qui ab igne in ea breui temporis morula in organo producitur : ſicut quia color videtur media ſpecie viſibili, non poteſt intenſior color videri, quàm ſit ille, qui per ſpeciem repræſentatur.

Vera Ariſt. & D. Thom. ſententia duabus aſſertionibus explicatur.

§. II.

7. Dicendum eſt primò qualitatem inhærentem in organo nō ſentiri ſaltē per illam partem in qua inhæret, atque adeò loquendo de qualitatibus ſenſibilibus, quæ ei directè correſpōdent, ſolùm percipi per tactum qualitates exiſtentes in obiecto externo debitè ei approximato, ita Ariſtot. & D. Thom. locis ſupra diſputat. 9. n. 45. citatis, quod etiam docet Angelicus Doct. 1. part. quæſt. 78. artic. 3. quæſt. de Anima art. 13. quos ſequuntur omnes Doctores loco citato à nobis relati.

Ratio prior, & fundamentalis huius aſſertionis deſumitur ex his, quæ Philoſophus, & ſanctus Doctor ibidem docent : quoniam ſenſibile poſitum ſupra ſenſum, id eſt contiguum ipſi, impedit ſenſationem; ergo multo magis ſenſibile inhærens eidem ſenſui. Patet conſequentia, quia intimiùs coniungitur cum ſenſu ſenſibile inhærens, quàm adhærens ſeu contiguum ipſi ſenſui ; vt ex ſe cōſtat: ergo ſi ſenſibile adhærens ratione huius coniunctionis nequit ſentiri per ſenſum ſaltem ſecundum eas partes ſenſus, & ſenſibilis ſecundum quas mutuò ſibi, & directè correſpondent, vt ibidem oſtendimus : multò minùs poterit ſenſibile internum per eam partem in qua inhæret ſentiri.

8. Secundam verò rationem fundamentalem tetigit D. Thom. loco citato ex 1. p. & q. de Anima: nam calor internus in vna parte organi inhærens non poteſt eam denuò alterare, aut magis calefacere : ergo non poterit ab eadem parte organi per tactum ſentiri. Antecedens patet, quia calor vt duo nequit alium calorem vt duo in eadem parte producere, aliqui duo accidentia ſolo numero diſtincta eſſent in eadem parte ſubiecti, nec rurſus quærit minorem calorem ibidem efficere, quia ſubiectum habens calorem vt duo, eſt incapax ad recipiendum calorem præciſè vt vnum, vt in lib. de Generat. diſp. 8. n. 5. & 14. oſtendimus. Nec tandem valet in eadem parte ſubiecti calorem intenſiorē cauſare, quia nihil poteſt agere vltra ſuā virtutē, & intenſionē, vt loco citato oſtendimus, ac proinda nulla ratione poterit illā alterare.

Conſequentia verò probatur, nam qualitates tangibiles non ſentiuntur per tactum, niſi priùs immutent illum alteratione phyſica, & naturali, vt D. Th. loco citato fatetur : & nos infra n. 42. & ſequentibus oſtendemus (quamuis id non oriatur ex eo, quòd calor externus per internum tanquam per formalem rationem ſentiendi percipiatur : ſed aliunde, vt ibidem dicetur) ergo ſi calor inhærens in organo non poteſt phyſicè, & naturaliter immutare partem illam organi, nequibit per illam ſentiri.

9. Dicendum eſt ſecundò quamuis qualitas tangibilis v. g. calor, nequeat ſentiri ab ea parte organi

in

in qua Inhæret, potest tamen percipi à parte viciniori paululum tamen distanti, dummodo prædicta qualitas sit iotensiot in priori illa parte organi, quàm in hac posteriori, ita vt sit aliquo modo causa coloris, vel intensionis illius, quæ in prædicta parte viciniori reperitur. Vnde si secunda sententia oppositum huius aliquo modo vellit, reiicienda est. Assertio hæc satis colligitur ex his, quæ disp. 9. n. 49. & 54. ac 55. ea Aristot. & Diuo Thoma diximus: & in hac disp. ex eisdem dicemus, & eam tenent doctores in disp. illa iam citat.

10. Deinde ratione fundamentali ea Aristot. & D. Thoma in hoc 2. l. c. 11. desumpta sic suadetur: nam tactus per se loquendo, solùm requirit obiectum tangibile exuperans, seu magis intensum & debita approximatum, necnon medium internum, ac tandem aliquam alterationem physicam aliquo modo causatam ab illo in organo: sed calor inhætens in aliqua parte organi est qualitas tangibilis quandoquidem est eiusdem speciei cum externo calore, & potest esse intensior, quam calor, qui est in parte viciniori, & paululum distanti, & deinde adest ibid. medium inter vtramque partem, alioquin non essent inter se paululum distantes: & tandem potest esse ibidem alteratio physica aliquo modo causata ab illa parte priori, quia supponimus hanc propter maiorem coniunctionem cum calore externo, esse magis intensam, ac proinde, posse esse aliquo modo causam caloris existentis in parte paululum distanti ab illa, & ab eodem calore externo: ergo nihil oberit quominus calor ille inhærens in parte illa priori possit sentiri ab alia parte viciniori, & paululum distaoti.

Minor cum consequentia satis constant. Maior verò etiam liquet, quoniam hoc ipso quod adsint prædictæ conditiones, statim obiectum tangibile immutat intentionaliter, & sufficienter tactum vt intuenti parebit: tactus autem sufficienter in ordine intentionali immutatus potest optimè actionem vitalem tangendi elicere.

11. Sed obiicies; satis credibile esse, quod neruus tactiuus in aliquibus sui partibus sit durior, quàm in aliis, & tamen nullus vnquam talem duritiem per partem vicinam, & paululum distantem sentit: nec testimonium sed dedit illius partis, quæ durior est: ergo falsum erit, quamlibet qualitatem tangibilem exuperantem, & inhærentem posse per partem viciniorem, & paululum distantem sentiri.

Nec satis erit si recurras ad defectum alterationis, & immutationis physicæ, qui ibidem inuenitur. Quoniam licet admittatur requiri prædictam alterationem in qualitatibus primis, quæ sunt actiuæ, non tamen in secundis, quæ hoc ipso quod secundæ sunt expertes actionis naturalis, prout distinctæ ab intentionali: & ita ad earum sensationem non potest desiderari, quòd aliquam partem organi realiter, & naturaliter immutent, seu altereut. Cæterùm ad hanc obiectionem meliùs infra in hac eadem disputatione num. 66. occurremus.

Fit obuiam argumentis initio adductis.

§. III.

12. AD primum primæ sententiæ respondetur Suar. 2. tom. summæ Theologiæ tract. 5. lib. 3. c. 27. n. 4. tunc sentiri ipsammet virtutem calefactiuam solis vt vicem caloris subit: hoc autem sic explicat, & probat: nam virtus illa producendo calorem in animali producit etiam in tactu intentionales species eiusdem rationis, cum his, quas ipse calor ignis produceret: & ita posset tunc calor virtualis solis sentiri; sicut visus aliquando potest intueri sub ratione coloris, id quod verè coloratum non est, habet tamen virtutem ad caloris species producendas: vnde, sicut in ea visione falleremur, si non corrigimur intellectu: ita tactu illo laberemur in errorem iudicando, solem calore si non succurrat idem iotellectus.

Sed hæc solutio displicet: Tum, quia vt in hoc argumento diximus, sicut olfactus nequit olfacere nisi id, quod formaliter est odoriferum: nec visus videre, nisi id quod formaliter participat rationem lucis, aut caloris: ita nec tactus potest percipere calorem verbi gratia, nisi sit formaliter talis: quia ex quatuor primis qualitatibus illæ solommodò, quæ sunt formaliter tales, participant formaliter rationem obiecti tangibilis: Tum etiam quia ex hoc, quòd in sole sit calor virtualis, solùm sequitur quòd possit producere calorem, non tamen quòd possit immittere speciem repræsentantem illum: & dato, quòd produceret eam, tunc prædicta species non repræsentaret virtutem actiuam solis, sed calorem formalem, ac proinde solus iste in eo euentu sentiretur: sicut licet solus Deus causet in intellectu Angelico species connaturaliter ipsi debitas: nihilominus prædictæ species non repræsentant Deum formaliter, sed alias res naturales: atque adeò per illas per se primò & directè noo Deus, sed prædictæ res naturales possunt intelligi.

13. Confirmatur, nam id, quod in casu argumenti faceret virtus solis, posset immediatè fieri à Deo, & tamen tactus tunc non sentiret Deum causantem calorem: ergo nec sentiet virtutem solis illum causantem: quoniam etiam virtus hæc est extra latitudinem obiecti adæquati tactus, vt explicatum est.

Quare aliter ad argumentum respondetur ex dictis: tunc animal illud non sensurum virtutem calefactiuam solis, sed per vnam partem orgaoi sentiri calorem intensiorem, qui est in alia: nam cùm in eo euentu sol non imprimeret æqualem calorem io omnibus partibus animalis: quia illæ, quæ ipsi proximiores essent, reciperent priùs intensiorem calorem, & ita possent realiter, & intensionaliter immutare alias partes paululum ab istis, & ab eodem sole magis distantes: consequens esset, vt pars illa aliquantulum distans à parte viciniori solis posset sentire calorem iotensiorem eiusdem partis vicinioris ipsi soli.

14. Adde, tum satis esse ad hoc, vt caloc ille sentiretur, quod sanguis nutrimentalis calefieret, quia sanguis iste, vt ex dictis disputatione 6. numero 9. constat, oon est realiter contiouus cum animali, sed sicut propria forma substantiali informatur ita est suppositum omninò condistinctum ab illo, & ideò posset calor illius seotiri: Tum etiam, quod iuxta senteotiam D. Thom. in hac eadem disputatione numero 76. tradendam sensorium tactus est neruus quidam, non verò caro, aut aliqua alia corporis pars, & ita prædictus neruus poterit sentire calorem carnis qua tegitur; & tamen quod semper saluetur axioma illud, quod sensibile supra sensum positum non facit sensationem, quia ad hoc satis est quoduis quantumuis minimum tegumentum, seu particulam carnis inter vtrumque mediare ad hoc, vt calorem carnis paulisper distantis, & per se directè, non verò ad latus vel correspondentem (vt iuxta priorem solutionem contingit) possit sentire. Per quæ ad confirmationem eiusdem argumenti satis constat.

Ad secundum respondetur, qualitatem inhærentem in organo esse quidem tangibilem ab alia parte paululùm distanti, si adsint conditiones iam dictæ,

non

non tamen ab ea in qua inhæret; quia licèt sit eiusdem speciei cum alia qualitate tangibili alicuius obiecti externi, nihilominus ad hoc vt sit omnino proximè tangibilis, non sufficit hæc vnitas, sed requiritur vt secundùm suam entitatem sit paululum distans ab ea parte organi per quam sentienda est: vt ita saluetur axioma illud, nimirum, quòd sensibile positum supra sensum non facit sensationem.

15. Quare, licèt in his sensibus imperfectioribus, scilicet in gustu, & tactu requiratur coniunctio realis obiecti cum organo, & potentia, vt est quasi cooperta cum medio interno illius, non tamen coniunctio, vel contiguatio cum eadem parte organi per quam sentiendum est; & multò minùs vnio per inhærentiam cum illa, quia hæc à fortiori multo magis impediet, ne qualitas tangibilis immittat speciem proportionatam sui ad organum ad hoc vt per illam sentiatur.

Ad fundamentum verò eiusdem sententiæ quoad vltimam eius partem dicendum est, non ideò dignosci calorem ignis, quando manus calefit ab illo, quia calor participatus à manu sit ratio per modum speciei impressæ per quam calor ignis sentitur; sed quia aliquo modo concurrit, scilicet per modum conditionis ad talem sensationem ea eo quod nequit vt ea dicendis in hac disp. n.42. constabit, ignis immittere speciem proprij caloris ad tactum, nisi priùs per alterationem physicam organum eius calefaciat.

16. Ad primum pro prima parte secundæ sententiæ, quatenus aliquo modo potest procedere contra nostram, dicendum est, ideò qualitatem tangibilem existentem in vna parte organi non semper, & incessanter sentiri ab alia viciniori, & paululum distanti, quia non semper sunt inæquales in intensione prædicti calores: atque adeò non semper vna potest ab alia alterari, quod tamen vt ea dictis, & ea infra dicendis, constabit, ad prædictam sensationem requirebatur.

Ad fundamentum verò eiusdem sententiæ quoad secundam eius partem respondetur, optimè conuincere contra priorem sententiam, non tamen contra nostram, vt ea dicendis num.55. patebit.

QVÆSTIO II.

Vtrùm tactus solas excellentias, aut exuperantias obiecti tangibilis; an verò etiam gradus æquales, aut inferiores sentire possit?

POstquam explicuimus, tactum posse sentire qualitatem tangibilem, quæ est in obiecto debitè approximato, restat, vt explicemus, quæ nam conditiones in eodem requirantur ad hoc, vt possit sentiri, & quia vna ex potissimis de quibus dubitari potest, est excellentia, seu exuperantia eiusdem obiecti supra similes qualitates, quæ in organo reperiuntur, propterea ad hoc explicandum præsentem quæstion. excitamus.

Proponitur duplex opinio.

§. I.

17. PRima sententia asserit tactum posse optimè sentire, non solùm excellentias obiecti tangibilis, sed etiam æqualem aut minorem intensionem ac est ea, quæ in simili qualitate in organo existente reperitur. Ita aliqui recentiores, quos suppresso nomine refert Rubio in præsenti quæst. 4. Probatur primò, nam obiectum tangibile non immutat tactum per modum agentis liberi, sed per modum agentis naturalis; sed agentia naturalia operantur in quantum possunt: ergo obiectum tangibile immittet speciem repræsentantem qualitatem tangibilem non solùm secundùm excellentias, sed secundùm totam eam intensionem secundùm quam est in eodem obiecto, ac proinde tactus non solùm sentiet exuperantias obiecti tangibilis, sed etiam omnes illius gradus minoris, aut æqualis intensionis: ac sunt illi, qui in simili qualitate reperiuntur in organo. Maior cum minori videntur satis perspicuæ, & communiter receptæ à Philosophis. Prima verò consequentia etiam constat: nam sicut omnis, & quæuis intensio ibidem reperta est obiectum tangibile, ita potest immittere speciem sui; atque adeò si prædictum obiectum operatur per modum agentis naturalis, & quantum potest, debet immittere speciem repræsentantem totam illam intensionem. Posterior verò consequentia ea hac priori apertè sequitur, nam potentia informata per speciem potest sentire quidquid per illam repræsentatur.

18. Secundò probatur eadem sententia, & simul confirmatur ratio præcedens, supponendo tamen priùs id, quod supra disp. 9. n. 29. diximus; scilicet in hoc distingui sensus externos à potentia intellectiua; quod hæc, ea natura sua est præcisiua, ea eo quòd est liberior, & purior à materia, & ita potest præscindere, & cognitione sua separare ea, quæ in rebus ipsis coniuncta sunt, aut nullam realem, & actualem distinctionem habent: at verò sensus externi, & in vniuersum quælibet potentia sensitiua, vt talis nequit præscindere, sed sicut materialis est, ita cognoscit res valde materiales, & cum conditionibus materialibus quibus est immersa: & ideò visus verbi gratia, nequibit percipere solam albedinem, quamuis prædicta albedo sit proprium sensibile illius, sed debet eam percipere, vt coniunctam cum quantitate, figura, situ, aliisque dispositionibus materialibus, cum quibus à parte rei est veluti inuoluta.

Hinc ergo sequens deducitur argumentum; nam vel calor, vt octo verbi gratia immittit speciem repræsentantem omnes, & singulos ea his gradibus, vel non: si primum, habetur intentum quia vt nuper dicebamus, quidquid per speciem repræsentatur potest percipi per potentiam informatam per illam. Secundum autem dici nequit, quia vt modò asserebamus, est contra naturam potentiæ sensitiuæ, vt præscindat, & cognitione sua separet ea, quæ in re adunata sunt maximè si intra latitudinem obiecti per se illius contineantur: at si ubiectum immitteret speciem repræsentantem, solummodo excellentias illius caloris, tunc tactus præscinderet, & gradus illos intra latitudinem, sui obiecti contentos non cognosceret adunatè, sed cognitione suæ illos separaret; ergo, &c.

19. Tertiò, quia non solùm percipiuntur gradus minores, aut æquales vna cum excellentiis sed etiam per se, & soli, quando obiectum tangibile prædicta excellentiis caret; vt puta si organum tactus esset calidum vt quatuor & obiectum tangibile solùm haberet calorem, vt vnum: ergo, &c. Antecedens quo ad priorem partem constat ea dictis, quo ad secundam verò probatur; nam cùm calidum illud vt vnum sit obiectum per se tangibile, poterit vtique vitaliter tangi à tactu, alioquin rationem obiecti tangibilis non haberet, sicut illud quod nequit attingi à visu non haberet rationem obiecti visibilis.

Nec satis erit si respondeas, calorem illum vt vnum ea se tangibilem, per accidens tamen non percipi à tactu ea eo quod habet calorem intensiorem. Nam contra hoc est, quod obiectum per se tangibile peris

petit potentiam per se tactiuam illius, ita vt si hæc nequeat dari, tunc nec prædictum obiectum possit habere rationem obiecti tangibilis: at si tactus solùm potest sentire exuperantias sui obiecti, non dabitur tactus qui per se loquendo sit tactiuus caloris vt vnum: ergo eo ipso calor ille non esit obiectum pes se tangibile, quod tamen est cootra Aristotelem, & omnes Philosophos. Minor probatur: quoniam nullus datur tactus, qui per se loquendo possit esse in organo non habente maiorem calorem, quam sit calor vt vnum, ac proindè, si tactus nequit percipere nisi solas exuperantias; consequens erit, vt nullus detur tactus per se tactiuus prædicti caloris vs vnum.

20. Secunda sententia conuenit cum præcedenti quo ad qualitates secundas tangibiles, vt duritiem, & mollitiem quamuis dissentiat ab eo quo ad qualitates primas, & actiuas, vt calorem, & frigus. Ita Murcia in hoc 2. l. disp. 10. quæst. 2. Sententia quoad secundam eius partem constabit ex dicendis pro nostra; quoad ptimam verò probatur primò. Nam sæpa contingit aliquem habentem manum nimis mollem percipere minorem mollitiem, quæ est in alterius manu, vt experientia docet: ergo istæ qualitates non actiuæ poterunt percipi per tactum, etiam si, quoad intensionem noo excedant similes qualitates, quæ in organo existunt.

Secundò, quia si propter aliquam rationem tactus non posset percipere nisi qualitatem intensiorem; maximè quia ad immutationem intentionalem tactus factam mediis speciebus tangibilibus prærequiritur immutatio naturalis, & physica ab eodem obiecto causata, quæ tamen dari nequit nisi obiectum tangibile habeat qualitatem illam in gradu magis excellenti, quam organum, vt quæst. præced. ex D. Thom. dicebamus: at hæc ratio solùm potest habere locum in qualitatibus actiuis non verò in his qualitatibus secundis, & tangibilibus: ergo, &c. Minor probatur: nam cùm hæ qualitates secundæ sint expertes totius actionis naturalis, & physicæ, nequit ad immutationem intentionalem ab eisdem causatam prærequiri aliqua alteratio physica per quam organum alterent. Quæ argumenta adeò conuicerunt suum auctorem, vt propter illa Aristot. quod has qualitates deseruerit, significans quod amicus Arist. sed magis amica veritas.

Sententia Aristot. & D. Thom. magis arridet.

§. II.

21. DIcendum tamen est, tactum solùm sentire excellentias, seu exuperantias obiecti tangibilis, non verò gradus, aut quasi gradus æquales, aut inferiores. Ita Aristot. in hoc 2. lib. text. 117. his verbis: *Vnde similiter calidum, & frigidum, aut durum, & molle non sentimus, sed excellentia tanquam sensu, vel vt medietate quadam existente prius, quæ in sensibilibus contrarietatis, & propter hoc discernit sensibilia.* Vbi D. Th. lect. 3. sic ait: *Non enim sentimus id quod est calidum, aut frigidum, durum, aut molle, secundùm illum modum quo hæc insunt organo tactus: sed sentimus excellentia tangibilium, quæ si organo tactus, consistente in aliqua medietate inter contrarias tangibiles qualitates.* Vnde Arist. & S. Doctorem communiter sequuntur Flandria Caiet. Rubio, & alij plures.

Assertio hæc potest imprimis probari tum manifesta experientia: nam cùm habemus manum nimis calidam non sentimus calorem minus intensum alterius manus, sed illud figuris exuperans frigiditatem: quæ est in manu nimis calida, & similiter manus nimis mollis non percipit minorem mollitiem alterius, sed maiorem duritiem, quæ est in illa. Hoc autem manifestè indicat tactum non sentire obiecta tangibilia, nisi secundùm exuperantias: tum etiam ex his, quæ præced. quæst. num. 9. adducta sunt. Nam licèt tactu non percipiantur qualitates inhærentes in organo ita vt per eam partem in qua inhærent, sentiantur, nihilominus secundùm aliam vicinam, & paululum distantem, benè possunt prædictæ qualitates sentiri, vt ibidem ostendimus: ergo si tactus potest percipere qualitates, etiam si non sint exuperantes, sed minoris, vel æqualis intensionis; non erit cur non simus in continua sensatione caloris, frigiditatis, aut aliarum qualitatum actiuarum existentium in organo: etiamsi nulla in bis inueniatur distemperies; vel saltem non erit cur sæpissimè easdem non sentiamus, vt loco citato ostendimus.

22. Deinde probatur ratione ex Aristotel. & Diuo Thoma loco citato ex hoc lib. 2. desumpta, quamque ex breuibus compendiosis tamen verbis adduxit Arist. *Oportet sicut debent sentire album, & nigrum, neutrum ipsorum habere actu: potentia verò vtrumque sic autem, & in aliis, & in tactu, neque calidum neque frigidum.*

Eam autem ad hanc ferè formam, & sub his penè verbis reduxit D. Thom. ibidem: nam organum tactus debet esse in potentia ad qualitates tangibiles, quas perceptutum est: ergo non potest percipere eas qualitates, secundum quas est in actu, sed solùm eas, ad quas est in potentia: ac proindè, si organum sit in actu per calorem, vt quatuor v. g. nequibit sentire calorem vt quatuor, aut aliquid prædictæ intensionis, sed solum exuperantias ad quas sola est in potentia. Antecedens patet; nam organum alicuius sensus patitur à suo sensibili: ergo oportet sensum, & organum illius esse in potentia, non verò in actu in ordine ad sensibile, quod ab ipso sentiendum est quandoquidem vnumquodque patitur secundùm quod est in potentia, non verò secundùm quod est in actu.

23. Prima verò consequentia apertè videtur sequi ex antecedenti, & ita videmus, quod organum visus debens sentire album, & nigrum, & alias colorum differentias, non est actu coloratum, quamuis sit in potentia ad colores.

Confirmatur ratione, quam innuunt Aristotel. & Diuus Thom. locis quæst. præced. adductis; quamque ibidem tetigimus: nam qualitates tangibilus verbi gratia, calor non immutant intentionaliter potentiam, nisi priùs naturaliter, & physicè organum immutent, vt ibidem innuimus, & quæstione sequenti ex professo dicemus: at organum, & quoduis aliud passum, quod pati debet per passionem naturalem, & physicam, debet carere ea forma, vel qualitate, quam recipit, vt in lib. de Generat. disput. 8. num. 5. & 14. fusiùs ostendimus: ergo si ad hoc, vt tactus immutetur intentionaliter per calorem, vt quinque v. g. ac proinde possit sentire illum, debet carere eo, non poterit sentire nisi exuperantias eiusdem caloris, quibus solummodo caret.

Obiectiones contra prædicta, & enodatio earum.

§. III.

24. NEc obstat, si contra hæc obiicias primò rationem hanc, & eius confirmationem ex Arist. & D. Thom. desumptam, non probare intentum saltem in qualitatibus non actiuis; quoniam ab istis organum tactus solum intentionaliter patitur; ac proindè satis erit quod sit in potentia ad prædictas species & eis careat, non verò quod sit in potentia ad qualitates

qualitates tangibiles secundùm suum esse reale, & naturale sumptas. Non itaque hoc refert, quoniam ad obiectionem istam satis constat ex his, quæ in simili disp. 12. n. 44. diximus.

Nec etiam refert, si secundò obiicias: quòd si ratio facta aliquid conuinceret conuinceret vtique organum tactus debere esse denudatum ab omnibus qualitatibus tangibilibus, hoc autem est contra euidentem experientiam: ergo, &c. Sequela patet: nam visus quia percepturus est colores, ideò ex se caret omni colore; ergo etiam tactus, quia percepturus est qualitates tangibiles, debet esse secundum se actu denudatus ab omnibus illis.

25. Respondetur enim ex D. Thom. lect. citat. vbi postquam dixit organum sensus, quod debet sentire aliquod sensibile, debere esse in potentia ad illud, statim addidit: *Aliter tamen accidit hoc circa tactum, & circa alios sensus; nam in visu organum visus est in potentia ad album & nigrum, denudatum à toto genere albi, & nigri; est enim penitus carens colore; sed organum, & medium tactus non potest denudari à toto genere calidi, & frigidi, humidi, & sicci. Componitur enim ex elementis, quorum hæ sunt propria qualitates; sed sic fit in potentia organum tactus ad sua obiecta, in quantum est medium inter contraria. Medium autem est in potentia ad extrema, & propter hoc quantò animal habet complexionem magis reductam ad medium, tanto habet meliorem tactum vnde homo inter alia animalia est melioris tactus, vt supra dictum est.* Sed hæc amplius num. 28. & 28. explicabuntur.

Nec denique obest, si obiicias tertiò organum gustus esse actu sapidum, & nihilominus mediante illo gustat animal omnes sapores, vt experientia docet: ergo malè diximus organum tactus; & vniuersaliter organum cuiuslibet sensus, debere esse in potentia ad eas qualitates sensibiles, quas percepturum est. Maior videtur certa, & ita experimur plures linguas animalium esse optimi saporis.

26. Non igitur hoc obest (& si prima faciei videatur vrgere) quoniam maior est falsa loquendo de organo gustus formaliter sumpto in ratione organi, quamuis si sermo fiat de eo materialiter, possit admitti. Et ita ad rationem organi, non requiritur semper quod non solum formaliter, sed etiam materialiter sumptum sit denudatum à natura sui obiecti.

Et deinde, concessa minori, neganda est consequentia, quoniam organum tactus in ratione organi formaliter sumpti, constat ex quatuor primis qualitatibus tangibilibus ad mediocritatem redactis, & ita non potest immutari ab illis nisi secundùm excellentiam secundùm quam excedunt temperiem, quam prædictum organum de facto habet.

Diximus, non semper requiri, quod organum alicuius sensus etiam materialiter sumptum sit denudatum à natura sui obiecti, quoniam aliquando propter excellentiam sensus, & maiorem eius immaterialitatem desideratur, quòd non solùm formaliter in ratione organi, sed etiam materialiter careat natura sui obiecti, & ita organum visus v.g. propter suam excellentiam petit, vt sit omninò denudatum à natura coloris, vt omnem colorem rectè percipiat: è contra verò organum gustus, propter sui minorem immaterialitatem, & magnam imperfectionem, solùm petit, quod in ratione organi sit denudatum à natura saporis, quamuis eidem materialiter sumpto, & habenti aliàs rationem organi permittatur, vt non sit omnino denudatum ab illa.

27. Secundò respondetur, esse satis probabile, quòd inter sensus externos hoc est proprium organorum visus, & auditus propter maiorem perfectionem horum sensuum supra alios, vt possint percipere omnem latitudinem sui obiecti; & non solùm exuperantias, seu excellentias illius, & ita secundum se debent esse denudata à tota latitudine sui obiecti, & esse in potentia ad eam, vt possint omnem illam percipere. Cæterùm alij tres sensus defectu prædictæ perfectionis, non possunt percipere omnem latitudinem illius qualitatis, quæ aliàs est proprium obiectum cuiuslibet ex illis; sed tantùm excellentias eorum, vel quæ sunt simpliciter tales, vel in comparatione ad organa prædictorum sensuum, & ita satis est, quod sint denudati à prædictis excellentiis & in potentia ad illas, &c.

Vndè, sicut organum tactus calidum vt tria non potest percipere, nisi calidum v. g. vt quatuor & similiter idem organum, dum est calidum, vt quinque, non potest sentire, nisi calorem exempli causa, vt sex; ita gustus habens saporem, vt vnum, nequibit percipere eiusdem saporem in obiecto gustabili si non sit excellentior: & similiter sicut in tactu, quia habet quatuor primas qualitates redactas ad mediocritatem, & est perceptiuus excellentiarum obiecti, propterea licèt sit calidus, non ideò omnia tangibilia apparent illi calida: sic ob eandem rationem, licèt organum gustus habeat aliquid satis tamen exiguum saporis; non ideò omnia alia gustabilia apparerent illi eiusdem saporis, quem ipse habet, quamuis propter oppositam rationem, si organum visus esset alicuius determinati coloris, licèt satis remissi, tunc omnia obiecta visibilia apparent illi eiusdem coloris, quem proprium illius organum retinet.

28. Tertiò tandem, & meliùs magisque consonè ad doctrinam D. Thom. respondetur, maiorem esse falsam, & ideò Arist. non solùm visui, sed etiam omnibus aliis sensibus tribuit, quod sint in potentia respectu sensibilium, quæ ab ipsis percipienda sunt, vt ex verbis ipsius in hac quæst. num. 22. relatis, apertè constat. Et ita D. Thom. ibid. lect. 23. sæpiùs citata sic inquit. *Oportet sicut organum quod debet sentire album, & nigrum, neutrum ipsorum habeat actus, sed vtrumque in potentia, & eodem modo in aliis sensibus.*

29. Vnde quia iuxta doctrinam Arist. & Diui Thomæ locis citatis proprium est tactus, vt distinctus ab aliis sensibus saltem externis, quod solum recipiat exuperantias tangibilium, tanquam quid in actu exercito sentiendum; propterea proprium est illius, vt solus ipse inter alios sensus iam dictos sit per se loquendo denudatus ab exuperantiis obiecti tangibilis; non tamen à tota latitudine eius, vt optimè notauit idem Angelicus Doctor de veritate quæst. 2. art. 2 ad 8. vbi sic ait: *In apprehensiuis potentiis non semper est verum, quod potentia denudetur totaliter ab specie sui obiecti: hoc enim fallit in illis potentiis, quæ habent obiectum vniuersale sicut intellectus, cuius obiectum est quidditas, cum tamen habeat quidditatem, oportet tamen quod sit denudatus à formis illis, quas recipit: fallit etiam in tactu propter hoc, quod si habeat specialia obiecta, sunt tamen de necessitate animalis. Vnde organum eius non potest esse omnino absque calido, & frigido, est tamen quodammodo præter calidum & frigidum, in quantum est mediè complexionatum: medium autem neutrum extremorum est.*

Contra quod non vrget experientia illa de linguis animalium optimum saporem habentibus. Quoniam vt ex dictis disp. 13. num. 36. constat, lingua non est organum gustus secundùm se totam, sed secundùm illum neruulum mollem; qui per linguam sparsus est: & ita possunt prædictæ linguæ animalium esse valdè saporosæ ratione plurium aliarum partium, quas habent quamuis prædictus neruus sit denudatus ab omni sapore.

30. Nec refert si obiicias, quod si semel organum gustus debet esse denudatum à natura sui obiecti ex eo quod est in potentia ad hoc vt per illud im-

mutetur; tunc etiam medium debet eodem modo esse denudatum à natura eiusdem obiecti, siquidem est etiam in potentia ad hoc vt per illum immutetur; sed licet lingua secundùm se totam non sit organum gustus, est tamen medium intraneum illius: ergo debebit etiam secundùm se totam carere sapore, cumque hoc euidenti experientiæ repugnet: fiet inde, vt neque ad rationem medij, nec organi gustus, aut aliorum sensuum requiratur, quòd habeant prædictam denudationem, & carentiam naturæ sui obiecti.

Non itaque hoc refert: quoniam caro illa linguæ solum per accidens, & materialiter habet rationem medij intranei, non autem per se, & formaliter; quia ad gustum solùm desideratur vt aliquid intraneum, & valde subtile, mediet inter gustum, & obiectum gustabile, & ita illa tantùm pellicula, qua immediatè tegitur neruus gustatorius, est medium per se, & formale respectu gustus; ac proindè, hæc solummodo debet carere sapore; quia solùm medium per se, & formale debet esse denudatum à natura sui obiecti.

31. Nec etiam obest, si vrgeas esse similiter per accidens ad visum, vt per intermedium vitreum viride, percipiat calorem, & nihilominùs prædictum vitreum impedit, ne alij calores rectè videantur, quia non est denudatum à natura obiecti visibilis: ergo si semel petimus ad medium, & organum prædictam denudationem, debet hoc etiam extendi ad media siuè per se, siuè per accidens, & materialiter, ad visionem concurrentia, vt in exemplo vitri contingit.

Non igitur hoc obest: quoniam vt optimè notauit Caietan. 1. p. quæst. 50. art. 5. §. *ad euidentiam verò secundi modi*, aliquid conuenire alicui per se, id est non per accidens, stat dupliciter. Vno modo simpliciter, alio modo physicè: inter hos autem modos conueniendi per se est hoc discrimen, quod illud quod conuenit per se primo modo, non supponit aliquid non necessarium, quia competit ex habitudine terminorum; id autem quod conuenit per se secundo modo ex dictis, potest supponere aliquid non necessarium, licèt facta prædicta suppositione necessariò conueniat; & hoc modo corruptio Sortis competit illi per se; quia licèt supponat aliquid non necessarium, nimirum productionem Sortis: attamen hoc supposito necessariò conuenit illi, necessitate tamen naturalis cursus, quod aliquando corrumpatur.

32. Ad rem ergo, licèt, dum quis per intermedium vitreum videt, tunc illud vitreum non sit medium per se perseitate simpliciter; est tamen medium per se perseitate physica, quia semel supposita applicatione prædicti vitrei ad visum seu, quod interponatur inter visum, & obiectum, concurrit per se per modum medij, & non se habet ibidem materialiter; & ita videmus, quod multoties per interpositum vitreum intermedium, & rectè dispositum, multò meliùs videmus.

Cæterum, copia illa, vt sic dicamus carnis, quæ est in lingua, nec per se simpliciter, nec per se physicè concurrit vt medium, nec ab illa in ratione medij per se pendet gustus, sed solùm materialiter, & per accidens; quia gustus ratione suæ magnæ materialitatis tantam petit coniunctionem materialem cum suo obiecto, vt non petat tanquam per se, vel perseitate simpliciter, vel perseitate physica, nisi illam quasi pelliculam valdè subtilem, qua neruulus gustatorius immediatè tegitur, sicut è contra visus ob suam immaterialitatem maiorem petit medium extraneum, & quidquid inter visum, & obiectum intercedit, & est idoneum ad transmissionem specierum visibilium, seu habet rationem perspicui, retinet etiam rationem medij perseitate physica respectu illius: videantur, ea, quæ infra disp. 16. n. 35. dicuntur.

Soluuntur fundamenta vtriusque sententiæ initio adducta.

§. IV.

33. AD primum respondetur agentia naturalia operari, quantum possunt iuxta capacitatem subiecti; vnde quamuis ignis habeat octo gradus caloris, non ideò in passo habente quinque gradus eiusdem caloris potest producere gradum, seu quasi gradum, qui sit formaliter quintus; quamuis aliàs idem ignis posset illum imprimere in passo, quòd sit calidum præcisè vt quatuor: at organum tactus habens calorem, vt quatuor, non est capax ad hoc vt immutetur à calido vt octo per speciem intentionalem repræsentantem eundem calorem, vt formaliter habet esse, vt quatuor, sed solum ad recipiendas species caloris secundum exuperantias propter rationes in assertione factas, & ideò non mirum, quod obiectum tangibile solum imprimat tactui species sui quoad exuperantias, in quibus superat organum tactus.

Ad secundum respondetur eligendo posteriorem partem illius dilemmatis; & ad probationem in contrarium dicendum est, id non prouenire ex eo quòd sensus tactus habeat vim præcisiuam, & suam cognitionem separatiuam eorum, quæ adunata, & identificata sunt, quæque intra latitudinem sui obiecti cum omnibus circumstantiis requisitis reperiuntur, sed quia in vniuersum quæuis potentia apprehensiua exterior debet esse in potentia ad suum obiectum, & denudata ab illo secundùm suum organum, vel omninò, vel saltem secundùm excellentias, modo tamen suprà explicato, vt in tactu contingit, & ita qualitates tangibiles non exuperantes, sed æquales, aut minores, non erunt omninò intra latitudinem sui obiecti, seu cum omnibus requisitis ad hoc vt sentiantur, & ideò tactus solùm percipiet excellentias illius qualitatis non perceptis gradibus, aut quasi gradibus æqualibus, vel minoribus, sicut licet in eodem pomo sint adunata, sapor, odor, & color, nihilominus visus percipit colorem non percepto sapore; gustus saporem non percepto colore, &c. ex eo quod non omnia ex his continentur intra latitudinem singulorum ex prædictis sensibus: ita ergo proportione seruata, quoad præsens philosophandum est.

34 Ad tertium respondetur negando antecedens, & ad probationem dicendum est: calidum vt vnum esse per se tangibile ex parte formæ; non verò ex parte tantitatis (vt sic dicamus) eiusdem formæ; quia verò prædicta tantitas aliquo modo per accidens coniungitur cum forma, scilicet cum calore, ideò potest concedi esse à tactu per se sensibilem, id est ex parte formæ, & aliquo modo per accidens non esse sensibilem ab illo, seu ratione tantitatis eiusdem formæ, aliquo modo per accidens cum illa coniunctæ: sicut data materia prima omnium minima, quæ proinde esset sub minima omnium formarum substantialium, esset receptiua ex parte potentiæ eiusdem materiæ plurium aliarum formarum substantialium, quamuis ex parte quantitatis potentiæ non posset actu recipere illas. Vnde, sicut prædicta materia esset per se receptiua earundem, idest ex parte potentiæ; quamuis aliquo modo per accidens, id est ex defectu tantitatis potentiæ, non posset actu, & in exercitio eas suscipere: ita in præsenti debita tamen proportione seruata philosophari debet.

35. Quare

35. Quare solutio ibidem tradita, & hoc modò explicata, non est reiicienda: & ad probationem in contrarium respondetur satis esse ad rationem obiecti per se tangibilis ex parte formæ, quòd detur potentia in ratione potentiæ præcisè per se tactiua illius, id est habens eam proportionem cum illo in ratione potentiæ, & obiecti, quam quæuis potentia debet habere cum suo obiecto ex parte formæ præcisè, & absque tantitate einsdem formæ considerato, non tamen quòd detur potentia per se tactiua illius, id est habens omnem eam proportionem cum ipso, quam tactus, & quælibet alia potentia debet habere cum suo obiecto sumpto tam secundùm ea, quæ dicit ex parte formæ, quam secundùm illa, quæ inuoluit ex parte tantitatis eiusdem formæ.

Vnde ad hoc vt tactus possit percipere obiecta, quæ non sunt tangibilia, etiam ex parte formæ debent illis addi, tam qualitas tangibilis, quæ habet se per modum formæ, quàm tantitas debita, seu exuperans eiusdem qualitatis; at verò vt possit percipere obiecta per se tangibilia ex parte formæ, non verò ex parte tantitatis illius, sufficit quod addatur debita tantitas; sicut ad hoc, vt valeat vitaliter tangere qualitates tangibiles tam ex parte formæ, quàm ex parte tantitatis, seu qualitatis tangibilis exuperantes, non est necesse, vt aliquid ex his duobus iam dictis eis addatur. Quarè, cùm calido vt vnum correspondeat potentia per se tactiua illius in sensu iam explicato, id est, vt habet proportionem illam priorem cum ipso: ideò meritò dicitur obiectum per se tangibile, id est obiectum ex parte formæ per se sensibile ab illa.

36. Nec refert, si obiicias non rectè cohærere hæc cum assertione; nam si semel tactus non percipit nisi exuperantias qualitatum, & consequenter nisi tantitatem exuperantem earundem, fiet inde, vt formalissima ratio per quam redduntur tangibiles, non sit qualitas ipsa, verbi gratia calor, sed tantitas caloris, & consequenter tantitas ista non se habebit per accidens ad tangibilitatem ex parte qualitatum se tenentem, neque ex defectu illius manebit qualitas per accidens intangibilis: per se verò tangibilis.

Non itaque hoc refert quoniam non ideò ab Arist. & Diu. Thoma dicitur tactum sentire solas exuperantias; quia exuperantiæ ipsæ, non verò qualitas ipsa sentiatur, sed quia qualitas non sentitur, nisi tantummodo dum est sub exuperantiis, & ideò quod per tactum sentitur, est coniunctum illud ex vtroque coalescens; seu qualitas vt est sub exuperantiis; ita tamen, vt qualitas sit forma potissima tangibilis, exuperantiæ verò sint modi intrinseci eiusdem qualitatis, & formæ, & in ratione talium sensibiles.

Ad primum secundæ sententiæ respondetur in illo euentu non percipi per manum molliorem illud minoris mollitiei, quod est in manu alterius; sed id quod est maioris duritiei in illa; sicut dum manus calidior tangit alteram minus calidam, non minor calor huius, sed maior eius frigiditas sentitur.

37. Ad secundum respondetur: quod si semel qualitates secundæ ex se tangibiles aliquo modo immutant naturaliter, & physicè organum tactus, antequam alterent ipsum intentionaliter (de quo quæst. seq. dicemus) tunc concedenda est maior ad hunc sensum, quod illa ratio repugnantiæ in ea contenta est sufficiens, & neganda minor, & ad probationem dicendum esset; qualitatem secundam non posse esse causam immutationis, per quam producatur similis qualitas, & ita mollities non potest producere aliam mollitiem, non tamen non posse causare aliquam aliam immutationem naturalem & physicam.

Vnde, cum communiter dicitur qualitatem secundam non esse actiuam, debet intelligi de actiuitate per quam producant sibi simile: si autem qualitates tangibiles secundæ non debeant immutare medium immutatione naturali, & physica prius quàm illud intentionaliter immutent; tunc neganda est maior; quia ratio propter quam prædictæ qualitates non sentiuntur, nisi secundùm exuperantias est, quam ex Arist. & Diu. Thoma adduximus, scilicet quia organum tactus debet esse in potentia obiectum tangibile, & ita non potest, nisi secundùm exuperantias illud sentire.

QVÆSTIO III.

Quomodo obiectum tangibile immutet intentionaliter tactum?

IN titulo aliquid vt certum supponimus, & aliquid in dubium vocamus, Supponimus enim, obiectum tangibile immutare intentionaliter tactum, vt ferè omnes Philosophi docent & ex dicendis disput. 18. quæstione 2. constabit. Vocamus autem in dubium, quomodo hæc immutatio fiat: an nimirum ad illam requiratur, quod obiectum tangibile immutet etiam per immutationem naturalem & physicam organum tactus, ad hoc vt speciem intentionalem sui immittat; an verò possit absque dependentia à prædicta immutatione naturali, & physica immutare intentionaliter potentiam tactiuam?

Adducitur prior sententia.

§. I.

38. PRima sententia inquit; non esse per se necessariam immutationem naturalem, & physicam, causatam ab obiecto tangibili, ad hoc vt idem obiectum per species sui immutet intentionaliter tactum, sed satis esse realem, & materialem contactum inter illum, & suum obiectum. ita Rubio in hoc lib. tract. de sensu tactus, quæst. 3. Prior huius sententiæ pars, scilicet non esse per se necessariam alterationem physicam, & naturalem probatur primò: nam immutatio aliqua nequit fieri, sine eo quod per se requiritur ad illam, sed quamuis organum tactus non alteretur physicè, & naturaliter ab obiecto tangibilis; nihilominus potest prædictum obiectum immutare tactum intentionaliter: ergo signum est alterationem physicam, & naturalem non esse per se necessariam ad hanc immutationem intentionalem.

Maior cum consequentia sati sperspicua est. Minor autem etiam liquet: nam qualitates secundæ, & tangibiles, quales sunt durum, & molle immutant intentionaliter tactum, siue eo quod organum illius physicè, & naturaliter alterent: quandoquidem ex quo capite sunt qualitates tangibiles possunt intentionaliter immutare tactum; ex quo capite sunt qualitates secundæ, ac proindè non actiuæ per alterationem physicam, & naturalem, nequeunt physicè, & naturaliter organum alterare.

39. Nec satis erit si dixeris: alterationem hanc non esse per se necessariam ad immutationem intentionalem tactus, vt sic, sed solùm ad specialem immutationem, & sensationem qualitatum tangibilium, & simul actuarum per physicam, & naturalem alterationem quæ neque speciem sui, nisi dependen-

ter ab hac alteratione imprimunt in tactu, neque ab illo non præcedente prædicta alteratione sentiuntur.

Nam contra hoc est: quod qualitates tangibiles non actiuæ non habent maiorem efficacitatem in ordine ad immutandum tactum; quàm qualitates primæ, & actiuæ per alterationem naturalem, sed potiùs minorem: ergo si qualitates secundæ possunt absque prædicta alteratione immutare intentionaliter, & sufficienter tactum; etiam qualitates primæ id poterunt; ac proindè, licèt aliàs intercedat ibidem aliqua alia alteratio naturalis, & physica; nihilominùs hæc non erit per se requisita ad immutationem intentionalem, sed per accidens cum illa coniungetur. Antecedens probatur, nam cum prædictæ qualitates habeant vim ad agendum per realem, & naturalem actionem, quæ difficilior, & efficacior est: consequens erit, vt habeant maiorem efficacitatem, quàm aliæ qualitates tangibiles ad immutandum tactum per immutationem intentionalem, quæ ex propria latitudine est satis imperfecta.

40. Secundò obiectum tangibile instantaneè immutat tactum per species intentionales, ac proindè tactus etiam instantaneè sentit illud; sed alteratio organi fit successiuè, & in tempore: ergo aduenit postquam immutatio intentionalis, & sensatio tactus factæ sunt, & per consequens ad eas non desiderabitur. Vtraque consequentia satis constat. Minor verò etiam liquet, quandoquidem alteratio illa est verus, & physicus motus, atque adeò debet in tempore fieri.

Maior autem probatur, & explicatur simul: nam si calidum approximetur per motum organo tactus; tunc in vltimo instanti terminatiuo motus verè enuntiabitur de illo; quod tunc primò est immediatum organo, quia cùm acquisiuit vltimam præsentiam terminatiuam motus localis, & contiguum illi, & præsentia illa comparata est in vltimo mutato esse terminatiuo motus: ergo etiam in eodem instanti, verum erit quod tunc primo ei imprimit speciem sui, & quod in eodem instanti sentitur per tactum; si quidem agens approximatum passo, & carens contrario, quale est agens intentionale, debet in instanti producere suum effectum, & similiter sensus in eodem instanti, in quo actuatur per speciem obiecti sibi approximati, sentit suum obiectum.

41. Tertiò eadem sententia, quod ad vltimam sui partem, scilicet esse necessarium, realem illum contactum inter sensorium tactus, & obiectum tangibile, probatur: quoniam ad hoc, vt obiectum alicuius sensus immittat speciem sui, debet esse debita approximatio inter ipsum, & sensorium illius; ita, vt hæc sit maior, vel minor iuxta diuersam naturam obiecti sensibilis, & sensus: at debita approximatio inter obiectum tangibile, & sensorium tactus requisita ad hoc, vt immutetur intentionaliter obiectum, est, quod prædictum sensorium sit realiter contiguum: ergo hæc approximatio, & contiguitas ad prædictam immutationem desiderabitur.

Maior in cæteris aliis sensibus, & in quibuscumque causis, & effectibus satis patet. Minor autem probatur; quoniam contactus quilibet naturalium corporum in hoc distinguitur à contactu vitali, seu perceptione illa, per quam tactus vitaliter percipit obiectum, quod contactus naturalis solùm dicit coniunctionem immediatam corporum naturalium; contactus verò vitalis importat hanc eandem coniunctionem, & insuper addit notitiam, seu perceptionem proprij obiecti sibi approximati à principio vitali elicitam: ergo ad sensationem tactus necessariò requiritur contactus, & contiguatio obiecti tangibilis; & per consequens hæc eadem contiguitas desiderabitur ad immutationem intentionalem factam ab obiecto tangibili: quandoquidem eadem approximatio requiritur ex parte obiecti, & sensus ad immutationem intentionalem factam per species, & ad perceptionem eiusdem obiecti, vt in visu, & auditu, & cæt. constat.

Ex mente D. Thom. quæstionis difficultas quo ad primas qualitates tangibiles expeditur.

§. II.

42. Nihilominùs dicendum est primò qualitates primas tangibiles, scilicet calorem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem per se, & necessariò immutare organum tactus physicè, & naturaliter ad hoc, vt eundem tactum per species intentionales immutent. Ita D. Thomas 1. part. quæst. 78. art. 3. vbi postquam dixit sensum esse quod est potentia passiua nata immutari ab exteriori sensibili, multiplicari secundùm diuersam immutationem per se ab illo petitam, statim vt enumeraret diuersas immutationes per se a sensibus desideratas addidit: *Est autem duplex immutatio. Vna naturalis, & alia spiritualis, sed in quibusdam sensibus inuenitur immutatio spiritualis tantùm, sicut in visu, &c. Ex parte autem organi est immutatio naturalis in tactu, & gustu, nam & manus tangens calida calefit, & lingua humidatur per humiditatem saporum: organum verò olfactus, aut auditus nulla naturali immutatione immutatur in sentiendo nisi per accidens.*

In quibus verbis vt vides vtramque immutationem, tam naturalem, quàm intentionalem petit, vt necessariam in sensu tactus, & gustus ad hoc, vt sentiat suum obiectum; atque adeò ad hoc, vt intentionaliter ab illo immutentur, & in hoc distinguit hos duos sensus ab aliis, quod in organis aliorum non debet esse per se loquendo aliqua immutatio naturalis ad hoc, vt sentiant: ac proinde recipiant species intentionales, sed si quæ inuenitur tantùm erit per accidens.

43. Quod etiam docuit idem Sanctus Doctor in eodem artic. in solutione ad 9. & quæst. vnica de Anima art. 13. his verbis: *Quia verè sensus proprius qui est primus in ordine sensitiuarum potentiarum immediatè à sensibilibus immutatur, necesse fuit quod secundùm diuersitatem immutationum sensibilium in diuersas potentias distingueretur. Cùm enim sensus sit susceptiuus specierum sensibilium sine materia; necesse est gradum & ordinem immutationum, quibus immutantur sensus à sensibilibus accipere per comparationem ad immateriales immutationes. Sunt igitur quædam sensibilia, quorum species licet intentionaliter in sensu recipiantur, tamen etiam materialem immutationem faciunt in animalibus sentientibus. Huiusmodi autem sunt qualitates, quæ sunt principia transmutationum etiam in rebus materialibus, sicut calidum, frigidum, humidum, & siccum, & alia huiusmodi. Quia igitur huiusmodi sensibilia immutant, nos etiam materialiter agendo, materialis autem immutatio fit per contactum, necesse est, quod huiusmodi sensibilia contingendo sentiantur: propter quod potentia sensitiua comprehendens ea vocatur tactus.* Vndè S. Doct. sequuntur Caiet. 1. p. q. 78. art. 3. Ripa ibidem, nec non, & Bañes in eodem loco, tract. de tactu. dub. 1. Murcia hoc 2. lib. disp. 10. q. 1. dub. 2. & communiter Philosophi, &c. & Doctor. Fernandez lib. cit. quæst. 7. de immediata doloris causa.

44. Rationem autem fundamentalem huius assertionis insinuauit idem S. Doctor locis cit. quæ potest sub hac forma proponi: nam quo magis à colo-

re,

re, v. g. existente in igne alteratur organum, eo magis tactus calorem per se loquendo sentit : ergo signum est, tunc calorem per se habere vt producat in organo speciem intensiorem : ergo etiam hoc indicauit, quod ad perfectioris speciei, imò, & ad cuiuscunque speciei productionem requiratur per se in primis qualitatibus tangibilibus, vt per physicam alterationem organum alterent.

Prima consequentia patet : quandoquidem perfectior, & intensior sensatio non nisi mediante specie intensiori causatur, maximè si potentia semper sit eodem modo applicata, vt in præsenti supponitur. Secunda verò quo ad primam eius partem satis liquet : si namque vsque dum intensior calor adueniat, nulla ratione producitur perfectior, aut intensior species; consequens erit, vt hæc maior intensio, & perfectio speciei necessariò, & per se requirat prædictam alterationem physicam. Ex quo etiam secunda eiusdem consequentiæ pars satis patet : quoniam sicut se habet intensior calefactio ad productionem intensioris, & perfectioris speciei ac sensationis, ita calefactio simpliciter ad productionem speciei intensionelis, necnon ad sensationem simpliciter acceptam.

45. Antecedens autem experientia constat; nam si per flammam ignis moueatur manus velociter, tunc parum caloris sentitur, & si paululum tardior sit talis motus, percipitur maior calor, quod si vel nullo modo, vel valdè lentè manus moueatur; tunc tactus longè maiorem sentit calorem : cum igitur dum primo modo mouetur, imprimatur ei minor calor, & dum secundo; tunc paululum magis calefiat, &c. signum eiusdem est, quòd quo magis calefit, eò magis calorem sentit, perfectiorque sensatio à tactu elicitur. Et hoc ipsum etiam confirmat, quòd quò intensior est calefactio eo maior dolor in organo causetur: ergo cùm dolor fiat etiam media sensationis tactus, modo tamen alibi dicendo; consequens erit, vt tunc etiam eliciatur melior sensatio.

Idem indicium quo ad qualitates secundas tangibiles ex doctrina eiusdem S. Doctoris fertur.

§. III.

46. Dicendum est secundò etiam qualitates secundas tangibiles, vt duritiem, & mollitiem per se, & necessariò debere immutare organum per immutationem physicam, & naturalem, ad hoc vt tactum intentionaliter immutent. Assertionem hanc tuetur etiam S. Doctor. in eadem quæst. 78. art. 3. in solutione ad 4. iam citata vbi sic habet. *Si verò tactus sit vnus sensus, tantum propter vnam communem rationem obiecti dicendum erit; quod secundum rationem diuersam immutationis distinguitur gustus a tactu : nam tactus immutatur naturali immutatione, & non solum spirituali quantum ad organum suum, secundum qualitatem, quæ ei propriè obiicitur : gustus autem organum non immutatur de necessitate, naturali immutatione secundum qualitatem, quæ ei propriè obiicitur vt scilicet lingua fiat dulcis, vel amara, sed secundum præambulam qualitatem in qua fundatur sapor scilicet secundùm humorem, qui est obiectum tactus.*

47. In quibus verbis vt vides in hoc distinguit gustum à tactu, quod iste debet immutari, tam spiritualiter seu intentionaliter, quàm materialiter per eandem qualitatem, quæ est proprium obiectum illius : secus verò ille. Quare cùm qualitates secundæ, & tangibiles, vt mollities, sint propria obiecta tactus, & intentionaliter illum immutent; fit inde, vt iuxta hanc doctrinam D. Thomæ debeant eundem, seu organum illius, materialiter seu immutatione naturali, & physica immutare, non vtcumque sed per se, & necessariò, quia iuxta verba S. Doctoris hic est proprius modus, quo tactus immutatur.

Idem etiam tenet idem Angelicus Doctor in verbis à nobis numero 43. ex eadem quæst. de Anima art. 13. relatis vbi postquam dixit esse quædam sensibilia, quæ non solum spiritualiter, seu intentionaliter sed etiam materialiter, siue naturaliter immutant sensum siuè organum, de quo ibidem loquebatur, scilicet sensum tactus, statim enumerans quænam sint illa sensibilia, quæ tactum vtroque modo immutant, inquit, vt ibidem notauimus. *Huiusmodi autem sunt qualitates, quæ sunt principia transmutationum, etiam in rebus materialibus sicut calidum, frigidum humidum, & siccum, & alia huiusmodi.*

Vbi expendenda est particula illa, *& alia huiusmodi*; nam per eam apertè denotat, quod vltra quatuor primas qualitates tangibiles; quas immediatè antea S. Doctor. enumerauerat, sint aliæ tangibiles qualitates quæ eundem sensum siuè organum eius, tam spiritualiter, quam materialiter, seu intentionaliter immutent, cumque vltra prædictas quatuor qualitates non sint aliæ qualitates tangibiles, quibus hoc tribui possit, nisi qualitates secundæ tangibiles, qualis est durities, & mollities, & alia huiusmodi, vt intuenti constabit : fit inde, vt iuxta doctrinam hanc Sanctissimi Præceptoris prædictæ qualitates habeant etiam per se immutare organum tactus, tam intentionaliter, quàm naturaliter; ita vt immutatio naturalis ab eiusdem causata desideretur per se ad immutationem intentionalem, per quam sensum immutant, sicut in primis qualitatibus tangibilibus dicebamus : quamuis, vt iam explicamus, debeat quo ad hoc proportio seruari debeat; & ideò Sanctum Doctorem sequuntur Doctores pro præcedent. assertione relati, præter vnicum Marciam.

48. Ceterùm, antequam assertionem hanc rationibus ex D. Thom. desumptis fulciamus, oportebit eam priùs (breuiter tamen) explicare. Non enim sensus illius est, quod sicut ad hoc, vt calor ignis immutet intentionaliter tactum, debet alterare organum illius producendo in eo aliam qualitatem sibi similem, & eiusdem speciei; nimirum alterum calorem: ita durities, verbi gratia, ad hoc, vt immutet intentionaliter tactum, debet ita alterare organum illius, vt producat in eo aliam qualitatem sibi similem, & eiusdem speciei, scilicet alteram duritiem : nam prædicta qualitas, sicut & aliæ qualitates secundæ non producunt sibi simile, & ideò odor non efficit alterum odorem, & sapor alium saporem : sed sensus est, vt optimè notauit Montesionus; quòd licet tam in primis qualitatibus, verbi gratia, in calore quàm in secundis, vt in duritie, requiratur alteratio physica, & naturalis ad intentionalem, attamen alia & alia ratione in calore, & mollitie desideratur. Nam calore alterat producendo sibi simile secundùm speciem; durities verò producendo, vt ex statim numeris sequentibus constabit, quandam qualitatem innominatam, cuius signum aliquale est, quod durum contrectatum, secundùm quam rationem sentitur, & imprimit sui speciem, exasperat manum V. G. tangentem illud, cum tamen oppositum contingat dum molle per tactum sentitur, seu ab illo intentionaliter immutatur.

49. Vnde, cùm communiter dicitur has qualitates secundas, & tangibile non esse actiuas, debet iuxta Doctrinam D. Thomæ iam traditam, intelligi de actiuitate, per quam producantur aliæ similes:

qualitates secundùm speciem, & quod ob rationem generalem qualitatum secundarum, non conueniat eis prædicta actiuitas, non verò quod prorsus sint expartes totius actiuitatis naturalis, prout hæc actiuitas ad productionem cuiusuis qualitatis ad ordinem naturalem spectantis extenditur, vt ex testimoniis D. Thom. adductis constat, & ex iam adducendis magis patebit.

Assertio ergo sic explicata probatur hac vnica, & fundamentali ratione ex D. Thom. locis citat. deprompta; nam hoc ipso, quod tactus, quo percipitur calidum, & frigidum, nec non & durum, ac molle, sicut vnus, & idem secundùm speciem atomam vt fatetur D. Thomas 1. part. quæst. 78. art. 3. ad 4. & quæst. de Anima artic. 13. ad 17. oportet vt immutetur ab omnibus his qualitatibus illo peculiari modo, quo tactus ipse per se petit immutari à suo obiecto tangibili, sed proprius, & peculiaris modus, quo tactus petit à suo obiecto immutari, est quod simul intentionaliter, & materialiter, siue naturaliter immutetur: ergo durum, & molle debent etiam, tam spiritualiter seu intentionaliter, & naturaliter immutare (ac proinde, vt id quod in explicatione assertionis diximus obiter confirmemus) iam prædictæ qualitates erunt aliquo modo per actionem materialem, & naturalem actiuæ.

50. Minor est perspicua; nam sicut hoc ipso quod visus sit eiusdem speciei, debet immutari ab omni visibili, eo speciali modo, quo ipse petit immutari, & sic de aliis, ita idem de tactu dicendum erit: quoniam sicut quæuis specialis potentia cognoscitiua petit speciale obiectum, ita specialem modum, quo ab illo immutatur, & ideò non nisi modo illo immutari potest.

Minor verò etiam constat, nam vt optimè notauit S. Doctor. locis citat. & communiter recipiunt eius discipuli, in hoc distinguitur tactus ab aliis sensibus, quòd visus, auditus, & odoratus non petunt immutationem materialem ex parte organi à re visibili, audibili, aut odorabili causata: gustus verò licet talem immutationem petat, non tamen causatam à re gustabili, vt gustabili, scilicet à sapore, sed à re, quæ est gustabilis, scilicet ab humiditate, quæ est fundamentum saporis: tactus verò petit immutationem materialem in organo causatam ab obiecto tangibili, quatenus tangibile est; ac proinde ab ea qualitate, quæ ei propriè obiicitur, ergo, &c.

Confirmatur, seu potius explicatur sequenti discursu desumpto ex eodem *S.* Doctore loc. citat. & 2. lib. de Anima lect. 14. aliquantulum tamen fuso, quia res de qua agitur id exposcit; nam ex eo quòd visus est perfectissimus inter omnes sensus externos, ideò non requiritur per se vt immutetur ab obiecto nisi per immutationem spiritualem, seu intensionalem, ita vt neque ex parte obiecti, neque ex parte organi aliqua immutatio omninò materialis ibidem per se petatur. Quia verò auditus est sensus aliquantulum minus perfectus, propterea requiritur ad eius immutationem spiritualem, quod ibidem interceedat alia qua immutatio materialis, non quidem ex parte organi, & obiecti, sed solùm ex parte obiecti, & non vtcumque, sed ita vt inter immutationes materiales tenentes se ex parte obiecti habeat talis immutatio minus de materialitate, ob immutatio materialis, quæ ibidem inuenitur, tantum est transmutatio secundùm locum, quæ quidem est minus materialis, quippè quæ cælestibus corporibus competit.

51. Et deindè, quia odoratus est minùs perfectus quàm duo sensus iam dicti; ideò eius immutatio spiritualis habet annexam immutationem materialem ex parte obiecti, & ad huc magis materialem, quàm illa; qua obiectum audibile immutatur, quoniam ad hoc, vt res odorabilis spiret odorem requiritur (modo tamen alibi insinuato) alteratio illius facta per calorem: quia verò gustus est imperfectior odoratu, propterea eius immutatio spiritualis habet annexam immutationem materialem magis coniunctam cum ipso sensu, id est ex parte organi illius se tenentem, quamuis ex eo quod non est sensus omnium imperfectissimus, non sit necessarium, quòd illa immutatio materialis fiat ab aliqua re gustabili, secundùm eam qualitatem, secundùm quam est gustabilis, sed ab humiditate, quæ est obiectum formale tactus, & qualitas præambola ad saporem; proindè nec prædicta immutatio materialis fit in organo gustus, quatenus organum gustus, sed in organo, quod materialiter est organum gustus, & formaliter habet rationem organi tactus, ex eo quod fit ab obiecto proprio eiusdem tactus.

52. Quare, cum sensus tactus sit omnium imperfectissimus; consequens erit, vt proprius, & peculiaris modus secundùm quem petit immutari ab obiecto tangibili debeat esse: tum, vt simul immutetur immutatione spirituali, & materiali, vt ita ratione huius à visu, sicut & alij tres sensus distinguatur: Tum etiam, quod per immutationem materialem tenentem se ex parte organi immutetur ad hoc, vt ratione suæ imperfectionis conueniat cum gustu in hoc, quod est immutari ex parte organi per immutationem materialem; & distinguatur ab auditu & odoratu, qui per se loquendo hanc immutationem non habent: Tum denique quòd immutetur per immutationem materialem ex parte organi se tenentem, & causatam ab obiecto tangibili, secundùm eam qualitatem secundum quam est tangibile, & receptum in organo tactus, quatenus organum illius est, vt hac ratione distinguatur à sensu genus, & sit imperfectior illo quatenus immutatur immutatione spirituali, & simul magis materialiter quàm organum gustus; quippè cum illud non quatenus organum gustus, sed quod aliàs est organum gustus; hoc verò formaliter quatenus est organum tactus: ac proindè, per suum proprium obiectum immutatione materiali immutetur.

Vnde stare non potest, quod durities, v. g. sit obiectum proprium tactus, atque adeò immutet illum, modo illo speciali, quo ipse petit immutari, & quòd non alteret organum illius per alterationem & immutationem materialem iam dictam, ac proinde neque cohærere poterit cum prædicta qualitate, quòd sit tangibilis per modum proprij sensibilis, quòd modo explicato non sic physicè, & naturaliter actiua.

53. Confirmatur tandem, quoniam stare non potest vnitas sensus tactus, cùm hoc, quod quædam qualitates tangibiles immutent illum; tam intentionaliter, quàm materialiter, quædam verò solùm intentionaliter: ergo cùm tactus sit vnus, & idem, secundùm speciem, vt ex D. Thom. dicebamus, consequens erit, vt omnes qualitates tangibiles eodem modo concurrant, scilicet intentionaliter agendo, & materialiter alterando organum sensus. Consequentia patet. Antecedens autem probatur, quoniam gustus, & tactus distinguuntur species penes diuersum modum immutationis, ex eo quod licet, vt nuper dicebamus, vterque immutetur per immutationem materialem ex parte organi; nihilominus gustus non immutatur per eam qualitatem, quæ ei propriè obiicitur, sed per aliam. Secùs verò tactus; ergo multo melius distinguetur tactus in diuersas species, si ab aliquibus qualitatibus tangibilibus immutetur per immutationem spiritualem solummodo, & ab aliis per immutationem materialem, & intentionalem simul.

Patet

Patet consequentia, quia duo modi immutandi, quorum vnus solùm sit spiritualis, seu intentionalis, & alius sit intentionalis, & materialis simul ex parte organi se tenens, seu in organo receptus magis distans, quam duo modi immutandi, quorum quilibet sit intentionalis, & materialis simul, ex parte organi se tenens; quamuis vnus sit secundùm illam qualitatem, quæ propriè obiicitur sensui, secùs verò alius: ergo cum hi duo posteriores arguent diuersitatem specificam sensuum; multò magis illi priores illam arguent, & consequenter stare non poterit cum vnitate sensus tactus, quod diuerso illo modo à qualitatibus tangibilibus immutari possit. Quarè, cum ostensum sit organum tactus non tam intentionaliter quàm materialiter, & physicè a primis qualitatibus tangibilibus immutari; consequens erit, vt eodem modo à secundis immutetur.

Obiiciuntur aliqua contradicta in his duabus assertionibus & simul diluuntur.

§. IV.

54. Sed obiicies primò contra rationem factam pro priori assertione ex ea sequi, quòd obiectum non immutet tactum per speciem intentionalem repræsentantem calorem, v.g. vt octo. nisi simul immutet organum producendo in eo realem, & naturalem calorem vt octo, hoc autem est contra euidentem experientiam: ergo, &c. Sequela probatur: quoniam si ad immutationem intentionalem procedentem vt ab agente principali à prædictis qualitatibus tangibilibus, & simul actiuis per actionem naturalem requiritur immutatio & alteratio naturalis, & ad perfectiorem immutationem intentionalem desideratur perfectior immutatio naturalis, vt in prædicta ratione dicebamus, consequens erit, vt non possit tactus immutari per speciem intentionalem omnium perfectissimam, atque adeo repræsentantem calorem vt octo, nisi simul eundem calorem secundum esse naturale recipiat. Falsitas autem consequentis satis liquet, nam (vt supra innuebamus) experimur quod si quis manum intra ignem apponat, & ibidem paululum eam detineat, sentit vehementissimum calorem, cùm tamen in ea temporis mutula non potuerit illi tantus calor imprimi.

55. Respondetur enim negando sequelam, & ad probationem dicendum est, quod licet ad hoc vt calor immutet intentionaliter tactum requiratur, quod calefaciat organum, & similiter ad hoc vt intensiorem speciem in illo imprimat, desideretur, vt maiorem calorem in eodem organo producat, non tamen est necesse, vt in eodem gradu omnino æquali in quo crescit intensio speciei, crescat etiam intensio alterationis: sed satis erit vt habeat aliquod proportionale augmentum, & ita ad hoc, vt sentiatur calor vt octo, non desideretur vt imprimatur in organo tantus calor, licet sit necessaria impressio maioris caloris, quàm ad hoc, vt sentiatur calor vt septem.

Huius autem duplex potest assignari ratio, ex prima quidem à posteriori experientia illa, quæ in hac obiectione tangitur. Secunda verò, quia cum hæc immutatio intentionalis habeat aliquam eleuationem supra materiam, & immutationem omnino materialem, oportet vt licet propter imperfectionem, quam intra suam lineam habet; non possit non habere aliquam commensurationem; & dependentiam ab immutatione naturali; nihilominus propter eleuationem supra materiam, & supra immutationem omninò materialem ei conuenientem, nequit habere commensurationem omnimodam cum illa, & ita ad immutationem intentionalem vt octo, non desiderabitur immutatio, & alteratio materialis, vt octo, ne omnimoda commensuratio, & maior dependentia à materia, quàm par sit immutationi intentionali tribuatur.

56. Secundò obiicies contra rationem factam pro secunda assertione, vbi distinximus tactum à gustu, & ab aliis sensibus ex eo quod immutatur immutatione intentionali, & simul materiali, & naturali iam explicata, ac proinde debebit secundùm omnes qualitates tangibiles sic immutari. Nam contra hoc est, quòd sensus non possunt distingui penes immutationes materiales, seu naturales iam explicatas: ergo, & cætera.

Antecedens patet, quoniam sensus aliquo modo ingreditur ordinem agentium spiritualium, ea eo quòd est suo modo eleuatus supra conditiones materiæ, & ideò operatur per species intentionales, quæ ob depurationem, quam habet à materia, vocantur formæ sine materia (quamuis re vera non sint adeò depuratæ, vt sint omninò spirituales) ergo non possunt distingui, aut specificari penes diuersos modos immutationis materialis iam dictos, sed solùm penes diuersas immutationes spirituales, & à materia eodem proportionali modo depuratas, & ideò D. Thom. loco citato ex 1. p. peculiariter dixit quod. *ad operationem sensus requiritur immutatio spiritualis, per quam intentio formæ sensibilis fiat in organo sensus.*

57. Respondetur ita esse, quòd sensus per se primò non distinguantur, nisi penes diuersos modos immutandi spirituales, & à materia modo inchoato depuratus. Cæterùm, veluti à posteriori, & à signo, colligimus gradum vt sic dicamus immaterialitatis, quem quilibet sensus in modo immutandi petit, ex eo quòd habeat, vel non habeat per se annexam immutationem materialem suprà explicatam, vel ex parte obiecti, vel ex parte organi, vel vtriusque simul: ita vt illa immutatio spiritualis, seu intentionalis, quæ non habet annexam aliquam ex materialibus, & physicis, ac naturalibus immutationibus, sit inter immutationes externas spiritualior; quæ verò habuerit connexam cum minori immutatione materiali, & physica, seu naturali prout distinctæ ab intentionali deficiat aliquo modo ab illa priori spiritualitate, quamuis sit immaterialior, quàm alij sensus petentes immutationem magis, vt sic dicamus inquinatam, & annexam cum maiori immutatione materiali. Vnde, licet sensus non distinguantur per se primò, nisi penes immutationem spiritualem (& propterea sanctus Doctor hanc peculiariter in illis petierit) non tamen inconueniens, vt aliquo modo, & saltem secundariò distinguantur per illas, tanquam per aliquid per se annexum, vel non annexum cum immutationibus spiritualibus, seu intentionalibus eorundem.

58. Tertiò obiicies contra eandem rationem secundæ assertionis, & eius confirmationem, non rectè colligi ex identitate atomæ potentiæ tactiuæ, quod si semel primæ qualitates tangibiles immutant tactum, tam intentionaliter, quàm naturaliter, quod etiam secundæ qualitates tangibiles debent eodem modo illum alterare, quoniam non obstante hac identitate possunt qualitates primæ alterare tactum per alterationem naturalem producentem qualitatem eiusdem speciei: secundæ verò non nisi per alterationem generantem qualitatem illam innominatam: ergo sicut non obstante hoc adeò diuerso modo immutandi, potest stare identitas tactus, ita non obstante quòd qualitates primæ immutarent illum, tam naturaliter, quàm intentionaliter, secùs verò qualitates secundæ, posset saluari identitas eiusdem. Patet consequentia, quia vtrobique procederet eadem ratio: quia nimirum immutatio naturalis facta à primis qualitatibus

per accidens se habet ad immutationem intentionalem per se petitam à sensibus.

59. Respondetur negando antecedens; & ad probationem concessa antecedendi neganda est consequentia: ad cuius probationem debet negari antecedens propter rationes dictas: & ratio disparitatis est, quoniam si tactus non petit per se dependentiam in immutatione intentionali ab immutatione physica, & naturali, non potest saluari imperfectio maxima tactus præ aliis sensibus: quandoquidem sicut visus non petit per se immutationem physicam, & omnino materialem, vel ex parte obiecti, vel ex parte organi, ita nec tactus, vt intuenti constabit; ideò esset perfectior auditu, odoratu, & gustu, sicut si solùm peteret contiguitatem organi contecti suo medio intrinseco cum obiecto tangibili, non distingueretur à gustu vt ex se patet.

Cæterùm si semel admittitur, quod immutatio intentionalis tactus per se pendet ab alteratione physica per quam aliqua qualitas naturalis siue eiusdem, siue diuersæ speciei, generetur, tunc saluatur essentialis imperfectio tactus præ gustu, & aliis sensibus, ac proinde minor gradus immaterialitatis, quam petit, & distinctio essentialis in hac immaterialitate per quam ab omnibus illis distinguitur, & ita ad rationem adæquatam, & specificantem tactus vt sic de materiali se habet, quod modus immutandi, quo ipse immutatur, pendeat ab hac, vel illa alteratione naturali, & physica; quia per se & formaliter tantum petit, tanquam rationem formalem talem modum intentionis naturalis, vt habeat per se nexum cum alteratione physica, & naturali iam explicata; sicut ad rationem adæquatam, & specificantem immutationis visus tantum petitur per se, & formaliter, quòd illa immutatio fiat mediante perspicuo, tanquam medio prædictæ immutationis: siue hoc perspicuum præsupponatur actu illuminatum, siue non, vt disput. 10. num. 57. explicuimus.

60. Vltimò obiicies contra eandem rationem secundæ assertionis, totam illius structuram inniti veluti in quodam vase, & fundamento, in vnitate specifica, & atoma sensus tactus: sed hoc fundamentum est satis dubium, & tam contra Aristotel. quam contra rationem ex eodem desumtam: ergo tota structura nostræ rationis in hoc fundamento innitens corruit. Maior constare videtur ex dictis.

Minor autem quoad priorem partem constat, ex eodem Aristotel. in hoc 2. lib. cap. 11. text. 108. vbi videtur asserere tactum non esse vnum, & eundem secundùm speciem, sed plures, & ita D. Thomas in expositione illius text. lectione 22. ex mente Philosophi sic concludit. *Vnde formaliter loquendo & secundum rationem sensus tactus non est vnus sensus, sed plures; subiecto autem est vnus.*

Quoad secundam verò partem probatur ratione eiusdem Aristotel. text. 107. quam sub hac forma proponit ibidem Diuus Thom. lectione cit. *Omnis enim vnus sensus videtur esse vnius contrarietatis, sicut visus albi, & nigri; auditus acuti, & grauis, gustus amari, & dulcis: sed in tangibili, quod est obiectum tactus sunt multa contrarietates, scilicet calidum, & frigidum, humidum, & siccum, durum, & molle, quadam alia huiusmodi, vt graue, & leue, & acutum, & hebes, & similia; ergo tactus non est vnus sensus, sed plures.*

61. *Nec refert si dixeris* (inquit Diuus Thomas,) *Quod in aliis sensibus videntur esse plures contrarietates sicut in auditu; nam circa vocem audibilem non solum potest attendi contrarietas acuti, & grauis, sed etiam magnitudo, & paruitas vocis, & aspiritas eius, & aliqua alia similia, & similiter circa colorem possunt inueniri aliqua alia differentia præter contrarietatem albi, & nigri sicut quod aliquis color est intensus, & alius remissus, aliquis pulcher, & aliquis turpis, & tamen per hoc non tollitur quia auditus sit vnus sensus, & similiter visus. Vndè, multiplex contrarietas tangibilium non videtur impedire, quoniam tactus sit vnus sensus.*

Nam contra hanc solutionem obiiciunt idem Aristotel. & Diuus Thomas loco citato quod diuersæ contrarietates repertæ in sono, aut colore per accidens multiplicantur; secus verò contrarietates obiecti tangibilis: ergo illæ priores non tollunt vnitatem sensus, v. g. visus; illæ verò posteriores auferunt vnitatem sensus tactus. Consequentia videtur perspicua.

62. Antecedens his verbis explicat & probat D. Thom. *Nam possunt in vno genere esse plures contrarietates post primam, vel per modum subdiuisionis; sicut in genere corporum prima contrarietas est animati, & inanimati, & quia animatum corpus diuiditur per sensibile, & insensibile, & vlterius sensibile per rationale, & irrationale multiplicantur contrarietates in genere corporis: vel sunt plures contrarietates vnius generis per accidens sicut in genere corporis est contrarietas, albi & nigri, & secundùm omnia, quæ corpori accidere possunt, & per hunc modum intelligendum est, quod circa sonum, & vocem præter primam contrarietatem grauis, & acuti, quæ est per se, sunt aliæ contrarietates, quasi per accidens. In genere autem tangibilium sunt multæ contrarietates per se.*

63. Respondetur tamen rationem pro secunda assertione factam, quamuis innitatur in vnitate atoma tactus, ex eo quod eam absolutè fatetur S. Doctor loco citato, nihilominus non fundari in prædicta vnitate, tanquam in fundamento, & vase ad eius structuram omnino necessario. Nam & si tactus non esset vnus secundum speciem atomam, nihilominus ratio facta suam vim haberet, ex eo quod idemmet tactus, qui esset vnius primæ contrarietatis, scil. calidi, & frigidi, esset etiam perceptiuus secundæ contrarietatis ad hanc contrarietatem primam reductæ, scil. illarum qualitatum secundarum, & tangibilium, quarum quædam ex prædominio caloris quædam verò ex prædominio frigiditatis resultarent; & ita sicut omnes illæ sunt proprium, & per se sensibile illius tactus, qui ponitur vnus secundum speciem atomam; ita deberent eodem modo immutare tactum, scil. per immutationem intentionalem, & simul materialem, & naturalem; sicut etiam illæ qualitates secundæ, quæ oriuntur ex prædominio alicuius extremi alterius primæ contrarietatis, scil. humidi, & sicci, deberent etiam eodem modo vna cum humiditate, & siccitate pertinere ad alium tactum qui sit eiusdem speciei atomæ, & distinguatur speciei à tactu perceptiuo alterius primæ qualitatis.

64. Deinde, ad eandem obiectionem quatenus contra identitatem atomam tactus pugnat, respondetur probabile esse, quod Arist. magis inclinauit in eam sententiam, quæ multiplicitatem specificam tactuum admittit. Et propterea D. Thomas in hoc sensu meritò illum explicuit, licèt eiusdem Philosophi verba non sint in fauorem huius sententiæ adeò perspicua: nam Aristoteles solum dixit: *Verum quidam sit obiectum tactus sicut vnum est auditui sonus, non esse manifestum, videtur.*

Cæterùm, quia D. Thom. 1. part. quæst. 78. art. 3. ad tertium, & q. de Anima art. 13. ad 17. defendit vt probabilem, tam modum dicendi Arist. quàm oppositum, eo quod de mente Philosophi non omnino constas, ideo ei, vt valde probabili vnà cum sancto D. potissimè subscribimus, quia de mente sancti Doct. quoad eius probabilitatem constat nobis euidenter; de mente verò Philosophi, quoad probabilitatem alterius dicendi modi, solùm constat probabiliter, & ita S. Doct. loco citato ex 1. p. in eo referendo tali verborum

vtborum artificio visus est, vt hoc ipsum denotaret; quamuis, qoia probabile est Atistotelem eum sectari potuerit optimè eundem Philosophum pro eo referre, vt lect. cit & in solutione ad 17. art. 3. quæstionis de Anima id præstitit.

65. Vnde idem S. Doctor. loco eitato ex 1. par. optimam solutionem, qua cuncta, quæ nopet diximus illustrata manentadhibuit, his verbis, ad tertium: *Dicendum quod sicut Philosophus videtur dicere in secundo de Anima, sensus tactus est vnus in genere, sed diuiditur in multos sensus secundum speciem, & propter hoc est diuersarum contrarietatum, qui tamen non separantur ab inuicem secundum organum, sed per totum corpus se concomitantur, & ideò eorum distinctio non apparet. Gustus autem qui est perceptiuus dulcis, & amari concomitatum tactum in lingua, non autem per totum corpus, & ideo de facili à tactu distinguitur. Posset tamen dici, quod omnes illa contrarietates, & singula conueniant in vno genere proximo, & omnes in vno genere communi, quod est obiectum tactus secundum rationem communem. Sed illud genus commune est innominatum, sicut etiam genus proximum calidi, & frigidi est innominatum*: Et ita prædictæ contrarietates, & multiplicatio earum non possunt se habere per se in ordine ad diuersificandum tactum, ac proinde neque illum essentialiter multiplicicare.

Fit obuiam argumentis initio adductis.

§. V.

66. AD primum concessa maiori neganda est minor, & ad probationem patet ea dictis. Ad secundam neganda est maior: quoniam immutatio intentionalis per quam tactus immuratur pendet ab immutatione physica, & naturali, quæ per motum illum calefactionis fit, & ad probationem neganda est consequentia. Nec contra hoc obest probatio ibidem adducta, quia ad summum solùm intelligitur de agente intentionali, non pendente ab immutatione intentionali, quam causat sub immutatione physica, & naturali causata in tempore, cum quaque debet, modo iam explicato, prior illa immutatio commensurari.

Ad tertium respondetur ea eo ad summum conuinci, requiri per se prædictam contigoitatem inter obiectum tangibile, & potentiam tactiuam: non tamen quòd vltra eam non desideretur alteratio illa physica iam dicta. Cæterùm, cum admittimus obiectum tangibile, & tactum debere esse contiguum, non intelligitur de obiecto, & organo eius secundùm se sumpto, sed vt cooperto, seu vestito suo medio intrinseco; modo tamen alibi explicato, vt ita saluetur maxima illa Aristot. scilicet, quod sensibile positum supra sensum non facit sensationem.

Ex quibus omnibus ad obiectionem illam, cuius solutionem in hac eadem disput. num. 11. in hunc locum remisimus, satis constat: nam hoc est proprium qualitatum secundarum tangibilium, qualis est durities, vt non possint sentiri, neque immutare naturaliter sensum, nisi fiat aliqua confricatio, aut aliqualiter fortis contrectatio inter illam, & organum: si namque leuiter manum supra tabulam ponas, ita vt ferè (si sic licèt loqui) non tangas illam, tunc non discernes vtrum mollis, vel dura sit. Quare cum non possit commodè hæc confricatio, & aliqualiter fortis applicatio vnius partis organi tactiui ad aliam paululum distantem fieri: ideò maior durities illius prioris partis non potest sentiri ab hac posteriori: secus verò si talis confricatio modo debito fieret.

QVÆSTIO IV.

Quod sit medium tactus, quodque illius organum.

POstquam de obiecto tactus, & modo, quo immutat illum egimus, restat, vt de medio, & organum eiusdem tractatus, & propterea quæstionem hanc excitamus.

Ex mentis Aristot. & D. Thom. quæstio quoad priorem partem deciditur.

§. I.

67. A Prima quæstionis parte facilè, & breuiter expediemur; quoniam ex supra dictis ferè constat, & ita dicendum est, medium tactus esse internum, seu partem aliquam animalis per illum sentientis. Ita Aristot. in hoc 2. lib. text. 115. & D. Thom. ibidem lect. 23. & de sensu, & sensato lect. 5. prope finem, his verbis: *Sicut alij sensus fiunt per medium extrinsecum, ita gustus, & tactus per medium intrinsecum.* Quem sequuntur Caietan. in præf. ad eundem textum. Iabelus quæst. 49. Flandria in breui recol. sup. 3. lib. de Anima lect. 2. tract. 2. ad lect. 23. D. Thom. Bañez 1. part. q. 78. art. 3. tract. de tact. dum. 3. & communiter Thomistæ.

Assertio hæc satis experientia constat, quandoquidem experimur, quod etiam si nullum corpus extraneum mediet inter tactum, & obiectum tangibile, nihilominus prædictum obiectum sentimus. Accedit, quod visus, auditus, & odoratus ob sui perfectionem petunt medium extraneum, & deindè gustus, quia est imperfectior illis solùm exigit medium intraneum: ergo potiori ratione medium tactus erit etiam intraneum. Consequentia patet.

Antecedens autem quoad priorem partem patet ex supra dictis disp. 9. num. 46. & sequentibus, nam species sensibiles per medium extrinsecum immissæ eo fiunt cæteris paribus subtiliores, & vt sic dicamus, magis spirituales, quo maius medium inter obiectum sensibile, & potentiam intercedit: quare, prædictum medium erit idoneum ad tres illos sensus, qui non parum spiritualitatis habent. Quoad secundam verò partem idem antecedens satis liquet: Tum ex his, quæ loco citato asseruimus: Tum etiam qoia cum gustus sit sensus satis imperfectus indigens immutatione naturali ex parte organi, non petit medium extrinsecum, sed solùm intrinsecum, vt ita meliùs per immutationem illam naturalem immotetur.

68. Nec refert, si obiicias cum Arist. & D. Thom. in præsenti lect. 22. quod siquis percutiatur mediante clypeo, ita vt tam clypeus, quàm animal eo munitum percutiatur: tunc talis percussio sentitur per medium illud extrinsecum: & similiter si intra aquam vna manus tangat aliam, tunc hoc ipso, quòd quæuis ex illis manibus sit aqua intincta, & humectata non se tangunt immediatè, sed mediante aqua, vt medio extrinseco, & nihilominus vna sentit & percipit aliam: ergo tactus non minùs per medium extrinsecum quàm intrinsecum sentit.

Non itaque hoc refert: nam licèt tactus per se loquendo debeat habere medium intrinsecum non verò intrinsecum nihil obest, quod per accidens possit habere medium extrinsecum. Cæterùm visus, auditus & olfactus per se petunt medium extrinsecum Vnde visibile, & audibile mouent per se extrinsecum medium, & iterum medium mouet, vel visum, vel auditum: tangibile autem non mouet medium

dium extraneam, & iterum medium illud mouet tactum: sed tangibile mouet vtrumque simul, ex eo quod nulla est per se dependentia quoad immutationem tactus à prædicto medio.

69. Quam solutionem tradidit in præs. Aristot. text. 115. & D. Thom. ibidem lect. 23. explicans Aristot. mentem, his verbis: *Exclusa falsa differentia ponit veram, & dicit quòd tangibilia differunt a visibilibus, & sonatiuis, ex eo quod illa sensibilia sentimus, per hoc quod mouent medium, & iterum medium mouet nos; sed tangibilia sentimus per medium extraneum, non quasi moti à medio extraneo, sed simul cum medio mouemur à sensibili: sicut patet de eo, qui percutitur per clypeum, non enim accidit sic quod clypeus percussus percutiat, quia simul accidit vtrumque percuti.*

Cuius rationem, & maiorem adhuc præcedentium explicationem reddit dicens. *Hoc autem, quòd dicitur (simul) non est intelligendum secundùm ordinem temporis tantum, quia etiam in visu simul mouetur medium ab obiecto, & sensus à medio: fit enim visio sine successione. Perceptio autem soni, aut odoris cum successione aliqua vt in lib. de sensu, & sensato dicitur: sed hoc referendum est ad ordinem causæ: in aliis enim sensibus immutatio medij est causa quòd immutetur sensus, non autem in tactu: nam in aliis sensibus medium est ex necessitate, in tactu autem quasi per accidens, in quantum accidit corpora se tangentia esse humectata.*

Refertur prior opinio pro secunda quæstionis parte.

§. II.

70. MAior autem difficultas est circa secundam huius quæstionis partem, circa quam sententia Arist. visa est aliquibus authoribus non vulgaris authoritatis, adeò difficilis, vt eam deserant, & in contrariam sententiam abeant: & ita dicunt sensorium tactus esse carnem, nec non & neruos: reliquaque alia, quæ ad carnem reducuntur: & hoc vltimum addunt, vt excludant ossa, & alias corporis partes his valdè similes, quia sunt nimis terrestres, & maximè frigidæ. Ita Suarez 2. tom. sum. Theologiæ tract. 3. lib. 3. c. 27. & omnes illi, quos disp. 9. num. 41. pro contraria sententia retulimus.

Probatur primò ex Arist. qui primo de hist. animal c. 4 & lib. 2. de partibus c. 1. & 5. dicit carnem esse sensorium tactus. Secundò nam nerui, caro, &c. solent ex intemperie primarum qualitatum, aut ex diuisione, vel si pungantur sentire dolorem: sed dolor non potest dari sine sensatione tactus, alioqui inueniretur in ligno, vel lapide: ergo sensatio tactus per neruum, & per carnem tanquam per instrumentum, & organum eiusdem tactiuæ potentiæ exercetur.

Nec refert, si dicatis, quòd dolor ille non sentitur per carnem, tanquam per organum, sed tanquam per medium, licet id quod per modum obiecti sentitur sit plaga causata in carne. Nam contra hoc sic arguit Suarez, quod hæc euasio videtur mera fuga; quia experientia negari non debet, vbi ratio non vrget, experimur autem quod in cute, & in carne detracta cute sentimus: & ad oppositum huius nulla vrget ratio firma: ergo, &c.

71. Confirmatur, nam in quibusdam corporis partibus fit sensatio in quibus nerui non reperiuntur; neque in eis distingui potest caro, quæ sit medium, & quidpiam aliud quod sit organum, vt in corde, & pulmone patet; ergo tactus ibidem solùm in carne subiectabitur.

Tertiò organum cuiusque sensus in ea parte residet, in qua inuenitur temperamentum ei debitum; sed temperamentum optimum tangendi datur in carne, & cute, & aliis partibus, quæ ad carnem reducuntur: ergo, &c. Probatur minor, nam tactus vt quæst. 5. dicimus circa qualitates primas, vt excellentes versatur, vndè temperamentum earum partium accommodatum erit ad illum recipiendum, in quo tales qualitates magis ad æqualitatem fuerint redactæ, sunt autem satis redactæ ad hanc mediocritatem in prædictis partibus, alioqui nec possent etiam per modum medij deseruire, vt ex dictis in hac disput. & disput. 12. num. 84. & sequentibus constat; ergo, &c.

Aristot. & D. Thomæ sententia præfertur.

§. III.

72. DIcendum est primò, carnem, vt condistinctam à neruo esse medium tactus, non verò organum, sed hoc esse aliquid aliud intus, seu intra eam existens. 1. Galenus lib. 1. de vsu partium cap. 8. & 18. & lib. 5. c. 9. & lib. 14. c. 2 Fernelius in lib. de Animæ facultat. c. 6. Vesalus lib. 6. cap. 17. Albertus Magn. in hoc lib. tract. 3. cap. 31. & 34. Conciliator differentia 2. Ægidius, text. 118. dub. 2. Baños 1. quæst. 78. art. 3. & alij plures.

Assertionem & eius fundamentalem rationem adduxit Aristot. in hoc 2. lib. text. 116. his verbis: *Omnino autem videtur caro, & lingua sicut aqua, & aër ad visum & auditum, & olfactum se habent; sic se habere ad sensitiuum, sicut illorum vnumquodque, ipso autem sensitiuo tacto, neque ibi neque hic fiet vtique sensus; vt si quis ponat corpus album super oculi vltimum. Quare, & manifestum quod intus sit tangibilis sensitiuum, sic enim vtrique accidit, quod & in aliis. Apposita enim supra sensorium non sentiunt, super autem carnem posita sentiunt, quare medium tactus est caro:* Vbi D. Thom. lect. 22. *Dicit ergo primo quod ita videtur se habere caro, & lingua ad organum sensus tactus, sicut se habent aër, & aqua ad organum visus, auditus, & olfactus; in nullo enim istorum sensuum potest fieri sensus si tangatur organum: vt si quis ponat aliquod corpus album in superficie oculi non videtur. Vndè manifestum est, quod organum sensitiuum in sensu tactus sit intus: sic enim accidit in hoc sensu, sicut & in aliis. Non enim sentiunt animalia sensibilia apposita supra organum sensus: sentiunt autem sensibilia posita super carnem. Quarè, manifestum est quod caro non est organum sensus, sed medium.* Ac proinde organum erit aliquod aliud intus existens. Cæterùm, de vi huius rationis videantur ea, quæ fusè disp. 9. q. 3. diximus.

73. Nec refert si occurras: quod suppositis his, quæ in disp. nuper citata diximus; non videtur ratio hæc efficax, nam posset quis asserere, quod sensibile adiunctum immediatè pelli, ab illa sentitur, non secundùm eam extensionis partem, quæ in pelle directè correspondet obiecto tangibili, sed secundùm aliam vicinam, & paululum distantem; eo sanè modo quo sentiretur, si immediatè tale sensibile supra sensorium, quod nos assignabimus, scilicèt neruum esset superpositum: Vndè sicuti ex hoc, quod hoc competat neruo, minimè poterit colligi, quod rationem organi tactiuæ potentiæ deperdat: sic pari ratione quoad carnem philosophari debet.

Non itaque hoc refert: nam & si aliqui sensus externi possint per lineam lateralem curuam, &c. suum percipere obiectum, vt patet in auditu, & odoratu: attamen omnes, & singulæ queunt per lineam rectam seruata naturali dispositione sui organi illud primò percipere: ita vt obiectum directè omninò ei correspondens, habeat directè, vt sic dicamus, ab illis sentiri, vt in gustu, auditu, odoratu, & visu satis patet: at si organum tactus esset cutis, & modo in hac

solutione

solutione insinuato, deberet obiectum tangibile percipi nunquam per fineam, vt sic dicamus directam posset primò sentiri: alioqui tam sensibile positum supra sensum sentiretur: cuius oppositum loco citato ostendimus: ergo signum est cutem, seu subtilem illam carnem non esse organum tactus.

74. Secundam autem, & fundamentalem rationem tetigerunt idem Arist. & D. Thomas de sensu, & sensato lect. 5 quæ potest sub hac forma proponi. Nam organum tactus debet esse terreum, sed caro non est terrea, sed potiùs aërea: ergo non erit proprium organum tactus. Consequentia patet. Minor autem ex communi Doctorum sententia constat: & ita caro est humida, & calida, & potiùs attribuitur aëri, quàm terræ: sicut, quia inter humores, sanguis est humidus & calidus, ideò potiùs attribuitur aëri, in quo prædictæ qualitates, vt in primo, & elementali corpore sunt.

Maior autem est: tum Arist. loco citato qui tactum terræ tribuit, & simpliciter gustum, quia modo alibi explicato tactus quidam est: & ita ait, *Tactiuum autem terra, gustatiuum verò species quædam tactus est.*

Tum etiam D. Thom. ibidem lect. citata vbi simul verba Arist. explicat, & confirmat, his verbis: *Dicit ergo primò quod organum tactus attribuitur terra, & similiter organum gustus, qui est tactus quidam vt in 3. de Anima dicitur: quod quidem non est sic intelligendum quasi organum tactus, vel gustus sit simpliciter terreum: capillis enim & crinibus non sentimus, qua sunt magis terrea, sed quia vt 3. de Anima dicitur, terra maximè miscetur in organo ipsorum sensuum & de organo quidem tactus ratio ista est, quia vt dicitur 3. de Anima organum tactus ad hoc, quod sit in potentia ad contrarias qualitates tangibiles debet esse mediocriter complexionatum, & ideò oportet quod sit ibi secundùm quantitatem plus de terra; quia inter alia elementa minus habet de virtute actiua.*

75. Sed obiicies: quod supra disput. 6. num. 45. & 60. diximus. Animam v. g. equi dare ossibus gradum radicalem vegetandi, & sentiendi: non tamen principia formalia, & proxima ad sentiendum requisita: carni verò vtrumque tribuere: ergo iam tactus in carne, vt in organo proprio illius recipitur. Patet consequentia, quia nisi tactiua potentia in carne resideat non apparet, quænam alia potentia seu virtus proxima sentiendi sit in carne.

Respondetur, quod sicuti manus, vel digitus ad sui completam compositionem requirit diuersitatem partium, ita caro, vt omninò completa esse censeatur, includit neruum tactiuum: quia sicuti neruus iste, & illius sensatio proximè ordinatur ad conseruationem carnis, & in ea clauditur, ita ad illos spectat integritatem. Vnde, ratione huius verum est carnem sentire, non secundùm se totam, sed secundùm sui partem, scilicet neruum tactiuum, intra eam existentem, & propterea in assertione consultò addidimus carnem, vt distinctam à neruo intra eandem existente, non esse organum tactus: sed medium illius. Adde, quod ad saluandum, carnem sentire, satis est, quòd carnicula illa, quæ est organum olfactus, olfaciat.

76. Dicendum est secundò tactum immediatè subiectari, tanquam in proprio organo innetuo quodam, quem Medici tactiuum appellant; quique vt ex Anatomistis constat, suo modo carne inuolutus, dispersus est per totum corpus, ita vt animal sit eo, veluti rete quodam per totum corpus disperso munitum, & septum, vt vndique quàm citissimè præsentiat, quid nociuum, quid vtile sit toti animali. Assertio hæc apertè colligitur ex his, quæ ex Aristot. & Diuo Thoma in præced. diximus: eamque tuentur authores pro præcedent. relati.

Ratio autem eius fundamentalis tacta est ab eodem Aristotel. & Angel. Doct. vbi supra, quæ potest sub hac forma proponi: quoniam neruus iste est itra carnem, vt experientia constat, & est terrestria in ea mediocritate quam organum tactus petit, quamque assertione præced. ex Arist. & D. Thoma explicuimus, vt Medici communiter fatentur, & insuper quoduis vulnus factum in partibus eidem viciniotibus valdè sentitur, nimium que dolorem causat, vt experimento compertum est: ergo signum erit, neruum istum esse proprium organum tactus, in quo ipse subiectatur.

77. Consequentia patet: nam duæ priores conditiones expressè petuntur à Philosopho, & Angelico Doctore propter rationes in præcedent. assertione factas. Posterior verò conditio est satis rationi consona; nam cum tactus tantum sentiat per se loquendo per medium intrinsecum; & quo magis prædictum medium fuerit subtilius, & organo proximius, eo meliùs sentiat, vt disput. præsenti num. 50. insinuauimus; consequentia est, vt illud sit organum actus, quod est talis conditionis, vt præter duo illa iam perita, habeat quod vulnera, & læsiones propè ipsum facta sint magis dolorifica, plusque sentiantur. Non enim apparet quidnam aliud ad rationem organi tactus desideretur.

Nec refert, si obiicias neruos esse admodum terrestres, & consequenter nimis frigidos, & siccos, vt inquit Aristotel. 2. de Generatione Animal. cap. 3. & in hoc 2. libro text. 79. vbi asserit pilos, ossa, & neruos non habere in se sensum aliquem ex eo quod sunt nimis terrestres: ergo, &c.

Respondetur enim Aristotelem loqui de aliquibus aliis neruis, non verò de hoc neruo tactiuo, qui in temperie, & mediocritate iam explicata habet esse terrestrem.

78. Sed inquires, in quanam parte huius nerui, tactus vigeat? Respondetur quòd in nobis (de cæteris enim animalibus non ita id experimento cognitum est.) viget in pulpis digitorum. ita D. Thom. in 4. dist. 23. quæst. 2. artic. 3. quæstiuncul. 2. in corpore, vbi vt redderet rationem, quare in sacramentali vnctione, vnguuntur loca quinque sensuum exteriorum, sic ait: *Omnis autem nostra cognitio à sensu ortum habet; & quia vbi est in nobis prima origo peccati, ibi debet vnctio adhiberi, ideo vnguntur loca quinque sensuum, scilicet oculi propter visum, & manus propter tactum, qui in pulpis digitorum præcipuè viget.*

Solutio argumentorum primæ sententiæ.

§. IV.

79. Ad primum patet ex dictis Philosophum non loqui de carne prout distincta à neruo, sed prout illum includit, & ratione illius sentit. Vndè, non benè Suarez asserit Aristotelem retractasse sententiam, quam in hoc 2. lib. text. citato docuerat. Nam contra hoc est, quod vt ex communi doctorum sententia constat, numquam admitti debet retractatio; nisi vbi planè de ea constat, & non potest id, quod alibi dictum est, ita explicari, vt cum his, quæ post modum dicuntur rectè cohæreat. in præsenti autem verb Arist. in argumento hoc adducta rectè & facilè vt iam diximus, explicantur, & sic explicata rectè cohærent cum his, quæ in hoc 2. libro docet.

Vndè sicut verum est per linguam gustari cibos, non quidem, quia per quamlibet partem illius gustentur; sed quia ratione nerui gustatorij in ea inclusi, & carne, siue pellicula illa iam dicta tanquam medio competit gustantur: ita potest dici carnem sentire obiecta tangibilia; non quidem quia prout distinct

stincta à neruo illa sentiat, sed quia prout eum includis tanquam quid ad complementum ipsius expectans, potest ratione eiusdem nerui in quo tactus residet, prædicta obiecta sentire.

80. Ad secundam respondetur non esse in primis sufficiens signum illud, quod in hoc argumento adducitur ad inferendum tactum esse in carne, tanquam in proprio organo, scilicèt quod percussa carne statim sentiatur ibi dolor (eo saltem modo quo tactus hunc sentit) vel quod obiectum tangibile carni approximatum statim sentitur: Vnde Arist. in hoc 2. lib. text. 110. sic inquit. *Verum autem est sensitiuum intus, an non, sed mox caro nullum videtur esse signum fieri sensum simul cum tactu: etenim nunc si aliquis circa carnem extenderit, vt pellem faciens similiter sensum, mox tactum, insinuat, & tamen constat, quod non est in hoc sensitiuum. Si autem, & connaturale fuerit, citius vtique pertinget sensus.*

Quæ verba sic explicat ibidem D. Thom. lect. 12. *Sciendum est quod posset alicui videri, quod caro esset organum sentiendi secundùm tactum, hac ratione: quia statim ad tactum carnis sentimus tangibilia. Dicit ergo ad excludendum hanc rationem, quod ad iudicandum vtrùm organum tactus sit intus, vel non, sed statim caro sit organum tactus, non videtur esse sufficiens signum hoc, quod simul cum caro tangitur, fit sensus tangibilis, id est sentitur.* Rationem reddit S. Doctor. *Quare & nunc si aliquis supra carnem extenderet aliquam pelliculam, aut telam subtilem statim ad tactum ipsius, quod superextenderetur carni, sentiretur tangibile. Sed tamen constat, quod organum sensus tactus, non esset in illa pelle superextensa, & iterum manifestum est, quod si illa pellis super extensa fieret connaturalis homini, citiùs per eam sentiretur. Vndè, licèt ad tactum carnis, quæ est homini connaturalis statim tangibile sentiatur: non tamen sequitur quòd caro sit organum tactus, sed est quoddam medium connaturale.*

81. Addimus deindè, aliud esse an plaga in carne prout distincta à neruo accepta sentiatur: an verò caro, vt sic distincta, sit id, quod elicit talem sensationem. Primum quidem verum est: Secundum verò falsum, vt ex dictis constat.

Nec refert, quòd neruus aliquando distet à carne: nam cum caro vt distincta neruo sit medium ad sentiendum per tactum, potest mediante illa plaga sentire, & ita hoc ipso, quod sensibile proprium tactus debitè contingat carnem, possunt per illam species prædicti sensibilis ad neruum, seu organum tactus deuenire, & per illas percipi. Vndè, superfluum omnino esset semel in neruis collocata potentia tactiua, eam etiam in aliis partibus animalis collocari, nam cùm neruus iste sit prope omnes illas partes, de quibus poterat esse dubium; ac in eisdem tactus subiectetur, & insuper illasmet tanquam per medium internum possint species tangibiles multiplicari: fit indè, vt per tactum residentem in neruo per totum corpus diffuso possint omnia obiecta tangibilia sentiri, ac proindè superfluum erit plura alia organa multiplicare.

Nec etiam obstat, si obiicias quod si sensatio tactus fit à neruo modo explicato, non poterit assignari aliqua ratio propter quam plaga accepta præcisè in osse, aut dentibus non sentiatur, cùm tamen certum sit eam non sentiri, sicut nec plaga accepta præcisè in capillis sentiri potest, vt experientia docet, ex eo quod tam capili, quàm ossa præcisè sumpta sunt valdè terrestria. Sequela probatur; nam dentes v. g. habent suos neruos sibi coniunctos, & ad hos poterant statim species illius plagæ dentibus præcisè inflictæ deuenire, atque adeò talis plaga sentiri.

82. Respondetur enim negando sequelam: nam ratio propter quam plaga inflicta præcisè in ossibus non sentitur, est, quia ossa non sunt medium aptum ad hoc, vt species illius plagæ per eadem vsque ad neruum tactiuum deferatur & talis plaga ex se non est dolorifica; ex eo quod ossa, ob nimiam crassitudinem, terrestreitatem, & frigiditatem sunt incapacia ad vtrumque horum. Vndè, non quæuis diuisio, scissio, aut intemperies hoc ipso quod talis, debet esse dolorifica: alioqui, diuisio facta in ligno inter dolorificas connumerari deberet, & consequenter aliquis tactus esset assignandus, qui illam sentire posset; sicut etiam (vt id obiter dicimus, & obiectio, quæ hic fieri poterat, maneat soluta) inter dolorificas plagas, & in partibus animalis, quæ non sunt organum tactus factas non omnes æquè dolorificæ sunt quia id ex dispositione, & temperie diuersarum partium, & ex diuersis causis inæqualibus potest prouenire.

Neque etiam obest, si vrgeas: Naturam, vt matrem prouidam eos sensus animali tribuisse, quibus damnum suis partibus imminens prouideret, & effugere posset: maximè verò damna præcipuarum partium, qualia sunt ossa quibus totum animalis ædificium, vt in vasibus quibusdam innitiuntur; at si ossa nec tactum habent, nec sui vulneris aut distemperiei species possunt immittere ad organum non restat, quomodo possit tale damnum euitari, aut per quem sensum ex externis sentiatur.

83. Non igitur hoc obest: nam ideò seu membra, seu partes sunt à natura, sua carne circundatæ, vt ipsa caro sit veluti exploratrix damni, & sensum per modum medij moueat ad hoc vt illud fugiat, vel ita res eadem natura disposuit; vt hoc ipso, quod læsio alicuius momenti in aliquibus partibus osseis, aut quasi osseis, ex parte discoopertis, vt sunt dentes, vngues, &c. fiat tunc eo ipso in carne, aut cute, modo dicto exploratricibus aliquid illius damni resultet, vel simul ipsa tangatur, vt ita sensus tactus de imminente damno ab eadem, vt ab interno medio moueatur, & sic animal mediante cognitione prædicti sensus à periculo illo liberetur.

Ad confirmationem respondetur: etiam in corde, & pulmone dari neruum quendam satis tenuem, & suum medium internum debitè dispositum habentem, vt ita hæ partes possint aptè sentire.

84. Ad vltimum patet ex dictis, carnem vt distinctam à neruo non habere temperiem requisitam, & iam explicatam ad rationem organi sicut eam neruus tactiuus habet: nec indè fit vt argumentum intendit, carnem non esse medium intraneum tactus, quia licèt non sit ita attemperata in ordine ad tactum recipiendum sicut requiritur; attamen talem habet temperiem, vt quantum fieri possit saluata natura, & dispositione, quam in ea petit, animal habeat affinitatem cum temperie organi eiusdem tactus: & hæc affinitas in temperie est talis conditionis, vt caro in sua naturali dispositione, attentis omnibus, non deficiat per excessum à dispositione requisita ad organum tactus, sed potiùs per defectum, vt ita non possit per se loquendo impedire vim, quam habet obiectum tangibile ad immutandum tactu, nec non, & virtutem tactiuam, quam prædictum organum habet, & hæc de hac quæstione & disputatione, nec non, & de duobus prioribus libris de Anima.

LIBER

LIBER TERTIVS DE ANIMA.

PROOEMIVM.

Qvamvis Arabes librum hunc à 4. capite, in quo Aristotel. de intellectu agit, exordium sumere sentiant, & partitionem hanc plures sequantur, vt Albertus Magnus, Ægidius, & Caietan. nihilominus omnes ferè Antiquiores interpretes Aristot. vt Boetius, Argiropolus, Simplitius, Philoponus, Themistius, Theophilus; & tandem Angelicus Doct. librum istum incipere iudicant ab eo capite, in quo Philosophus de numero sensuum externorum disputat, quodque immediatè sequitur post cap. 11. de tactu, & 12. de communibus omni sensui externo, de quibus nos in præcedent. egimus. Vndè Sanctum doctorem communiter sequuntur recentiores interpretes, vt Conimbric. Murcia, Rubio, & alij quàm plures.

Cuius optimam rationem tradidit Angelicus Doct. in hoc 3. lib. lectu. his verbis: *Hic incipit lib. 3. apud Græcos, & satis rationabiliter, ex hinc enim Aristotel. ad inquirendum de intellectu accedit: fuerunt enim aliqui, qui posuerunt sensum, & intellectum esse idem Manifestum est autem, quod intellectus non est aliquid de sensibus exterioribus, de quibus iam dictum est, ex eo quod non coarctatur ad vnum genus sensibilium cognoscendum. Vnde restat inquisitio vtrum in parte sensitiua sit aliqua alia potentia cognoscitiua, vt ex hoc possit accipi: vtrum intellectus sit aliquo modo sensus.* Vndè, meritò nos vestigia S. D. & præcipuorum interpretum Aristotel. sectantes librum hunc, non à 4. sed à primo capite iuxta distributionem eiusdem S. Doct. incipimus.

SVMMA TEXTVS

1. Liber hic continet tradicem cap. in 1. probat quinque tantùm esse sensus externos, in 2. & 3. agit de sensibus internis, in 4. de intellectu possibili, seu passibili, in 5. de intellectu agente, in 6. distinguit duos actus intellectus possibilis, scilicet apprehensionem, & iudicium, in 7. distinguit & explicat actus intellectus practici, & speculatiui, in 8. ostendit animam per sensus, & intellectum esse quodammodo omnia; intellectumque in omni sua intellectione dependere à phantasmatibus, in cap. 9. agit de potentia loco motiua, & motu progressiuo animalis, in 10. docet, duo esse principia motus progressiui, videlicet appetitum & cognitionem; distinguitque duplicem appetitum, nimirum rationalem, & sensitiuum, & enumerat omnia quæ concurrunt ad prædictum motum, in cap. 11. explicat quomodo hæc principia inueniantur in animalibus imperfectis, & perfectis, in 12. comparat potentias animæ inter se, & in ordine ad diuersa viuentia; explicatque, quæ sint eis necessariæ, quæ verò vtiles. Tandem in 13. capit. probat corpus animalis non posse esse simplex, id est vnico elemento constans, vel qualitatibus, quibus vnum constat elementum; sed necessariò debere esse ex omnibus mixtum.

DISPVTATIO XV.

De Sensibus internis.

Qvamuis Arist. in c. 1. huius libri disputauerit, de numero sensuum externorum, & de sufficientia diuisionis sensus externi in illos quinque de quibus lib. præc. per plures disputationes fusè egimus: nihilominus, quia sufficientia huius diuisionis satis constat ex ibidem dictis, maximè verò disp. 14. quæst. 3. ideò de hoc in presenti nihil dicemus, sed à sensibus internis in hac disp. exordium sumimus.

QVÆSTIO PRIMA.

AN PRÆTER QVINQVE SENSVS EXTERNOS SIT ponendus alius internus, qui sensus communis dici solet?

3. Pro tituli intelligentia notandum est, non esse sensum illius, an detur aliquis sensus, qui sit communis communitate prædicationis vt optimè notauit Angelicus Doct. part. q. 78. art. 4. ad primum: neque etiam andetur sensus communis, qui dicatur talis, ex eo quod per se primò solùm terminatur ad sensibilia communia de quibus supra disp. 9. quæst. 2. & 3. egimus. Quoniam sicut ad

percipienda prædicta sensibilia non requiritur aliud sensus externus, ex eo quod non possunt per se primò illum immutare, sed solùm modificare species propriorum sensibilium; ita nec aliquis alius sensus internus, & communis potest esse per se primò destinatus ad ea percipienda, vt notauit D. Thomas lib. 2. huius operis, & ratione ex eo ibidem desumpta hoc ipsum disp. 9. num. 10. ostendimus. Quare sensus rituli tantum est, an detur potentia aliqua sensitiua interna realiter à sensibus externis distincta, cuius inter alia munus sit, vel cognoscere omnia sensibilia externa, quæ à sensibus externis percipiuntur, ac proindè discernere inter illa (siquidem sensus ille qui cognoscit ipsa, non potest non percipere, esse inter se diuersa) vel percipere sensationes sensuum externorum vel tandem vtrumque simul.

Proponitur opinio negans.

§. I.

4. PRo parte negante referri solet Galen. lib. 4. de vsu partium cap. 6. & alij. Probatur primò, quia omnia sensibilia externa percipiuntur satis perfectè à quinque sensibus externis, vt experientia constat: ergo non indigebit animal aliquo alio sensu ad illa sentienda: & per consequens neque ad discernendum inter ipsa, ad percipiendas sensationes sensuum externorum, aut vtrumque simul. Prima consequentia ex antecedenti patet: secunda verò ex priori quoniam non perceptis prædictis sensibilibus externis, non percipiuntur sensationes sensuum externorum ad illa terminatæ, & per consequens multò minus ignoratis prædictis sensibilibus vtrumque percipietur.

Nec satis erit si occurras, quod licèt quiuis sensus exterior percipiat aliquod peculiare sensibile externum, attamen eorum nullus ad omnia illa potest terminari: & ideò necessarius est alius sensus, qui circa hæc omnia simul versetur, quique ob hanc rationem nomine sensus communis insigniatur.

Non itaque hoc satis erit, quia si semel admittitur aliquis sensus interior, attingens omnia externa sensibilia, non erunt necessarij quinque sensus externi, quandoquidem frustra fiunt per plura, quæ per pauciora fieri poterant.

5. Confirmatur, nam sensibilibus externis conueniunt diuersi modi immutandi sensum, vt experientia docet; ergo omnia illa nequibunt vnum, & eundem sensum immutare, ac proindè, nec dabitur vnicus numero sensus, qui circa ipsa, modo dicto, possit versari. Hæc vltima consequentia ex priori patet: prior autem ex antecedenti, quoniam pro diuersitate modorum immutandi multiplicatur sensus exeo quod iuxta prædictam diuersitatem exigitur diuersa dispositio in organis; nec non, & multiplicitas organorum, vt ex supra dictis constat; & maximè in præsenti, vbi tot, tamque diuersæ dispositiones ab omnibus sensibilibus externis in organis petitæ, non possunt in vno, & eodem organo cohærere, vt ex se patere videtur.

Confirmatur secundò: quoniam numerus sensuum tantum desumitur ex numero operationum, quæ ad vitam animalis perfecti necessariæ sunt, vt docet Diuus Thomas 1. part. quæst. 78. art. 4. Sed ad finem istum non desideratur prædictus sensus: ergo non erit necessarius, sed vt superfluus admitti non debet. Minor probatur, quia nullus motus circa obiecta necessaria ad vitam perfecti animalis, aut circa alia illi repugnantia, & disconuenientia posset prouenire ex cognitione talis sensus, qui non valeret ex externorum sensuum notitia oriri, quandoquidem prædictus sensus non perciperet alia sensibilia vt supponitur: & ex iofra dicendis patebit, nisi illa, quæ per sensus externos præsentiuntur: ergo, & cætera.

6. Secundò & principaliter probatur eadem sententia: nam si propter aliquam rationem esset admittendus prædictus sensus communis, maximè quia sensus externi habent ab eo magnam dependentiam, ab illoque accipiunt virtutem in ordine ad suas operationes aliciendas. At propter hoc non: ergo, & cætera.

Maior videtur certa, quoniam commune est omnibus particularibus causis, vt pendeant ab aliqua alia vniuersaliori in suis operationibus: sed sensus externi sunt causæ particulares, quippè cum quiuis eorum solùm versetur circa particulare aliquod obiectum, vt visus circa visibile: auditus verò circa audibile: ergo pendebunt in suis sensationibus ab aliqua aliâ vniuersali causa cum eisdem sentiente, quæ propter hanc rationem sensus communis appellatur.

7. Minor autem etiam constat: nam ad hoc vt saluetur sensus externos pendere ab aliqua vniuersali causa, satis est, quòd ab anima, vt à prima radice, & communi principio omnium sensationum dependeant. Quare cùm prædicti sensus habeant de facto hanc dependentiam, non potest reddi sufficiens ratio propter quam simul egeant concursu alterius vniuersalis sensus. Vnde, licet vis nutritiua versetur circa specialem actionem nutriendi: & augmentatiua circa augmentationem, & non circa alias actiones: non tamen propterea necessarium est dari aliquam aliam potentiam vniuersalem: cui omnes hæ potentiæ vegetatiuæ circa particularia obiecta versantes subordinentur: sed satis est, quod omnes illæ habeant dependentiam ab anima vegetatiua, vt à communi omnium radice.

Communis sententia ex Arist. & D. Thom. desumpta stabilitur.

§. II.

8. DIcendum tamen est, reuera dari sensum qui communis nuncupatur, realiter distinctum à quinque sensibus externis; quique habeat duo illa munera in explicatione tituli recensita. Ita Aristotel. in libr. de somno, & vigilia capit. 2. & in hoc libr. cap. etiam secundo, vbi multis assertionem hanc suadet vt statim videbimus, quem sectatur D. Thomas in præf. lectione 3. plures pro hac assertione rationes adducens, & in 1. part. qu. 78. art. 4. in corpore, & ad 2. & qu. 57. artic. 2. sic habet. *Sensus communis, qui est superior, quàm sensus proprius, licet sit vnica potentia omnia cognoscit, quæ quinque sensibus exterioribus cognoscuntur, & quædam alia, quæ nullus sensus exterior cognoscit, scilicet differentiam albi, & dulcis. Et quæst. de Anima artic. 13. inquit. Ad perfectam autem sensus cognitionem, quæ sufficiat animali quinque requiruntur: primò quod sensus recipiat speciem à sensibilibus, & hoc pertinet ad sensum proprium* (id est externũ) *secundò quod de sensibilibus perceptis diiudicet, & ea ab inuicem discernat, quod oportet fieri per potentiam ad quam omnia sensibilia perueniunt, quæ dicitur sensus communis.* Et tamen locis numero sequenti referendis expressè fatetur, requiri prædictum sensum ad hoc, vt animal per illum percipiat sensationes sensuum externorum. Quam sententiam communiter amplectuntur authores, tam antiquè, quàm iuniores, & ideò eos particulariter recensere supervacaneum erit. Cæterùm quia in assertione duo illa munera in explicatione tituli recensita sensui

sensui communi tribuimus, scilicet cognoscere & discernere inter externa sensibilia, nec non & percipere eodem proportionali modo sensationes sensuum externorum: propterea sigillatim maioris claritatis gratia ostendemus quodlibet ex his muneribus sensui communi conuenire.

9. Ex primis quoad hoc vltimum probatur ratione adducta ab Aristotel. in hoc libr. cap. 2. & à Diu. Thoma ibidem lect. 3. & 2. part. quæst. 78. artic. 4. ad secundam, vbi, eam sub hac forma proponit. *Cum aliquis videt, se videre, hoc non potest fieri per sensum proprium* (id est externum) *qui non cognoscit nisi formam sensibilis à qua immutatur: in qua immutatione perficitur visio.*

Vis autem, & efficacia huius rationis potest sic confirmari, & explicari, nam præter notitiam directam; quæ est in animalibus circa externa sensibilia, habent aliam vt sic loquamur quasi reflexam per quam cognoscunt se per externos sensus sentire, ac proinde, se per visum videre, & audire per auditum; sed notitiam hanc nequeunt habere per aliquam ex externis sensibus, ergo necesse erit alium sensum realiter ab eis distinctum admittere: cuius præcipuum munus inter alia sit percipere sensationes sensuum externorum.

Consequentia est satis perspicua. Maior autem & minor expressè asseruntur ab Augustino libro de libero arbitrio in principio, his verbis: *Non enim bestia moueret se, aut aliquid appetendo, vel fugiendo, nisi se sentire cognosceret, quod non utique aliquo eorum ex quinque sentit.*

10. Et deinde, quæuis ex illis ratione suadetur. Maior quidem, quoniam bruta pertimescunt quædam loca in quibus percussa fuerunt, & redeunt ad alia in quibus cibum, vel potum inuenerunt: ergo recordantur doloris perpessi, ac delectationis perceptæ: ac proinde, prius has sensationes externas perceperunt; quandoquidem non nisi illorum, quæ prius sentiuntur, potest esse recordatio.

Minor verò probatur: Tum quia potentia sensitiua exterior non immutatur nisi ob obiecto sensibili exteroo, & propterea nuncupatur potentia passiua, non qualiscumque, sed respectu actionis transeuntis ab obiecto in illam: ergo nequit à se, vel à proprio organo, aut ab his, quæ in eo resident immutari: ergo cùm sensatio sensus externi non fit extra proprium organum illius, quippe quæ est actio vitalis: fiet inde, vt prædictus sensus nequeat à propria sensatio ne immutari, atque adeò, neque eam percipere.

Tum etiam, quia si sensus externus perciperet suam sensationem, perciperet vtique extensionem illius, & subiecti in quo est: sicut, quia visus videt colorem, videt etiam extensionem illius, & corporis in quo est: ergo cum prædictus sensus non percipiat extensionem suæ sensationis, nec organi in quo est: signum erit, non percipere prædictam sensationem.

11. Tum denique quia nulla potentia potest ferri extra latitudinem sui obiecti adæquati, sed visio v.g. est extra latitudinem obiecti adæquati visus: quippe quæ, nec est lux, nec color: ergo visus nequibit suam visionem percipere.

Secundam autem, & fundamentalem rationem per quam ostenditur dandum esse prædictum sensum communem ad discernendum inter externa sensibilia, & seotiendum illa: adduxit Arist. in hoc l. c. 2. text. (secundùm partitionem aliorum) 145. his breuibus verbis. *Quoniam autem album, & dulce, & vnumquodque sensibilium ad vnumquodque comparando discernimus, & sentimus, quod differunt, necesse igitur sensu, sensibilia enim sunt.*

Eam verò sub hac forma adduxit, & explicuit D. Thomas loco citato ex 1 part. quæst. 78. iam citata, art. 4. ad secundùm. *Nam sensus proprius indicat de sensibili proprio discernendo ipsum ab aliis, quæ cadunt sub eodem: sicus discernendo album à nigro, vel à viridi: sed discernere album à dulci non potest, neque visus, neque gustus: quia oportet, quòd qui inter aliqua discernit, vtrumque cognoscat. Vnde, oportet ad sensum communem pertinere discretionis iudicium, ad quem referuntur sicut ad communem terminum omnes apprehensiones sensuum.* Cæterùm hæc omnia, & quomodo ad sensum communem spectent: amplius quæstione sequenti explicabuntur.

Obiectiones contra vtramque rationem.

§. III.

Sed contra primam rationem obiicies primò; falso in ea supponi; quòd sensus externus v. g. visus, non percipiat suam sensationem. Nam hoc videtur esse: Tum contra Aristotelem in præs. cap. 2. & contra rationem ab ipso ibidem factam, scilicet, quod si sensus externus non percipit suam sensationem, dabitur processus in infinitum in potentiis: quia eadem ratione illa potentia quæ perciperet sensationem sensus externi, non cognosceret suam sensationem; & ita ad eam percipiendam deberet dari alia potentia, & sic in infinitum: Tum etiam contra D. Thomam de veritate quæst. 1. art. 9. & quæst. 10. art. 9. vbi inquit. *Visus primò dirigitur in colorem, sed in actum visionis suæ, non dirigitur nisi per quandam reditionem, dum videndo colorem videt se videre.*

Confirmatur: nam si sensus externus, nequit cognoscere suam sensationem, neque etiam internus percipiet suam; ergo neque intellectus posset illam cognoscere, quod quidem est euidenter falsum. Antecedens patet: nam ratio facta ad probandum sensum externum non posse percipere suam sensationem ex eo quod debet immutari ab externo sensibili; etiam conuincit, quoad omnes sensus internos ex eo quod sensibile externum est primum, & principale immutatiuum eorundem. Consequentia autem probatur quia intellectus nihil potest pro hoc statu intelligere nisi circa illud met phantasia aliquo modo versetur, vt ex infra dicendis constabit; ergo nequibit sensationem phantasiæ percipere, nisi ipsa simul suam sensationem cognoscat.

12. Secundò contra secundam rationem obiicies, falsum esse quod discretio inter sensibilia propria externorum sensuum non possit fieri ab eisdem sensibus, ex eo quòd nullus eorum omnia illa cognoscit. Nam ex hoc solùm sequitur non posse hanc discretionem fieri ab vnico solummodo sensu externo, non verò eam non posse fieri ab animali per omnes illos simul sumptos absque eo, quod alius sensus desideretur; ergo ratio facta corruit. Consequentia patet. Antecedens autem probatur, quoniam omnes illi simul sumpti cognoscunt omnia externa sensibilia & radicantur in vno, & eodem composito; v. g. in homine: ergo homo per omnes illos poterit inter prædicta sensibilia discernere.

Confirmatur: nam licèt voluntas si potentia cæca nihil percipiens, nihilominus potest homo mediante illa doctu intellectus proponentis bonitatem obiecti attrahi ab illo, quia idem est suppositum, quod per voluntatem vult, & attrahitur, quod per intellectum percipit bonitatem obiecti: ergo similiter, quamuis singuli ex sensibus externis non percipiant omnia sensibilia externa; satis erit vt sit idem suppositum, quod per omnes illos perci-

pit prædicta ſenſibilia, ad hoc, vt prædictum ſoppoſitum per omnes illos faciat iudicium, & diſcretionem inter eadem ſenſibilia. Conſequentia ex paritate rationis patet. Antecedens autem communi doctorum ſententia conſtat.

13. Tertiò contra eandem rationem obiicies; quod hæc diſcretio multò meliùs poteſt fieri ab omnibus ſenſibus externis ſimol ſumptis, quàm ab vno ſenſu communi ergo, &c. Antecedens probatur, qua ab eodem ſenſu nequit fieri per vnicam ſpeciem, ex eo quod ab obiectis adeò diuerſis, & ita diuerſum modum immutandi habentibus non poteſt, vt ſupra tetigimus, vna, & eadem ſpecies immitti, multò minùs ab ſpeciebus ab eiſdem ſenſibilibus immiſſis poterit vnica alia ſpecies produci, quippè cùm iſtæ non ſint maioris actiuitatis, quàm ipſa ſenſibilia: maximè, cùm vna, & eadem ſpecies materialis, atque adeò valdè limitata, nequeat res adeò diuerſas, & ſecundùm diuerſas rationes in eiſdem exiſtentes repræſentare, neque etiam poterit prædicta diſcretio per multiplicem ſpeciem fieri; quoniam vnam, & eandem potentiam ſimul vti ſpeciebus diuerſis exigit in illa adeò magnam perfectionem, & illuminationem, vt multi hoc ipſum intellectui denegent: ergo prædicta diſcretio multò meliùs poterit fieri ab omnibus externis ſenſibus, quàm ab vnico ſenſu communi. Patet conſequentia, quia cùm iſti ſint plures, poterunt optimè vti pluribus, & diuerſis ſpeciebus ad prædictam diſcretionem faciendam.

14. Quartò contra eandem rationem, & aſſertionem obiicies; quia vel ſenſus iſte vnicus, qui dicitur communis, cognoſceret vno actu ſenſibilia diſtincta, vel pluribus: non primum, quoniam aliàs ordinaret, & componeret illa, & eorum ſpecies inter ſe & vnum alteri compararet, ac tandem propoſitiones efficeret; quoniam ea, quæ diſtincta ſunt, nequeunt eodem actu cognoſci, niſi aliquo modo ordinentur, aut coniungantur, vt ſic habeant rationem vnius. Et ſimiliter neque poſſunt vnico actu diſcerni, niſi ad inuicem comparentur, ac proindè niſi formetur iudicium, quo enuntiatur vnum non eſſe aliud, propoſitioque aliqua fiat: hæc autem omnia ſenſui deneganda ſunt: ergo, &c. ſecundum autem dici nequit alioqui ille ſenſu ſimul perciperet plura, vt plura, ſiquidem diſtinctis actibus, & ſecundum proprias eorum rationes cognoſcuntur, & non ob aliam rationem, niſi propter hanc ab omnibus ſenſibus externis percipiuntur, vt plura.

Confirmatur diſcorſu quodam, quem contra eandem rationem idem Ariſtot. format, & Doctor Angelic. ad hanc formam reduxit. Quoniam impoſſibile eſt idem, & indiuiſibile, ſimul moueri ſecundùm contrarios motus ſimul, & in indiuiſibili tempore: ſed ſenſus mouetur à ſenſibili in quantum ſentit, & diuerſa, ac contraria ſenſibilia, diuerſis, & contrariis motibus mouent: ergo impoſſibile eſt, quòd eadem vis ſenſitiua ſimul cognoſcat contraria diuerſa.

Enodatio obiectionum contra rationes Ariſt. & D. Thomæ.

§. IV.

15. AD primam reſpondetur Ariſt. non reſoluendo, ſed in vtramque partem quæſtionem illam diſputando dixiſſe, ſenſum externum poſſe ſecundùm ſuam ſenſationem ſentire, vt ibidem D. Thom. lect. 3. notauit: nec ratio ab eodem Philoſopho adducta conuincit; quandoquidem ſaltem poteſt deuenire ad intellectum, qui ſuam operationem, & ſimul operationes aliorum ſenſuum cognoſcat.

Ad teſtimonium verò ex D. Thoma adductum reſpondetur ex eodem Angel. Doct. lect. 3. nuper citata, quem ſequuntur Caietanus in vltimo dubio huius lib. Bañes 1. pag. quæſt. 78. art. 4. dub. 3. & 4. Ferrara in hoc lib. q. 1. & 2. contra Gen. cap. 66. ratione 4. quod omnes ſenſus externi ab vna communi radice originem habent, & ad illam omnes particularium ſenſuum, & organorum immutationes terminantur, quæ radix, quia eſt omnium particularium ſenſuum commune principium, & communis finis, dicta eſt ſenſus communis; quo fit, vt ſenſus iſte, ſecundùm quod, quodammodo continuatur cum viſu, & terminat eius immutationem vocetur viſus: Secundùm verò quod terminat immutationem auditus; & cum illo quaſi continuatur, nuncupetur auditus, & ſic de aliis, ac proinde, ſicut omnium ſenſuum externorum immutationes ſenſibiles complet, ac terminat, ita & ſingulorum ſenſuum nomina quodammodo nanciſcatur.

16. Quare dupliciter poſſumus accipere ſenſum particularem: vno modo pro ſenſu communi, vt cum ſenſu particulari quodammodo continuationem habet, & ratione huius, nomine illius inſignitur: alio modo pro ipſo ſenſu particulari ſecundùm ſe, & vt à communi ſenſu diſtinguitur; ſi primo modo accipiamus ſenſum particularem v. g. viſum, tunc viſus ſentit ſe ſentire, nam cum ſenſus communis, vt principium viſus, & terminus viſionis dicatur viſus, & quodammodo vnum cum viſu cenſeatur, propterea dicimus, quòd viſus videt ſe videre, ſi verò ſecundo modo ſenſum particularem accipiamus, ſic ſenſus non ſentit ſe ſentire. Vndè, iuxta has diuerſas acceptiones ſenſus debent intelligi diuerſa, & prima facie oppoſita teſtimonia D. Thom. quibus aliquando docet ſenſum externum ſentire ſuam ſenſationem; aliquando verò hoc illi denegat, & ex hac incapacitate, quàm ſenſus externus habet ad percipiendam ſuam ſenſationem, colligit eſſe dandam aliquam aliam potentiam, nempe ſenſum communem per quam prædictæ ſenſationes externæ cognoſcantur, vt in loco citato ex prima parte quæſt. 78. art. 4. ad ſecundùm videre licet.

Vndè, vt optimè notauit idem Ferara; propterea Angelicus Doctor explicans in eadem lect. Ariſtotelem dixit in fine illius: *Quod potentia illa, qua videmus nos videre, non eſt extranea à potentia viſiua, ſed differt ratione ab ipſa:* nam ex quo capite ſenſus communis habet ſe per modum principij, & radicis talis ſenſus, & termini immutationis illius, ſiue immutationis factæ ab obiecto in eodem ſenſu; nequit prædictus ſenſus communis cenſeri potentia extranea reſpectu illius; quia principium & terminus alicuius rei complentia illam non cenſentur extranea reſpectu illius, quamuis ab ea realiter diſtinguantur: ſicut punctum, quod eſt principium, & terminus lineæ, non cenſetur extraneum reſpectu eiuſdem: (quamuis in hoc ſit ſua diſparitas inter ſenſum communem, & reliquos ſenſus externos ex vna parte, & punctum, ac lineam ex alia: vt intuenti patebit, & nos nuper innuimos.)

17. Cæterùm ex quo capite ſenſus communis habet diſtinctum obiectum, & diſtinctus realiter actus, ac ſenſus particulares, differt ab illis ratione, id eſt, non ratione ratiocinata ſolummodò, ſed per operationem intellectus, ſeu ratione formali, ſeu eſſentiali: imò etiam realiter, quia licet S. Doctor in his verbis illam non expreſſerit; eam tamen in eiſdem non negauit, ſed potius eandem innuit, ex eo quod in idem redit tribuere ſenſui communi, aut cuiuis alteri potentiæ diſtinctionem formalem, ſeu eſſentialem petitam ex diſtincto obiecto, & diſtincto realiter actu, vt hic etiam S. Doctor ſenſui

communi

communi tribuit, ac asserere illum esse realiter ab aliis sensibus distinctum, siquidem vt ex doctrina eiusdem S. Doctoris disp. 7. num. 12. adductæ constat, distinctio essentialis potentiarum ex prædicta radice petita, nequit non esse simul distinctio realis, per quam illa potentia ab omnibus aliis distinguatur. Sed hæc amplius in solutione ad 2. pro 1. sententia adductum elucidabuntur.

Ad confirmationem constabit ex his, quæ infrà disput. 21. quæst. vltima dicemus.

18. Ad secundum respondetur negando antecedens, & ad probationem occurrit Arist. in hoc 2. lib. c. 2. text. 146. his verbis: *Neque vtique separatis contingit discernere, quod alterum sit dulce ab albo, sed oportet aliquo vno vtraque manifesta esse, sic enim se haberet, etiam si hoc quidem ego, aliud autem tu sentires. Manifestum vtique esse altera ab inuicem sunt: oportet autem vnum dicere quoniam alterum: Alterum enim dulce ab albo. Dicit ergo idem, quare sicut dicit, sic & intelligit, & sentit; quod quidem igitur non possibile separatis iudicare, separata palam est.*

Quæ verba sic explicat D. Thom. ibidem lect. 3. *Posset enim aliquis credere quod discernamus album à dulci, non quidam vna potentia, sed diuersis, vt scilicet in quantum gustu cognoscimus dulce, & visu album: hoc autem excludit dicens, quod non contingit discernere, quòd dulce sit alterum ab albo separatis potentiis; id est diuersis, sed oportet ad discernendum inter ea, quod secundum aliquam vnam potentiam manifestum sit nobis.*

Et rationem reddit S. Doctor. *Ita enim esset, si diuersis potentiis sentiremus dulce & album, sicut si diuersi homines sentirent vnus dulce, & alius album. Puta si ego sentio hoc & ille illud. Hoc autem posito manifestum est, quòd altera sunt adinuicem dulce, & album, quia aliter patior ego à dulci, quàm tu ab albo, sed tamen diuersitas ista non erit nobis per sensum manifesta; sed oportet quod vnus sit, qui dicat, & sentiat alterum esse dulce ab alio: sicut igitur oportet, quod vnus homo qui dicit alterum esse album à dulci, sic qui cognoscit vtrumque, ita oportet, quòd vna potentia sit, qua agnoscitur vtrumque, nam homo non cognoscit nisi per aliquam potentiam, & hoc est, quod concludit vlterius palam esse (quod non est possibile iudicare separata) id est, quod aliqua sint diuersa (separatis) id est, diuersis, sed oportet, quod sit eadem potentia, qua vtrumque cognoscat.*

19. Ad confirmationem transeat antecedens, & negetur consequentia, & ratio disparitatis est; nam voluntas habet, quidquid ex parte potentiæ proximæ desideratur ad hoc, vt homo mediante illa per modum cuiusdam inclinationis feratur post bonum, quæ est vniuersalis quædam inclinatio ad bonum rationis. Cæterùm, omnes sensus externi simul sumpti non habent quidquid desideratur ex parte potentiæ proximæ ad hoc, vt animal discernat inter omnia sensibilia externa: quia sicut talis discretio fit per vnum, & eundem actum vitalem, & immanentem, ita petit vnicam potentiam proximam, quæ omnia hæc sensibilia percipiat, vt ita possit inter illa discernere.

Ad tertium negandum est antecedens, & ad probationem dicendum est hanc discretionem fieri à sensu communi per plures & diuersas species; neque est inconueniens, quod vna, & eadem potentia materialis vtatur diuersis speciebus, quæ vt ipsi deseruiunt, fiunt partiales, ac proindè habeant rationem vnius, quatenùs per eas cognoscuntur obiecta habentia inter se ordinem conuenientiæ, & differentiæ. Quare, falsum est perfectionem hanc excedere rationem potentiæ sensitiuæ, saltem quando est potentia eleuatior, & habens obiectum magis eleuatum, quàm sensus externi.

20. Ad quartum respondetur, sensum communem percipere, & discernere inter sensibilia externa vnico actu: ex hoc autem nullum ex inconuenientibus ibidem adductis sequitur: non quidem primum, scilicet, quòd sensus ordinaret, & componeret obiecta sensibilia, seu species eorum inter se: quoniam species istæ ex natura sua habent, quod in sensu communi vniantur; quantum satis est, vt cum illo ad prædictam operationem concurrant; nam sicut species intentionales institutæ sunt à natura ad complementum virtutis cognoscitiuæ, modo tamen alibi explicato, ita saltem in parte sensitiua sunt ab eadem natura determinatæ, vt deseruiant illis potentiis, in quibus sunt iuxta modum, & exigentiam earundem potentiarum.

Quare, sicut calor, verbi gratia, ita se attemperat diuersis substantiis, in quibus est vt existens in igne producat ignem, & in animali carnem, & sanguinem, & hoc non aliundè prouenit, nisi quia prædictus calor est institutus à natura ad hoc, vt deseruiat substantiæ in qua est, ita quia species intentionales tribuuntur à natura ad hoc, vt deseruiant animali, & eius potentiis: fit indè, quòd cùm animal sit discretiuum inter plura obiecta sensibilia, & vna species materialis non possit plura illa obiecta repræsentare, oporteat, vt vtatur pluribus speciebus, & quòd illæ quæ in eodem sensu extiterint, eidémque deseruierint, sic illo vniantur, quantum satis est, vt simul cum eodem ad prædictam sensationem concurrant. Quapropter, si species illæ, aut aliæ similes possent ad alium sensum inferiorem transferri; tunc ibidem in ordine ad vnam, & eandem sensationem eliciendam non vnirentur.

21. Neque etiam hinc duo illa inconuenientia in eadem confirmatione insinuata sequuntur: scilicet quod sensus communis duo externa sensibilia inter se compararet, aut propositiones secundùm se sumptas efficeret: quoniam comparatio strictè, & in rigore sumpta, per quam duo extrema inter se distincta comparantur media reflexione, aut quasi reflexione petit, vt cognoscatur, quid sit illud, in quo vnum ab altero differt; at modus iste comparandi duo extrema inter se excedit virtutem sensus communis, & exigit potentiam altiorem cognoscentem, quod quid est rerum; & non solum an est earundem, vt in sensu communi contingit, & ita ad hoc vt sensus communis cognoscat distincta sensibilia, & discrimen eorum; non est necesse, vt prædictam comparationem faciat, quia discernit inter illa, non quidem in actu signato (ad quem discretionis modum requiritur prædicta comparatio) sed solum in actu exercito, & præcisè per hoc, quod diuersis immutationibus ab illis immutatur; & diuerso modo ab eisdem afficitur: ac proinde ad hanc discretionem non requiretur, quòd formetur propositio, vt intuenti constabit. Maximè, quia ad prædictum modum discernendi non requiritur iudicium aliquod distinctum ab apprehensione, aut illa enunciatios, cùm tamen ad faciendas propositiones, in quibus veritas, vel falsitas reperitur, tale iudicium desideretur: vt benè notauit Bañez 1. part. quæst. 78. articul. 4. dub. 2.

Ad confirmationem respondetur primò cum Diuo Thoma de sensu, & sensato lectione 5. quòd licèt demus sensibilia aliqua esse inter se contraria secundùm suum esse intentionale, quod est esse incompletum & diminutum. Vnde Sanctus Doctor ibidem, inquit: *Color quidem est in corpore colorato, sicut qualitas completa in suo esse naturali: in medio autem incompletè, secundùm quoddam esse intentionale alioquin non posset secundùm idem medium videri album, & nigrum. Albedo autem, & nigredo prout sũt forma cõplota in esse naturali, non possunt simul esse in eodẽ, sed secundùm præ-*

dictum esse incompletum sunt in eodem; & rationem subdit: *quia iste modus essendi propter suam imperfectionem appropinquat ad modum, quo aliquid est in aliquo in potentia. Sunt autem in potentia opposita simul in eodem.* Quare, per hoc, quod sensus communis patiatur intentionaliter à diuersis sensibilibus, hæc essent inter se contraria secundùm esse naturale, non sequitur quod patiatur motibus contrariis; maximè, quia est potentia aliquo modo superior, potens vti diuersis speciebus, & sensibilia satis diuersa repræsentantibus.

22. Secundò respondetur, quod cum sensus communis sit radix omnium sensuum externorum, & terminus omnium immutationum illorum, ac proinde quodam modo continuetur cum singulis, non est inconueniens eum, quatenus semel accipitur vt est quodammodo continuatus cum auditu, & vt terminus illius, & suarum immutationum pati vnico motu, vnà cum illo: & quatenus iterum accipitur, vt eodem proportionali modo est terminus visus, & quasi continuatur cum eo, pati alio diuerso motu, vnà cum eodem auditu: & tandem, quòd quatenus prædictus sensus, qui cum eis continuatur, est tantum vnicus, & idem possit propter hanc vnitatem elicere vnicum & eundem discretionis actum, quo inter diuersa sensibilia, à quibus est passus, discernat.

Quam solutionem tetigit Aristoteles in hoc libro cap. 2. iam citato, textu 149. eamque Sanctus Doctor loquens de sensu communi, his verbis explicuit: *Vis sentiendi diffunditur in organa quinque sensuum ab aliqua vna radice communi, a qua procedit vis sentiendi in omnia organa, ad quam etiam terminantur omnes immutationes singulorum organorum, &c. Habet igitur hoc principium sensitiuum commune, quod simul cognoscat plura in quantum accipitur bis, vt terminus duarum immutationum sensibilium in quantum vero est vnum, iudicare potest differentiam vnius ad alterum.*

Diluuntur fundamenta primæ sententiæ.

§. V.

23. AD primum satis constat ex dictis: vnde solutio ibidem tradita, & iuxta ea, quæ diximus, intellecta, est optima. Et ad probationem in contrarium, negandum est antecedens: Tum propter statim dicenda: Tum etiam, quia sensus communis non posset immutari à sensibilibus externis, nisi mediantibus sensibus externis; nam cum sedes, & organum, in quo sensus iste residet, sit internum, non potest patere immutationi factæ ab externo sensibili nisi mediante sensu externo.

24. Et si inquiras, cur sensus iste sit collocatus à natura in interna sede, & organo; non verò in aliqua externa corporis parte, vt ita posset ab externis sensibilibus immutari. Respondendum erit, id oriri ex conditione ipsius cognitionis sensitiuæ, & ex generali modo, quo natura in suis operibus procedit; quoniam ad cognitionem perfectiorem sensitiuam non peruenitur, nisi gradatim per cognitionem eiusdem ordinis, minùs perfectam, sicut in vniuersum natura in suis operibus ab imperfectioribus ad perfectiora conscendit; quare, cum cognitio sensus communis sit perfectior; quippè vniuersalior, & adeò varia sensibilia complectens, consequens erat, vt ad illam non nisi mediis sensibus externis habentibus obiecta minùs vniuersalia, ac proindè, per imperfectiorem sensationem sentientibus deueniretur.

Ad primam confirmationem respondetur; verum esse, quod diuersis sensibilibus externis conueniunt diuersi modi immutandi etiam respectu sensus communis. Cæterùm, quia hæc diuersitas est materialis, licet necessariò desiderata, ideò non requirit in organo sensus communis illam multiplicitatem, & oppositionem dispositionum, quas in singulis organis sensuum externorum requirit. Nam illis prædicta diuersitas est formalis: in organo verò sensus communis, nec non, & in ipso sensu communi est materialis: ex eo quod sicut omnia sensibilia externa conueniunt in quadam ratione communi, licet innominata, ita conueniunt in vnico modo immutandi sensum communem, qui est formalis respectu ipsius, & propterea non requirit nisi eas dispositiones, quæ ad hunc immutandi modum per se, & formaliter inspectum desiderentur. Nam, sicut cætera alia, non nisi ratione huius inspiciuntur; ita illæ dispositiones, quæ ad hunc formalem immutationis passiuæ modum sunt satis, debent etiam ad reliqua alia sufficere.

25. Ad secundam confirmationem respondetur negando minorem, & ad probationem patet ex dictis pro assertione, quomodo ad perfectionem animalis requiratur, vt discernat inter sensibilia externa & cognoscat sensationes externas quæ duo essent illi ignota, nisi sensum communem haberet.

Ad secundum principale concedenda est maior, non tamen propter probationem ibidem adductam, scilicet, quia quæuis potentia habens obiectum particulare, debet subordinari alteri potentiæ proximæ vniuersaliori, sed quia hoc est particulare aliquibus potentiis ob peculiarem sui naturam: inter has autem sensus externi collocati cum sensu communi, & interno connumerantur, quia immutatio facta ab obiecto sensibili non sistit in immutatione sensuum externorum, sed vlterius progreditur, saltem mediis prædictis sensibus vsque ad immutationem sensus communis, tanquam radicis eorum, & ipsa sensatio illarum terminatur ad eundem sensum communem, quatenus terminatur ad hoc, quod (modo alibi dicendo) modificet speciem transmissam ad illum, vt ita non solum cognoscat obiecta sensuum externorum, sed etiam sensationes eorum.

Quæ omnia, vidimus, tetigit D. Thomas: Tum in loco citato, num. 22. ex lect. 3. huius libri; Tum etiam 1. part. quæst. 78. art. 4. in solutione ad primum, dum loquens de sensu communi, dixit: *Sensus interior non dicitur communis per prædicationem sicut genus, sed sicut communis radix, & principium externorum sensuum:* Tum denique opusc. 43. his verbis: *Est ergo sensus communis, a quo omnes sensus proprij deriuantur, & ad quem omnis impressio eorum renuntiatur, & in quo omnes coniunguntur;*

26. Sed inquires; an hæc dependentia sit non mutua, an verò mutua, ita vt sicut sensus externi dependent ab interno, seu communi, ita è contra iste secundùm aliam rationem pendeat ab illis; Respondetur, prædictam dependentiam esse mutuam, & ideò sensus communis nequit sentire, saltem per se loquendo, nisi sensus exterior sentiat; quia non potest modo dicto immutari intentionaliter nisi mediis prædictis sensibus. Et rursus sensus externi nequeunt sentire non sentiente sensu communi, vt in dormientibus, nec non & in his, qui in extasim rapiuntur, constat; & ita spiritus animales à cerebro descendentes, & ad sensationes necessarij non distribuuntur sensibus externis, nisi per sensum communem, neque ab eodem cerebro immittuntur, nisi dum sensus communis sentit.

Quæ omnia explicuit ibidem S. Doctor opusc. cit. vbi loquens de sensu communi, sic ait: *Eius organum*

est

est prima concauitas cerebri à quo nerui sensuum particularium oriuntur. Et hinc est, quod quantum ad distinctionem spiritus animalis sensus proprij deriuantur à communi: quantum verò ad apprehensionem & renuntiationem sensus communis, fit in actu per proprios, quia nihil apprehenderet, nisi per hoc, quod sensus proprij redeunt ad ipsum cum suis lucris.

QVÆSTIO II

Vtrùm præter sensum communem sit admittenda phantasia, seu imaginatiua, quæ sit potentia realiter ab eodem sensu communi distincta?

ET si omnes Doctores admittant dari in animalibus perfectis potentiam aliquam sensitiuam, quæ phantasia, siue imaginatio nuncupatur, quandoquidem in somnis solemus aliqua imaginari, vt experientia constat: nihilominùs non omnes conueniunt potentiam hanc esse realiter à sensu communi distinctam, & ideò ad realem hanc distinctionem inter vtramque potentiam stabiliendam, ex qua earum natura valde pendet, quæstionem hanc excitamus.

Refertur prior opinio.

§. I.

27. PRima sententia asserit, phantasiam non esse aliquam potentiam realiter distinctam à sensu communi, sed vnam, & eandem cum illo. Ita Galen. in lib. de differentiis simptomatum cap.5. quem refert, explicat, & sequitur Vales. lib. 2. controu. Medicar. cap. 12. & 23. cui fauent Damasc. lib. 2. fidei, cap. 17. & Nissenus lib. 4. de viribus animæ, cap. 6. & 7. Eandem etiam tenet Marcellus lib. 4. suarum traditionum. Suarez 2. tom. summ. Theologiæ, tract. 3. lib. 5. cap. 30. Rubio in præsent. cap. 3. tract. de sensibus externis, quæstione 1.

Probatur primò ex Aristot. lib. de insomniis, cap. 1. vbi ait. Sensus externos inmutare principem sensum communem in vigilia, & in somnis: diuersimodè tamen in vigilia nimirum actualiter, in somnis autem per species anteà acceptas: ergo sentit sensum communem esse idem cum phantasia. Patet consequentia, quoniam proprium munus phantasiæ est sentire per species anteà acceptas, quas in se conseruat: ergo, &c.

Confirmatur, quoniam D. Thomas 1. part. quæst. 78. art. 4. & 1. 2. quæst. 15. art. 1. quæst. 17. art. 7. ad 3. concedit sensui communi, quod percipiat externa sensibilia in eorum præsentia, & eidem loco citato ex 1. part. ad 6. tribuit, vt etiam in eorum absentia ad prædicta sensibilia terminetur: quod etiam fatetur quæst. 84. art. 8. ad 2. vbi loquens de dormientibus, ait. *Si autem motus vaporum fuerit modicus, etiam ipse sensus communis ex parte soluitur; ita quod homo iudicat interdum in dormiendo ea, quæ videt somnia esse quasi diiudicans inter res & rerum similitudines.*

28. Confirmatur secundò: nam Aristot. in hoc 2. lib. cap. 2. diffinit phantasiam per hoc, quod eius actus est motus factus à sensu secundùm actum; sed hæc diffinitio conuenit sensui communi: ergo sensus iste, & phantasia non distinguuntur tanquam duæ potentiæ. Minor probatur, quia sensus istius diffinitionis tantùm est, quòd actus phantasiæ causatur à sensu secundùm actum quatenùs species intentionales, quibus elicitur, causantur à sensibus externis in actu constitutis: sed actus sensus communis causatur etiam hoc modo à sensu secundùm actum, seu à sensibus externis actu sentientibus, vt constat: ergo, &c.

Secundò, probatur ratione; nam sensus communis, & phantasia habent idem obiectum: ergo sunt vna, & eadem potentia. Consequentia patet ex dictis disp. 5. num. 8. Antecedens autem probatur, quoniam tam sensus communis, quàm phantasia percipiunt omnia externa sensibilia, & inter ea discernunt: cùmque immutentur à sensibus externis actu constitutis, percipiunt etiam sensationes eorum: ergo obiectum vtriusque est vnum, & idem. Patet consequentia, quia nihil aliud restat, ad quod se extendat phantasia præterquam ad prædicta.

Tertiò in cerebro, in quo resident sensus interni tantùm sunt tres cellulæ, in quibus tanquam in organis ipsi recipiuntur: ergo ad minus phantasia, & sensus communis erunt vnicus, & idem sensus, qui secundùm quod diuersa munera exercet, diuersis nominibus nuncupatur. Patet consequentia: quoniam duæ posteriores cellulæ deseruiunt per modum organi æstimatiuæ, & memoriæ: ergo pro sensu communi, & phantasia tantùm remanebit vnica cellula, vnicumque organum: ac proindè, hæc duo erunt vnicus, & idem sensus; alioqui non minùs quàm æstimatiua, & memoria haberent diuersa organa, vt ex se constare videtur.

29. Quartò: sensus communis, & phantasia cognoscunt per species eiusdem rationis: ergo non sunt potentiæ realiter, aut specie distinctæ. Consequentia patet; quoniam potentiæ cognoscitiuæ specie distinctæ debent cognoscere per species diuersæ rationis, vt patet in sensibus externis, & in intellectibus diuersorum Angelorum. Antecedens autem probatur; nam prædictæ species repræsentant idem obiectum, quippè cum omnia sensibilia externa, & sensationes externorum sensuum, & nihil aliud per illas possit repræsentari, & deinde omnes illæ sunt æquè immateriales ex eo quòd immittuntur ab eisdem obiectis, vt à causis principalibus: ergo non est vnde specie distinguantur, quandoquidem species solùm possunt essentialiter distingui, vel ex parte obiecti repræsentati, vel ex parte modi, & maioris immaterialitatis, secundùm quam repræsentatur, vt communiter Doctores admittunt.

Confirmatur: nam illa maior immaterialitas, quæ esset in speciebus phantasiæ repræsentantibus obiectum illius, non posset prouenire ab aliquo sensu intermedio, quia iam daretur sensus agens depurans species sensibiles à maiori immaterialitate; sicut datur intellectus agens depurans species intelligibiles à materialitate, & reddens illas omninò spirituales, quod tamen est contra communem omnium Philosophorum sententiam. Neque etiam ab obiectis, quia sicut obiectum semper est vnum, & idem respectu sensus communis, & phantasiæ, vt ostensum est, ita eodem modo, & sub eadem immaterialitate ab illo immutantur.

Eligitur sententia Aristotelis & Diui Thomæ.

§. II.

30. DIcendum tamen est: sensum communem, & phantasiam esse duas potentias realiter distinctas. Assertio hæc apertè colligitur ex Aristotele in hoc lib. cap. 3. text. 160. vt Diuus Thomas lect. 5. expendit, & num. 47. & 48. magis explicabimus, quem sectatur S. Doctor ibidem, & 1. part. quæst. 78. art. 4. Vbi post longum discursum ita concludit. *Et sic non est necesse, ponere nisi quatuor vires interiores sensitiuæ*

partis, scilicet sensum communem, imaginationem, &c. Et quæstione de Anima articulo 13. vbi postquam enumerauit duo operationum genera propter quæ debeot in animalibus dati: Tum sensus proprius: Tum etiam sensus communis, statim addit: *Tertium est, quod species sensibilium recepta conseruentur: indiget autem animal apprehensione sensibilium non solum ad eorum præsentiam, sed etiam postquam abierint: & hoc necessarium est reduci in aliquam potentiam. Nam, & in rebus corporalibus aliud est principium recipiendi, & aliud conseruandi. Nam quæ sunt bene receptibilia, sunt interdum malè conseruatiua: huiusmodi autem potentia dicitur imaginatio, seu phantasia.* Quod etiam docet opuscul. 43. & alibi sæpè; quem sequuntur Comm. Flandria, & Caietan. in præs. Ferrara quæstion. 3. & ibidem Toletus capite 3. quæstione 6. Conimbric. quæst. 1. art. 2. dub. 5. Ripa in eodem articulo, & communiter omnes discipuli Diui Thom. & alij quam plures.

Rationem autem fundamentalem huius assertionis tetigit D. Thom. locis citatis, quæ potest ad hanc formam reduci: nam in animali perfecto debet dari actus quidam, quem actum phantasiæ appellamus, per quem sensibilia, externa, seu aliàs cognita à sensibus externis cognoscat, quatenùs absentia, vel vt suo modo abstrahunt ab absentia, & præsentia, atque adeò obiectum illius erit prædictum sensibile externum, provt absens, vel provt abstrahit ab absentia, & præsentia. Et rursus debet dari alius actus sensus communis, per quem percipiat sensibilia externa, & discernat inter illa, provt sunt præsentia: ergo potentiæ, à quibus isti duo actus eliciuntur, debent esse realiter distinctæ. Consequentia patet: nam isti duo actus, & cognitiones sunt inter se realiter distinctæ, & obiecta illarum formaliter sunt diuersa: siquidem sensibile externum vt præsens formaliter, & in ratione obiecti distinguitur à se ipso vt absens, vel vt suo modo abstrahit ab absenti, & præsenti, ex eo quod sensibile vt absens habet rationem obiecti magis abstracti, & magis immaterialis, quippè quod præscindit ab existentia; & similiter sensibile vt abstrahens ab absenti, & præsenti, vt ex se constat.

31. Antecedentis autem quo ad priorem eius partem, probationem insinuat S. Doctor loco citato ex 1. part. his verbis: *Est autem considerandum, quod ad vitam animalis perfecti requiritur, quod non solum apprehendat rem apud præsentiam sensibilis, sed etiam apud eius absentiam: alioqui cum animalis motus, & actio sequantur apprehensionem, non moueretur animal ad inquirendum aliquid absens: cuius contrarium apparet maximè in animalibus perfectis; quæ mouentur motu processiuo; mouentur enim ad aliquid absens apprehensum.* Ac proindè debebit dari in eodem animali aliqua cognitio, quæ terminetur ad sensibile externum iam dictum vel quatenùs absens, vel vt absens, & præsens, quamque actum phantasiæ, seu imaginationis appellamus. Patet hæc vltima consequentia: quoniam nisi daretur talis cognitio terminata ad sensibile externum aliquo ex his duobus modis, quamque actum phantasiæ nuncupamus, non posset animal, vt intuenti constabit, ad sensibilia absentia moueri.

32. Probatio verò eiusdem antecedentis quo ad secundam eius partem etiam innuitur ab eodem Sancto Doctore loco citato; nam si animal non discerneret inter sensibilia externa, & sibi præsentia quatenùs talia sunt, vt inter calorem & saporem, aut colorem non posset exercere plures actiones vitales, quæ ad sui conseruationem sunt necessariæ, vt ex se patet, & ita oportet, vt in eo sit actus sensus communis, ad quem hæc discretio (vt ex dictis constat) pertinet.

Maximè, quia vt supra ostendimus sensus communis habet se vt principium, & origo sensuum externorum, ad quem omnes eorum immutationes, tanquam ad communem terminum, & centrum perueniunt, vt ita cum visu habeat, vt sic dicamus, videre, & cum auditu audire, & sic de aliis. Quare, sicut sensus externi terminantur ad obiecta sensibilia, vt præsentia, ita etiam oportet dari operationem, seu cognitionem sensitiuam prædicti sensus; per quam ad eadem obiecta, vt præsentia terminetur: ac proinde, per quam discernat inter illa, non minùs quàm alij inter sua sensibilia discernunt.

33. Confirmatur, & explicatur ratione desumpta ex eodem S. Doct. locis cit. per quam tacita quædam solutio, quæ hic adhiberi poterat, corruit; nam prædicti actus, ac proindè, eorum obiecta sunt adæquata exigentia diuersas realiter potentias: ergo sensus communis, & phantasia, quæ eis per modum potentiarum elicitiuarum correspondent, debent realiter distingui. Consequentia patet ex dictis.

Antecedens autem quo ad posteriorem partem ex priori patet, quo ad hanc verò sic probatur: Tum, quia hoc ipso, quòd sensus communis ex se habeat, vt percipiat externa sensibilia, vt præsentia, ac proindè, omninò sufficienter immutetur vnà cum sensibus externis ad sentiendum, non potest non talis cognitio, & sensatio eius exigere potentiam facilè immutabilem ab eisdem sensibilibus, & facilè apprehensiuam eorundem, & per consequens optimè receptiuam, vt ex se constat; & similiter, hoc ipso quod phantasia terminetur ad eadem sensibilia provt absentia, vel provt abstrahunt ab absentia, & præsentia, non poterit non prædicta cognitio exigere potentiam retentiuam specierum, vt ita possit tunc medijs illis, & dum non adest obiectum, quod illas immittat, sentire, vt ex se patet: ergo quilibet ex his actibus erit adæquatus respectu suæ potentiæ.

Patet consequentia, quia in corporalibus benè, & facilè recipere, & benè retinere, sunt actus adæquati respectu suarum potentiarum, exigentes realem distinctionem inter illas, ex eo quod exigunt contrarias dispositiones scilicet prædominium humiditatis ad facilè recipiendum, & prædominium siccitatis ad benè retinendum, & ideò videmus, quòd ea, quæ facilè recipiunt, non benè retinent; è contra verò, quæ benè retinent, non facilè recipiunt saltem secundùm eandemmet partem, secundùm quam ita retinent.

34. Tum etiam, nam hoc est proprium potentiæ materialis, & corporeæ, vt propter suam limitationem non possit vti speciebus adeò inæqualis abstractionis, vt earum aliquæ abstrahant à præsentia; aliæ verò non, quia vti eis indicat magnam perfectionem & vniuersalitatem in potentia, quod quidem imperfectionem potentiæ sensitiuæ superare videtur: ergo cognitiones sensitiuæ exigentes has species inæqualis abstractionis, quarum aliquæ sint hoc modo minus determinatæ, quàm aliæ, debent esse actus adæquati exigentes proprias potentias: ergo cùm cognitio sensitiua phantasiæ, per quam cognoscitur obiectum vt absens, vel vt abstrahens ab absentia, & præsentia, petat species maioris abstractionis, & minus determinatas, quàm cognitio sensus communis, per quam cognoscitur idem obiectum vt præsens, vt ex se patet, fit indè, vt hæ cognitiones sensitiuæ sint actus adæquati exigentes sibi proprias, & diuersas realiter potentias.

Confirmatur tandem, & explicatur hoc ipsum: nam ex eo quod intellectus est potentia spiritualis, & non organica, propterea idemmet absque distinctione sui in diuersas potentias potest facilè recipere, & benè retinere; quia hoc ipso, quod non sit

potentia

potentia organica non exigit diuersas dispositiones organo ad facile recipiendum, & benè retinendum: ergo cùm sensus communis,& phantasia sint potentiæ organicæ, & per consequens affixæ organo corporeo, & vna earum sit potentia facilè receptiua, scilicet sensus communis: alia verò benè retentiua, nimirùm phantasia, non poterunt non esse realiter inter se distinctæ.

Examinatur ratio præcedens Diui Thomæ vnà cum priori eius confirmatione.

§. III.

35. CÆterùm, vt ratio hæc, & eius confirmatio ex Diuo Thoma desumpta magis pateant, oportebit aliquas obiectiones contra illas, quæ aduersarios non parùm vrgent, adducere,& soluere. In primis ergo contra rationem hanc obiiciunt non rectè inter se cohærere, quod ad vitam animalis perfecti desideretur sensus communis, & quod nihilominus obiectum phantasiæ sint eadem sensibilia externa, seu (quod idem, quo ad præsens est) à sensibus externis aliàs cognita, prout talia sensibilia abstrahunt ab absentia, & præsentia: ergo præcipuum caput vnde desumitur distinctio inter hos duos sensus corruit; & consequenter ratio facta quæ in illo innititur.

Antecedens probatur, quoniam si phantasia terminatur ad omnia sensibilia externa prout abstrahunt ab absentia, & præsentia, superfluè poneretur sensus communis; siquidem per illam possent omnia sensibilia externa,& sensationes externorum sensuum percipi, dum sunt præsentia, & ita superflueret sensus communis ad hoc munus deputatus.

Respondetur; quod si semel obiectum phantasiæ est sensibile externum, prout abstrahit à præsenti, vel absenti, tunc in phantasia, & sensu communi procedit generalis illa regula, quæ in potentiis subordinatis reperitur; nimirùm quod superior cognoscat, quidquid inferior, & aliquid amplius, vel aliquo alio modo, vt constat in sensu communi respectu sensuum externorum, & in intellectu respectu facultatum sensitiuarum; vnde sicut non superfluunt sensus externi,etiam si detur sensus cõmunis percipiens quidquid illi percipiunt,neque ex hoc, quod detur in homine intellectus attingens obiecta virium sensitiuarum, colligitur has esse superfluas, ita ex hoc,quod phantasia percipiat quidquid sensus communis; non sequitur hunc esse superfluum, quandoquidem phantasia est potentia superior sensu communi.

36. Vnde ex hac obiectione ad summum sequitur, quod phantasia sit cognoscitiua sensibilium externorum, & præsentium sub ratione illa magis eleuata, nimirùm quatenus continentur sub sensibili externo abstrahenti à præsenti,vel absenti,ita vt hæc sit ratio adæquata per se inspecta ab hac potentia, non verò quòd sit cognoscitiua eorum formalissimè, quatenùs præsentia sunt, ita vt hæc sit ratio adæquata illius; At ad perfectionem naturæ sensitiuæ spectat, vt habeat potentias sensitiuas sensibilium externorum, vtroque modo, scilicet quatenùs sunt præsentia, & quatenùs à præsentia, & absentia abstrahunt.

Cur autem natura fecerit potentias, sic subordinatas, & non omninò disparstas, habet plures congruentias,quas ex parte quæst.præced.tetigimus,& in lib. de Gener. insinuauimus. Nunc autem pro omnibus illis sufficiat ratio illa, quæ communiter adducitur, scilicet esse valde consonum naturis rerum, & perfectioni vitæ sensitiuæ, & intellectiuæ, vt ad nobiliorem operationem, & potentiam ipsius non deueniatur,nisi per quosdam veluti gradus, quorum alii sint aliis veluti eminentiores: ac proinde suo modo præhabentes perfectionem inferiorum.

37. Secundò obiicies; disiunctiuam illam, in qua tota hæc ratio innititur, scilicet actum adæquatum phantasiæ esse cognoscere sensibilia externa, vel vt absentia, vel vt abstrahunt ab absentia, & præsentia, esse omninò falsam saltem quo ad priorem eius partem; nam phantasia etiam percipit sensibilia externa, dum sunt præsentia, ita vt hæc præsentia ad eius sensationem aliquando requiratur:ergo repugnat,vt eius actus adæquatus sit percipere illa, vt sunt absentia.

Consequentia videtur certa, quoniam id, cuius actus adæquatus est percipere rem, vt absentem, non potest attingere illam, dum est præsens, ita vt præsentia ista ad talem perceptionem aliquando desideretur ea eo, quod cognitio rei absentis, vt absentis, abstrahit à præsentia rei. Antecedens autem probatur,quia phantasia recipit speciem, cùm obiectum est præsens,& non aliter,quoniam nequit immutari, nisi media immutatione sensuum externorum, quæ necessariò debet fieri ab obiecto præsenti: ergo percipiet sensibilia etiam dum sunt præsentia, ita vt hæc præsentialitas ad eius cognitionem desideretur. Patet consequentia, quia quælibet potentia cognoscitiua potest, cum primò actuatur per speciem cognoscere, & quidquid desideratur ad illam primam actuationem, per talem speciem desideratur etiam ad eius primam cognitionem, quæ à tali actualiter pendet.

38. Confirmatur, nam si semel phantasia distinguitur à sensu communi, percipiet ràm sensibilia externa, quàm sensationem eiusdem sensus communis: ergo etiam percipiet prædicta sensibilia, dum sunt præsentia, & quatenùs præsentia sunt. Antecedens patet; nam ea eo,quòd sensus communis est distinctus à sensibus externis, & superior illis, percipit quidquid illis,& insuper sensationes eorundem: ergo etiam ea eo,quod phantasia sit superior sensu communi,percipiet quicquid ille,& insuper sensationes eiusdem sensus communis.

Consequentia autem probatur; nam ideò sensus communis terminatur ad sensibile externum, dum est præsens, & quatenus habet rationem præsentis, quia immutatur a sensibus externis, & eorum sensatione, & hæc nequit terminari, nisi ad præsens, vt præsens, sed si phantasia percipit id, quod sensus communis, & insuper eius sensationes,immutabitur ab eodem sensu communi, & eius sensatione, quæ necessariò terminatur ad præsens, vt præsens: ergo prædicta phantasia cognoscet eadem sensibilia, & sensationes sensus communis dum sunt præsentia, & quatenùs habent rationem præsentis.

39. Respondetur, probabile valdè esse obiectum phantasiæ tantùm esse sensibile externum prout absens; & ita ioata hunc dicendi modum, qui non minùs probabilis est, quàm oppositus, concedendum est antecedens, & neganda consequentia, quia quod obiectum sit præsens, & sit simul cum sensatione phantasiæ, materialiter se habet ad cognitionem phantasiæ, quatenus actu cognoscit suum obiectum; & similiter productio illius speciei præsuppositiuè solùm, & materialiter se habet ad sensationem phantasiæ, non verò formaliter: & ita licet ad hoc, vt ipsa producatur, desideretur præsentia obiecti, non tamen hæc præsentia requiritur ad eandem,vt formaliter concurrit, seu, vt est formaliter repræsentatiua: nec etiam desideratur ad obiectum ipsius, vt formaliter terminat eius repræsentationem: quia illa species non repræsentat obiectum, quatenus actu

actus existit, aut dependenter ab eo, vt est existens,& est præsens, sed abstrahendo ab actuali existentia, ac præsentia:acproindè eodem modo,ac si non existeret, & esset præsens:propter quod phantasia non cognoscit illud quatenus estpræsens, licet cognoscat ipsum, cum aliàs est præsens.

40. Et ratio est, quod species deseruientes ad notitiam abstractiuam, quales sunt illæ, quæ seruantur in phantasia, ex natura sua habent repræsentare obiectum abstrahendo ab actuali existentia illius: & ita quamuis talia obiecta actu existant, non repræsentantur per illas, vt existentia: ac subindè nequibunt secundùm istam rationem ab aliqua potentia per easdem cognosci.

Vnde, ad illud, quod in eadem obiectione adducitur scilicet id, quod desideratur ad primam actuationem speciei respectu potentiæ requirit etiam ad cognitionem eliciendam, mediante prædicta specie. Respondetur, id esse verum de prima actuactione speciei, secundùm ea, quæ formaliter habet, vt est actuatio potentiæ, & secundùm illa, quæ formaliter dicit, vt ad sensationem concurrit, non tamen quoad illa, quæ ad eandem actuationem præsuppositioè, & vt prima est, & propter alias rationes requntur, quia omnia hæc de materiali se habent ad speciem, vt formaliter concurrit; & ita non variant naturam eius in ratione speciei formalissimè consideratæ, nec quod prædicto modo requiritur existentia, & præsentia obiecti ad immutationem phantasiæ ab illo tollit, quo minùs phantasia possit tendere ad illud: ac si non esset existens, & & præsens, & nec consequens abstractiuè.

41. Ad confirmationem verò respondetur, negando, iuxta hunc dicendi modum, antecedens; quia quamuis phantasia immutetur media immutatione sensus communis, non tamen immutatur dependenter ab illa in ratione obiecti, aut conditionis obiecti, sicut etiam immutatur ab obiecto præsenti, non tamen dependenter à præsentia illius, vt ab obiecto, ad quod formalissimè respiciat tanquam obiectum repræsentatum: & ita sensus iste solùm supponit immutationem sensus communis propter ordinem, qui est inter cognitionem abstractiuam, & intuitiuam, saltem naturalem, non tamen quia sit cognoscitiuus illius tanquam sui obiecti; atque adeò non erit necessarium, vt percipiat sensibilia externa, quatenùs actu sentiantur à sensu communi.

Et ad probationem antecedentis negandum est iuxta hunc dicendi modum, ideò præcisè sensum communem percipere sensationes sensuum externorum, quia potentia superior; sed quia propter specialem rationem suam, & quia vt desideratur ad vitam perfecti animalis, immutatur à sensationibus sensuum externorum, tanquam ab obiecto, seu vt melius loquamur, tanquam à modificatione proprij obiecti, ex eo, quod est principium commune, & terminus, & veluti centrum immutationem sensuum externorum.

42. Tertiò, contra primam confirmationem ex eodem Sancto Doctore desumptam obiicies cum Suarez, falsò in ea supponi potentiam corpoream benè retentiuam, & organum eius non esse facilè receptiuam. Nam vel phantasia non immutatur à sensibili externo, vel simul cum sensu communi immutatur: ergo phantasia non minùs facilè, quam ille immutabitur, acproindè æquè facilè erit receptiua specierum. Vtraque consequentia patet; nam quoties duæ immutationes fiunt simul ab aliqua vna virtute actiua, signum est æquè facilè fieri, & recipi vnam, ac alteram. Antecedens autem probatur, quoniam transacto aliquo tempore post immutationem sensus communis, non ideòphantasia est magis disposite vt immutetur, quàm anteà, cùm nullum sit agës à quo possit produci in ea aliqua dispositio, vel remoueri ab ea impedimentum quod habet: ergo vel phantasia numquam immutabitur ab externo sensibili, vel debet vna cum sensu communi immutari.

Confirmatur, nam imprimis in aliis rebus corporalibus multa inueniuntur facilè receptiua, & benè retentiua, vt patet in cera facilè recipiente figuram sigilli, & eam benè retinente. Et deinde plura inueniuntur valdè sicca, & dura optimè, & facilè recipientia, vt constat in speculo satis duro, & sicco, quod quidem facilè species intentionales suscipit. Et tandem in hominibus multoties experimur esse aliquos facillimè recipientes species rerum sensibilium, & eas optimè retinentes: ergo falsò oppositum horum in confirmatione nostræ assertionis diximus.

43. Respondetur negando antecedens; nam ad hoc, vt sensibile externum mediante sensu proprio & communi, immutet phantasiam, quantum satis est, vt benè retineat; oportet saltem per se loquendo, vt prætereat aliquod tempus propter repugnantiam passi: & illo tempore transacto est iam passum magis dispositum ad recipiendas, modo dicto, species, non quidem ita, vt hæc dispositio sit positiua, hoc est, per additionem alicuius qualitatis, sed negatiua consistens in hoc, quod passum non resistit, sicut in principio resistebat.

Radix autem, vnde hæc repugnantia, seu resistentia oritur, est propria dispositio organi, ratione cuius difficulter patitur, saltem quantum satis est ad hoc, vt benè retineat, quamuis talis resistentia, & difficultas posset vinci sola cõtinuatione actionis sine expulsione alicuius qualitatis contrariæ, aut introductione dispositionis positiuæ in ordine ad talem immutationem, sicut corpus durum, & densum, quamuis nullam haberet, frigiditatem, qua calori repugnaret, nihilominus difficiliùs reciperet illum, quàm aliud corpus rarum, quod etiam careret omni frigiditate; & hæc difficultas posset superari cõtinuatione actionis corporis calidi in ipsum, etiam si nec remoueretur diuersitas, & durities, nec alia qualitas dispositiua introduceretur. Vnde videmus, quod ad hoc, vt species benè retineantur in phantasia, nõ satis est, saltem per se loquendo, semel apprehendisse obiectum, sed oportet, vt sæpiùs repetatur hæc apprehensio, & ex hac continuatione difficultas, quæ est in receptione illa saltem sufficienti ad benè retinendum species, potest superiari.

44. Ad confirmationem respondetur, certam per se loquendo facilè recipere, quia habet sufficientem humiditatem, & propterea applicata igni, statim liquefit, quamuis per accidens aliquando benè retineat. Ad illud verò despeculo dicendum est, habere etiam debitam humiditatem, vt facilè recipiat species intentionales, quamuis etiam ad hanc facilem receptionem specierum, non parum conducat perspicuitas, & lumen eiusdem.

Ad illud autem de omnibus facile recipientebus & benè retinentibus fatemur aliquando id contingere, & ita de Angelico Doctor. traditur, quod adeò facilè recipiebat, & optimè retinebat; vt quidquid, vel semel legisset, memoria retineret; hoc autem non contingit ex eo, quod loquendo de speciebus sensibilibus per vnam, & eandem potentiam per se destinatam ad benè recipiendum, & optimè retinendum, habuerit adeò, benè, & faciliter eas recipere, & simul ita firmiter retinere; sed quia licet per se loquendo

quendo facilis, & bona receptio, & optimæ retentio petant diuersas, & oppositas dispositiones iam explicatas, ac proindè diuersas potentias: nihilominùs per accidens potest contingere, vt vna ex his potentiis, scilicet retentiua, sicetiam facilè immutabilis, simul benè receptiua: ex eo quod per accidens taliter attemperantur, siccitas, & humiditas, taliterque res disponuntur, vt vtrumque munus possit per accidens præstare, vt contingit, quando humor organi est quasi glutinosus, & eius partes rectè inter se cohærent, daturque aliæ conditiones quæ ad hoc solent à Medicis peti, per quæ etiam ad id, quod de cera adducebatur, magis patet.

45. Neque hinc fiet, vt in eo euentu saltem per accidens sensus communis, & phantasia identificetur, quia identificatio, vel diuersitas potentiarum sensitiuarum, aut aliarum virium non attenditur penes ea, quæ per accidens, sed penes ea, quæ per se ad illas se habent, & ita in his, quæ facillimè percipiunt, & retinent, debent sensatio elicita per species retentas terminari ad sensibilia, vt absentia, vel vt abstrahentia à præsentialitate, & absentia, vt in aliis hominibus contingit.

Vltimò contra eandem confirmationem obiicies; non rectè in ea dici proprium esse potentiæ sensitiuæ, & corporeæ, quod non possit vti speciebus diuersæ abstractionis: ac proindè, inæqualibus in immaterialitate. Quoniam sensus communis vtitur speciebus inæqualibus in immaterialitate: ergo, &c. Antecedens probatur, quia vtitur speciebus immissis à visibili, & audibili mediante visione, & auditione: at sicut visibile, & visio excedunt in immaterialitate audibile, & auditionem, ita species ab aliis immissæ.

Respondetur, quod licet potentia cognoscitiua, & corporea possit aliquando vti speciebus habentibus non nihil inæqualitatis immaterialitate, non tamen quando inæqualitas illas est tanta, vt exigat per se loquendo diuersum, & oppositam dispositionem in organis: ac proindè diuersas potentias, vt in speciebus phantasiæ, & sensus communis contingit: nam species potentiæ benè retentiuæ, per se loquendo, petunt in organo prædominium siccitatis, & species potentiæ benè receptiuæ exigunt per se illo prædominium humiditatis, vt ostensum est, & propterea meritò ibidem diximus, quod cognoscere per species ita inæquales in abstractione iam dicta; videtur superare perfectionem potentiæ corporeæ: quoniam reuerà petit potentiam non affixam organo corporeo, & consequenter diuersas, & oppositas dispositiones iam dictas non postulantem.

Enodatio argumentorum primæ sententiæ præter vltimum.

§. IV.

46. AD primum, concesso antecedenti, neganda est consequentia, quoniam proprium munus phantasiæ est cognoscere per se, & ex vi propriæ lineæ; ac in ordine ad perfectam sui operationem per species antea acceptas, in se conseruatas, non verò cognoscere per illas per accidens, & non ex vi propriæ lineæ, neque in ordine ad propriam, & perfectam operationem ipsius: at sensus communis solùm per accidens ex coniunctione ad phantasiam, & eius organum, non verò ex vi propriæ lineæ præcisè sumptæ, nec in ordine ad operationem perfectam ipsius, habet sentire per species, non acceptas tunc ab obiectis, vt sunt præsentia, ac proindè per cognitionem abstractiuam, & imperfectam, & ita in animalibus valdè imperfectis reperitur sensus communis eiusdem speciei cum sensu communi animalium perfectorum, & tamen in illis non potest prædictus sensus percipere aliquid in absentia obiecti, ex eo quod non est in illis perfecta phantasia petens terminari in absentia, vel in abstrahentia ab absentialitate, & præsentialitate.

Explicatur magis hoc; etenim sensus communis habet affinitatem cum sensibus externis, quatenùs, vt suprà dicebamus, est principium, & terminus suarum sensationum, & similiter in animalibus perfectis (in quibus solis datur perfecta phantasia, & abstractiuè cognoscens per species retentas, vt docet Aristotel. 3. libr. huius operis, text. secundùm alios 156. Vbi D. Thom. lect. 5. & text. 56. Vbi etiam Angelicus Doctor lect. 16. communiter Thomistæ) habet etiam suam affinitatem cum prædicta phantasia, quatenùs est medium inter illam, & externos sensus, per quod species phantasiæ ad illam transmittuntur, vt statim magis explicabimus, & ita debet sapere naturam vtriusque, quamuis aliter, & aliter, nam illa prior affinitas conuenit illi formaliter, & ex vi propriæ lineæ præcisè sumptæ; hoc verò posterior materialiter ex coniunctione ad prædictam phantasiam, & participatiuè ab illa; ac proindè deficienter, & imperfectè.

47. Vnde, ex hac coniunctione, & mediante operatione phantasiæ, & speciebus in ea retentis producuntur in illo in somnis aliæ species imperfectiores, & repræsentantes imperfectè obiecta sensibilia, per quas vtcumque & valdè deficienter prædicta obiecta attingit; quia hæc obiecta sic cognita, non sunt extra latitudinem obiecti, ad quod potest se extendere, si tam secundùm ea, ex vi propriæ lineæ præcisè sumptæ, quàm secundùm ea, quæ participatiuè & de materiali potest habere, consideretur. Per quæ satis ad priorem confirmationem patet; nam in testimoniis illis ex 1. p. in solutione ad argumenta ibidem relatis, tota hæc solutio innititur: & ita hunc dicendi modum sectatur Bañes, vbi sup. dub. 4. & communiter discipuli D. Th.

Ad secundam confirmationem respondetur; quòd nomine sensus secundùm actum, intelligit Aristoteles tàm sensus externos, quam sensum internum, scilicet communem, ita vt ab omnibus istis in actu constitutis, modo tamen suprà explicato, moueatur phantasia: nam cùm sensus communis sit principium, & radix sensium externorum, & terminus, ac veluti centrum immutationum illorum, ac proindè complementum sensationum eorundem sensuum non censentur esse simpliciter in actu completo, nisi sensus ipse communis vnà cum illis sit in actu: & ideò perindè est phantasiam moueri à sensu externo facto in actu (à quo eam mouendam esse omnes admittuntur) ac illam à moueri sensu externo, & communi factis in actu.

48. Quæ solutio desumitur ex Diuo Thoma opuscul. 43. cap. 4. vbi sic habet: *Secunda vis interior est phantasia, quo est motus factus à sensu secundum actum, vt dicitur 3. de Anima: quia phantasia est potentia mota à specie sensibili, per quam, & sensus proprius, & sensus communis sit in actu: non solùm autem mouetur ab illa specie, sed etiam ipsam in absentia rei retinet, quam sensus communis recipit.*

Vnde ex hoc testimonio Aristot. colligit idem S. Doct. in hoc lib. lect. 6. quòd phantasia distinguitur realiter à sensu illam immutanti, ac proindè à sensu communi, & ita lect. cit. sic ait: *Vlterius autem, quod iste motus aliam potentiã requirat, quàm sensitiuam Aristot. hoc non determinat, sed videtur, quod cùm secundum diuersitatem actuum distinguantur potentiæ: & diuersitas*

diuersitas motus requirat diuersa mobilia, quia quod mouetur, non mouet seipsum, sed alterum necessarium, videtur quod sit alia potentia phantastica sine imaginatiua à sensu, id est à sensu illo, per quem immutatur, id est, vt ipse in opusc. citat. explicat, tam à sensu proprio, & externo, quàm à sensu communi, qui est eiusdem phantasiæ immutatiuus.

49. Ad secundum patet ex dictis, quomodo phantasia terminetur ad sensibilia externa, prout abstrahunt ab absentia & præsentia, vel prout absentia: ac proinde sub diuersa formaliter ratione, ac sensus communi: & ita diuersimode immutatur; quippe cùm ille solùm mediantibus sensibus externis; hæc verò mediante sensu communi immutari debeat.

Ad tertium respondetur: quòd vt plures ex Anatomistis docent, reuerà dantur quatuor ventriculi in cerebro, quia eorum primus est diuisus in duas cellulas, seu duos minores ventriculos; vnde sensus communis est in prima parte huius ventriculi, seu cellulæ, quæ est supra formam, in qua maior humiditas, & mollities muneri huius sensus adaptata reperitur: phantasia verò residet in secunda parte eiusdem ventriculi versus medietatem capitis, in qua minor humiditas, & mollities; maiórque siccitas, & durities ad proprium eius munus, scilicet retentionem specierum desideratæ reperiuntur.

50. Vnde, Diuus Thomas opuscul. 43. cap. 4. loquens de sensu communi, sic ait: *Eius organum est prima concauitas cerebri, à quo nerui sensuum particularium oriuntur*; & vt assignaret proprium organum phantasiæ, addidit: *Huius organum est post organum sensus communis in parte cerebri, quæ sic non abundat humido sicut, prima pars cerebri, in qua situm est organum sensus communis; & ideò melius potest retinere formas sensibiles re absente.*

Solutio vltimi argumenti prioris sententiæ.

§. V.

51. AD vltimum: duplicem solutionem adhibet Bañes. Primam quidem 1. part. quæst. 78. art. 4. dub. 5. dicens: Species sensus communis, & phantasiæ esse eiusdem rationis, & speciei; quia vterque sensus in ratione potentiæ cognoscitiuæ est eiusdem speciei; quamuis in ratione potentiæ receptiuæ distinguantur specie; nam sensus communis bene recipit, & malè retinet: phantasia verò malè recipit, & bene retinet Cæterùm, hinc non sequitur non dari absolutè quatuor potentias internas realiter distinctas, quia re vera absolutè loquendo distinguuntur realiter, sed quod in ratione potentiæ cognoscitiuæ non habent realiter distingui.

Verùm, licet hæc solutio sit probabilis, nihilominùs probabilius est in doctrina D. Thom. prædictos sensus distingui specie, etiam in ratione potentiarum cognoscitiuarũ: Tum quia in illis esse potentias receptiuas specierum intentionalium pertinet ad propriam eorum lineam, vt potentiæ cognoscitiuæ sunt; quandoquidem potentia cognoscitiua, vt talis debet intra propriam lineam fecundari ab obiecto, vel per ipsum, vel media specie, quippè, quæ concurrit per modum fœminæ intellectualis, & eius influxus est quidam partus, ac proinde potens intra propriam lineam potentiam fœcundatam per semen, vt sic dicamus, viri, scilicet obiecti, & ita si sensus communis, & phantasia distinguuntur in ratione potentiæ receptiuæ specie, non possunt non in ratione potentiæ cognoscitiuæ, & è contra distingui.

52. Tum etiam, quia D. Thom. 1. p. q. 78. art. 4. nam cit. ad concludendam diuersitatem realem inter sensum communem & phantasiam, aliásque vires sensitiuas internas recurrit ad diuersitatem actionum ad quas potentiæ ordinantur, quæque non possunt in vnam, & eandem potentiam reduci, & vt ostendat has potentias habere diuersas actiones, recurrit ad diuersitatem apprehensionum, quas habent; quia nimirùm sensus communis apprehendit præsentia: phantasia verò absentia; ergo dum assignat distinctionem specificam, & realem inter illas, loquitur de eisdem, secundùm quod potentiæ cognoscitiuæ sunt. Patet consequentia, quia vt cognoscitiuæ sunt actiuæ, & apprehensiuæ, non verò præcisè sunt receptiuæ.

Tum denique nam vt ex eodem Ang. Doct. vidimus, phantasia, vt potentia cognoscitiua, habet distinctum formaliter obiectum, & magis abstractum, minúsque materiale, quàm sensus communis, & ita species ei deseruientes, & ad hoc obiectum repræsentandum per se primò institutæ, debent esse minùs materiales, magísque eleuatæ; quandoquidem species deseruientes alicui potentiæ debent repræsentare suum obiectum connaturale sub ea formaliter ratione, sub qua prædicta potẽtia ad illud terminatur.

53. Quare magis placet alia solutio ex D. Th. 1. p. q. 84. art. 4. ad secundum, & q. 85. art. 1. ad tertium desumpta, quamque idem Bañes 1. p. q. 79. artic. 3. dub. 1. ad secundùm adducit, Vnde, iuxta eam negandum est antecedens, scilicet sensum communem, & phantasiam cognoscere per species eiusdem rationis: & ad probationem dicendum est, quod licet prædictæ species repræsentent idem obiectum materiale, habent tamen diuersum obiectum formale, ex eo quod species in phantasia receptæ repræsentat illud minus materialiter & sub ratione quadam eleuatiori, vt iam ostendimus.

Quare falsum est, species sensus communis esse æquè immateriales, cum speciebus phantasiæ: quia licet immittantur ab eisdem obiectis sensibilibus, & externis, quæ materialiter, & in esse rei sunt idem; immittuntur tamen ab illis, vt formaliter, & in esse motiui sunt diuersa, & ita prout secundùm, peculiarem aliquam rationem obiectiuam excedunt se ipsa considerata, secundùm aliam rationem obiectiuam formaliter sumptam, & minùs perfectam, debent immittere species magis immateriales: & vt vno verbo id dicamus, hoc ipso, quod immutent in ratione obiecti, debent immutare per species in ratione immaterialitatis proportionatas, & commensuratas cum virtute, & immaterialitate potentiæ, in qua recipiendæ sunt, ita tamen, vt mediis speciebus minùs materialibus existentibus in potentia minus materiali producant species magis immateriales in potentia immaterialiori.

54. Quomodo autem hoc fieri possit, facile percipiet si attendatur, quod species imperfectiores tantùm concurrunt per modum instrumenti ad productionem specierum perfectiorum, & obiecta per modum causæ principalis ex eo quod in ratione obiecti sunt sensibilia in actu, habéntque tantam immaterialitatem, quantum potentiæ in ratione potentiarum, vt D. Thomas locis citatis docet: quippe cùm ratio hæc immutandi potentias non conueniat illis, quatenùs materialia sunt præcisè, sed in quantum participã aliquid superioris naturæ, seu substantiarum separata, modo tamen in libro de Generatione explicato à Diuo Thoma quæst. 5. de potentia, arti. 8. insinuato: per quod ad confirmationem satis patet.

QVÆ

QVÆSTIO III.

Vtrum sit admittendus sensus internus, qui dicitur æstimatiua, cuius munus sit, cognoscere rationes quasdam obiectorum, quæ appellantur insensatæ?

PRo tituli explicatione notandum est, rem, quæ obijcitur sensibus externis dupliciter posse cognosci ab aliquo ex illis. Primò quidem, quoad rationem illam, quæ per sensus externos percipitur, ita vt hæc sit præcipua ratio, *quæ percepta*, & non solum modus illius, quæ quidem ratio solet propter hanc causam appellari sensata. Secundò potest cognosci quoad rationem quandam à sensibus externis non perceptam, vt quoad rationem aliquam conuenientiæ, & disconuenientiæ, amicitiæ, aut inamicitiæ, & hæc solet appellari insensata, quia à nullo sensu est antea cognita, & de eadem titulus quæstionis intelligendus est. Consulò autem in illo non fit mentio de distinctione huius sensus qui æstimatiua appellatur, ab alijs duobus internis etiam enomeratis, quia in hac quæstione solum discutiemus, an talis sensus detur; discussum in sequenti vtrùm sit distinctus à sensu communi, & phantasia.

Rationes dubitandi pro parte negatiua.

§. I.

55. PRima est: quoniam Aristot. nunquam egit de potentia æstimatiua, sicut egit de phantasia, & sensu communi, nec non, & de memoria: ergo signum est, quòd iuxta ipsius mentem non est admittendus talis sensus.

Secunda, quia sensus internos solum potest cognoscere ea, quæ ab externis sensibus percipiuntur: ergo non debet esse aliquis sensus internus, qui rationes insensatas percipiat. Consequentia patet. Antecedens autem probatur; nam intellectus, qui minus pendet ab externis sensibus, quàm sensus internus, nihil percipit, quin priùs non fuer t in sensu: ergo sensus internus nequibit cognoscere aliquid, quod externi non cognouerint.

Tertia, nam ad cognoscendum aliquid esse conueniens alicui, oportet vti comparationes; hæc autem à sensibus internis intra propriam lineam considerari fieri nequit: ergo neque præd cta cognitio ab aliquo ex illis haberi potest. Consequentia patet. Minor autem est D.Thom. opuscul. 43. 1. part. quæst. 78. artic. 4. Maior autem etiam constat, quoniam nequit cognosci, an aliquid sit conueniens, aut disconueniens alicui, nisi natura vtriusque cognita: ac proinde, nisi cognoscatur illud esse iuxta exigentiam rei, cui conueniens dicitur: hoc autem constat non posse cognosci, nisi fiat collatio, & comparatio inter vtrumque: ergo, &c.

56. Quarta, quia rationes insensatæ, vt ratio amicitiæ, & inamicitiæ, & paternitatis, & filiationis sunt valdè immateriales, satisque reconditæ, vt constat: ergo nequeunt percipi à potentijs sensitiuis, & materialibus, sed à solo intellectu, cuius est proprium rationes nimis immateriales, & reconditas attingere.

Quinta, species insensatæ, quia hoic sensui deseruire deberent, nec possent produci ad obiecto, aut ab speciebus sensatis, aut ab eodem sensu, qui per illas sensaturus est; ac tandem nec ab aliquo alio: ergo neque dari poterit aliquis sensus perceptiuus rationum insensatarum; consequentia patet, quia si esset possibilis prædictus sensus cognoscitiuus rationum insensatarum, etiam possent dari species insensatæ eidem deseruientes.

57. Antecedens autem, quod ad primam partem constat, quoniam si producerentur ab obiecto, fierent ab illo in omnibus, & singulis æstimatiuis omnium animalium, qui essent intra sphæram suæ actiuitatis; sicut, quia species visibiles immittuntur ab obiectis, propterea immittuntur ab illis ad omnes, & singulos visos, qui intra suæ actiuitatis sphæram continentur; hoc autem est apertè falsum; nam lupus non immittit speciem inimici ad alium lupum, neque amicitiæ ad ouem, neque alia turris immittit speciem conuenientiæ in ordine ad fabricandum nidum ad leonem, benè tamen ciconiam, & sic de alijs.

Ex quo etiam idem antecedens quoad secundam partem liquet, quoniam species sensatæ, & immissæ ab obiecto non producunt alias species, nisi in virtute sui obiecti; ex eo quod sunt instrumenta eius in ordine ad productionem illarum: ergo si obiecta nequeunt immittere prædictas species insensatas per modum causæ principalis, vt ostensum est, nec etiam species sensatæ ab eis immissæ poterunt tales species producere.

58. Et deindè, quoad tertiam partem, scilicet, prædictas species non posse produci à sensu, qui per eas sensaturus est, nempè ab æstimatiua, etiam liquet: Tum quia, vt communiter docent Philosophi, non datur sensus agens, sicut datur intellectus agens: at si æstimatiua per modum causæ principalis produceret species insensatas daretur sensus agens vt constat: ergo, &c.

Tum etiam, quia intellectus est potentia longè superior quàm sensus, & tamen, vt infrà ostendemus, non potest idemmet intellectus, qui per species intelligibiles intellecturus est, producere illas, sed necessariò eget alio intellectu, scil. intellectu agente à se realiter distincto, qui prædictas species producat: ergò multò minò poterit dari aliquis sensus, qui per modum causæ principalis species has insensatas in se ipso producat, & per eas sentiat.

Tum denique, quia non apparet quomodo ouis, quæ nunquam vidit lupum, cum primò videt illum, produceat speciem repræsentantem illum sub ratione inimici, aut quomodo auicula præsentiens pluuiam nunquam à se cognitam, & ob id tutum in locum se recipiens possit producere speciem repræsentantem futuram pluuiam.

Ex quo etiam antecedens quoad vltimam partem perspicuum manet, quoniam non apparet aliqua causa à qua tanquam à causa principali prædicta species insensata immitti possit.

Communis & vera sententia.

§. II.

60. DIcendum tamen est re vera dari sensum quendam qui dicitur æstimatiua, per quam plores, & dinersæ rationes insensatæ cognoscantur. Ita D. Thom. 1. p. q. 78. art. 4. & q. de Anima artic. 13. & opusc. 43. & vniuersi Philosophi, tam antiqui, quàm iuniores, & ideò eos in particulari referre superuacaneum esset.

Rationem autem fundamentalem huius assertionis adduxit S. Doctor loco citato ex 1. part. vbi postquam retulit duo genera operationum propter quæ requiruntur sensus communis, & phantasia statim, vt probaret necessitatem æstimatiuæ, sic ait: *Considerandum est, quod si animal moueretur solum*

propter delectabile & contristabile secundùm sensum. (id est propter ea, quæ à sensibus externis percipiuntur, & eis delectabilia sunt) *non esset necessarium ponere in animali, nisi apprehensionem formarum quas percipit sensus in quibus delectatur, aut horret, sed necessarium est animali vt quærat aliqua, vel fugiat, non solùm, quia sunt conuenientia, vel non conuenientia ad sentiendum, sed etiam propter aliquas alias commoditates, & vtilitates, siue nocumenta, sicut ouis videns lupum venientem fugit, non propter indecentiam coloris, vel figuræ, sed quasi inimicum naturæ: & similiter auis colligit paleam, non quia delectat sensum, sed quia est vtilis ad nidificandum: necessarium est ergo in animali quod percipiat huiusmodi intentiones, quas non percipit sensus exterior.*

61. Confirmatur & explicatur ex eodem S. Doctore: quoniam natura non deficit in necessariis, vt ex se constat: at in his deficeret, nisi prædictis animalibus sensum hunc tribuisset, ergo illum eis de facto concessit. Maior cum consequentia sunt perspicua. Minor autem etiam liquet; nam si ouis non cognosceret lupum, vt inimicum, non fugeret, atque adeò periret; & similiter si auis non cognosceret conuenientiam palearum, aut similium rerum ad nidificandum, non posset nidulum suum constituere, atque adeò nec filios debitè procreare: & ita natura his animalibus in necessariis defecisset.

Nec refert, si cum aliquibus occurras, satis esse adhoc, vt natura, sufficienter prædictis animalibus prouiderit, quod, supposita cognitione horum obiectorum, quantum ad rationes sensatas moueantur ab authore naturæ ad fugiendum illa, quæ eis sunt disconuenientia, ad consequendum ea cùm fuerint conuenientia: quamuis nulla in eisdem animalibus præcedat cognitio prædictorum obiectorum quoad rationes insensatas, seu quoad rationes illas conuenientiæ, aut disconuenientiæ, & ita ad vitam animalis non esse hanc cognitionem necessariam.

62. Non ita hoc refert, nam animalia vitali modo, & quatenus viuunt vita sensitiua sunt principalia illorum motuum, quibus fugiunt, aut prosequuntur prædicta obiecta quoad rationes insensatas; ergo mouentur ad illa fugienda; vel prosequenda media cognitione earundem, ergo signum est, petere, vt Deus non solùm prouideat de illis modo illo in hac solutione relato, sed concurrendo cum eis in ordine ad prædictam cognitionem.

Antecedens patet, quia mouentur ad prosequutionem, vel fugam illorum per potentiam loco motiuam, seu progressiuam, quæ est potentia vitalis orta à natura sensitiua, & perfecta. Prima verò consequentia (ex qua secunda apertè sequitur) probatur: quia proprium est motus vitalis, & procedentis à natura sensitiua, & perfecta, vt tali, quod fiat media cognitione sensitiua, vt ita prædictus motus distinguatur à motibus quibus mouentur res inanimatæ in hoc, quod fit à principio intrinseco, vt à causa principali, & à motibus vitalibus aliorum viuentium sola vita vegetatiua in hoc, quod medio principio intraneo non qualicumque sed tali; vt vel sic cognitio sensitiua, vel necessariò inuoluat cognitionem sensitiuam eorum obiectorum, seu rationum formalium, & formaliter prædictum motum terminant.

63. Confirmatur primò, quia pro diuersitate obiectorum habentium conuenientiam, vel disconuenientiam cum animali, solent in eorum appetitibus diuersi affectus timoris, odij, lætitiæ, & tristitiæ, & alij huiusmodi excitari; eosque externis indiciis manifestant: ergo signum est, præcedere in illis diuersam apprehensionem eorundem obiectorum in ratione conuenientium, vel disconuenientium: & per consequens, non moueri ab authore naturæ modo illo in hac solutione explicato. Hæc vltima consequentia patet ex priori. Prima verò etiam constat, quoniam appetitus nequit habere hos actus, nisi mediante cognitione, tanquam propositione obiecti, & non qualicumque, sed attingente rationes insensatas: & ita leæna, cum repetit filios antea sublatos, non lætatur, quia præcisè cognoscit colorem, aut figuram eorum, quia etiam si inueniret leuncolo eis valde similes non delectaretur, aut quiesceret, sed quia in ratione filiorum, modo tamen infra explicando, eos cognoscit.

Confirmatur secundò, nam ad suauem Dei prouidentiam spectat vt vnicuique rei concedat illorum modum operandi, qui suæ naturæ congruat; sed naturæ sensitiuæ, & cognoscitiuæ congruit, vt moueatur à se, & media cognitione, in ordine ad rationes insensatas, quæ ad propriam, vel suæ speciei conseruationem necessariæ, vel vtiles sunt; ergo hunc operandi modum, ac proindè, potentiam sensitiuam ei proportionatam, quam appellamus æstimatiuam, eis concessit. Minor probatur; nam sicut naturæ inanimatæ congruit inanimatè moueri ad ea in quibus benè se habet, & naturæ vegetatiuæ moueri vegetatiuè in propriam perfectionem, ita congruit naturæ sensitiuæ, vt media cognitione rationum insensatarum, & sibi vtilium ad easdem moueatur.

Satisfit rationibus dubitandi initio adductis.

§. III.

64. AD primam respondetur, quod licèt Aristot. non posuerit expressà in animalibus potentiam æstimatiuam, non tamen illam negauit, sed potiùs eandem satis insinuauit, dum in lib. de natura animalium, & de historia animalium plura asseruit, pluresque proprietates eorundem adduxit, quæ non possunt in illis inueniri, nisi obiecta sensibilia quoad plures rationes insensatas cognoscant, atque adeò nisi detur in eis potentia cognoscitiua harum rationum, quam æstimatiuam appellamus. Vndè D. Thom. ex his, quæ Aristot. pluribus in locis docuit, optimè deduxit dandam esse prædictam potentiam.

Ad secundam respondetur: quod ad hoc, vt aliquid apprehendatur à sensu interno, satis est, quod contineatur intra obiectum eius, & aliquo modo fuerit in externo: quia internus quippè longè nobilior, quàm externus debet ad plura se extendere, vt patet in sensu communi collato cum sensu externo. Vndè, quia obiectum æstimatiuæ aliquo modo præhabetur in sensu externo, quandoquidem per illum cognoscitur, v. g. lupus in quo aliàs reperitur ratio insensata inimicitiæ cum oue ad eius obiectum spectans: idcò æstimatiua potest hanc rationem insensatam attingere. Quæ solutio desumitur ex D. Thom. 1. p. q. 78. art. 4. ad quartum, his verbis: *Dicendum, quod licèt intellectus operatio oriatur à sensu; tamen in re apprehensa super sensum intellectus multa cognoscit, quæ sensus percipere non potest. Est similiter æstimatiua licèt inferiori modo*, quod etiam repetit opusc. 43. cap. 4.

65. Ad tertiam respondetur, maiorem solùm esse veram quando ex cognitione proprietatum illius, rei quæ dicitur conueniens, aut disconueniens, atque adeò per discursum deuenitur in cognitionem conuenientiæ, aut disconuenientiæ, secùs tamen, quando solùm per simplicem quandam apprehensionem apprehenditur, & cognoscitur conuenientia, aut disconuenientia talis rei. Quare, licèt sensus interni intra suam lineam præcisè considerati non comparent illa duo extrema inter se, nihilominus pote-

runt

runt cognoſcere obiecta ſenſibilia quoad rationes inſenſatas conuenientiæ, aut diſconuenientiæ, quia ſolùm per ſimplicem apprehenſionem attingunt rationes has inſenſatas, & ita licet per alias potentias cognoſcant proprietates ſenſatas eorundem obiectorum; attamen talis cognitio, nihil in eis conducit ad cognitionem conuenientiæ, aut diſconuenientiæ, ſed per accidens, & materialiter ſe habent ad eam, quatenus ſemel acquiſita ſpecie inſenſata non magis curatur de illa cognitione habita à potentiis perceptiuis rationum ſenſatarum, quam ſi illa omnino caterent.

Diximus, *intra ſuam lineam præcisè conſiderati*, nam ſi æſtimatiua ſumatur ſecundùm ea quæ, de materiali, & extra propriam lineam affert, ſeu ſecundùm ea quæ ex parte ſubiecti ei conueniunt, non eſt inconueniens, quòd aliqua potentia æſtimatiua, ſc. ea quæ in homine reperitur, faciat aliquam comparationem inter obiectum conueniens, aut diſconueniens, & naturam illam reſpectu cuius habet prædictam conuenientiam, aut diſconuenientiam. Propter quam rationem æſtimatiua hominis dicitur cogitatiua.

66. Quæ omnia eleganter docuit D. Thom. art. 4. ſæpius citato, vbi loquens de cognitione rationum inſenſatarum, (quas ipſe intentiones vocat) ſic ait: *Conſiderandum eſt autem, quod quantum ad formas ſenſibiles, non eſt differentia inter hominem, & alia animalia: ſimiliter n. immutantur à ſenſibilibus exterioribus, ſed quantum ad intentiones prædictas differentia eſt: nam alia animalia percipiunt huiuſmodi intentiones, ſolum naturali quodam inſtinctu, homo autem per quandam collationem: & ideò, quæ in aliis animalibus dicitur æſtimatiua naturalis, in homine dicitur cogitatiua, quæ per collationem quandam huiuſmodi intentionis adinuenit. Vnde etiam dicitur ratio particularis cui medici aſſignant determinatum organum, ſcilicet mediam partem capitis; eſt enim collatiua intentionum indiuidualium, ſicut ratio intellectiua intentionum vniuerſalium.*

Quod adhuc vnà cum radice ipſius magis explicuit in ſolutione ad quintum: nam cum ſibi obieciſſet cogitatiuam, quæ in idem redit cum æſtimatiua, habere actus comparandi, componendi, & diuidendi, reſpondet: *Dicendum: quòd illam eminentiam habet cogitatiua, & memoratiuam in homine, non per id, quod eſt proprium ſenſitiuæ partis, ſed per aliquam affinitatem, & propinquitatem ad rationem vniuerſalem ſecundum quandam refluentiam, & ideò non ſunt aliæ vires, ſed eædem perfectiores, quam ſunt in aliis animalibus.* Quod etiam repetit q. de Anima, art. 13. & opuſc. 43.

67. Sed obicies; æſtimatiuam non eſſe ex ſe determinatam ad cognoſcendum aliquod obiectum ſub ratione potius conuenientis, quam diſconuenientis, ſed hæc determinatio non poteſt illi prouenire ab ſpecie, aut ab obiecto: ergo oportet, vt determinetur ab aliquo actu proprio ipſius, & intra propriam lineam ei conueniente, quo comparet, ſaltem in actu exercito obiectum illud cum natura, in quo ipſa æſtimatiua eſt; vt ita poſſit ſtatim potiùs conuenientiam, quàm diſconuenientiam illius, vel è contra apprehendere.

Conſequentia videtur perſpicua, quia non apparet, vndè poſſit determinari ad prædictam apprehenſionem, ſeu quaſi iudicium, niſi ab hoc actu, ſi ſemel ab ſpecie obiecti, ac proindè, ab obiecto ipſo non determinatur; ſiquidem ad actum alicuius potentiæ cognoſcitiuæ ſolùm concurrit, vel potentia, vel obiectum, ſiue ſpecies illius, vel alius actus eiuſdem potentiæ.

68. Minor autem probatur, quia æſtimatiua ouis nequit percipere lupum, diſconuenientem eidem oui, niſi ſimul attingat duo extrema illius diſconuenientiæ, nimirum ouem, & lupum; quandoquidem non percipit diſconuenientiam abſtractam ab extremis, nec diſconuenientiam lupi, reſpectu alterius rei, ſed lupum oui diſconuenientem: ſed hæc duo extrema nequeunt repræſentari per ſpeciem immiſſam à lupo: ſiquidem lupus non valet producere ſpeciem repræſentatiuam ouis: ergo æſtimatiua ouis nequibit determinari ad prædictum actum ab ſpecie immiſſa à lupo; atque adeò nec ab ipſo lupo. Patet conſequentia, quoniam obiectum non determinat niſi mediante ſpecie, neque ſpecies, niſi mediante repræſentatione.

Maior autem ſatis conſtat; quoniam potentia æſtimatiua, ſicut & quælibet alia cognoſcitiua ſecundùm ſe conſiderata, non eſt ſufficienter determinata ad cognoſcendum aliquod obiectum in particulari, & ideò indiget ſpeciebus eandum determinantibus: ergo neque etiam erit determinata ad cognoſcendum obiectum ſub ratione conuenientis, potiùs quàm diſconuenientis.

69. Reſponderur enim concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem: & ſi intelligatur de determinatione omnimoda, & totali, concedenda eſt: ſi verò de determinatione partiali, negari debet: & deindè neganda eſt conſequentia, quia illa determinatio poteſt prouenire aliundè, nimirum partim ab obiecto, partim verò à natura illius animalis, in qua ſubiectatur potentia æſtimatiua. Vndè æſtimatiua ouis quoad hoc poteſt percipere lupum, vt inimicum, ſed determinatur ab eodem lupo mediante ſpecie, quam immittit; quoad hoc verò, quod eſt attingere illum, vt ſibi in particulari inimicum, determinatur ex coniunctione ad propriam naturam, & radicationem in illa; nam ſicut lupus eſt diſconueniens naturæ ouis; ita æſtimatiua huius ratione prædictæ radicationis determinata eſt; ſuppoſita ſpecie iam dicta ad apprehendendum lupum, vt diſconuenientem eidem oui; quapropter non deſideratur, vt per illam ſpeciem vtrumque extremum illius diſconuenientiæ expreſsè repræſentetur; ſed ſufficiet repræſentari expreſsè diſconuenientiam, & implicite terminos, ſeu extrema illius, vel ſaltem aliquod ex prædictis extremis; ex eo quòd in ordine ad terminum diſconuenientiæ in particulari non eget potentia determinatione ſic expreſſa propter coniunctionem, & radicationem, quam in natura eiuſdem ouis habet.

Ad quartum reſpondetur; quod licèt rationes inſenſatæ ſint abſtractiores, & immaterialiores, quàm rationes ſenſatæ; nihilominus non habent tantam immaterialitatem, vt ſint purè ſpirituales, ac proindè, vt abſtrahant in ratione obiecti à materia ſingulari, & ideò non petunt potentiam purè ſpiritualem, ſed corpoream: & conſequenter ſenſitiuam per quam cognoſcantur, quamuis prædicta potentia intra lineam ſenſitiuam ſit immaterialior quàm potentiæ ſenſitiuæ attingentes rationes ſenſatas. Vndè æſtimatiua non percipit rationes inſenſatas in communi, ſed in particulari, & prout fundantur in aliqua natura particulari ſenſibili, & materiali: qui modus agendi ſolùm indicat potentiam ſenſitiuam corpoream; licèt non parum perfectam intra hanc lineam.

70. Ad vltimam reſpondetur primò, illam ſpeciem inſenſatam produci ab obiecto, nempè à lupo mediante ſpecie ſenſata, quam efficit in ſenſu externo, & ſenſu communi ouis; nam licèt illa ſpecies ſenſata directè, & formaliter ſolùm repræſentet externa accidentia lupi, habet ibidem aliquid rationem cuius eſt ſemen, & virtus inſtrumentaria obiecti, in ordine ad producendam aliam ſpeciem altiorem & inſenſatam: & propterea dixit D. Thom. art. 4. iam

citato in solutione ad quartum, quod licèt operatio æstimatiuæ oriatur à sensu, tamen in re apprehensa per illum multa cognoscit, quæ sensu cognoscere non potest; & similiter opusc. 43. cap. 4. asserit: *Quòd æstimatiua est virtus apprehendens de sensato, quod non est sensatum, sicut ouis inimicitias lupi.* Quia mediante specie, quæ est in sensu repræsentante rationes sensatas, producitur in ea alia species superior, repræsentans rationes insensatas, nec hinc sequitur prædictam speciem producendam esse ab obiecto v. g. à lupo, in omnibus, & singulis æstimatiuis intra sphæram suæ actiuitatis contentis, vt in sequenti solutione dicemus.

71. Secundò respondetur: speciem illam produci ab obiecto, & non vtcumque, sed ita vt à lupo duplex species essentialiter, & realiter distincta immediatè procedat, vna quidem sensata, alia verò insensata; & ratio est, quoniam licèt lupus in esse rei sit vnus, & idem; attamen in esse obiecti est multiplex, ita vt quædam ex his rationibus obiectiuis sit sensata, alia verò insensata: & propterea non mirum, quòd ab eo duplex species, vna insensata; alia verò sensata immediatè procedat: sicut etiam non est mirum, quod prædictum obiectum immittat diuersas species, insensatas conuenientiæ, aut disconuenientiæ respectu diuersarum æstimatiuarum; quoniam esse conuenientem, aut disconuenientem non est ratio competens obiecto absolutè, sed per ordinem ad alia, & ita eadem res respectu diuersorum dicitur conueniens, & disconueniens: imò etiam respectu eiusdem mutata dispositione illius, ac proinde quo ad istas rationes tale obiectum censetur multiplex: & propterea possunt ab illo immitti species distinctæ, & repræsentantes ipsum sub rationibus oppositis conuenientiæ, aut disconuenientiæ.

Et ad probationem in contrarium dicendum est, hinc non sequi lupum producturum speciem amicitiæ, aut inimicitiæ cum oue in æstimatiuis aliorum luporum, aut quorum cumque aliorum animalium intra sphæram suæ actiuitatis contentis cum quibus inimicitias non gerit: quoniam sicut æstimatiua vnius lupi non est à natura determinata ad apprehendendum alterum lupum vt inimicum; ita non habet capacitatem ad recipiendas species, quæ repræsentent alterum lupum, vt inimicum, ac proinde, nec ad recipiendam speciem eiusdem lupi; quatenus est inimicus respectu ouis, & ratio est aperta ex dictis, quoniam æstimatiuæ non conuenit percipere amicitiam, & inimicitiam attingendo naturas rerum, sed solùm per modum simplicis apprehensionis per quam apprehendit disconuenientiam, seu inimicitiam illam, supposita determinatione, quam habet ratione radicationis in natura cui deseruit; & ita solùm potest cognoscere conuenientiam, aut disconuenientiam in ordine ad proprium subiectum, & per consequens solummodo est susceptiua specierum repræsentantium amicitiam, aut inimicitiam in ordine ad illud.

72. Nec refert si vrgeas, omnes æstimatiuas quorumcumque animalium esse eiusdem speciei atomæ: ergo omnes illæ sunt susceptiuæ earundem specierum: sicut quia omnes visus sunt eiusdem speciei infimæ, ideò possunt recipere quasuis species intentionales, & visibiles, maximè quando non repræsentant excellens sensibile: ergo æstimatiua vnius lupi poterit saltem recipere speciem repræsentantem inimicitiam lupi ad ouem, sicut æstimatiua ouis illam recipere potest.

Confirmatur, nam lupus diffundit speciem inimicitiæ respectu ouis per totum illud medium intra sphæram suæ actiuitatis contentum, in quo fortè reperiuntur ouis, & alter lupus: ergo etiam producet illam in æstimatiua lupi. Patet consequentia, quia non potest assignari ratio propter quam species illa recipiatur in medio, non verò in æstimatiua prædicti lupi. Respondetur enim ad obiectionem, concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia ex hoc, quod duæ potentiæ sint eiusdem speciei in ratione potentiarum, solùm sequitur debere eis per se conuenire eundem formaliter modum operandi, & respiciendi rationem formalem obiectiuam, non tamen quod non possint materialiter distingui, vel quod hæc ratio formalis obiectiua debeat applicari ad eandem rationem materialem obiectiuam, respectu cuiuscumque ex his potentiis: dummodo hoc non proueniat ex defectu potentiarum in ratione talium, sed ex aliis causis materialiter se habentibus. Vnde, æstimatiuæ lupi, & æstimatiuæ ouis competit idem formalis modus exercendi suos actus, & attingendi sub eadem ratione propria obiecta; quatenus omnium conuenientia, aut disconuenientia sunt propriæ naturæ; at hæc ratio formalis obiectiua applicatur diuersæ rationi materiali, & obiectiuæ respectu vnius, & alterius æstimatiuæ.

73. Cæterùm, hoc non prouenit ex ipsis æstimatiuis in ratione potentiarum, secundùm id quod de formali dicunt, quia ipsæ quantum est ex se, non solùm possunt habere hunc modum operandi, & attingendi eandem rationem formalem circa diuersa obiecta materialia, sed etiam circa eademmet, dummodo in eis inueniatur eadem ratio conuenientiæ aut disconuenientiæ, sed prouenit ex subiectis in quibus sunt: nam ex his oritur, vt id quod respectu vnius est conueniens, habeat respectu alterius esse disconueniens; & ita æstimatiua residens in illo animali cui non est disconueniens, non poterit tendere in illud, vt disconueniens, quia reuera illi obiecto non est applicata ratio etiam formalis obiectiua, scil. ratio disconuenientiæ ad eam naturam in qua est illa æstimatiua; & ita cum diuersitate obiecti materialis, cui ratio formalis obiectiua applicatur, stat identitas formalis obiecti consistens in conuenientias, aut disconuenientia iam explicata.

Potestque hoc aliqualiter explicari exemplo virtutis nutritiuæ, quæ in probabili multorum sententia est eiusdem speciei in planta & in animali: & tamen in animali producit sanguinem, non tamen in plantæ: & similiter calor naturalis tam in viro, quàm in fœmina est eiusdem speciei; nihilominus in viro non producit lac, secùs verò in fœmina; quia prædicta diuersitas non est formalis, sed materialis, & ex subiecto proueniens, & ita non arguit distinctionem specificam in illa.

74. Ex quo etiam ad illud de obiecto visibili patet; nam bene potest aliquid esse proximè visibile respectu vnius visus, & non respectu alterius, & ita hunc intentionaliter immutabit; secùs verò illum, quamuis vterque visus sit eiusdem speciei, quia hoc potest non prouenire ex defectu visuum, & visibilis in esse potentiæ, & obiecti formaliter considératorum, sed aliunde ex aliis rationibus, & conditionibus materialiter se habentibus, vt patet in luce meridiana respectu noctuæ, & hominis.

Ad confirmationem respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam: & ratio disparitatis desumitur ex ipsa natura medij, & potentiæ æstimatiuæ: nam medium hoc ipso, quod tale potest deseruire ad deferendas species insensatas ad æstimatiuam capacem ex omni parte illarum, & ita non mirum, quod lupus immittat ad

illud species insensatas inimicitiæ, quam habet respectu ouis, sicut etiam sensus externi ouis possunt prædictas species per modum medij recipere: quia sicut, mediante aëre, transferuntur ab obiecto in potentiam, ita etiam, mediantibus sensibus externis ouis, & propterea non recipiuntur in illis formaliter in esse repræsentatiuo, & intentionali, sed solùm materialiter, & in esse entis, vt alibi explicabitur.

75. Cæterùm, æstimatiua alterius lupi, vel nullo modo, vel solùm per modum potentiæ potest illas recipere, quia nequit deseruire per modum medij ad hoc, vt alia æstimatiua nempè ouis, illas recipiat. Quare, cùm ostensum sit æstimatiuam præcisè lupi non posse per modum potentiæ eas recipere, consequens est, vt sit omninò incapax ad eas saltem in esse intentionali, & repræsentatiuo recipiendas.

Diximus, saltem in esse repræsentatiuo, & intentionali, non quidem, vt denotaremus posse naturaliter eas in esse entis recipere, sed vt innueremus, quod si per diuinam potentiam species inimicitiæ lupi ad ouem, producerentur supernaturaliter in alterius lupi æstimatiua etiam tunc non reciperentur in illa formaliter, & in esse repræsentatiuo, sed solùm in esse entis, ex eo quod ob defectum determinationis iam dictæ nequiret vt illis in ordine ad sentiendum.

QVÆSTIO IV.

An æstimatiua sit potentia realiter distincta à phantasia?

Qvamuis certum sit, apud Philosophos dari in animalibus perfectis æstimatiuam; nihilominus quia id, vt vidimus, pluribus erat difficultatibus implicatum; ideò oportuit priùs certa ab incertis separare; & necessitatem huiusmodi sensus in prædictis animalibus stabilire: hoc autem semel peracto, statim pulsat animum inquirere, an prædictus sensus sit realiter distinctus à phantasia, an verò, idem cum illa; ita vt phantasia, quatenus exercet munera iam explicata æstimatiuæ, nuncupetur æstimatiua; quatenus verò operatur opera propria phantasiæ (de quibus supra mentionem fecimus) appelletur phantasia.

Adducitur prior opinio.

§. I.

76. Prima sententia asserit; phantasiam, & æstimatiuam esse eandem prorsus potentiam. Ita Palacios, & Toletus in expositione huius capitis Peterius quæst. citans Tutilanum lib. 2. in artem Galeni comm. 17. Fonseca 5. Meth. c. 28. quæst. 7 sect. 4. Conimb. in hoc lib. cap. 3. quæst. 1. art. 3. Rubio ibidem quæst. 1. & 2. Murcia disp. 2. quæst. 1. Suarez 2. tom. summ. Theologiæ lib. 3. c. 37. quamuis plures ex his authoribus fateantur, quod licèt sententia hæc non sit ex communi authorum placito desumpta; tamen nihilominus, licèt non antiquitati, veritati magis consentanea est.

Primò, quia distinctæ potentiæ sensitiuæ petunt distincta organa; sed tantùm sunt tria organa interna: ergo tantum erunt tres sensus interni, scilicet sensus communis, phantasia identificata cum æstimatiua, & tandem memoria. Maior probatur, quia cum potentiæ sensitiuæ sint affixæ organo corporeo, oportet, vt diuersæ potentiæ sint in diuersis organis, & ita visus est in vnico organo, & auditus in alio ex eo quod sunt diuersæ potentiæ sensitiuæ. Minor verò vnà cum consequentia suadetur: quia tantum sunt tres temperies: quarum prima est nimis humida pro sensu communi; alia nimia sicca pro memoria: alia verò téperata ex humido, & sicco; quæ proindè, pro phantasia, & æstimatiua debet deseruire: & ita phantasia, & æstimatiua erunt vnica, & eadem potentia.

77. Probatur secundò, nam eadem potentia, quæ cognoscit rationes insensatas, debet cognoscere rationes sensatas einsdem obiecti: ergo satis erit vnica potentia ad vtramque rationem attingendam; atque adeò cum phantasia cognoscat rationes sensatas, poterit etiam insensatas cognoscere, & ita munus æstimatiuæ exercere. Hæc vltima consequentia ex priori videtur colligi; nam si vnica potentia est sufficiens ad rationes sensatas, & insensatas percipiendas, non est cur ponatur multiplex, quarum vna extendatur ad solas rationes sensatas; alia verò ad insensatas, & insensatas: sicut, quia vnicus intellectus sufficit ad percipiendas rationes practicas, & speculatiuas; propterea non est assignandus alius, qui solas rationes practicas, aut solas rationes speculatiuas percipiat. Prima verò consequentia ex antecedenti constat. Antecedens autem probatur. Tum, quia per eandem speciem repræsentatur obiectum sub vtraque ratione, ex eo quod nequit species, v. g. lupi, repræsentare illum, vt inimicum, quin repræsentet illum sub hac figura, colore, &c. quæ sunt rationes sensatæ; maximè quia rationes insensatæ sunt modi quidam fundati in rationibus sensatis, & ita nequeunt repræsentari sine illis; ergo etiam eadem potentia, quæ cognoscit rationes insensatas, debebit cognoscere rationes sensatas.

Tum etiam; quia licèt quæuis ex his rationibus repræsentaretur per distinctam speciem, adhuc non possent non per eandem potentiam attingi, quia potentia percipiens lupum vt hostem, oportet, vt percipiat ipsum lupum; siquidem nequit cognoscere lupum, vt hostem, nisi percipiatur ipse lupus: sed lupus non potest percipi, nisi per externa accidentia, quæ sunt rationes sensatæ: ergo potentia attingens in obiecto rationem insensatam non poterit non attingere rationes sensatas.

78. Nec refert, si huic argumento occurras primò ex eo solùm sequi potentiam attingentem rationes insensatas debere etiam attingere rationes sensatas, non tamen è contra; sicut licèt potentia sensitiua percipiens rationes sensatas, & absentes, possit percipere easdem præsentes, non verò è conuerso. Vndè, quemadmodum, ex hoc quòd detur phantasia percipiens rationes præsentes, & absentes, malè colligitur, non esse dandum sensum communem realiter distinctum, qui percipiat solas rationes præsentes; quia in potentiis corporeis deuenitur per quosdam quasi gradus ad potentias magis superiores, vt suprà explicatum est; sic ex eo quod detur aliquis sensus percipiens rationes insensatas, qui eo ipso possit cognoscere sensatas, non rectè infertur, negandum esse alium sensum realiter distinctum, scilicet phantasiam, qui solas rationes sensatas attingat.

Nam contra hoc arguit Suarez, quòd phantasia potest percipere rationes insensatas; ergo cùm aliàs percipiat sensatas, vt supra ostendimus, rectè infertur potentiam, quæ percipit rationes non sensatas, percipere sensatas; & è contra. Consequentia videtur certa: antecedens autem probatur, nam rationes conuenientis, vel disconuenientis sunt non sensatæ: at hæ percipiuntur à phantasia, siquidem vt docet Arist. in hoc libro c. 6. text. 44. & c. 7. per totum, mouet appetitum sensitiuum, qui solùm à conuenientia, vel disconuenientia obiecti moueri potest: ergo, &c.

79. Nec etiam refert, si secundò occurras, non esse

necessarium, vt vna, & eadem potentia attingat rationes insensatas, & sensatas, sed sufficere vt per vnam cognoscantur rationes sensatæ, & per aliam non sensatæ: atque adeò quod per phantasiam attingatur lupus absolutè, & per æstimatiuam cognoscatur, vt inimicus.

Nam contra hoc arguit etiam idem Suar. nam apprehensio, & illud quasi iudicium. *hic est inimicus*, includit intrinsecè cognitionem eius qui inimicitias gerit, ergo repugnat æstimatiuam elicere tale, quasi iudicium, quin cognoscat lupum, qui est inimicus.

Confirmatur, nam sensus communis non posset iudicare inter diuersa sensibilia, nisi cognosceret vtrumque extremum, vt ex Aristot. & D. Thom. n. 58. ostendimus: ergo nec æstimatiua posset iudicare lupum esse inimicum, nisi ipsum cognosceret.

Sententia Diui Thomæ præfertur.

§. II.

80. DIcendum tamen est, æstimatiuam esse potentiam realiter distinctam à phantasia. Ita D.Thom. 1.part. quæst. 78. artic. 4. vbi vt supra notauimus loquens de sensibus apprehensiuis, & internis, sic concludit: *Non est necesse ponere, nisi quatuor vires interiores sensitiuæ partis, scilicet sensum communem & imaginationem, seu phantasiam, æstimatiuam, & memoratiuam.* Et quæst. de Anima art. 13. sæpiùs citato, & opuscul. 43. cap. 4. multoties etiam relato, quem sequuntur Caietanus loco citato ex 1. part. Bañez ibidem. Ferrara in hoc lib. qu. 3. & omnes eius discipuli, & eandem sententiam, vt testantur Conimbricens. tuentur communiter Philosophi antiqui, licèt aliqui ex Iunioribus oppositum doceant.

Ratio verò potissima huius assertionis adducta est à D. Thom. locis nuper relatis, quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam necesse est dari in animalibus saltem perfectis aliquam cognitionem, per quam percipiant aliquas rationes non sensatas: sed hæc cognitio non potest reduci in phantasiam: ergo reducenda est in aliam potentiam realiter distinctam ab illa quam æstimatiuam appellamus. Consequentia satis perspicua est. Maior verò constat ex dictis quæst. præced. Minor autem in qua est difficultas probatur: nam phantasia immutatur modo suprà explicato media sensatione sensuum externorum, ex eo quod proprium est illius attingere rationes sensatas, vel vt absentes, vel vt abstrahentes ab absentia & præsentia, vt num. 30. & deinceps vidimus: ergo cognitio, qua attinguntur rationes insensatæ, non potest reduci in phantasiam: Tum etiam (id, quod ex præced. sequitur) quoniam immutatiuum phantasiæ est aliquid exterius, quodque se ipso quasi patens est, immutatiuum verò in ordine ad cognitionem rationes insensatarum est aliquid interius, & occultum, vt ratio amicitiæ, & inimicitiæ: ergo cognitio rationum insensatarum non potest reduci in phantasiam.

81. Confirmatur & explicatur: quoniam magis distant inter se rationes insensatæ à sensatis: quàm rationes sensatæ, & præsentes à se ipsis, vt absentes, vt abstrahentes ab absentia, & præsentia, vt ex se constat: sed ob hanc distantiam licèt minorem ponitur quidam sensus internus, scilicèt communis, cuius actus adæquatus, conueniens ei præcisè intra propriam lineam sit percipere tantùm rationes sensatas, vt præsentes, & alius sensus, scilicet phantasia ad percipiendas rationes sensatas, vt absentes, vel vt abstrahentes ab absentia, & præsentia, vt supra vidimus: ergo propter illam distantiam maiorem inter res sensatas, & insensatas debet admitti alius sensus internus distinctus à phantasia, qui percipiat vel præcisè rationes insensatas, vel rationes abstrahentes à sensatis, & non sensatis.

Ex quo etiam manet exclusa apparens quædam solutio, quæ rationi D. Thom. adhiberi poterat, actum scilicet phantasiæ adæquatum non esse cognoscere solas rationes sensatas, sed tam sensatas quam insensatas, ac proinde, eius adæquatum obiectum esse sensibile tam externum, & ex se patens, quàm occultum, & internum, qualis est ratio inimicitiæ, aut amicitiæ.

82. Ex confirmatione igitur, & explicatione prædictæ rationis satis manet hæc solutio impugnata; nam sicut sensus communis propter illam distantiam minorem, quæ est inter rationes sensatas, vt præsentes, & easdem vt absentes, vel in abstractione iam dicta, non potest ex vi propriæ lineæ extendi ad sensibilia, vt absentia, sed eius actus adæquatus est percipere ea, vt præsentia, vt ex dictis num. 30. & sequentibus constat ita phantasia ob maiorem illam distantiam rationum sensatarum, & insensatarum non poterit extendi ad rationes sensatas, sed eius actus adæquatus erit terminari præcisè ad sensatas modo dicto Maximè quia non poterit assignari disparitatis ratio propter quam rationes sensatæ, vt præsentes, & vt abstrahentes a præsentia petant sibi duplicem potentiam, rationes insensatæ, vt præsentes, vel vt abstrahunt à præsentia non exigant alias duas, scilicèt æstimatiuam, de qua in præsenti, & memoriam de qua in quæstion. sequenti.

Confirmatur tandem, & simul excluditur, prædicta solutio, quoniam propter minorem immaterialitatem, quam dicit obiectum sensatum vt præsens, quàm ipsummet vt abstrahens à præsentialitate, constituitur quidam sensus, nimirum communis cuius proprius, & adæquatus actus sit percipere tale obiectum: ergo propter minorem longè immaterialitatem, quam habent eædem rationes sensatæ prout abstrahunt à præsentialitate, collatæ tamen cum rationibus insensatis attingentibus, aut ferè attingentibus infimum supremi rerum purè spiritualium, debebit poni alius sensus internus, quem æstimatiuam appellamus; cuius obiectum adæquatum sint rationes insensatæ, vel vt absentes, vel vt abstrahentes, ab absentia, & præsentialitate.

Fit obuiam fundamentis prioris opinionis.

§. III.

83. AD primam transeat maior, & neganda est minor: nam quatuor organa, & cellulæ dantur in cerebro pro quatuor sensibus internis in eo collocandis. Vndè Auicen. lib. 6. naturalium, & Auerroes in lib. de sensu, & sensato inquiunt, quòd æstimatiua in homine quæ cogitatiua nuncupatur, situatur in media parte cerebri, consequenter post phantasiam, vbi est cellula quædam, quæ supereminet toti capiti; æstimatiua verò in brutis est in posteriori parte mediæ partis cerebri, ita quod declinet à summitate capitis ad partem posteriorem.

Quod etiam docuit D. Thom. opusc. &c. citato, vbi loquens de æstimatiua sic inquit: *Organum autem huius potentiæ ponitur in brutis in posteriori parte mediæ partis cerebri: in hominibus autem eius organum ponitur media cellula cerebri, quæ syllogistica appellatur.* Cùm tamen loquens ibi de phantasia aliud organum pro ea assignauerit, vt ex supra dictis constat.

84. Et ad probationem in contrarium dicendum est, organum æstimatiuæ etiam petere aliquid magis de humiditate, quàm de siccitate, quamuis diuersimodi;

simodè; & excellentiori modo sit commixta cum siccitate, quàm in organo sensus communis: quoniam ex quo capite hæc potentia est facilè receptiua, sicut sensus communis, & non benè retentiua petit humiditatem, & ex quo capite excellentiori modo habet facilè recipere, petit prædictam humiditatem nobiliori modo esse commixtam cum siccitate. Vndè negandum est non posse esse alias temperies præter ibi enumeratas, vt ex eo modo dictis constat.

Ad secundum respondetur primò, optima esse solutionem primo loco ibidem traditam, & ad impugnationem in contrarium negandum est antecedens, ad cuius probationem dicendum est maiorem esse veram de rationibus, quæ sunt conuenientes, vel disconuenientes in ordine ad naturam, non verò de illis, quæ per se primò sunt conuenientes, vel disconuenientes in ordine ad sensum externum, seu, quæ per se primò illi delectabilia, vel molesta sunt.

Deindè distinguenda est minor, & concedenda de rationibus posterioribus conuenientiæ, vel disconuenientiæ, non verò de illis prioribus: & ita phantasia, quæ solùm cognoscit delectabilia, quæ per se primò delectant sensum externum, non cognoscet rationes insensatas, nec oppositum huius ex illo Aristot. loco conuincitur; nam ad verificationem illius satis est, quòd phantasia moueat appetitum ad aliquem dolorem, aut delectationem: adhoc autem non est necessarium, vt apprehendat obiectum sub ratione conuenientis, aut disconuenientis ipsi naturæ modo iam dicto, ac proindè nec rationes insensatas: sed satis est, quod modo explicato apprehendat rem sensatam delectabilem, aut molestam: nam ex hoc excitantur in appetitu varij affectus doloris, tristitiæ, aut delectationis, & hinc etiam contingunt in corpore variæ immutationes, & alterationes, ac proindè sic verificatur, quod secundùm apprehensionem phantasiæ multa agimus, & patimur.

85. Secundò respondetur, negando antecedens: & ad primam probationem negandum est etiam antecedens, quia reuera potest dari species repræsentans rationes insensatas sine sensatis: nam quamuis species illa non repræsentet causam conuenientiæ, aut disconuenientiæ, potest repræsentare tale disconueniens formaliter, quatenus disconueniens est tali subiecto. Vndè negandum est illud, quod ibidem dicitur, scilicèt non posse speciem, v.g. lubi repræsentare illum, vt inimicum, quin repræsentet illum sub hac figura, colore, &c. quæ sunt rationes sensatæ: nam sicut æstimatiua attingit per simplicem apprehensionem, disconuenientiam, atque adeò non deuenit ex cognitione proprietatum, ex quibus nascitur, in notitiam illius: ita etiam species illi deseruientes valebunt repræsentare disconuenientiam sine repræsentatis illis proprietatibus figuræ, coloris, & cætera.

Quare falsum est id quod ibidem additur, scilicèt rationis insensatarum, & propterea non posse sine illis repræsentari, quia vt ex dictis constat, saltem in esse obiecti non possunt esse modi, quippè qui habent veram, & integram rationem obiecti sensibilis, licèt interni, & occulti.

86. Ex quo ad secundam probationem negandum est antecedens, quoniam æstimatiua ouis solùm apprehendit formaliter loquendo, tanquam sensibile per se illius hoc disconueniens indiuiduum, & determinatum. Cæterùm, adhoc non est necessarium, quod cognoscat tanquam sensibile per se principium suæ indiuiduationis, neque lupum qui est illud disconueniens, nisi vt plurimum tanquam sensibile per accidens.

Poratque hoc explicari exemplo visus collati cum albo, nam reuera cognoscit hoc indiuiduum determinatum, non tamen attingit principium suæ indiuiduationis, neque substantiam, quæ est tale album, nisi solùm tanquam sensibile per accidens, & ita solùm percipit substantiam illam formaliter, vt habentem albedinem, seu hoc album formaliter sumptum, non tamen substantiam secundùm se, nisi tantùm per modum sensibilis per accidens; sic ergo phantasia solùm percipit hoc disconueniens formaliter, vt tale, non tamen in quanam materia, seu sensibile per accidens, ratio hæc inueniatur. Vndè sicut visus ratione istius notitiæ præcisè potest elicere istud quasi iudicium, scilicèt *hoc est album*, ita æstimatiua ratione proportionalis notitiæ, quam de illo, quod illis est lupus ei concedimus, potest facere istud iudicium, hoc est mihi disconueniens, & inimicus: per quod ad impugnationem contra secundam solutionem ibidem datam, quatenùs contra hanc poterat retorqueri, satis constat.

QVÆSTIO V.

Vtrum præter æstimatiuam si ponenda alia potentia sensitiua realiter ab ea distincta, scilicèt memoria; & an præter istam, & tres potentias cognoscitiuas, & internas iam enumeratas, sic addenda aliqua alia potentia cognoscitiua, & in parte sensitiua residens?

Completa notitia virium sensitiuarum, & simul appetentiuarum non parùm ex his, quæ in hac quæstione dicenda sunt, pendet; & ideò sigillatim huic potentiæ, scilicèt memoriæ, sicut & aliis tribus sensibus cognoscitiuis internis peculiarem quæstionem tribuimus.

Diuersa sententia.

§. I.

87. Prima sententia asserit æstimatiuam, & memoriam esse vnam, & eandem potentiam sensitiuam, vltra eam tamen non requiri in parte sensitiua aliquam aliam potentiam cognoscitiuam. Ita Conimbr. Mercia, Rubio, Suarez locis quæst. præced. relatis: & Marcellus lib. 4. suarum traditionum, vt refert Suarez ibidem. Sententia hæc quoad hanc posteriorem partem patebit ex dicendis num. 95. Quoad priorem verò potest suaderi omnibus argumentis quibus supra quæst. 2. iidem Authores ostendunt phantasiam, & sensum communem non esse potentias realiter distinctas; nam omnia illa, vt intuenti patebit, & ex dicendis in hac quæstione magis constabit, vt hi authores opinantur, probant identitatem æstimatiuæ, & memoriæ, quæ omnia possunt sic ampliùs confirmari.

Nam æstimatiua, & memoria solùm possunt distingui realiter penes hoc, quod illa percipiat rationes insensatas vt præsentes, hæc verò vt absentes; sed hinc non potest oriri, realis distinctio inter illas, ergo ex nullo capite oriri poterit. Maior constabit ex dicendis. num. 90 Minor autem probatur; quia esse rationem aliquam insensatam præsentem, vel absentem per accidens se habet ad illam; & ita eademmet ratio insensata potest modò esse absens, modò verò præsens; ergo ratio absentiæ, vel præsentiæ, non potest refundere realem distinctionem in has duas potentias sicut, quia per accidens se habet ad coloratum quod habeat hanc, vel illam figuram, propterea ex diuersitate figuræ non potest inferri multiplicitas visiuum in ordine ad illud sub hac, vel illa figura attingendum,

peticm, vt prædominetur siccitas; propterea potest esse in cerebro, & conseruare prædictam temperiem.

93. Vndè, sicut natura dedit spiritibus animalibus tantam caliditatem, quanta sufficeret, vt adhuc in cerebro eam caliditatem, quam exposcunt, conseruent, non obstante, quod cerebrum sit satis frigidum, & ex hac propinquitate ad illud possint pati, ita eadem natura reposuit in organo memoratiuæ tantam siccitatem, quanta adhoc, vt in suo munere, & debita temperie, & prædominio siccitatis adhuc intra cerebrum valdè humidum per se loquendo conseruaretur, & ideò potest intra cerebrum esse, licèt in prædicto organo, siccitas prædominetur,

Secundò obiicies contra rationem huius assertionis, quod licèt ex ea sequatur dandum esse aliquem sensum realiter ab æstimatiua distinctum per quem cognoscantur rationes insensatæ dum sunt absentes; fa sò tamen, & gratis hinc supponitur, potentiam istam esse memoriam, cuius proprium est cognoscere, tam rationes insensatas, quàm sensatas; quatenus sunt antea cognitæ: ergo, &c. Antecedens probatur quoniam ad cognoscendas rationes sensatas absentes constituimus duas potentias sensitiuas, quarum altera cognoscit illas, quatenus absentes, altera verò formaliter, quatenus priùs cognitæ fuerunt: ergo etiam ad cognoscendas rationes insensatas absentes debet constitui duplex potentia altera, qua cognoscantur, vt absentes; altera verò, quatenus prius cognitæ sunt.

94. Ad hanc obiectionem negandum est antecedens, & ad probationem respondetur ex D. Thoma artic. 4. sæpius citato, esse apertum discrimen, quoniam rationes sensatæ si sumantur præcisè, & formaliter quatenus priùs fuerunt per aliquem sensum cognitæ inducunt conditiones insensatarum, & ita quatenus sic sumuntur, expectat eorum notitia ad alium sensum; qui valeat rationes insensatas percipere. Cæterùm, rationes insensatæ, siue sumantur vt sunt abstrahentes ab actuali præsentialitate, siue quatenus antea fuerunt à nobis perceptæ, non mutant rationem cognoscibilitatis in ratione sensibilium, quia semper sunt rationes insensatæ attingibiles per aliquem sensum, sinè ordine ad actualem existentiam: & ideò earum cognitio sub vtraque ratione spectat vnam, & eandem potentiam cognoscitiuam, scilicet memoriam, ac proindè eandemmet erit potentia illa, quæ percipit rationes insensatas absentes, & recordatur cognitionis rationum insensatarum, vt iam præteritæ sunt.

Cùm autem dicimus (vt ita cuidam tacitæ obiectioni obiter satisfiat) memoriam percipere sensationem, vt iam præteritam, debet intelligi de sensatione formaliter in esse sensationis, non tamen in esse entis, & quatenus materialiter extenditur in suo subiecto; secundùm hanc rationem, ac proindè quoad magnitudinem, & extensionem, quam in eo habuit, non percipitur à memoria

95. Dicendum est primò, tantùm esse in anima hos quatuor sensus internos, & cognoscitiuos iam enumeratos, scilicet sensum communem, phantasiam æstimatiuam, & memoriam. Ita D. Thom. locis citat, quem sequuntur communiter omnes Philosophi, vno, vel altero excepto; nam licèt aliqui ex his non ponant tot sensus, vt pertingant vsque ad numerum quaternarium: nihilominus omnes conueniunt in hoc, quod prædictum numerum non excedant.

Et probatur facilè ratione desumpta ex D. Thom. vt supra, quæ potest ad hanc formam reduci: quoniam ad vitam perfecti animalis, satis est, vt vltra cognitionem sensuum externorum habeat cognitionem per quam cognoscat omnes rationes sensibiles, tam sensatas, quàm non sensatas siuè illæ sint absentes, siuè præsentes, vt ex se constat: at per has quatuor potentias omnia ista cognoscuntur, vt ex dictis patet; ergo non erit ibi necessaria aliqua alia cognitio sensitiua interior, & consequenter neque aliquis alius sensus interior, & cognoscitiuus,

96. Nec refert, si obiicias; præter has cognitiones, & potentias enumeratas, maximè verò præter memoriam esse necessariam aliquam aliam per quam attingantur eadem obiecta, quæ à nobis antea cognita sunt: non vtcumque, sed alio altiori modo, quam per memoriam cognoscuntur: ergo, &c.

Antecedens probatur; quia multoties imperfectè recordamur eorum, quæ antea percepimus, & ex aliquorum recordatione deuenimus in notitiam aliorum quasi per discursum, non quidem per solum intellectum, sed per cognitionem sensitiuam, quæ appellatur reminiscentia, sed iste modus cognoscendi obiecta antea cognita, est valdè distinctus à simplici cognitione rei, prout antea fuit cognita, quæ est actus memoriæ, ac proindè petit principium, seu potentiam distinctam ab aliis potentiis, & peculiariter à memoria.

Confirmatur, quia plures homines gaudent imperfecta memoria, cum tamen habeant maiorem vim reminiscendi, quam alij in quibus est perfectior memoria, Vndè Arist. in lib. de memoria, & reminiscentia asserit eos, qui sunt magni ingenij esse etiam magnæ reminiscentiæ; & eos, qui sunt exigui ingenij posse aliquando habere magnam memoriam, licèt non magnam reminiscentiam; hoc autem satis indicat memoriam, & reminiscentiam esse potentias distinctas.

97. Respondetur enim ex D. Thom. 1. p. q. 78. art. 4. in corpore, & ad quintum, quod ex prædicta experientia solùm colligitur memoriam in nobis propter coniunctionem ad partem intellectiuam habere perfectionem illam; quæ in obiectione tangitur; non verò quod iuxta propriam lineam aliqua potentia sensitiua habeat prædictam perfectionem, & ita indè, non poterit multiplex potentia sensitiua inferri, sed solùm quòd potentia memoratiua sit perfectior in homine, quàm in aliis animalibus.

Quod etiam explicuit idem S. Doctor. opusc. 43. cap. 4 vbi sic inquit: *In hominibus non solum est memoria, sed etiam reminiscentia, quasi per quandam collationem intentionum indiuidualium præuiarum ad formas syllogisticè discurrendo, vsque ad vltimò quæsitum. Istam autem excellentiam non habent in homine æstimatiua, & memoratiua per id, quod est partis sensitiua, sed per affinitatem, & propinquitatem ad rationem vniuersalem per quandam influentiam: semper enim virtus inferior fortificatur ex coniunctione sui cum virtute superiori, eo quod supremum naturæ inferioris attingit infimum naturæ superioris, vt dicit Dionysius.*

Per quod etiam ad confirmationem satis patet: nam quòd aliqui homines meliùs reminiscantur, quàm recordentur, non prouenit ex eo, quòd vis reminiscendi, & recordandi sint distinctæ facultates sensitiuæ, sed ex eo quod propter meliorem intellectum, & meliores dispositiones quas habent, deriuatur ad illos maior illa perfectio iam explicata; quàm solùm de materiali memoratiua importat.

Occurritur fundamentis vtriusque sententiæ

§. III.

98. AD primum primæ patet ex dictis; quomodo rationes insensatas esse absentes, vel præsentes non se habeat per accidens ad illas in

ratione

ratione obiecti, sed quod ipsæmet vt inspiciuntur à potentia cognoscitiua, & inter, quatenus sunt præsentes, petunt aliam potentiam ab illa per quam percipiuntur, quatenùs absentes; secùs verò contingit in colore, cui per accidens est etiam in ratione obiecti considerato, quod habeat hanc, vel illam figuram vt ex se constat, & ex dictis disp. 9. etiam patet.

Ad secundum respondetur, quod ex excellentia æstimatiuæ supra phantasiam non potest colligi identificatio illius cum memoria vt ostensum est, sed ex prædicta excellentia illius, & aliorum sensuum nobiliorum supra inferiores summum petit inferri id, quod D. Thomas opuscul. citat. cap. 4. his verbis docet. *Patet, quomodo est excellentia in potentiis animæ sensitiuæ: sensus enim proprius non potest apprehendere, nisi vnum sensatum: sensus verò communis plura. Item, & sensus communis non potest aliquid apprehendere, nisi ad præsentiam rei extra: phantasia autem formam rei retinet re absente. Item phantasia non potest apprehendere, nec retinere nisi formas a sensibilibus acceptas, æstimatiua autem potest intentiones circa huiusmodi formas apprehendere, æstimatiua verò licèt possit huiusmodi intentiones apprehendere; non tamen retinere, quod habet memoratiua.*

99. Ad fundamentum secundæ sententiæ concedenda est maior intellecta de cognitione sensitiua, quæ in nobis reperitur, & neganda minor, & ad probationem dicendum est suadere intentum quoad phantasiam sumptam præcisè intra propriam lineam, non verò de eadem, vt est in nobis coniuncta, & radicata (modo alibi explicato) in anima rationali: vndè, non sequitur dandam esse in nobis aliquam aliam potentiam cognoscitiuam internam præter quatuor enumeratas; sed solùm quod phantasia, seu imaginatio sit in hominibus perfectior ratione prædictæ coniunctionis, quàm in aliis animalibus, in quibus ob defectum huius perfectionis phantasia non habet componere.

Quæ solutio desumpta est D. Thom. art. 4. vbi supra, his verbis: *Auicena verò ponit quintam potentiam mediam, inter æstimatiuam, & imaginatiuam, quæ componit, & diuidit formas imaginatas, vt patet; cùm ex forma imaginata auri, & forma imaginata montis componimus vnam formam montis aurei, quem nunquam vidimus; sed ista operatio non apparet in aliis animalibus ab homine in quo adhoc sufficit virtus imaginatiua; cui etiam hanc actionem attribuit Auer. in libro quodam, quem fecit de sensu & sic non est necesse ponere nisi quatuor vires interiores sensitiuæ partis, scilicet sensum communem, & imaginationem, æstimatiuam, & memoratiuam, quod etiam docet opusc. 43. cap. 4.*

100. Nec refert, si vrgeas; falsò supponi à Diuo Thoma, quod alia animalia præter hominem non componant, & diuidant formas imaginatas; nam in somnis possunt præ multitudine, & diuersitate vaporum ad cerebrum ascendentium mouere species, ita vt quædam cùm aliis suo modo confundantur, sicut in homine accidit: ergò tunc poterunt prædicta animalia componere formas repræsentatas per tales species; nam propter hanc rationem phantasia in hominibus potest componere, vt videtur docere idem Sanctus Doctor 1. p. q. 84. art. 8. ad 2. dicens: *Si verò motus vaporum aliquantulum fuerit remissior, apparent phantasmata, sed distorta, & inordinata, sicut accidit in febricitantibus.*

101. Respondetur enim; quod licet admittamus modum illum, & quasi confusionem specierum in aliis animalibus (modo tamen alibi iam insinuato) non tamen propterea componerent, quoniam sicut species sensibiles albi & nigri sunt simul in medio, & tamen nec secundùm se; nec quo adhanc similitudinem sunt in illo in esse repræsentatiuo, & intentionali formaliter sumpto, sed solum in esse naturali, & entitatiuo: & propterea, nec album, aut nigrum sigillatim, nec vtrumque simul potest à medio percipi: & huius impotentiæ ratio oritur, ex eo quod medium caret potentia vitali, & proportiona ad prædictos colores percipiendos: ita licet species illa ratione vaporum ascendentium, & organum perturbantium sint etiam in brutis veluti fluctuantes, & suo modo inter se peculiariter confusæ: nihilominùs in brutis non habent hanc confusionem, & veluti compositionem inter se, vt formaliter pertinent ad ordinem intentionalem, & repræsentatiuum, sed vt pertinent ad ordinem entitatiuum: & ideò sub hac confusione, & compositione non aliter sunt ibi, ac essent in aliquo alio medio, & phantasia eorum, vt collata cum illis sic sumptis est ibidem, ac si non esset, & per consequens brutum nequibit componere percipiendo, verbi gratia, montem aureum.

Hoc autem prouenit ex eo quod phantasia brutorum, non habet tamen perfectionem de materiali, quanta requiritur adhoc; vt componat species, & obiecta per eas repræsentata: ac proindè, percipiat montem aureum, quem oculus eorum nunquam vidit: & ita quo adhoc munus est ibidem potentia ista, vt nuper dicebamus, ac si non esset: sed de his iterum redibit ea parte sermo disp. 18. quæstion. 3. cum explicuerimus, quomodo species sint in aliquibus subiectis in esse entitatiuo, & in quo hic diuersus modus essendi consistat.

Vndè, propter hanc rationem in Logica disputat. 2. num. 27. in solutione ad 4. non diximus absolutè, phantasiam hominis secundùm se, & secundùm ea, quæ habet intra limites potentiæ sensitiuæ, se secundùm quod non consideratur, vt subordinata intellectui, & ab eo aliquid participans, posse ex duabus rebus tertiam componere, sed asseruimus: *Quod si loquamur de phantasia hominis secundùm se, & secundùm ea, quæ habet intra limites potentiæ sensitiuæ, esto quod prout sic possit tertiam componere, &c.* Vt denotaremus id non concedi, vt verum in sententia Diui Thomæ, & nostra, sed gratis admitti, quia ad solutionem illius argumenti, in quo intendebatur vim ad formanda entia rationis, nihil referebat, quod possit vel non possit modo ibidem insinuato prædictam compositionem facere.

Nec obest, quod ibi addiderimus, planè indicari à D. Thom. 1. part. quæst. 12. art. 9. phantasiam secundùm se ex duabus rebus tertiam componere, & id constare in somniis, quæ etiam in brutis reperiuntur.

Non itaque hoc obest: nam propterea non diximus id planè fateri à D. Thoma, *sed indicari*, quia licet planè videatur illud innuere, quatenus virtutem hanc componendi tribuit imaginationi, quæ est eiusdem speciei, cum phantasia aliorum animalium, re tamen attentè inspecta id non concessit: & ideo Sanctus Doctor loco cit. vsus est nomine imaginationis, non verò phantasiæ, quia imaginatio propriè, & in rigore sumpta denotat phantasiam prout in homine, seu prout participat aliquid ex coniunctione ad partem intellectiuam, vt communiter docent Philosophi. Vndè cum exempli gratia ibidem diximus bruta in somniis componere, loquebamur data illa hypothesi, quod nimirum phantasia secundùm se, & ex propriis meritis habet vim ad modo dicto componendum.

DISPV.

DISPVTATIO XVI.

De Anima rationali secundùm se.

1. POST animam vegetatiuam, & sensitiuam, ac earum potentias statim rursus progrediendo anima rationalis, & potentiæ illius subsequuntur, & ita postquam de illis prioribus sermonem ex professo instituimus, meritò ad disputandum de Anima rationali, & deindè de suis potentiis, seu facultatibus vitalibus accedimus. Et licet appetitus sit potentia vitalis propria animæ sensitiuæ, quia tamen Aristot. in hoc libro priùs egit de intellectu, qui est potentia animæ rationalis, vt talis, quàm de hoc appetitu, de quo vnà cum appetitu rationali mentionem fecit; ideò etiam prius quàm de appetitu sensitiuo tractemus, est à nobis de intellectu, ac proindè adhuc priùs de Anima rationali, quæ est eius radix, disputatio texenda.

Quamuis autem circa animam rationalem plures possent quæstiones excitari: cæterùm, quia partim in 2. & 2. Physic. partim in 1. huius operis non pauca de illa, (quippè cùm non minùs est forma, & forma viua, quàm aliæ formæ, & animæ) diximus, & plurium aliarum difficultatum decisiones ex his, quæ ibi dicta sunt, colligi possunt; propterea in hac disput. duas tantùm quæstiones excitabimus, quia suppositis his, quæ locis citatis docuimus, nulla alia vt intuenti patebit, desiderabitur.

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM ANIMA RATIONALIS SIT PVRE SPIRITVALIS?

LICET satis apud Philosophos constat animam rationalem esse purè spiritualem; quia tamen ex hoc fundamento plures veritates ad vitam nostram rectè instituendam pendent; ideò quæstionem hanc cum Aristotele, Diuo Thoma, & cæteris Philosophis discutere placuit.

Rationes dubitandi.

§. I.

2. PRima est; quia forma, quæ multiplicatur ad multiplicationem corporis debet esse materialis; sed anima rationalis sic multiplicatur: ergo, &c. Maior probatur: nam forma purè spiritualis non multiplicatur ad multiplicationem corporis, quippè quæ ab illo tam in esse, quàm in fieri est independens. Minor verò probatur, nam rationalis non producitur, nisi cum corpore, & ita non nisi eo multiplicato multiplicatur.

Confirmatur, nam ad productionem, & introductionem animæ rationalis expectatur certa quædam dispositio in ipso corpore; ita vt non nisi hac data producatur anima: ergo signum est eam in fieri dependere à corpore, ac proindè, non esse purè spiritualem. Antecedens communiter recipitur à Philosophis. Prima verò consequentia ex antecedenti constat; quoniam nisi esset aliqua dependentia animæ à corpore, non dependeret eius productio à dispositione in ipso recepta. Secunda verò etiam liquet: quoniam forma pendens in fieri à corpore, non est purè spiritualis, vt ex his quæ in lib. Physic. disput. 4. num. 16. & 17. diximus, patet.

3. Secundò intellectus, qui est præcipua potentia vitalis animæ rationalis, habet dependentiam à corpore in suis operationibus: ergo est potentia corporea, & organica: & per consequens anima rationalis, quæ est eius radix erit forma materialis. Prima consequentia patet; nam omnes, & solæ potentiæ vitales, quæ ab organo corporeo in suis operationibus pendent, sunt organicæ. Secunda verò constat, quia illæ sunt formæ materiales, quarum præcipua potentia à corpore pendet. Antecedens autem probatur, quia intellectus ligatur ligatis sensibus, vt in dormientibus patet: & deindè, in habentibus optimam complexionem, datur melior intellectus, sicut & in habentibus complexionem non adeò bonam, non ita intellectus, & eius operatio in eis viget: hæc autem omnia apertè indicant dependentiam intellectus à corpore in suis operationibus.

Sententia omnino vera & duplex eius fundamentum.

§. II.

4. DIcendum tamen est: animam rationalem esse purè spiritualem. Hæc est communis inter Sanctos Patres. Vnde eam tenent D. Dionys. lib. de diuin. nomin. cap. 4. Ambros. libr. de Noë, & Arca, & August. lib. de Trinit. c. 6. & in retract. cap. 56. Gregor. 4. libr. Dialog. cap. 6. & lib. 5. Moral. c. 26. Damascen. lib. 1. fidei, c. 12. Nissen. in libro de opificio hominis c. 4 & 15. D. Thom. quæst. 75. art. 2. cum eo omnes Doctores Scholastici, & Aristot. interpretes.

Et probari in primis potest ex Concil. Lateranens. Clementina prima de summa Trinitate & fide Catholica, his verbis: *Deus ab initio vtramque de nihil condidit creaturam corporalem, & spiritualem, Angelicam; scilicèt, & mundanam, deinde humanam quasi communem ex spiritu; & corpore constitutam.* Quæ verba adeò intentum conuincunt, vt nonnulli putauerint esse de fide, ex vi illorum, animam rationem esse purè spiritualem; sed ad minùs veritas hæc adeò illis confirmata manebit, vt oppositum minimè absque temeritate; imò & absque erroris periculo dici possit.

5. Deinde, probatur ratione desumpta ex Aristot. in hoc lib. text. 7. & D. Thom. ibidem lect. 7. quæ potest ad hanc formam reduci: nam intellectus, qui est præcipua animæ rationalis potentia; est purè spiritualis: ergo etiam ipsa anima. Consequentia est satis perspicua: quoniam forma materialis nequit habere potentias operatiuas purè spirituales, vt ex se constat. Antecedens autem probatur; quia intellectus non læditur à vehementi intelligibili: ac proindè, nec hebetatur per hoc, quod circa illud versetur,

sed

sed potius redditur acutior, & habilior ad percipienda intelligibilia inferiora ex eo, quod versetur circa intelligibilia superioris, & eminentioris rationis, vt ex se, & aliqualiter experientia ipsa constat: at potentia cognoscitiua, quæ non est purè spiritualis, læditur à vehementi sensibili: & ita vel destruitur, vel hebetatur ad percipienda alia sensibilia, vt patet in auditu, qui si prius motus fuerit à sono valde vehementi, solet eo lædi. Et similiter visus, & odoratus, si à vehementi luce, & odore prius moueantur, & ita posteà non possunt, vel absolutè, vel non nisi ægrè percipere alia sensibilia moderata: ergo, & cætera.

6. Nec refert, si contra rationem hanc obiicias, non esse sufficiens, & adæquatum signum spiritualitatis, aut materialitatis potentiæ quod lædatur, vel non lædatur à suo obiecto, quatenus aliquæ ex potentiis materialibus soleant ab eo lædi: ergo ratio facta corruit. Antecedens probatur; quoniam sensus interni, vel imaginatiua non læditur à vehementi imaginabili, & nihilominus est potentia corporea, & materialis.

Non ~~itaque~~ hoc refert; nam licet admittamus sensus internos, vt imaginatiuam, non lædi à vehementi sensibili, nihilominus hoc erit per accidens, & materialiter, ex eo quod non datur vehemens imaginabile; quod tamen si daretur, tunc re vera illam læderet, ratione suæ limitationis ortæ ex materialitate, quam habet. Cæterùm potentia purè spiritualis, qualis est intellectus, non læditur ab obiecto vehementi, quantumuis excellentissimum sit, sed potiùs redditur habilior ad percipienda cætera alia obiecta inferioris rationis, & ita intellectus per hoc, quod videat Deum, qui est obiectum excellentissimum, & supra naturam illius, non ideò læditur; sed potiùs redditur aptior ad alia percipienda.

Vltimum fundamentum veræ sententiæ.

§. III.

7. Tandem probatur ratione, quàm suprà disp. 14. num. 22. & deinceps attulimus, & non plenè examinauimus, quamque ad probandam spiritualitatem intellectus, & per consequens animæ rationalis adducit Aristot. in hoc lib. text. 4. dicens; *Necesse est itaque, quoniam omnia intelligit, immistum esse, intus enim apparens prohibebit extraneum, & obstruet.*

Cuius rationis vim, & efficaciam, expendit D. Thom. 1. part. quæst. 75. artic. 2. & eam ad hanc formam reducit in hoc 3. libr. lect. 7. his verbis: *Omne, quod est in potentia ad aliquid, & receptiuum eius est, caret eo, quod est in potentia: & cuius est receptiuum, sicut pupilla, quæ est in potentia ad colores & receptiua ipsorum, est carens omni colore, sed intellectus noster* (ac proindè, anima rationalis) *sic intelligit intelligibilia, quod est in potentia ad ea, & susceptiuus eorum; sicut sensus sensibilium: ergo caret omnibus illis rebus, quas natus est intelligere. Cùm igitur intellectus noster* (& per consequens anima rationalis) *natus sit intelligere omnes res sensibiles, & corporeas, oportet, quod* vtrumque *careat omni natura corporali, sicut sensus visus caret omni colore, propter hoc, quod est cognoscitiuus coloris.*

8. Confirmatque seu explicat hoc ipsum S. Doctor sic: *Si enim visus haberet aliquem colorem, ille color prohiberet videre alios colores, sicut lingua febricitantis, quæ habet aliquem humorem amarum, non potest percipere dulcem saporem; sic etiam intellectus*, atque adeò anima rationalis, *si haberet aliquam naturam determinatam, illa natura connaturalis sibi prohiberet eum à cognitione aliarum naturarum; & hoc est, quod dicit Philosophus: intus enim apparens prohibebit cognoscere extraneum & obstruet, id est impediet intellectum, & quodammodo velabit, & concludet ab inspectione aliorum.*

Confirmatur secundò ratione, quam idem Aristotel. aliis paucis, & compendiosis verbis text. 5. eiusdem libri insinuat; vbi loquens de intellect. atque adeò de Anima, vt mediante illo est intellectiua, ait: *Quare, neque ipsius esse naturam, neque vnam, nisi hanc, quòd possibilis sit: vocatus itaque animæ intellectus nihil est actu eorum, quæ sunt antè intelligere.*

Eius autem vis, & efficacia potest ostendi ex his, quæ idem S. Doct. lect. cit. insinuat; quoniam intellectus pro hoc statu est pura potentia in ordine intelligibili, quatenùs nimirum ex se non includit aliquem actum huius ordinis, seu aliquod obiectum intelligibile, quod quidem ratione sui, vel ratione speciei, habeat in se vt forma, & actus in ordine intelligibili, constituens illum in actu primo, & completo ad intelligendum: ergò prædictus intellectus non habebit aliquam quidditatem materialem, & per consequens, neque anima rationalis, quæ est prima radix, & origo illius.

9. Hæc vltima consequentia ex priori satis liquet, quoniam rami connaturaliter orti ex aliqua radice, non possunt esse superioris ordinis, & rationis, quam ipsa radix; ac proindè intellectus connaturaliter fluens ab anima rationali, vt à prima radice, nequibit esse purè spiritualis, careatque quidditate materiali, quin ipsa anima sit etiam purè spiritualis.

Prima verò consequentia ex antecedenti constat; quoniam, vt disput. seq. ostendemus; obiectum proprium, & connaturale intellectus pro hoc statu, est quidditas rei materialis: ergò si intellectus est pura potentia in ordine intelligibili, atque adeò non habens in sui natura aliquod ex obiectis intelligibilibus, per quæ sit in actu in ordine intelligibi, consequens est, vt eius quidditas non sit quidditas materialis; alioqu non esset pura potentia in hoc ordine, sed includeret actum, id est obiectum illius, nimirùm propriam quidditatem materialem.

10. Antecedens autem etiam constat; nam sicut in ordine naturali, & entitatiuo datur aliquid, quod est pura potentia, qualis est materia prima: & similiter alia, quæ partim sunt in actu, & partim in potentia, vt homines, & Angeli; ac tandem aliud quod sit purus actus, nempe Deus: ita in ordine intelligibili, in quo intelligibiliter debet inueniri quidquid naturaliter in ordine naturali reperitur, ex eo quod ordo iste est ita patens, sicut ordo naturalis, oportet esse aliquid, quod in ordine intelligibili sit pura potentia, nempè intellectus humanus pro hoc statu, & aliqua, quæ sint partim in actu, & partim in potentia, vt intellectus Angelici, & tandem aliud, quod in ordine intelligibili sit purissimus actus, nihilque habens potentialitatis, nimirùm intellectus diuinus.

Obiectiones contra hoc vltimum fundamentum veræ sententiæ.

§. IV.

11. Cæterùm, hæc ratio vnà cum suis confirmationibus visa est aliquibus, non parùm difficilis, imò & falsa, & ita contra illam, & primam confirmationem obiiciunt, quòd si esset efficax, & probaret intellectum, & animam rationalem non esse purè spiritualem, sed eius spiritualitatem impedire, & obstruere illam, ne alia percipiat: hoc autem

autem euidenter eſt falſum : ergo, &c. Maior patet; quoniam etiam anima percipit res ſpirituales : ergo ſicut ex hoc, quòd ſit in potentia ad cognoſcendas res materiales, & ſenſibiles, debet eſſe denudata à natura illarum, & per conſequens non habere quidditatem materialem, & ſenſibilem : ita quia eſt in potentia ad percipiendas res ſpirituales, debet eſſe denudata ab omni quidditate ſpirituali; & per conſequens non erit ſpiritualis.

Confirmatur primò, quoniam anima rationalis, & intellectus ſunt etiam in potentia ad percipiendam rationem entis, ſubſtantiæ, accidentis, & qualitatis : & nihilominus non ob id anima debet eſſe denudata à natura entis, aut ſubſtantiæ, neque intellectus à natura entis accidentis, & qualitatis, nec tandem aliquod ex iſtis velat, aut obſtruit illa, ne alia attingant : ergo ex hoc, quod ſint in potentia ad percipiendas quidditates materiales; non colligitur efficaciter debere eſſe denudata ab omni quidditate materiali, neque prædictam quidditatem obſtruere, & vilere illa, ne alias quidditates materiales percipiant.

12. Confirmatur ſecundò, quoniam prædicta ratio, & eius prima confirmatio aliquas patitur inſtantias : etenim organum viſus ex in potentia ad percipiendum omnes res viſibiles; & nihilominùs non eſt neceſſe, vt ſit denudatum ab omni viſibili, & ita percipit colorem, etiam ſi dum videt illum, habeat intra ſe aliud viſibile, ſcilicet lumen : & deinde omnes ſenſus, & organa illorum poſſunt percipere extenſionem obiecti, quamuis non ſint denudata ab extenſione : & tandem æſtimatiua eſt in potentia ad percipienda omnia ſenſibilia; cum tamen ipſa ſit etiam ſenſibilis, quippè quæ pertinet ad ordinem ſenſitiuum, & per conſequens erit ſenſibilis; ſicut quidquid pertinet ad ordinem intellectiuum, & ſenſibile.

Secundò contra idem obiiciunt, quoniam per hoc, quod intellectus habet ſpeciem intentionalem quidditatis materialis, non impeditur, quo minùs poſſit percipere tales quidditates etiam materiales : ergo per hoc, quod idem intellectus ſecundùm ſe eſſet quidditatis materialis, non impediretur à perceptione aliarum quidditatum materialium. Antecedens non indiget probatione. Conſequentia autem probatur; quoniam ſpecies quidditatis materialis gerit vicem illius, & ita nihil aliud ibidem præſtaret, niſi id, quod ſpecies actu præſtat : ergo ſicut ſpecies prædictæ quidditatis non impedit perceptionem aliarum rerum materialium, aut receptiones ſpecierum illas repræſentantium, ita nec quidditas materialis id impediet : & per conſequens, quamuis intellectus eſſet quidditatis materialis, non tamen proptereà eſſet impeditus à perceptione prædictarum quidditatum materialium.

13. Vltimò : contra ſecundam confirmationem obiicies, non poſſe cohærere cum natura animæ rationalis, & intellectus, vt in ordine intelligibili ſit pura potentia, & ſimul ſit purè ſpiritualis, quoniam anima, mediante intellectu, cognoſcit ſeipſam : ergo ſi eſt forma ſpiritualis, per ſe habebit rationem obiecti, & formæ intelligibilis; reſpectu ſui, & per conſequens non erit pura potentia in ordine intelligibili. Hæc vltima conſequentia patet ex priori; nam anima nequit denudari à ſe ipſa : ergo ſi ſe ipſa eſt obiectum, & formæ intelligibilis reſpectu ſui, nequibit ratione formæ intelligibilis denudari & ita non erit pura potentia in ordine intelligibili. Prima verò conſequentia ex antecedenti conſtat, quoniam id, quod intelligitur, & eſt aliquid purè ſpirituale; ac ſimul eſt intimè vnitum cum intellectu; non poteſt non habere rationem obiecti; & formæ intelligibilis : at hæc omnia conueniunt animæ reſpectu cognitionis, qua à ſemetipſa cognoſcitur : ergo, &c.

Animaduerſio notatu digna ad ſolutionem harum obiectionum.

§. V.

14. VT obiectiones iſtæ radicitùs ſoluantur, notandum eſt ex Diuo Thoma locis citatis ex Caietanos. part q. 70. art. 1. & Bañez ibidem dub. 1. quod licet quælibet res ſit determinatæ naturæ quantum ad ſuum eſſe naturale, & ſpecificum, ſiue illa ſit corporalis, ſiue ſpiritualis : attamen quantum attinet ad cognitionem adæquatè ſumptam, id eſt, ſecundùm omnia, quæ ſecū affert, per quamque ſi acceptam, vnum ſit, quodammodo alia multa, vt infrà dicemus, eſt diſcrimen latum, nam quædam res ſunt naturæ ita determinatæ, vt per cognitionem non poſſint fieri alia : quædam vero ſunt ita indeterminatæ, vt per cognitionem, media ſuſceptione ſpecierum poſſint fieri alia multa Vnde videmus colorem, verbi gratia, eſſe quamdam naturam ita determinatam, vt non poſſit ſuſcipere ſpecies aliorum colorum, & per conſequens nec poſſit fieri cæteri alij colores per cognitionem : è contra verò anima, vel intellectus eſt natura quædam indeterminata quantum ad ſuſceptionem ſpecierum, ſiue ſubſtantiæ, ſiue accidentis, quamuis ipſa anima ſit ſubſtantia, & intellectus ſit accidens.

Quod optimè explicuit D. Thom. lect. 7. ſæpius citata, & Caietanus 1. part. qu. 75. articul. 2. ad 2. dubium & non vtcumque, ſed ex Ariſtotele in hoc libr. text. 5. his verbi : *Et propterea Ariſtoteles non concluſit intellectum nullius eſſe natura, ſed huius, ſcilicet quod poſſibilis vocatus eſt inſinuans communitatem, ſeu conditionem, & indifferentiam ſua natura, vt determinetur per omnes.*

15. Hæc tamen indeterminatio habet quandam latitudinem in potentiis cognoſcitiuis, & earum radicibus, ſeu formis, à quibus dimanant : nam quælibet potentia materialis licet poſſit cognoſcere quaſdam res materiales : attamen hoc ipſo, quod intra latitudinem potentiæ corporeæ continuatur, habet cum illa indeterminatione quamdam determinationem, ratione cuius non poteſt fieri vniuerſalis per cognitionem vniuerſalium, ſeu quod idem eſt, nequit recipere ſpecies repræſentantes naturas vniuerſales etiam materiales; nam hoc eſt proprium potentiæ purè ſpiritualis, ſcilicet intellectus.

Cuius ratio adducitur à D. Thoma 1. part. quæſt. 14. articul. 2. & in 4. diſtinct. 49. quæſt. 2. artic. 1. Nec non de veritate quæſt. 8. artic. 1. & 3. contra Gent. cap. 49. ſcilicet prædictas naturas vniuerſales, vt tales, eſſe quodammodo in materia ſingulari; & quodammodo abſtractas ab illa, eſſe quidem in materia ſingulari, quia à parte rei ſunt identificatæ cum indiuiduis materialibus : eſſe verò quodammodo abſtractas, ex eo quod per ſpecies intelligibiles repræſentantes illas ſine ſuis ſingularibus quodammodo abſtrahuntur à prædicta materia, ſicut etiam per cognitionem qua ſine ſuis ſingularibus cognoſcuntur, præſcinduntur ab illa.

Vnde, quia obiectum connaturale alicuius potentiæ cognoſcitiuæ, & prædicta potentia debent conuenire in eodem gradu immaterialitatis : ideo potentia cognoſcitiua rationum vniuerſalium etiam materialium debet eſſe quodammodo ſeparata à prædicta materia, & quodammodo non ſeparata ab illa;

ſeparata quidem, quatenus re vera eſt potentia purè ſpiritualis, & non affixa organo corporeo, ſed immediatè recepta in anima, quæ eſt purè ſpiritualis: quodammodo verò non ſeparata, quatenus eſt in anima, quæ licet ſecundùm ſuam entitatem ſit purè ſpiritualis, nihilominus ob ſui eminentiam poteſt eſſe formam corporis, atque adeò prædicta potentia quodammodo eſt in materia, quatenus eſt in anima, quæ eſt forma corporis, & materiæ: non enim poteſt potentia cognoſcitiua rationum vniuerſalium, etiam materialium proportionari in gradu immaterialitatis, & modo exiſtendi quodammodo in materia, & quodammodo non exiſtendi in illa, niſi modo explicato, vt intuenti conſtabit, & magis patebit ex his, quæ diſputatione 17. num. 27. dicemus.

16. Quare cum anima, & intellectus non vtcumque percipiant omnes res ſenſibiles, & materiales: ſed ita, vt proprium & connaturale obiectum illius pro hoc ſtatu ſit quidditas rei materialis in communi, & vniuerſaliter ſumpta; & ita per ſe, primò, & directè hanc ſolummodo attingant, vt ex infra diſp. 17. num. 24. dicendis conſtabit. Conſequens eſt, vt ſi anima rationalis eſſet corporea, & materialis, & intellectus haberet etiam quidditatem materialem, tunc impedirentur à modo proprio cognoſcendi quem habent, & ita ratione materialitatis taliter eſſent naturæ determinatæ, vt nequirent determinari per ſpecies aliarum quidditatum materialium: quia nequirent recipere illa ſub modo proprio, ſub quo ſpecies intelligibiles debent recipi ab intellectu, ſcilicet vt repræſentatiuæ quidditatum materialium, & vniuerſalium.

Occurritur obiectionibus contra vltimum fundamentum veræ ſententiæ adductis.

§. VI.

17. Hinc ergo ad omnes obiectiones facilè reſpondetur. Ad primam enim neganda eſt maior: ad probationem conceſſo antecedenti, de cognitione ſaltem indirecta neganda eſt conſequentia: quia quidditas ſpiritualis non eſt de numero earum quidditatum, & naturarum, quæ tollunt indeterminationem, & indifferentiam illam, per quam aliqua natura poteſt in eſſe repræſentatio fieri vniuerſalis per cognitionem adæquatè ſumptam quidditatum materialium, & vniuerſalium: quin potius ad hoc eſt ſimpliciter neceſſaria, ſecus verò materialitas: & ita intellectus licet debeat eſſe denudatus à materialitate, ad hoc, vt percipiat naturas materiales, & vniuerſales, non tamen à ſpiritualitate: quandoquidem, vt optimè Caietanus in hoc lib. cap. 1. dubit. 2. notauit, ad rationem potentiæ ſolùm petitur determinabilitas per omnes ſuos actus: ac per hoc, quidquid repugnat determinabilitati per omnes illos repugnabit naturæ potentiæ: non verò quod prædictæ determinabilitati non repugnauerit. Ex quo etiam fiet, quod etiam ad hoc: vt intellectu percipiat naturas, & quidditates materiales ſingularizatas, non requiratur denudatio à ſpiritualitate: ſed potius talis ſpiritualitas petatur, quia non percipit illas ſic ſumptas, niſi ratione naturarum vniuerſalium, & ſpecierum eaſdem repræſentantium, modo tamen vt *infra* explicando.

18. Quæ omnia acutè, & eleganter inſinuauit D. Thom. 1. part. quæſt. 75. art. 1. vbi, vt diſtinguat naturam materialem, & corpoream à natura, ſeu quidditate ſpirituali, appellat naturam corpoream, naturam determinatam: & ita inquit: *Omne autem corpus habet aliquam naturam determinatam, impoſſibile eſt enim, quod principium intellectuale ſit corpus, & ſimiliter impoſſibile eſt, quid intelligat per organum, quaſi eſſet natura determinata illius organi corporei, prohiberet cognitionem omnium corporeorum.* Non eſt autem Angelicus Doctor vſus loquendi modo, vt denotaret naturam incorpoream non eſſe ſecundùm ſuam ſpeciem atomam determinatam: ſed quia ita eſt determinata, vt tollat indeterminationem & indifferentiam illam, per quam natura cognoſcitiua poteſt fieri: cæteræ aliæ per receptionem ſpecierum repræſentantium prædictas naturas, & indiuidua ſub illis contenta eo modo, infrà explicabimus.

Vnde, vt diſtinguat, quod ad hoc, quod eſt formaliſſimum in potentiis, & formis cognoſcitiuis: quidditatem ſpiritualem animæ, & intellectus à cæteris aliis quidditatibus omnino materialibus vſus eſt hoc acuto, & eleganti modo loquendi, quo proprius effectus naturæ, ſeu quidditatis materialis, & ineptitudo eius ad percipiendas rationes vniuerſales, eleganter exprimitur.

19. Quod etiam adhuc clarius, & ſimul quomodo ſpiritualitas ſit neceſſaria ad hoc, vt forma, & eius potentia cognoſcitiua fiat, cætera alia per cognitionem, repræſentationem quidditatum materialium & vniuerſalium explicuit ex Ariſtotele D. Thom. lect. 7. ſæpius cit. nam verba illa Philoſophi ſuprà adducta, in quibus loquens de intellectu, ac proinde de anima eſt eius radix, inquit: Quare, *neque ipſius eſſe naturam, neque vnam, niſi hanc, quod poſſibilis ſit.* Sic explicat S. Doctor. *Concludit autem ex hoc, quod non contingit naturam intellectus eſſe (neque vnam) id eſt nullam determinatam, ſed hanc ſolam naturam habet, quod eſt poſſibilis reſpectu omnium: & hoc quidem contingit intellectui, quia non eſt cognoſcitiua tantum vnius generis ſenbiliū ſicut viſus, vel auditus, vel omnium qualitatum, & accidentium ſenſibilium communium, vel propriorum, ſed vniuerſaliter totius naturæ ſenſibilis: vnde ſicut viſus caret quodam genere ſenſibilium, ita oportet, quod intellectus careat tota natura ſenſibili.*

Vbi, vt vides, duo ex S. Doct. habentur. Primum eſt, quando pro eodem ſumit carere tota natura ſenſibili, ſeu vt ex contextu conſtat, carere tota natura corporea, ac habere naturam in determinatam, id eſt, habentem illam indifferentiam, & indeterminationem per quam poſſit in eſſe repræſentatiuo fieri tota natura corporea. Secundum eſt, quòd apud Angelicum Doctorem tota ratio huius determinationis in principio intellectiuo eſt, quia poteſt vniuerſaliter cognoſcere totam naturam ſenſibilem, id eſt, percipere illam in vniuerſali, & non ſolùm vt particularizatam.

20. Ad primam confirmationem patet ex dictis, quomodo debeat concedi antecedens, & negari conſequentia: quoniam ratio materialitatis non eſt determinabilis per ſpecies repræſentantes naturas vniuerſales, nec particulares: quatenus ratione naturam vniuerſalium cognoſcuntur, quo pacto ab intellectu pro hoc ſtatu attinguntur, & ita oportet intellectum eſſe denudatum à materialitate, & corporeitate. Cæterùm, ratio entis ſubſtantiæ accidentis ſunt naturæ indeterminatæ, id eſt, ſunt indifferentes, & determinabiles per prædictas ſpecies, & cognitionem eis reſpondentem.

Ad ſecundam confirmationem, quo ad duas priores inſtantias conſtat etiam ex dictis, nam hæc eſt peculiaris natura luminis, vt conſtat ex his, quæ diſp. 10. quæſt. 4. & 5. aſſeruimus, vt non ſit naturæ determinatæ, ſed indifferentis, & determinabilis per ſpecies coloris: quod idem de quātitate, & extenſione ſen-

ſuum

ſiuum in ordine ad recipiendas ſpecies propriorum ſenſibilium dicimus. Ad tertiam verò inſtantiam patet etiam ex his, quæ ſuprà docuimus, quomodo æſtimatiua non poſſit ſeipſam ſentire. Vnde, licet, quod pertinet ad ordinem intellectiuum ſit etiam, intelligibile, propter magnam vniuerſalitatem intellectus, non tamen quidquid eſt ſenſitiuum debet eſſe ſenſibile propter limitationem virtutis ſenſitiuæ.

Ad ſecundam obiectionem, conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia: nam ſpecies gerunt vices obiecti intelligibilis, reddendo ipſum intelligibile in actu, cùm tamen prius eſſet intelligibile in potentia, & ita obiectum materiale non poſſet præſtare id, quod ſpecies præſtat, ſed neceſſariò impediret intellectum, ſi in eo eſſet: & multò magis ſi natura eius in eſſe rei, eſſet ipſa natura intellectus, ac proinde, intellectus, & anima non eſſent aliquid ſpirituale, vt ex dictis conſtat.

21. Ad vltimam obiectione reſpondetur Ariſtot. & D. Thom. in 2. confirmatione loqui de intellectu pro hoc ſtatu, in quo abſque dubio habet rationem puræ potentiæ in ordine intelligibili, & Ariſtotel. text. 14. loquens de illo in hoc ſtatu, inquit. *Oportet autem ſic ſicut in tabula nihil eſt ſcriptum actu quod quidem accidit in intellectu.* Et hoc ipſum docet D. Th. lect. 9. Vnde, anima pro hoc ſtatu non poteſt habere rationem formæ, ſeu ſpeciei intelligibilis reſpectu ſui. Et ad probationem in contrarium ibidem adductam dicendum eſt, maiorem eſſe veram obiectis vnitis cum intellectu, dum eſt in ſtatu ſeparationis, aut dum omninò anima rationalis, & eius intellectus dominantur materiæ vt accidit in beatis, non tamen de obiectis vnitis cum intellectu in hoc ſtatu; ex eo quod vt diſput. ſeq. num 24. dicemus, obiectum connaturale illius pro hoc ſtatu eſt quidditas materialis; & propterea quidquid non habuerit quidditatem materialem, non poteſt per propriam ſpeciem (modo tamen infrà explicando) in hoc ſtatu cognoſci, ac proinde per ſe ipſum non poterit illi in ratione ſpeciei intelligibilis vniri: nam ſi tale obiectum fuerit purè ſpirituale, nequibit propter rationem dictam vniri per modum ſpeciei, ſi verò fuerit corporeum, eo ipſo indebit ſpecie ſpirituali per quam vniatur.

Diluuntur rationes dubitandi initio allatæ.

§. VII.

22. AD primum reſpondetur veram eſſe maiorem, quando forma multiplicatur vna cum corpore, ita vt corpus, ſeu materia concurrat in genere cauſæ materialis ad fieri eiuſdem formæ, ſecùs verò, quando deeſt prædicta cauſalitas, vt in præſenti contingit. Per quod etiam ad confirmationem patet, quoniam diſpoſitiones illæ non concurrunt in genere cauſæ materialis ad productionem animæ rationalis: ſed ſunt veluti occaſiones quædam ad creationem ipſius, ſed de his videantur quæ in 1. Phyſic. diſp. 4. num. 20. diximus. Per quod etiam ad confirmationem patet.

Ad ſecundam reſpondetur, intellectum non habere dependentiam in ſuis operationibus à corpore, tamquam ab organo, & ita poſſe ſecundùm ſuam entitatem eſſe ſpiritualem; quia ſola dependentia à corpore, vt ab organo per quod elicienda eſt intellectio, tolleret eius ſpiritualitatem, non tamen, quod requirat diſpoſitionem corporis tamquam conditionem pro hoc ſtatu: Vnde, vt loquitur D. Thom. in hoc 3. lib. lect. 7. *Solum debilitatur intellectus ex læſione alicuius organi corporalis directè in quantum ad eius operationem requiritur operatio ſenſus habentis organum.* Et propterea idem S. Doct. intellectum vocat, *Intellectum ſeparatum.* Et addit in fine prædictæ lectionis. *Dicitur enim ſeparatus intellectus, quia non habet organum ſicut ſenſus.* Et ita concludit habere actionem purè ſpiritualem, ac proinde eſſe ſpiritualem, his verbis. *Vnde remanet & aliqua actio in qua materia corporalis non communicat.*

QVÆSTIO II.

Vtrum anima rationalis ſit incorruptibilis?

QVamuis ex dictis quæſt. præced. non difficulter colligatur, quid in hac dicendum ſit, nihilominus quia etiam incorruptibilitas, & immortalitas animæ rationalis eſt totius religionis Chriſtianæ fundamentum quoddam non exiguum, ideo de ea peculiarem quæſtionem excitemus.

Proponitur error ſadducæorum, & aliorum Hæreticorum.

§. I.

23. PArtem negantem tenuerunt Sadducæi, qui propterea negabant reſurrectionem mortuorum, vt habetur Matth. 22. & Act. 23. his conſenſerunt illi & hæretici, quos refert D. Ioan. Damaſcen. in Catalogo, hæreſi 90. qui dicebant animam hominum interire ſimul cum corpore, ſicut & animas pecudum: quem errorem tribuit D. Auguſt. lib. de ſpiritu, & littera. c. 48. Arato, & Zenoni.

Probatur primò, quatuor teſtimoniis ſacræ Scripturæ, quorum primum habetur Geneſ. 9. *Sanguinem animarum veſtrarum.* Vbi, vt conſtat, innuitur animam rationalem ſanguinem eſſe, vel eum habere, & ita eſſe corruptibilem, ſicut ſanguinem.

Secundum deſumitur ex illo Geneſ. 37. *Audiens hoc Rubem nitebatur liberare eum de manibus eorum, & dicebat, non interficiamus animam eius.* Ex quo videtur colligi animam interfici poſſe. Tertium ex c. 3. Eccl. *Vnus eſt interitus hominis, & iumentorum, & æqua vtriuſque conditio: ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur: ſimiliter ſpirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius.* Ergo ſicut iumenta habent animam mortalem, ita & homo: alioquin non eſſet æqua vtriuſque conditio, & homo aliquid haberet amplius iumento. Quartum ex illo Sap. 1. *Ex nihilo facti ſumus, & poſt hoc erimus quaſi non fuerimus.*

24. Confirmatur tribus teſtimoniis Ariſtotel. num. 2. de Gener. animal. cap. 3. ait non ſolùm vegetatiuam, & ſenſitiuam animam in potentia materiæ contineri, ſed etiam rationalem. Vnde videtur ſentire eam de potentia materiæ educi, & conſequenter non minus eſſe corruptibilem, quàm alias formas, quæ propter hanc rationem corruptibiles ſunt Similiter 1. Ethic. cap. 6. reprobat Solonis ſententiam dicentis hominem in hac vita non eſſe fœlicem, ſed poſt mortem: improbat autem hac ratione: fœlicitas in operatione poſita eſt: at poſt mortem nulla eſt operatio: ergo nec felicitas: ergo Ariſtot. putauit animam eſſe mortalem; nam ſi poſt mortem hominis permaneret, non poſſet non aliquam operationem habere.

Et tandem quoniam in hoc lib. c. 5. text. 20. diſtinguens intellectum in agentem, & paſſiuum, ait Intellectum paſſiuum eſſe corruptibilem; & per conſequens anima cuius eſt potiſſima potentia vitalis, erit etiam corruptibilis, ſiquidem forma, & eius potiſſima potentia debent eſſe eiuſdem ordinis.

25. Secundò probatur ratione, quoniam si anima rationalis non periret pereunte corpore, non esset vera forma substantialis: ergo debet perire pereunte illo. Consequentia patet, quoniam certum est animam esse veram formam substantialem. Antecedens autem probatur: quia adesset & abesset præter subiecti, id est materiæ primæ (quæ ingenerabilis, & incorruptibilis est) corruptionem, hæc autem est diffinitio accidentis, ergo, &c.

Veritas catholica testimoniis Scripturæ & Conciliorum, & duplici ratione morali fulcitur.

§. II.

26. Dicendum tamen est: animam rationalem, esse omninò incorruptibilem, ac immortalem. Assertio hæc est de fide. Vnde Eccl. 12. dicitur: *Ibit homo in domum æternitatis suæ.* Et deinde subiungitur: *Reuertatur puluis in terram suam vnde erat, & spiritus redeat ad eum, qui dedit illum.* Et Sap. c. 2. vsque ad 5. asseritur; animas siue iustorum, siue impiorum cum corporibus non perire. Eademque veritas habetur Iob. 31. Luc. 16. Apoc. 6. 1. ad Corint ad 15. & omnibus his articulis fidei in quibus iustis præmium æternum, & malis pœna itidem æterna promittitur. Et deindè. Math. 10. dicitur: *Nolite timere eos qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere.* Et Io. 10. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Quæ duo testimonia ad hoc intentum ponderauit. Conc. Later. 5. ses. 8. his verbis: *Damnamus & reprobamus omnes asserentes animam intellectiuam mortalem esse, & hoc in dubium vertentes, cum illa non solùm verè per se, & essentialiter humani corporis forma existat; verùm, & immortalis, quod manifestè constat ex Euangelio.* Eandem veritatem diffiniunt Ecclesia in Clem. t. de summa Trin. & fide Cathol.

27. Cui consonat vnanimis omnium Patrum Scholasticorum sententia, totiusque Ecclesiæ traditio: in hoc quæ tota Religio Christiana innititur. Rationibus deinde, hæc eadem assertio suadetur: & in primis prima, & valdè vrgens & communi omnium rationum, & Philosophorum consensu circa animæ incorruptibilitatem, & immortalitatem desumitur; nam in primis Arist. vt ostendit Tolet. & Suar. 2. tom. summ. Theol. tract. 3. c. 11. Plato (vt probat Pereira) Pythagoras, Plotinus, & Epictetus, & omnes nobiles Philosophi, & Princeps præcipuarum sectarum cum omnibus suis discipulis, necnon & Phosylid. Homerus, & reliqui Poëtæ (vt latè confirmat Eugubinus) animæ immortalitatem prædicarunt: & tandem hoc (vt ait Cicero l. 1. Tuscul. q.) insitum erat priscis illis, quòd homo per mortem non sic deletur, quod funditus pereat; nec solummodo. Philosophorum, sed omnium ferè nationum consensu hæc veritas stabilita est: nam, vt inquit Cicero (referente sic Eugubino c. 24.) sicut Deos esse natura opinamur, qualesque sint ratione cognoscimus (loquitur vt Gentilis multitudinem Deorum inducens) sic permanere animos, arbitramur consensu omnium Nationum: & quidem apud Ægipticos hanc fuisse communem sententiam testati fuerunt Berosius l. 3. Iosep. 1. cõtra Apponem, & Eusebius de Præparatione Euangelica l. 11. c. 14. De Latinis Cicero. vbi sup. de Persis, & Medis. Idem Tullius l. de Senect. De Gallis Valer. Max. l. 2. & tandem nulla fuit tam barbara natio cuius animis non hæserit animam esse immortalem (vt refert idem Eugubinus c. 9.)

Vndè meritò Plato l. 11. de legibus, eos qui contrariam tenuere opinionem vocat dementes quia hæc, inquit, veris, tritis, antiquisque sermonibus asseruntur: cum ergo hic omniũ Philosophorum, omniumque Nationum sensus vnanimis: & consensus omnium computetur vox naturæ, quæ semper certa, & vera dicta t sic inde, vt animi nostri tu sempiternum durent.

28. Secunda ratio principalis pro nostra sententia desumitur ex D. Petro Ap. Chrysost. & Ang. Doct. aliisque pluribus Ecclesiæ Patribus. Vt autem meliùs capiatur, supponenda sunt duo fundamenta lumine naturæ nota. Primum est, Deum habere prouidentiam huius mundi eiusque supremum Gubernatorem illius. Secundum est: hominem debere secundùm leges luminis naturalis viuere, & ita ab hac lege deuiare esse contra rationem viuere, ac proinde malum, & pœna dignum. Nam cum ratio sit suprema pars hominis, & regula actionum eius; fit indè, vt recta ratio postulet, quod omnia inferiora superiori deseruiant; & quod omnes hominis actiones illi regulæ conformentur.

Hinc ergo secunda ratio pro assertione desumitur. In quauis Republica benè instituta principalis cura Gubernatoris est malos punire, & bonis debita præmia conferre; sed hoc Vniuersum est quædam Respublica à Deo instituta, cuius supremus Gubernator est ipse Deus: ergo pertinebit ad prouidentiam, & summam bonitatem illius, vt malos pœna, bonos verò præmio afficiat: ergo cum Deus in hac vita multoties hoc non exequatur, sed videamus malos deliciosè vsque ad mortem viuere; bonos autem laboriosè; consequens erit, vt hoc illis in sequentem vitam referuetur, & ita post corporis vitam alia animæ vita supersit, in qua omnia hac executioni mandetur.

29. Quæ ratio adeò est efficax, vt dixerit Chrysostom. tam clarè conuincere animam esse immortalem, sicut euidens est, quòd iustus est Deus Nam animus (inquit) hominis borret audire, quod par sit exitus sanctissimi, & pessimi. Et Clemens l. 3. recognitionum Euang. ait ex ore D. Petri: Si Deus iustus est, anima immortalis est.

Cæterùm, Scotus in 4. dist. 4. q. 2. ait: rationem hanc nõ conuincere. Primò, quia non cõstat Deum esse Rectorem mundi. Secundò, quia hoc admisso sufficiens præmium virtutis esset ipsa virtus, & delectatio illius, & sufficiens pœna mali turpitudo culpæ. Propter quod D. Aug. l. Confessionum ait, iussisti Domine, & sic est, quod omnis animus deordinatus sibi sit pœna: & ad Romanos dicitur mercedem sui erroris in semetipsis reportare. Tertiò, quia si hæc ratio esset efficax, antiqui Philosophi ea vsi fuissent; quarè, cum ea vsi non sint, signum est non esse efficacem.

At, contra Scotum latè arguit Cano. l. 12. de locis c. 15. & in primis id quod primo loco dicit, sc. non certò constare Deum esse Rectorem mundi, est apertè falsum, vt constat ex his, quæ S. Tho. 1. p. q. 22. adducit. Quod verò secundo loco addit, nimirum sufficere ad virtutis præmium, ipsam virtutem, & ad supplicium vitij, ipsam vitij turpitudinem, est etiam planè falsum: nam præmium, & pœna debet esse data à gubernatore; quod autem intrinsecè sequitur ex ratione virtutis, & vitij, id non habet rationem præmij, neque pœnæ propriæ: nam si quis in virtute delectatur, illa delectatio non est gratificatio illi facta à rectore, sed est quasi passio ipsius virtutis.

30. Adde, quod etsi virtus de se etiã secluso præmio, aut pœna sit magis appetibilis, quam vitium, nihilominus virtus suum habet laborem, & difficultatẽ non paruam, & ratione illius est digna præmiis & remunerationẽ: nãq sæpe dolor, & pœna virtutis est maior quàm delectatio: neque peccatores in operibus malis sæpe affliguntur nimirum, sed multoties valdè delectantur

tur. Vnde Dauid Psalm. 37. proponens sibi quæstionem de prosperitate, & afflictione bonorum, non soluit eam eo modo, quo Scotus, sed ad futurum iudicium illius solutionem reseruat. Vnde (inquit) *labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum,* & eodem modo eam soluit D. Geron. & Cyrillus in c. 4. Abac.

Et tandem contra id, quod 3. loco ab Scoto adducitur, videlicet signum esse, rationem hanc non esse efficacem, siquidem ea antiqui Philosophi, non vtuntur: obest, quod in primis sufficit Sanctos Patres ea, vt omnino firma, & efficaci vti; quamuis illa antiqui Philosophi vsi non fuissent.

31. Deinde, quia Plato Dialogo de animæ immortalitate, sic ait: *Iustum est sceleratis hominibus post obitum suorum criminum pœnam dari, iustos vero præmia recipere, aliàs, & mala manerent impunita, & bona sine præmio:* eamdem rationem insinuauit Socrates (vt refert Cicero Tusc. 1.) *Duæ* (inquit) *sunt viæ, duplicésque cursus animorum è corpore exeuntium, nam qui se vitiis humanis contaminauerunt, & se totos libidinibus tradiderunt his deuium interest, seclusumque à Concilio Deorum: qui autem se integros castósque seruauerunt, quibúsque fuit minima cum corporibus contagio, súntque in corporibus vitam imitati, Deorū his ad illos, quibus sunt affecti facile patet reditus:* simile quidē dixit Epipban. Poëta, vt refert Eugubinus, li. 9. cap. 15. *Si pietatem omnino coluisti, defunctus mali nihil patieris, sursum in cælo permanent spiritus: at impiorum animæ sub cælo vagæ doloribus sæuis cruciatibúsque æternis exagitantur.*

32. Ex quo etiam excluditur alia euasio: nimirum rationem factam solum concludere animas puniri aliquo tempore post recessum à corpore, non tamen illas esse perpetuas, sed solum conseruari à Deo per aliquod tempus, vt vnaquæque ita recipiat, sicut se gessit in corpore: ex dictis ergo hæc euasio reiicitur, ex quod si anima separata à corpore: manet in rerum natura, tunc hæc permanentia erit illi connaturalis, non miraculosa: Tum, quia ad rectum regimen supremi gubernatoris spectat, vt seruatis naturis rerum, & sine eo quod sit necessarium aliquod miraculum, ita res connaturaliter disponat, vt connaturaliter, malis supplicium, bonis verò debitum præmium conferatur. Tum etiam, quia ex vltima, & philosophica ratione, quam in fauorem nostræ assertionis iam adducimus: satis constabit animam rationalem esse ex natura rei incorruptibilem, & immortalem. Tum denique quia si hæc secunda ratio in qua versamur, aliquid conuincit, probabit vtique animæ nostræ esse connaturale, vt separata maneat; si ergo anima ex natura sua maneat sine corpere sic sine illo semper manebit.

Adde, peccata grauia hominum esse digna æterno supplicio, quoniam Deus offensus per illas est infinitè bonus, & ita merentur pœnam infinitam, saltem ex parte durationis, vt communiter docent Theologi 3. part. in materiis de Incarnatione, & Pœnitentia; ita gratis admisso, quod animæ rationales non essent ex natura sua incorruptibiles, sed à Deo vltra id quod connaturaliter exiguut conseruarentur: nihilominus deberent ab ipso per totam æternitate conseruari, vt ita debitām pœnam reciperent.

Eadem veritas ratione philosophica stabilitur.

§. III.

33. VLtimò, probatur assertio ratione desumpta ex D. Thom. 1. part. quæst. 50. & quæst. 75. articul. 6. nec non 2. contra Gent. cap. 78. 79. & 82. quæst. de anima. art. 14. & in aliis locis. Vt autem prædictā ratio meliùs capiatur, notándum est ex eodem Angel. Doctor. dupliciter posse aliquid corrumpi: vno modo per se, id est per corruptionem præcipuè terminatam ad illud, ita vt non corrumpantur ad corruptionem alterius; sed potiùs si quæ alia corrumpuntur vna cum illo; tunc ista corrumpantur ad corruptionem eius: alio modo per accidens, vt cùm aliquid corrumpitur ad corruptionem alterius.

Hoc ergo supposito; rationem D. Thom. ad hanc ferè formam reducit Caiet. art. 6. nuper citato: quoniam nulla forma subsistens est corruptibilis, vel per accidens, vel per se: sed anima rationalis est forma subsistens: ergo nec per accidens, nec per se poterit corrumpi, ac proindè erit immortalis. Hæc vltima consequentia patet ex priori, siquidem id quod est omninò incorruptibile, debet in æternum durare. Constat autem esse omninò incorruptibile, id quod non potest corrumpi, vel per accidens, id est ad corruptionem alterius, vel per se, id est tanquam id, quod præcipuè corruptionem terminat. Prima verò consequentia ex vtraque præmissa patet: Minor autem ex dictis quæst. præced. apertè sequitur; quoniam forma substantialis, & spiritualis debet esse independens in suo esse à materia, siquidem in hoc distinguitur ab aliis formis substantialibus, & materialibus, quòd istæ pendent in suo esse à materia; secùs vero illa: ergo cum ostensum sit animam rationalem esse formam substantialem, & spiritualem, erit independens in suo esse à materia; poterítque ratione huius independentiæ manere per se separata ab illa, quod est habere esse per se subsistens.

34. Maior autem, quo ad primam partem, scilicet formam subsistentem non posse per accidens corrumpi, satis liquet; quia vnumquodque eo modo quo habet esse, potest generari, & corrumpi; nam generatio dat esse, & corruptio aufert: ergo quod habet esse per se subsistens, vel corrumpi nequibit, vel debebit per se corrumpi.

Quo secundam verò partem probatur; nám omne per se corruptibile, ideò corrumpitur, quia ab aliquo eius separatur esse existentiæ, vel forma tribuens illud esse, vel vtrumque: sed à forma per se subsistenti nequit separari esse per subsistens, quia tale esse per se ei, conuenit; & ita materia, & compositum in tantum habent esse, in quantum habent formam, & in tantum illud perdunt, in quantum prædictam formam amittunt; nec deindè à prædicta forma potest ipsamet forma separari, alioqui idem posset separari à semetipso: nec tandem forma per se existens valet à se ipsa per se existenti separi, vt ex ipsis terminis constat: ergo, &c.

Confirmatur, & explicatur: nam ideò anima equi potest per accidens corrumpi; quia licèt prædicta anima non possit separari à se ipsa, potest tamen per corruptionem equi separari ab illa esse eiusdem equi, ad cuius existentiam ipsa coexistebat. Et similiter ideò equus per se corrumpitur, quia habet esse per se, & est id à quo potest separari forma, ac proindè, est quid resolubile in aliud subiectum prius à quo pendebat, scilicet in materiam primam, vt ex se, & ex dictis in libris Phys. disputio 3. num. 8. & 10 libr. de Gener. disputio 3. quæst. 6. constat, Sed à forma per se subsistenti nequit separari aliquod esse ad cuius existentiam ipsa coexistebat, quia per se, & non ad existentiam alterius existit, nec etiam potest, vt nuper ostendimus, ab ea separari forma, & ratio eius, vt in equo contingit nec tandem valet resolui in aliud subiectum à quo priùs pendebat in esse; alioqui non

esset per se subsistens per modum formæ, vt suprà dicebamus: ergo prædicta forma, nec per se, nec per accidens erit corruptibilis.

35. Sed contra rationem hanc obiicies primo, non rectè colligi ex eo quod anima sit incorruptibilis, eam esse immortalem, quandoquidem possit desinere alio modo, quàm per corruptionem, scilicèt per annihilationem. Respondetur, hic non fieri sermonem de immortalitate animæ in ordine ad potentiam Dei supernaturalem, sed in ordine ad ordinariam, & secundùm id quod ipsa anima rationalis suæ naturæ relicta, & quantum ea se habet, & exigit, ac desinere per annihilationē à nulla creatura petitur: quia vt D. Thom. 1. p. q. 104. artic. 4. docet, annihilatio est actio miraculosa, & ita connaturaliter loquendo, nulla res per annihilationem desinet, licèt supposito quod Deus vtendo sua supernaturali potentia velit, vt substantiæ spirituales, & subsistentes desinant, debeat eas annihilare, vel alia actione supernaturali vtendo easdem in aliquid aliud conuertere.

Adde, quod licèt desinere per annihilationem sit miraculum respectu cuiuslibet creaturæ; attamen respectu substantiarum spiritualium, talis modus desinendi est maiori ratione miraculosum, vt ea statim dicendis constabit.

Secundò, contra eandem rationem obiicies, falsum esse fundamentum illud in quo innititur, scilicèt quod esse per se existens per se conuenit formæ subsistenti, ac proindè non potest ab illa separari; nam idem est aliquid conuenire alicui per se, & non conuenire illi per accidens: at omni formæ creatæ per accidens conuenit tam existere, quam existere per se: ergo nulli per se conueniet, siuè existere, siuè per se existere. Maior, cum consequentia ex se constare videtur. Minor autem est certa: Tùm quia existere, aut existere per se, prædicatur per accidens de qualibet forma citra Deum, ita quod nec sit de essentia alicuius formæ, nec fluat ab illa vt passio, ex eo quod vt constat ex his, quæ D. Th. docet 1. part. q. 3. art. 4. Nulla res creata est sibi sufficiens causa quod sit: Tùm etiam, quia nulla res potest intelligi sub opposito eius quod illi conuenit per se; constat autem, quod de quacunque forma præter diuinam potest verificari, quod non existit, ac proindè, quod nec per se existit: ergo, &c

36. Confirmatur, quia existentia per se ad summum potest per se conuenire formæ per se subsistenti; quatenùs ly per se condistinguitur contra per aliud, & idem significat: quod conuenire sine medio, seu immediatè; sed hoc nihil refert, ad hoc vt esse per se existens nequeat separari à prædicta forma: ergo ratio facta omnino corruit. Consequentia ex vtraque præmissa apertè constat. Minor autem etiam liquet, nam ex hoc, quod aliquid conueniat alicui per se, id est non per aliud, sed immediatè, non rectè colligitur conuenire ei inseparabiliter, vt in forma respectu materiæ, & in albedine respectu superficiei cernitur. Maior autem etiam liquet; quia esse per se subsistens non potest per se conuenire formæ per se subsistenti, nisi vel conuenientia per se, prout ly per se condistinguitur contra per accidens, vel contra per aliud, vt ex se patet: ergo cum non possit conuenire priori modo, vt modò dicebamus, solùm poterit conuenire hoc posteriori.

37. Respondetur, concedendo maiorem, & distinguendo minorem: & si intelligatur de conuenientia per accidens, vt distinguitur contra conuenientiam per se simpliciter, concedenda est, quia re vera existere, aut existere per se in actu exercito secundùm quam rationem de illo loquimur, nulli creaturæ potest conuenire per se, perseitate simpliciter: in quo sensu loquitur Ang. Doct. loco nuper cit. Si verò intelligatur de conuenientia per accidens prout distinguitur contra conuenientiam per se physicam; neganda est: quoniam forma per se subsistens per se habet, perseitate physica, quòd per se existat: & deindè neganda est consequentia; nam ad vim rationis D. Thom. satis est, quod formæ per se subsistenti conueniat per se perseitate physica, vt per se existat.

Explicatur hoc ex illis, quæ supra disp. 14. n. 31. ex Caiet. adduximus: etenim aliquid conuenire alicui per se, id est non per accidens, stat dupliciter, scilicet, vel per se simpliciter, vel per se physicè; ille prior modus conueniendi *per se* competit ex habitudine terminorum, sicut quinario per se competit esse imparem, vndè ita necessariò competit, vt non supponat aliquid non necessarium, nec possit res cui conuenit esse sub opposito eius; quod illi conuenire dicitur, vt in exemplo allato quinarij cernitur: hic verò posterior modus conueniendi *per se* non competit ex habitudine terminorum, sed aliquid non necessarium supponit: & propterea potest res esse sub opposito eius, quod ei sic per se conuenire dicitur: quamuis facta illa suppositione non necessaria, tunc id quod hoc modo per se conuenit, debeat necessariò, necessitate naturalis cursus conuenire. Quo pacto corruptio Sortis competit illi per se: quia licèt supponat aliquid non necessarium; nimirum productionem Sortis. Attamen hoc semel supposito conuenit illi necessariò necessitate naturalis cursus, quod aliquandò corrumpatur; & propterea potest, vel non facta prædicta suppositione esse naturaliter sub opposito huius, vel ea facta esse supernaturaliter sub opposito prædictæ corruptionis.

38. Existere ergo, aut per se existere conuenit per accidens formæ subsistenti, prout ly per accidens condistinguitur contra per se simpliciter, non tamen prout distinguitur contra per se physicè, quia re vera conuenit illi per se perseitate physica, vt per se existat; nam semel supposito aliquo non necessario, scilicet productione eiusdem formæ, nequit secundùm communem, & naturalem cursum separari ab esse, seu corrumpi, vt ex dictis constat, & ex statim dicendis ampliùs patebit: & ita potest de prædicta forma verificari: Tum quod per accidens, & in sensu explicato existat, aut per se existat: Tùm etiam, quòd possit esse sub opposito prædictæ existentiæ: Tùm denique quod his non obstantibus, & supposita productione prædictæ formæ, ac secundùm naturalem cursum semper, & necessariò habet existere, & existere per se.

Ex quo ad confirmationem neganda est maior, & ad probationem constat ex modò dictis. Addendum tamen ex eodem Caietano loc. citat. quod dupliciter potest aliquid conuenire alicui per se, id est non per aliud, seu non mediante alio, vel ita vt non mediet alia forma, quamuis mediet alia actio: vel ita vt naturaliter saltem loquendo: nec forma, nec actio vnquam mediet. Licet ergo ex hoc, quod aliquid conueniat alicui immediatione prioris rationis, id est sine media forma non possit efficaciter colligi inseparabilitas, vt in hac eadem obiectione probatur: attamen quandocumque aliqua duo sic se habent, quod vniuersaliter vnum conuenit alteri immediatione posterioris rationis ita vt semper naturaliter saltem loquendo coniungantur sine media forma, & sine media actione, tunc illa duo oportet esse inseparabilia ab inuicem, ex eo quod quæcumque eadem generatione generantur, eadem quoque corrumpuntur.

39. Quarè,

39. Quare, cum inter formam per se subsistentem, & eius existentiam, & subsistentiam per quam per se existit, nulla vnquam (saltem naturaliter loquendo (mediet actio, coniungens hæc cum prædicta forma, quoniam vniuersaliter contingit, vt non priùs fiat talis forma, & per aliam actionem coniungatur com per se existere, sed ipsum fieri formæ ad illam cõiunctionẽ terminatur: propterea omnia prædicta semel cõiuncta debẽt inseparabiliter se habere.

Sicut à contrario, quia materia sublunaris non coniungitur vniuersaliter cum sua forma substantiali sine media actione, sed naturaliter loquendo, & ferè semper præsupponitur materia iam producta, & postea coniunguntur per actionem mediam ab agentibus naturalibus, & similiter albedo non semper cooiungitur immediatè cum superficie, propterea nec forma sublunaris, & substantialis cum materia prima, nec albedo cum superficie separabiliter coniunguntur, sed vnum alteri per se, perseitate physica conuenit.

Respondetur argumentis initio adductis.

§. IV.

40. AD primum, quod ex quatuor scripturæ testimoniis coalescebat, dicendum est in priori testimonio, solùm intendi vitam totius hominis à sanguine pendere, quia nomen animæ solet aliquando in scriptura significare vitam totius Physici: vnde in 2. testimonio tantùm volebat Ruben, quód fratres non interficerent illum, eo quòd ibidem nomine animæ Ioseph, solum significatur corpus eius viuum, iuxta illud eiusdem Gen. *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Vbi 70. habent, *da mihi homines*, Ad 3. verò testimonium optimè respondet D. Greg. 4. dialog. c. 4. dictum illud esse vocem impij, qui à Salomone ibidem introducitur illa cogitans, & eodem modo intelligendum est 4. testimooium vt pater ex his, quæ sapiens subiunxit. *Hæc cogitauerunt impij, & errauerunt.*

Ad confirmationem, quæ ex tribus testimonis Aristot. constabat, respondetur, Aristot. in priori testimonio solùm loqui de Anima rationali, quoad vnionem secundùm quam verè educitur de potentia materiæ, & ita vnio potest per accidens per corruptionem hominis corrumpi.

41. In secundo autem testimouio non agit Aristot: de beatitudine animæ separatæ, sed hominis mortalis, & quærit, an sit aliquis dicendus beatus dum hic viuit, refértque sententiam Salonis dicentis nemiuem esse felicem, nisi post mortem quam ipse non approbat, sed sentit, quod homo etiam in statu mortalitatis debet habere suam qualemcumque fælicitatem, & ita si eam non habet in hac vita, nunquam illam habebit ex eo quòd homo mortuus, atque adeò dum anima est separata, non potest esse felix felicitate huius status, quia nequit habere operationem prædicti status, ac proindè, nec beatitudinem eius in operatione consistentem. Quæ interpretatio desumitur ex D. Thoma 1. & hic lect. 5.

42. Ad vltimum verò testimonium eiusdem confirmationis occurrit idem Angel. Doct. ibidem lect. 10. vbi illud, sic explicat: *Excludit quandam obiectionem. Possit enim aliquis credere, quod quia pars intellectiua animæ est incorruptibilis, remanet post mortem intellectiua scientia rerum eodem modo quo nunc eam habet; cuius contrarium supra dixit in primo, quod intelligere corrumpitur, quodam interius corrupto, & quod corrumpto corpore, non reminiscitur anima, neque amat. Et ideo hic dicit, quod non reminiscimur, scilicet post mortem eorumque in vita sciuimus; quia hoc quidem impossibile est, id est ista pars animæ intellectiua impassibilis est, vndè ipsa non est subiectum passionum animæ sicut sunt amor, & odium, reminiscentia, & huiusmodi; quæ ex aliqua passione corporali contingunt. Passiuus verò intellectus incorruptibilis est, id est pars animæ, quæ non est sine prædictis passionibus, est corruptibilis, pertinent enim ad partem sensitiuam. Tamen hæc pars animæ dicitur intellectus, sicut, & dicitur rationalis, in quantum aliqualiter participat rationem obediendo rationi, & sequendo motum eius, vt dicitur in primo Ethicorum.*

DISPVTATIO XVII.

De Intellectu possibili quoad eius obiectum.

QVamuis operatio intellectus agentis sit prior operatione intellectus possibilis, nihilominùs, quia Aristot. priùs de hoc quàm de illo in præsenti agit, propterea nos sequendo eius vestigia, nec non, & Angel. Doct. lect. 7. huius libri, priùs de intellectu possibili, quàm de intellectu agendi disputabimus: quia verò de prædicto intellectu multa supersunt dicenda; ideò maioris claritatis gratia, non in vnica, sed in pluribus disputationibus de illo agimus: & propterea in titulo huius disputationis non absolutè de intellectu possibili, sed limitatè de eodem, quoad eius obiectum inquirimus.

QVÆSTIO PRIMA.

An ens, seu verum in tota sua latitudine sit obiectum adæquatum intellectus possibilis?

QVia quæuis potentia subiecto adæquato speciem capit; ideò acturi de intellectu possibili, primo loco de obiecto illius agimus.

Explicatio tituli.

§. I.

1. PRo tituli intelligentia notandum est ex Caiet. 1. part. qu. 12. artic. 4. duplex esse obiectum adæquatum alicuius potentiæ cognoscitiuæ. Aliud

adæquatum extenue, vel, vt alij dicunt, terminatiuum; ad quod secundùm omnes suas partes potentia aliquo modo extenditur, non verò extra illud, & ita nuncupatur obiectum adæquatum extensionis, quia est id in ordine ad quod potentia modo dicto ita extenditur, vt ad illud, non verò vltra ipsum extendi valeat: & similiter dicitur terminatiuum, quia totam eius vim terminat; ac proindè, est terminus, totius vt sic dicamus, extensionis, & sphæræ potentiæ.

Aliud verò adæquatum intensiuè, vel vt alij loquuntur adæquatum in ratione obiecti proportionati, seu in ratione obiecti motiui, ad quod non solùm petitur, vt possit potentia vtcunque circa illud versari secundùm omnia quæ continet: sed insuper, quod virtute sua naturali, absque necessitate additionis nouarum virium, ac tandem perfectè, vt in obiectum connaturale possit in illud ferri: quo pacto sonus prout continet omnes soni differentias, quæ consistunt in mediocritate proportionata auditui, potest dici hoc modo obiectum adæquatum illius, ea eo, quod auditus suis viribus relictus solùm percipit perfectè, & sine læsione, eundem sonum prædicto modo sumptum: sicut etiam ob eandem rationem obiectum adæquatum intensiuè visus noctuæ non est lumen diuinum, sed nocturnum, aut aliud huiusmodi.

Hoc autem obiectum dicitur adæquatum intesiuè, quia potentia suis viribus relicta habet sufficientem, vt sic dicamus, iotensionem, seu efficacitatem ad illud secundùm omnia ea, quæ continet, attingendum: sicut etiam ob eandem ratioοem nuncupatur proportionatum, quia prædictis viribus, & efficacitati potentiæ ita proportionatur, vt illa non excedat. Et tandem appellatur motiuum, ex eo quod potest per se primò intentionaliter immutare potentiam, & illi connaturaliter vniri.

Titulus ergo non intelligitur de obiecto adæquato intensiuè, sed de obiecto adæquato extensiuè, nam de illo priori in seq. quæst. agendum est.

Rationes dubitandi.

§. II.

2. PRima est, quoniam nihil est cognoscibile ab intellectu nostro, nisi ministerio sensuum; ergo ens in tota latitudine non erit obiectum adæquatum illius. Antecedens patet ex communi illo Philosophorum axiomate: nimirùm; nihil est intellectu, quin priùs fuerit in sensu. Consequentia autem probatur, quoniam solùm entia materialia cognoscuntur ministerio sensuum, quia sola potuerunt esse aliquo modo sensibilia in illo, scilicet, vel per modum sensibilis proprij, vel communis, aut per accidens.

Secunda est, quia sub ratione entis in toto suo ambitu continetur ratio naturalitatis, & supernaturalitatis, sed hæ duæ rationes non possunt constituere vnicum, & idem obiectum adæquatum vnius potentiæ, ergo ens prout ambit vtramque nequit esse obiectum adæquatum intellectus humani. Maior cum consequentia non indiget probatione. Minor autem probatur, nam entitas naturalis exigit potentiam naturalem cognoscitiuam illius: entitas verò supernaturalis postulat potentiam cognoscitiuam supernaturalem: ergo non possunt constituere vnicum, & idem obiectum vnios potentiæ: alioqui eadem potentia esset simul naturalis, & supernaturalis, qood, vt intuenti constabit, apertè repugnat.

3. Tertia, quoniam si obiectum adæquatum intellectus esset ens, aut verum in tota sua latitudine fieret indè, vt intellectus angelicus, & humanus non distinguerentur specie: hoc autem est apertè falsum: ergo, &c. Sequela patet: quoniam potentiæ intellectiuæ distinguuntur specie penes sue obiecta adæquata: at si intellectus humanus haberet pro obiecto adæquato ens in tota sua latitudine, tunc idem esset obiectum adæquatum intellectus humani, & angelici, siquidem angelicus versatur circa ens in tota sua latitudine tanquam circa obiectum adæquatum: ergo, &c. Minor autem probatur: quoniam intellectus angelicus, & humanus sunt in diuerso gradu immaterialitatis, vt docet D. Thom. 1. p. q. 14. art. 4. potentiæ autem cognoscitiuæ distinguuntur specie penes diuersos gradus immaterialitatis, vt communiter docent Philosophi, ergo, &c.

Communis & vera sententia.

§. III.

4. DIcendum tamen est, obiectum adæquatum nostri intellectus esse ens, aut verum in tota sua latitudine. Ita D. Th. 1. part. q. 84. artic. 7. ad tertium, & q. 87. art. 3. ad primũ, vbi loquẽdo de obiecto intellectus nostri sic ait: *Dicẽdum, quod obiectum intellectus est cõmune quoddam scilicèt ens, & verum sub quo comprehenditur etiam ipse actus intelligendi.* Si autem ens non in tota sua latitudine, sed vt restringitur ad ens v. g. naturale, esset obiectum nostri intellectus, non dixisset absolutè, ens esse obiectum illius, sed addidisset ly naturale, sicut qoia obiectum Philosophiæ non est idem ens in toto suo ambitu, sed limitatum ad ens mobile; propterea dum eius obiectum locis cit. in lib. Phys. disp. 1. num. 9. assignauit, non dixit absolutè obiectum illius esse ens, sed esse ens mobile.

Idem etiam docet q. 79. art. 2. his verbis: *Intellectus enim, sicut supra dictum est habet operationem circa ens in vniuersali*, & q. art. 7. inquit: *Intellectus autem respicit suum obiectum secundum communem rationem entis, eo quod intellectus possibilis est, quod est omnia fieri: vnde secundum nullam differentiam entis diuersificatur differentia intellectus possibilis.* Vndè S. Doctorem sequuntur Bañez 1. part. q. 84. artic. 7. & communiter eius Discipuli. Ex aliis verò, Scotus in 1. dist. 3. q. 3. Fonseca 2. Meth. cap. 1. q. 2. sect. 7. ad secundum, Suarez 2. tom. summæ Theolog. art. 3. lib. 4. cap. 1. & omnes alij, tam Philosophi, quàm Theologi.

5. Rationem autem potissimam huius assertionis insinuauit D. Thom. locis cit præcipuè verò art. 7. quæst. 84. quæ potest sub hac forma proponi; nam illud est obiectum adæquatum extensionis alicuius potentiæ, ad quod secundùm omnes suas partes sumptum, potest vtcumque extendi non verò vltra illud: sed intellectus noster potest vtcumque extendi ad ens, siuè verum in tota sua latitudine, non verò vltra illud: ergo ens, siuè verum in tota sua latitudine erit obiectum adæquatum extensionis respectu illius. Maior cum consequentia satis est perspicua Minor verò etiam liquet; siquidem intellectus (vt experientia constat) non potest non versari nisi circa ens, & nullum est ens, quod ab ipso non possit saltem vtcumque attingi, & ita valet vtcumque cognoscere Deum, vt est Auctor naturæ, & gratiæ, & per consequens omnia alia entia creata.

Coofirmatur ratione, quam insinuat idem S. Doctor, quoniam aliàs intellectus humanus non posset etiam per diuinam potentiam eleuari ad videndum Deum prout est in esse, & ad cognoscendos quosuis alios effectus naturales, siuè supernaturales sigillatim sumptos, cuius oppositum docent communiter

Theo

Theologi 1. part. quaest. 12. Patet sequela: quoniam nulla potentia cognoscitiua potest eleuari ad cognoscendum aliquod obiectum, quod sit extra latitudinem sui obiecti adaequati, quia eius essentia consistit in commensuratione, & adaequatione essentiali cum illo, & ita visus nequit eleuari ad gustandum, neque auditus ad videndum ergo si Deus, vt clarè visus prout est in se; & caeteri alij effectus, tam naturales, quàm supernaturales non continentur sub obiecto adaequato nostri intellectus, ac proinde, vt ens secundùm suam totam latitudinem (secundùm quam haec omnia ambit) est obiectum adaequatum illius, non poterit etiam supernaturaliter ad haec attingenda eleuari.

6. Nec refert, si contra hanc rationem obiicias primò, satis esse ad rationem obiecti adaequati extensionis, quod attingatur per se primò, & ratione sui à potentia, & quod si quae alia attinguntur, debeant ratione illius attingi; ergo ex ratione facta non concluditur ens in tota sua latitudine esse obiectum adaequatum intellectus, saltem pro hoc statu, sed satis esse, vt habeat pro obiecto adaequato quidditatem materialem. Antecedens probatur exemplo Theologiae, quae licèt extendatur ad plura alia quàm ad Deum, nihilominus, quia terminatur ad Deum per se primò, & ratione ipsius, & ad caetera alia ratione diuinae essentiae, & per ordinem ad illam: ideò Deus est obiectum adaequatum extensionis respectu illius; quippè quae ab eo solummodò specificatur.

Consequentia autem probatur, quia quidditas materialis ita comparatur cum intellectu, saltem pro hoc statu, vt ipsa per se primò, & ratione sui caetera verò alia, non nisi ratione eius, & per ordinem ad ipsam intelligantur, vt experientia constat: ergo ex ratione pro assertione facta ad summum concluditur ens, prout restringitur ad praedictam quidditatem materialem, non verò in tota sua latitudine esse obiectum adaequatum; intellectus saltem pro hoc statu.

7. Respondetur enim antecedens ad summum esse verum, quando potentia, vel habitus ita extenditur ad alia obiecta, vt repugnet etiam supernaturaliter terminari ad illa nisi per ordinem ad obiectum, quod dicitur esse adaequatum, vt contingit in habitu Theologiae, iuxta probabilem multorum opinionem, quae quidem non potest vllo modo inclinare in cognitionem creaturarum, nisi ratione diuinae essentiae: ex eo quod inspiciuntur, vel quatenùs sunt effectus illius, vel quatenùs habent rationem medij ad Deum assequendum, &c. At intellectus noster etiam pro hoc statu potest saltem per modum transeuntis eleuari ad cognoscendas res spirituales, licèt eas non cognoscat ratione quidditatis, materialis, & ad modum illius, & ideò praedicta quidditas nequit esse obiectum adaequatum extensionis respectu illius, etiamsi pro hoc statu consideretur.

Ex quo etiam manet soluta alia obiectio, quae contra rationem nostrae assertionis solet fieri, scilicet ex discursu illius etiam sequi, quod ens prout ambit, tam ens reale, quàm rationis, sit obiectum adaequatum extensionis respectu intellectus; siquidem iste extenditur tam ad ens reale, quàm ad ens rationis: hoc autem videtur falsum: Tùm quia aliàs illud quod est purum nihil, ingrederetur aliquo modo ad specificandum realem potentiam: Tum etiam, quia enti realij, & rationis, nequit dari aliqua ratio communis, & vniuoca, qualis requiritur ad vnicum, & idem obiectum vnius potentiae, vt constat ex his verbis, quae in Logica disp. 15. num. 11. diximus.

8. Ex dictis ergo obiectio haec satis corruit: nam ens rationis est talis conditionis, vt etiam per diuinam potentiam nequeat cognosci nisi ratione entis realis, & ad motum illius, & ita ens reale erit obiectum adaequatum intellectus, siquidem nihil praeter ipsum, vel ratione ipsius ab eo attingitur.

Quamuis etiam non minus probabiliter, & magis consequenter ad ea, quae alibi diximus respondere possit ad hanc obiectionem si dicatur obiectum adaequatum intellectus esse ens, prout ambit, tam ens reale, quàm rationis, ex eo quod obiectum habitus Logicae est ens rationis. Habitus autem alicuius potentiae sunt determinationes ipsius in ordine ad peculiaria obiecta inadaequata, circa quae ipsa versatur, & ita si habitus Logicae peculiariter inclinat in ens rationis logicale, vt in obiectum formale illius, signum est praedictum ens etiam pertinere per modum obiecti formalis inadaequati ad obiectum formale adaequatum intellectus, de quo in praesenti loquimur, atque adeo ens prout illud ambit, esse obiectum adaequatum eiusdem intellectus.

Neque contra hunc dicendi modum vrgent; Tum ea, quae nuper in priori solutione dicebamus; nam iuxta hanc secundam, licet ens rationis in esse entis dependeat ab ente reali: nihilominus in esse obiecti intelligibilis non pendet ab illo, quatenus habet proprias passiones per quas intelligatur, & sciatur (videantur ea quae in Logica disp. 1. num. 14. diximus:) Tum etiam, id quod in hac a. obiectione tangitur ad probandam minorem illius, nam ad primam probationem constat, ex his, quae in Logica disput. 1. quaest. 3. diximus: & ad secundam patet etiam ex ibidem dictis disp. 19. quaest. 4. maximè verò num. 52. 54. & 55. nec non num. 78.

Soluuntur rationes dubitandi initio adductae.

§. IV.

9. Ad primam, concesso antecedenti, neganda est consequentia, & ad probationem, respondetur quòd etiam entia spiritualia cognoscuntur pro hoc statu aliquo modo ministerio sensuum, quatenus cognoscuntur dependenter à rebus sensibilibus & materialibus, quae ministerio sensuum debent cognosci.

Ad secundam respondetur, negando minorem, & ad probationem, quod entia supernaturalia, vt cognoscibilia ab aliqua potentia proprijs viribus, & sine aliqua eleuatione exigunt potentiam supernaturalem, non tamen vt cognoscibilia ad illa mediante aliqua eleuatione supernaturali: at intellectus humanus, non nisi hoc posteriori modo potest attingere entia supernaturalia, vt talia: & ita licet non sit potentia supernaturalis, poterit mediante eleuatione ad entia supernaturalia terminari.

Adde, esse valdè probabile in sententia Thomistarum, vt optimè notauit, Ledesma de perfectione Dei, quod licet intellectus sit identicè vna, & eadem potentia, nihilominùs in eo reperitur duplex formaliter ratio: Vnâ uimirum potentiae naturalis, alia verò potentiae obedientialis, quae sit formaliter supernaturalis: & ita secundùm rationem potentiae naturalis respicit ens naturale in tota sua latitudine: at secundùm rationem potentiae obedientialis terminatur ad ens supernaturale in toto suo ambitu: atque adeo sumpta, vt identificat sibi vtramque rationem: quo pacto de intellectu in praesenti loquimur, respiciet ens in tota sua latitudine, prout ambit tam res naturales, quàm supernaturales.

Occurritur

Occurritur vltimæ rationi dubitandi initio allatæ.

§. V.

10. AD vltimum respondetur primò neganda sequelam, & ad probationem, quod licet intellectus angelicus, & humanus respiciant ens in tota sua latitudine, vt rationem formalem, *qua*, eisdem adæquatum, nihilominus respiciunt illud diuerso modo: & sub distincta ratione *sub qua*, potentiæ autem non specificantur a ratione formali *qua* etiam adæquata, nisi vt stat sub ratione formali *sub qua*, seu modo illo proprio cuiusuis potentiæ, sub quo in illam tendit, & ita non mirum quod prædicti intellectus specie distinguantur.

Si autem inquiras, quisnam sit iste distinctus modus, seu distincta ratio *sub qua* prædicti intellectus respiciunt ens in tota sua latitudine. Respondetur, posse id explicari, vel ex eo; quod intellectus angelicus habet talem modum tendendi, vt petat per simplicem notitiam, non verò per discursum tendere in prædictum obiectum: humanus verò ita tendit in illud, vt possit per discursum circa ipsum versari, vel ex eo quod angelicus habet talem modum respiciendi ens in tota sua latitudine, qualis requiritur ad potentiam intellectiuam, quæ partim sit in actu, partim verò in potentia: humanus verò petit modum non ita perfectam, sed talem qualis requiritur ad intellectum, qui in ordine intellectiuo potest esse pura potentia.

11. Secundò respondetur cum Alberto, primo de Anima cap. penultimo, Caietanus 1. part. quæst. 77. art. 3. Ferrara 2. contra Gent. cap. 94. Thinions 2. de Anima text. 9. & pluribus aliis ex Thomistis, intellectum humanum, v. g. posse considerari dupliciter, scilic. vel in ratione potentiæ formaliter sumptæ, vel in ratione proprietatis: & si consideretur secundùm priorem rationem, esse eiusdem speciei cum intellectu angelico in ratione potentiæ formaliter considerato: si verò accipiatur secundùm posteriorem rationem, esse diuersæ speciei. Quare cum potentiæ in ratione potentiarum, specificentur ab obiectis: fit inde, vt tam intellectus humanus, quàm angelicus debeant habere vnum, & idem obiectum adæquatum extensionis, licet quia proprietates, vt tales habent suum esse per ordinem ad naturam, à qua fluunt, debeant prædicti intellectus, quatenus in ratione proprietatum considerantur, fluere à diuersis naturis easque respicere.

Cæterùm, hæc solutio displicet Francisco Suarez 2. tom. summæ Theol. tr. 3. l. 4. cap. 2. num. 7. & aliis ex iunioribus: & ideò contra eam plura obiiciunt. Primò quidem, nam potentiæ non sunt proprietates essentiæ, nisi vt potentiæ sunt: ergo si in quantum potentiæ non differunt specie, neque etiam in quantum proprietates differunt.

12. Confirmatur primò, nam potentiæ istæ, vt proprietates sunt, debent ad aliquam speciem qualitatis pertinere: at non ad aliam, nisi ad naturalem potentiam: ergo vt proprietates habent esse potentias: ergo si specie differunt in ratione proprietatum, eodem modo distinguentur in ratione potentiarum.

Confirmatur secundò: quoniam in ratione potentiarum sunt accidentia; sed non accidentia communia, ergo propria, ruit ergo prædicta distinctio intellectuum quatenus potentiæ, & quatenus proprietates sunt.

Secundò obiiciunt, quod intellectus humanus quatenus est potentia habet esse puram potentiam in ordine intelligibili: angelicus verò partim est in actu, & partim in potentia: ergo etiam in ratione potentiarum distinguentur specie.

Confirmatur, nam intellectus angelicus, vt potentia intellectiua est, tendit distincto modo in ens generaliter sumptum ac intellectus humanus, quandoquidem ille per simplicem intuitum, & sine discursu, hic verò discurrendo potest ad illud terminari: ergo etiam in ratione potentiarum erunt distinctæ speciei. Patet consequentia, nam potentiæ tendentes ad distinctum obiectum sub distincto modo tendendi, debent distingui specie.

13. Tertiò, nam ea, quæ oriuntur à diuersis essentialiter principiis, vt diuersa sunt, debent essentialiter distingui: sed intellectus angelicus & humanus, etiam vt potentiæ sunt, oriuntur à diuersis essentialiter naturis, vt diuersæ sunt: ergo debent essentialiter distingui. Maior videtur certa: nam diuersitas principiorum per se desiderata ad aliquos effectus, non potest non splendere in illis. Minor autem etiam constat: quoniam intellectus humanus, vt est potentia intellectiua, oritur ab anima rationali, vt rationali, quia secundum vltimam rationem est potentia radicaliter rationatiua, & similiter intellectus angelicus, vt potentia angelica est, fluit à natura angelica, vt tali, quia prædicta natura est intellectiua per modum potentiæ radicalis: ergo prædicti intellectus oriuntur à principiis essentialiter diuersis.

Confirmatur, nam intellectus angelicus, & humanus etiam, vt potentiæ sunt, pertinent ad diuersos gradus immaterialitatis: ergo etiam vt potentiæ distinguuntur specie. Antecedens patet: quoniam natura intellectiua, & eius potentia pertinent ad eumdem gradum immaterialitatis: constat autem naturam angelicam, & animam rationalem non pertinere ad eumdem immaterialitatis gradum: ergo neque intellectus angelicus, & humanus. Consequentia autem probatur, quoniam diuersitas in gradu immaterialitatis satis est ad diuersitatem specificam: & ita duæ naturæ angelicæ distinguuntur specie penes maiorem, vel minorem immaterialitatem, quam habent.

14. Vltimò, quoniam repugnat aliqua duo distingui secundùm aliquid pertinens ad suam atomam, & differentialem rationem, & non differre secundùm omnia, quæ ad talem rationem differentialem pertinent, vt inductiuè constat: ergo si intellectus angelicus, & humanus differunt specie in ratione proprietatum, eodem modo different in ratione potentiarum. Patet consequentia, quia ad rationem differentialem intellectus humani spectat esse proprietatem animæ rationalis, & ita intellectus humanus, vt humanus essentialiter illam respicit.

15. Ad primam ex his obiectionibus respondetur distinguendo antecedens: & si sensus illius sit, quod essentia prædictorum intellectuum in ratione potentiarum sita sit: in hoc quòd sint proprietates, vel quòd hæc ratio proprietatum pertineat aliquo modo ad earum specificationem, negandum est: si verò sensus illius sit: quòd ratio proprietatis est ratio de materiali importata an eisdem ratione coniunctionis, quam de materiali habent, cum suis naturis, concedendum est, & deinde neganda est consequentia, quia vt consequens esset verum, debet antecedens non esse falsum in priori sensu.

Explicatur hoc exemplo lucis quæ licet in ratione modi afficiendi solem, & aërem distinguantur specie, quia in aëre afficit per modum accidentis communis, in sole verò per modum accidentis proprij, & nihilominus in ratione lucis, & naturalis potentiæ est eiusdem speciei. Et ratio est eadem in vtroque, quia licet

licet lux secundùm quod talis accidat aëri, & per se coniungatur cum sole, nihilominùs neutrum istorum pertinet ad propriam specificationem illius, si in ratione naturalis potentiæ consideretur, sed est ratio quædã de materiali importata ab alia secundùm quod est in diuersis subiectis, sc. si in aëre, & in sole, ita etiam in præsenti proportione tamen seruata Philosophandum est.

16. Ad primam confirmationem respondetur, prædictas potentias in ratione proprietatum formaliter, & cum præcisione sumptarum pertinere solum reductiuè ad secundam speciem qualitatis, scilicet ad naturalem potentiam, quia vt proprietates sunt, solùm important rationem quandam inadæquatam, seu modificationem eorumdem intellectuum, vt sunt potentiæ pertinentes ad secundam speciem qualitatis.

Ad secundam patet ex dictis, quomodo in accidentibus, hoc quod est esse accidentia communia, vel propria, non variat speciem naturalis potentiæ, sed solum addit habitudinem quandam ad naturam in qua sunt: ita tamen, vt hæc habitudo de materiali importetur ab eisdem vt potentiæ sunt, imò non solum materialiter, sed per accidens, si ratio potentiæ secundùm ea, quæ ad suam lineam præcisè spectant, consideretur, vt in luce, in sole, & aëre dicebamus, & similiter si per possibile, vel impossibile intellectus angelicus Gabrielis vniretur cum anima rationali, tunc respectu illius esset accidens commune, & respectu Gabrielis accidens proprium, & nihilominus in ratione potentiæ vtrobique esset eiusdem speciei.

17. Diximus non solùm materialiter, sed etiam per accidens, si ratio potentiæ præcisè secundùm essentialia suæ lineæ consideretur; quia si potentia intellectiua sumatur secundùm ea, quæ identicè importat: tunc per se coniungitur cum ratione proprietatis, & per illam sua adæquata, & identica ratione potentiæ, & proprietatis constituitur: hoc tamen non obest quin ipsimet, vt cum præcisione consideratur secundùm propria lineæ potentiæ per accidens conueniat ratio proprietatis, quandoquidem ea, quæ sunt extranea alicui lineæ, vt tali, & cum præcisione sumptæ dicuntur per accidens ei conuenire.

Ad secundam obiectionem respondetur concedendo intellectum humanum esse in ordine intelligibili puram potentiam, secùs vero angelicum, Cæterùm, hæ duæ rationes non variant eorum speciem in ratione potentiarum, quia intellectus humanus de materiali, seu ratione coniunctionis, quam habet ad animam rationalem, vt est in isto statu, habet rationem puræ potentiæ in ordine intelligibili, nõ verò si sumatur cum omnimoda præcisione suorum prædicatorum essentialium in ratione potentiæ, & ita si anima separata crearetur, & vna cum illo intellectus: tunc esset partim in actu, & partim in potentia in ordine intelligibili non minus, quàm intellectus angelicus.

18. Ad confirmationem respondetur, modos illos tendendi de materiali importari, iuxta hunc modum dicendi à prædictis intellectibus in ratione potentiarum formaliter sumptis ratione coniunctionis, quam habent ad diuersas naturas: & ita intellectus humanus in statu separationis potest per simplicem intuitum intelligere. Quod si in eodem statu remanet cum potentia ad discurrendum, conuenit illi ea eo quod vna cum anima est coniungibilis cum corpore. Cæterùm, vt iam innuimus, hæc coniunctio, aut coniungibilitas, siue cum anima, siue cum corpore, modo suprà explicato est quid materiale ad eundem intellectum in ratione potentiæ formaliter sumptum quia secundùm hanc rationem præscindit secundum suam rationem formaliter consideratam ab ordine ad animam, & corpus, & proptereà non specificatur ab illis, sed ab actibus, & obiectis, vt suprà disp. 7. num. 8. diximus.

Ad tertiam respondetur, solùm probare, quòd ea, quæ oriuntur à diuersis principiis, vt diuersa sunt, debeant essentialiter distingui, quatenus ab illis oriuntur, seu secundùm illam habitudinem, secundùm quam ea respiciunt, non verò quod quidquid vnà cum prædicta habitudine oritur ab illis, debeat oriri cum essentiali diuersitate: & ita homo genitus & creatus vt tales sunt, oriuntur à diuersis principiis, & nihilominus non distinguuntur in ratione hominis, sed in ratione geniti, & creati, ita ergo in præsenti de potentia intellectiua angelica, & humana philosophandum est.

19. Et ratio est eadem in vtroque; quia sicut in homine genito, & creato potest considerari & ratio hominis, & rationes creati, vel geniti, & istæ sunt materiales respectu hominis secundùm suam speciem, ita etiam in intellectu angelico, vel humano potest considerari ratio potentiæ, & ratio fluxus à natura angelica, vel humana, & ista posterior ratio de materiali importatur ab eisdem intellectibus in ratione potentiarum: nam sicut homo secundùm se sumptus non specificatur à sua causa efficienti quamuis non possit non fieri ab aliqua causa, ita intellectus humanus, & angelicus secundùm suam speciem in ratione potentiæ præcisè consideratam non specificantur à naturis à quibus fluunt, licet alias non possint non saltem connaturaliter loquendo ab illis fluere.

Nec contra hoc obest probatio ibidem in minori sic sumpta, scilicet naturam angelicam, verbi gratia, vt talem esse intellectiuam per modum potentiæ radicalis, quia inde, ad summum sequitur, quod ab ea debet oriri aliqua potentia proximè intellectiua, cui de materiali coniungatur ordo ad eamdem naturam, & fluxus ab illa, sicut ex eo quòd sol, vt talis, sit radicaliter illuminatiuus, solum sequitur dandam esse in eo potentiam illuminatiuam cui de materiali coniungatur, quod fluat ab illa, non tamen, quod ad eius speciem prædictus fluxus desideretur.

20. Ad confirmationem: quòd diuersitas in gradu immaterialitatis non attenditur in potentiis secundùm id præcisè, quod secundùm speciem important, sed secundùm modum essendi, & statum quem habent, & ita intellectus noster pro hoc statu est in inferiori gradu immaterialitatis, ac ipsemet in statu separationis. Vnde ex prædicta diuersitate in gradu immaterialitatis nequit colligi diuersitas intellectuum in ratione potentiarum, & secundùm suam speciem cum præcisione sumptarum.

Ad vltimum dicendum est, antecedens ad summum esse verum, quando illa duo differunt in aliqua ratione in adæquata pertinenta ad conceptum intrinsecum, & differentialem alicuius ex illis, secus verò quando solùm differunt in aliqua ratione inadæquata, hue modali de materiali importata, & supponente iam speciem constitutam, vt in præsenti contingit. Vnde æstimatiua hominis, & bruti sunt eiusdem speciei, licet æstimatiua hominis, propter coniunctionem ad naturam illius habeat aliquam maiorem perfectionem modalem, & distinctæ speciei in illo, & in bruto: & ita maneret in ratione æstimatiuæ eiusdem speciei, licet priuaretur prædicta modificatione: ita ergo in præsenti proportione seruata philosophari debet, si per possibile, vel impossibile separaretur intellectus humanus ab anima, & ab illo ordine quem in ratione potentiæ de materiali ad illam dicit, tunc remaneret integer in ratione potentiæ cum præcisione sumptæ, & eiusdem speciei cum angelico.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Vtrùm obiectum proportionatum intellectus possibilis, seu obiectum adæquatum intensiuè illius, sit sola quidditas materialis?

Titulus huius quæstionis ex dictis in præced. satis constat: imò, & ratio ordinis huius quæstionis ad præcedentem, & siquidem obiectum adæquatum extensiuè, prius est obiecto proportionato, & aliquo modo post illud, terminator potentia ad istud.

Argumenta pro parte negante.

§. I.

21. PArtem negantem suadere videntur hæc argumenta. Primò, quoniam idem debet esse obiectum adæquatum extensionis, seu specificatiuum & obiectum proportionatum: ergo si obiectum specificatiuum intellectus est ens in tota sua latitudine: hoc ipsum erit obiectum proportionatum illius. Consequentia patet. Antecedens verò probatur: nam quæuis potentia est proportionata in ordine ad obiectum, à quo specificatur, quoniam essentia illius consistit in commensuratione, & coaptatione quadam in ordine ad illud: ergo prædictum obiectum hoc ipso, quod specificatiuum, debet esse proportionatum respectu illius. Patet consequentia, quia non stat, aliquam potentiam esse proportionatam respectu alicuius obiecti, & tale obiectum non esse proportionatum respectu illius: ita hoc ipso, quod visus Aquilæ sit proportionatus ad videndum solem, etiam sol est proportionatus in ratione obiecti visibilis respectu illius.

Secundò, nam si quidditas materialis esset obiectum proportionatum nostri intellectus, tunc quo aliqua quidditas esset materialior, esset magis proportionata in ratione obiecti respectu illius, hoc autem est falsum, vt communiter admittunt philosophi: ergo, &c. Sequela patet, quoniam ex eo colligimus magis album, esse magis disgregatiuum visus, quia album est disgregatiuum illius: ergo si quidditas materialis est obiectum proportionatum nostri intellectus, optimè inde colligemus quidditatem magis materialem esse magis proportionatam in ratione obiecti.

22. Tertiò, nam illud est obiectum proportionatum, quod potest attingi perfectè à potentia suis viribus relicta, sed potentia intellectiua suis viribus relicta potest, saltem per discursum, deuenire in perfectam cognitionem substantiarum spiritualium: ergo non minus quidditas spiritualis, quàm materialis erit obiectum proportionatum illius. Maior constat ex dictis quæstione præcedenti. Minor vero etiam liquet, nam sicut ex accidentibus materialibus deuenimus in cognitionem perfectam substantiarum materialium, ita ex substantiis materialibus poterunt perfectè cognosci substantiæ materiales, ex eo quod sicut accidentia materialia pendent in suo esse à substantiis materialibus, & propterea ex illis istæ cognoscuntur: ita etiam substantiæ materiales possunt pendere à spiritualibus: imo debent necessariò à prima substantia spirituali, scilicet à Deo vt est Auctor naturæ, dependentiam habere.

23. Confirmatur, nam intellectus etiam pro hoc statu habet pro obiecto proportionato animam rationalem: ergo & substantias angelicas. Consequentia patet, quoniam anima rationalis secundum suam entitatem est purè spiritualis, sicut substantiæ angelicæ: ergo si non obstante spiritualitate est obiectum proportionatum nostri intellectus, etiam istæ hoc habebunt. Antecedens autem probatur, quia intellectus, etiam pro hoc statu perfectè, & propriis viribus, cognoscit animam rationalem, alioqui non posset perfectè cognoscere hominem, vt homo est, & ita non omnis quidditas materialis esset obiectum proportionatum illius, cuius oppositum statim dicemus: ergo anima rationalis erit obiectum proportionatum illius etiam pro hoc statu, siquidem, vt dicebamus, idem est obiectum proportionatum, & obiectum propriis viribus perfectè cognoscibile.

Sententia aristotelis, & D. Thomæ.

§. II.

24. PRo decisione huius quæstionis notandum est: intellectum possibilem posse sumi tripliciter, scilicet, vel pro hoc statu, vel pro statu separationis, vel tandem secundùm se, prout præscindit ab vtroque statu. Vndè, vt difficultas huius quæstionis omnino, & clariùs decisa maneat, oportebit sigillatim explicare, quodnam sit obiectum proportionatum intellectus, secundùm hanc triplicem rationem considerati.

Dicendum est primò, intellectum pro hoc statu habere pro obiecto proportionato solam quidditatem materialem, ac proinde, solam eam, vt abstractam à conditionibus materialibus indiuiduantibus. Ita Aristot. in hoc lib. text. 8. quem Diuus Thomas loquens ibidem lect. 8. de obiecto proportionato intellectus pro hoc statu, sic explicat. *Apparet autem ex hoc, quod Philosophus, hic dicit, quod proprium obiectum intellectus, est quidditas rei, quæ non est separata à rebus vt Platonici posuerunt, sed aliquid in rebus sensibilibus existens, licet intellectus apprehendat alio modo quidditates rerum quàm sint in rebus sensibilibus, non enim apprehendit eas cum conditionibus indiuiduantibus, quæ eis in rebus sensibilibus adiunguntur.*

25. Eandem sententiam tuetur idem Angelicus Doctor 1. part. quæst. 84. art. 7. vbi loquens de obiecto proportionato nostri intellectus pro hoc statu, & comparans illud cum obiecto proportionato intellectus Angelici, sic inquit: *Intellectus Angeli, qui est totaliter a corpore separatus, obiectum proprium est substantia intelligibilis à corpore separata, & per huiusmodi intelligibilia, materialia cognoscit: intellectus autem humanus, qui est coniunctus corpori, proprium obiectum est quidditas, siue natura, in materia corporali existens, & per huiusmodi naturas visibilium rerum, etiam in inuisibilium rerum aliquam cognitionem ascendit.* Quod etiam docet quæst. 87. art. 3. ad primum, eumque communiter sequuntur Caietan. 3. de Anima cap. 5. Bañez 1. part. quæst. 84. articul. 7. dub. 1. referens omnes discipulos S. Doct. nec non Scot. in 1. dist. 3. quæst. 3.

Cæterùm, antequam assertionem hanc rationibus probemus, notare oportet, nomine quidditatis materialis à conditionibus indiuiduantibus abstractæ solùm intelligi quidditatem materialem ordinis naturalis: nam cum intellectus sit potentialis, debet eius obiectum proportionatum ad eundem ordinem pertinere.

26. Hoc autem supposito probatur primo assertio ratione deprompta ex D. Thoma super Boëtium de Trin quæst. 1. articul. 3. quoniam illud est obiectum proportionatum, & connaturale intellectus possibilis

lis pro hoc statu ; quod fit per se primò intelligibile in actu per operationem intellectus agentis, sed sola quidditas rei materialis est huiusmodi : ergo sola ipsa est obiectum proportionatum illius pro hoc statu: consequentia patet, maior autem constabit ex his; quæ infrà latè dicemus ostendentes, quòd intellectus agens, non aliter reddit obiectum per se primò intelligibiles per se primò, nisi producendo species intelligibiles per primò repræsentatiuas illius : & & quòd prædictæ species per se primò solùm repræsentent quidditatem rei materialis. Maior autem probatur, quoniam vt patebit ex his, quæ infrà dicemus; intellectus agens institutus est à natura ad hoc, vt obiecta illa, quæ non sunt intelligibilia in actu ab intellectu possibili pro hoc statu, atque adeo nec sunt proportionata respectu illius, reddat ea intelligibilia in actu, & proportionata respectu eiusdem.

27. Secundò, probatur ratione desumpta ex Aristotele 3. de Anima text. 39. & Diuo Thoma articul. 7. quæst. 84. 1. part. & alibi sæpè: quam suprà disp. 16. num. 15. tetigimus, quoniam obiectum proportionatum, seu quod idem est, connatuale alicuius potentiæ cognoscitiuæ, & prædicta potentia debent conuenire in eodem gradu immaterialitatis : sed intellectus pro hoc statu solum conuenit in gradu immaterialitatis cum quidditate rei materialis: ergo sola ipsa erit obiectum proportionatum illius : Maior probatur : nam potentia cognoscitiua debet connaturaliter recipere suum obiectum proportionatum, seu connaturale, & illi vniri, vt ex se constabit, & ex dicendis disput. seq. quæst. 1. amplius patebit : ergo prædictum obiectum nequit habere modum essendi per se requisitum ad rationem obiecti cognoscibilis eleuationem, quam sit modus essendi potentiæ cognoscitiuæ, alioquin erit supra naturam huius potentiæ, non verò quid naturale ipsi, quod illud recipiat : ergo cùm modus essendi per se requisitus ad cognoscibilitatem obiecti sit immaterialitas, vt constat ex D. Thom. 1. part. quæst. 14. artic. 1. ex his, quæ suprà diximus, & infrà dicemus, fiet indè, vt obiectum proportionatum, seu connaturale alicuius potentiæ, & potentia ipsa debeant in eodem immaterialitatis gradu conuenire.

28. Minor constat ex dictis disp. 16. n. 15. vbi diximus, quòd sicut quidditas rei materialis, quodammodo est in materia, quia includit, vel concernit illam in communi sumptam, & est à parte rei identificata cum indiuiduis materialibus, & quodammodo non in materia, quia consideratur vt præscindens à materia singulari, ita intellectus pro hoc statu quodammodo est in materia ex eo, quod est in anima rationali, quæ est forma corporis : quodammodo verò non est in illa, quia non est in organo corporeo, sed immediatè recipitur in anima rationali : quodammodo non est in corpore, quatenùs licèt illud informet, attamen non pendet ab illo, sed est forma per se subsistens, atque adeò iam intellectus pro hoc statu, & sola quidditas rei materialis conuenient in eodem gradu immaterialitatis. Patet hæc consequentia, quia vt intuenti constabit, non potest aliter explicari conuenientia in gradu immaterialitatis inter intellectum pro hoc statu & eius obiectum, nisi modo iam dicto, sic autem explicata planum est in sola quidditate materiali à materia singulari abstracta dictam conuenientiam reperiri.

Nec refert, si contra rationem hanc obiicias, primò, quod si aliquid probat, conuincet etiam quidditates rerum spiritualium ; nec non, & res ipsas spirituales esse obiectum proportionatum nostri intellectus pro hoc statu, quoniam licet anima rationalis, & intellectus quodammo sint in materia, nihilominus simpliciter loquendo sunt spirituales secundùm suam entitatem: ergo etiam res spirituales erunt obiectum proportionatum vtriusque. Patet consequentia : nam intellectus noster magis conuenit in gradu immaterialitatis cum rebus spiritualibus per hoc, quod secundùm suam entitatem sit spiritualis, sicut illæ, quàm cum quidditate materiali per hoc; quòd quodammodo sit, & non sit in materia, sicut ipsa, siquidem reuera prædicta quidditas est materialis secundùm suam entitatem, & adhuc quoad modum essendi, solum per intellectum est separata à materia.

29. Confirmatur, quia saltem ex ratione facta sequitur quidditas rerum spiritualium esse obiectum proportionatum nostri intellectus pro hoc statu, siquidem istæ quodammodo sunt in materia : quæ sunt quodammodo identificatæ cum conditionibus indiuiduali his, quæ semper sunt conditiones materiales respectu quidditatis, & quodammodo non sunt in illa, quia in ratione quidditatum sumpta præscindunt ab eis.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam ; & ad probationem negandum est antecedens, quoniam conuenientia inter intellectum pro hoc statu, & quidditatem materialem in hoc; quod est esse quodammodo in materia, & non esse quodammodo in illa, est conuenientia omnimoda; ita vt quidditas materialis tantam immaterialitatem habeat in ratione obiecti, tam quoad rationem, vt sic dicamus entitatiuam (obiectiuam tamen) quàm quoad modum essendi illius, quantam potentia intellectiua habet pro hoc statu, tam quoad suam entitatem spiritualem, quam quo admodum essendi ipsius.

Cæterùm, conuenientia, quam intellectus pro hoc statu habet cum substantiis purè spiritualibus nimirum cum Angelis, tantum est conuenientia, quo ad immaterialitatem secundùm entitatem solummodo, non verò quo ad eam, & quoad modum essendi simul, vt ex se constat. Vnde quia conuenientia in gradu immaterialitatis debet etiam quo ad modum essendi attendi, vt qu. præcedenti diximus: ideò prædicta conuenientia quo ad entitatem solummodo, non est conuenientia simpliciter, & omnimoda: atque adeo sufficiens ad rationem potentiæ, & obiecti proportionati.

39. Ratio autem, ob quam prior illa conuenientia dicitur omnimoda, hæc est : nam ex quo capite prædicta quidditas quodammodo est in materia, conuenit cum potentia in modo essendi, & ex quo capite, licet quidditas materialis in esse entis sit secundum suam entitatem minoris immaterialitatis, quam entitas animæ, non tamen in esse entitatis obiectiuæ, vt talis conuenit cum ea in immaterialitate quoad entitatem, quoniam ad perceptionem sui in esse quidditatis materialis præscindentis à materia singulari prærequirit potentiam entitatiuè spiritualem.

Tum, quia potentia, quæ non sit purè spiritualis secundùm suam entitatem, nequit percipere quidditates vniuersales præscindentes à materia singulari, licet à parte rei cum indiuiduis materialibus identificentur.

Tum etiam, quia nulla alia potentia cognoscitiua præter potentiam purè spiritualem secundùm suam entitatem, poterit dari quæ possit esse quodammodo in materia, & quodammodo non esse in illa (seu quod idem quoad præsens est) independens simpliciter ab ea, sicut quidditas materialis præcisa à materia singulari est secundùm hanc rationem simpliciter independens ab eadem singularitate, non secus ac nulla alia forma, præter formam purè, quoad en-

titatem spiritualem, potest esse quodammodo in materia, & quodammodo non esse in illa, ratione independentiæ simpliciter, quam ab ea habet, nisi inter formas purè spirituales secundùm suam entitatem connumeretur.

31. Ad confirmationem respondetur, intellectum nostrum non ideò esse quodammodo in materia, & quodammodo non esse in illa, quia quodammodo habet esse, & non esse in aliqua potentia, seu subiecto, sed quia hoc habet respectu puræ potentiæ physicæ, scilicet materiæ primæ, vt explicatum est, & ita conditiones materiales, à quibus secum obiectum connaturale debet abstrahere, non debent esse conditiones analogicè materiales, sed verè desumptæ à materia prima: quare cum conditiones materiales, à quibus abstrahit essentia angelica (si verum est eam ab illis secundum abstrahere) tantum sint materiales materialitate prædicta, non verò desumptæ ex materia prima, quæ sit earum radix: propterea prædicta abstractio ab ea materialitate, seu conditionibus materialibus non constituit talem essentiam in ratione obiecti proportionati respectu intellectus pro hoc statu sumpti.

32. Nec etiam obest, si secundò contra eandem rationem obiicias, sequi ex illa, quod singulare materiale non sit obiectum proportionatum nostri intellectus, hoc autem dici nequit: ergo, &c. Sequela videtur certa: quoniam prædictum singulare non conuenit in gradu immaterialitatis cum nostro intellectu, siquidem in statu separationis est omnino separatus à materia, & in hoc statu quodammodo non est in illa: cum tamen singulare materiale necessariò includat materiam singularem: atque adeò neque etiam quodammodo sit separatum ab illa. Falsitas autem probatur: quoniam singulare materiale perfectè cognoscitur ab intellectu suis viribus relicto, atque adeò erit obiectum proportionatum respectu illius.

Respondetur enim, distinguendo sequelam, & si intelligatur de obiecto proportionato per se primò tali concedenda est, secus verò si de obiecto proportionato, & secundariò intelligatur: & ad probationem dicendum est, quod licet inter obiectum proportionatum, & per se primum ex vna parte, & inter potentiam cognoscitiuam ex alia, debeat esse conuenientia in gradu immaterialitatis, non tamen inter obiectum proportionatum non per se primum, & prædictam potentiam: nam sicut tale obiectum est proportionatum ratione alterius: ita satis est, vt illud alterum ratione cuius habet proportionari cum potentia, habeat conuenientiam cum illa in gradu immaterialitatis. Quare cum singulare materiale sit proportionatum respectu nostri intellectus non per se primò, sed per se secundò, quatenus singularitas illius est modificatio, & determinatio connaturalis obiecti per se primò proportionati, scilicet quidditatis materialis: inde est, vt non sit necessarium, quod habeat conuenientiam in gradu immaterialitatis cum intellectu.

33. Nec tandem obest, si contra eandem rationem obiicias, saltem ex ea sequi, quòd res materiales, siue in communi, siue in particulari sumptæ, nequeant esse obiectum proportionatum intellectus Angelici: sed hoc est falsum, siquidem ab eo propriis viribus relicto perfectè cognoscuntur: ergo, &c. Sequela probatur, quoniam res materiales, nec sunt modificationes substantiarum purè spiritualium, conuenientium cum prædicto intellectu in gradu immaterialitatis, nec ipsæ habent in prædicto gradu conuenientiam cum illo.

Non itaque hoc obest, quoniam etiam res materiales sunt obiectum proportionatum respectu intellectus angelici, non quidem per se primum sed per secundum, nam ex quo capite quidditatiuè, imo etiam comprehensiuè cognoscuntur ab illo propriis viribus relicto, non possunt esse obiectum superexcedens respectu ipsius: & ex quo capite hoc est proprium substantiarum separatarum, vt per se primò terminentur ad res spirituales, vt docet D. Thom. 1. p. quæst 54. art. 9. non possunt res immateriales esse obiectum proportionatum per se primum illius. Quomodo autem, & cur licet res materiales non sint modificationes substantiarum separatarum, nihilominùs ratione illarum reddantur obiecta proportionata, secundaria tamen respectu propriorum intellectuum non est huius loci, sed in materia de Angelis solet latius explicari.

34. Dicendum est secundò. Intellectus noster pro statu separationis habet pro obiecto proportionato, & per se primo quidditates rerum spiritualium conuenientium cum eo in eodem gradu immaterialitatis, quales sunt v. g. anima rationalis, à qua talis intellectus dimanat, nec non & cæteræ aliæ animæ rationales, non verò substantiæ angelicæ. Ita D. Thom. 3. p. q. 11. art. 1. ad secundum, & 1. part. q. 89. art. 2. vbi loquens de anima separata, ac proindè de intellectu in statu separationis, sic inquit: *Sed cum fuerit à corpore separata, intelliget, non conuertendo se ad phantasmata, sed ad ea, quæ sunt secundum se intelligibilia: vnde se ipsam, per se ipsam intelliget. Est autem commune omni substantiæ separatæ quod intelligat id, quod est supra se, & id, quod est infra se per modum suæ substantiæ. Sic enim intelligitur aliquid secundum quod est in intelligente. Est autem aliquid in altero per modum eius in quo est. Modus autem substantiæ animæ separatæ est infra modum substantiæ angelicæ, sed est conformis modo aliarum animarum separatarum. Et ideo de aliis animabus separatis perfectam cognitionem habet: de angelis autem imperfectam, & deficientem loquendo de cognitione naturali animæ separatæ. De cognitione autem gloriæ est alia ratio.* Quare cum obiectum per se primo proportionatum perfectè cognoscatur ab intellectu, cui est proportionatum, conueniántque intellectus, & prædictum obiectum in modo essendi, seu in gradu immaterialitatis: consequens est, vt substantiæ angelicæ non sint obiectum per se primò proportionatum intellectus pro statu separationis; secùs verò cætera alia, quæ in assertione diximus. Vnde Sanct. Doct. sequunt. Caietan. Bañez loco citato, ex 1. part. & alij plures ex Iunioribus Thomistis.

Ratio huius assertionis tacta est à Diuo Thoma in verbis modò relatis, cuius explicatio potest desumi ex his, quæ num. 27. dicebamus, ac proindè ex generali illa regula, scilicet quod obiectum per se primò proportionatum, & potentia debent per se, & ratione sui conuenire in gradu immaterialitatis, in quo tamen non conueniunt anima, & intellectus separata, si conferantur cum substantiis angelicis, secùs tamen omnes animæ rationales, & intellectus humani: siquidem substantia angelica, ita est secundùm rem separata à materia physica, vt non dicat ordinem ad illam, vt forma eius, benè tamen animæ rationales.

Loquuti autem sumus in assertione de obiecto per se primò proportionato, propter ea, quæ nuper in præcedenti assertione de rebus materialibus collatis cum intellectu angelico dicebamus.

Nec refert, si obiicias obiectum proportionatum coincidere cum motiuo: at prædictæ res spirituales, non sunt obiectum motiuum intellectus pro statu separationis, siquidem non accipit species à rebus cognitis: ergo, &c.

35. Respondetur

35. Respondetur, quod ad rationem obiecti motiui qualiter requiritur ad rationem obiecti proportionati, satis est, quòd sit talis naturæ, vt si potentia esset mobilis à suo obiecto per emissionem specierũ ab eo in illam, tunc obiectum illud, quod dicitur proportionatum, posset illam immutare per species à se ad eandem immissas: hunc autem modum obiecti motiui planum est, conuenire quidditatibus, siuè rebus spiritualibus collatis cum intellectu nostro in statu separationis.

Dicendum est tertiò, si loquamur de intellectu provt abstrahit ab statu huius vitæ, & ab statu separationis; tunc etiam præscindit ab obiecto proportionato. Ita D. Thom. 1. p. qu. 14. art. 4. quem eius discipuli communiter sectantur. Probatur ratione, nam intellectus sic sumptus præscindit à modo essendi: ergo etiam ab obiecto proportionato: quia potentia non habet, obiectum proportionatum nisi, vt est sub suo modo essendi; quandoquidem non nisi, vt est sub suo modo essendi, potest proximè, & efficaciter operari circa illud, & nonnisi quatenus habet prædictam efficacitatem proximam, correspondet ei obiectum proportionatum. Antecedens autem satis liquet: quoniam intellectus tantùm habet duos modos essendi, scilicet separationis, & vnionis iam explicatæ cum corpore: & ita præcindendo ab his duobus statibus, præscindit à modo essendi.

36. Confirmatur, & explicatur: nam intellectus sic sumptus præscindit à gradu immaterialitatis requisito ad hoc, vt ei correspondeat obiectum proportionatum: ergo etiam præscindet ab obiecto proportionato. Consequentia non indiget probatione. Antecedens autem probatur, quoniam gradus immaterialitatis, requisitus ab obiectum proportionatum includit: Tum immaterialitatem potentiæ: Tum etiam modum essendi illius, & ideo D. Thom. collocat intellectum nostrum in diuerso gradu immaterialitatis, dum est in corpore, seu, vt melius dicamus, dum est in anima corpori vnita, & dum est separatus, ex eo quòd sit vnus, & idem secundùm suam entitatem, habet tamen diuersum statum, & diuersum essendi modum: & propereà eidem diuersum obiectum proportionatum in vno, & in alio statu tribuit, cum tamen eidem secundùm se, & vt præcindit ab hoc duplici statu nullum gradum immaterialitatis, neque aliquod obiectum proportionatum assignet.

Fit satis argumentis initio allatis.

§. III.

37. AD primum negandum est antecedens, si intelligatur de obiecto absolutè, & simpliciter proportionato, & coincidente cum obiecto adæquato intensiuè, & ad probationem distinguendum est antecedens: & si sensus illius sit, quod quæuis potentia est proportionata proportione commensurationis essentialis præcisè sumpta cum obiecto, à quo specificatur, concedendum est; si verò intelligatur de proportione efficacitatis, seu quantitatis virtutis superadditæ priori illi proportioni commensurationis essentialis negandum est: & eodem modo debet distingui consequens; & contra hoc non obest probatio consequentiæ, ibidem adductæ, quia nos non negamus obiectum specificatiuum intellectus, ac proindè ens in tota sua latitudine esse proportionatum proportione requisita ad specificandum: sed quod negamus est prædictum ens sic sumptum esse proportionatum proportione obiecti adæquati intensiuæ, ita vt non requirat super additionem virtutis, & efficaciæ in potentia ad hoc, vt perfectè terminetur ad omnia, quæ sub illo continentur adhuc diuisiuè sumpta.

38. Explicatur hoc: etenim duplex proportio potest in potentia cognoscitiua in ordine ad suum obiectum assignari, alia quidem commensurationis essentialis, ad quam solum requiritur, vt tale obiectum sit specificatum illius, vel contineantur intra latitudinem sui obiecti specificatiui, & hæc proportio est prima radix, & fundamentalis proportio, quæ potest alicui potentiæ conuenire. Vndè, hoc ipso quod potentia non habeat eam in ordine ad aliquod obiectum, nequit aliquam aliam proportionem in ordine ad illud per modum potentiæ cognoscitiuæ habere. Alia verò proportio est efficaciæ, siuè quantitatis virtutis, aut omnino proxima, quæ supra illam priorem proportionem addit, vt potentia habet sufficientem efficacitatem, & quantitatem virium ad hoc, vt possit efficaciter, & perfectè, & tanquam obiecta omninò connaturalia attingere illa obiecta respectu quorum dicitur habere prædictam proportionem efficaciæ, seu quantitatis virtutis.

Vndè, quia sola illa obiecta dicuntur esse proportionata absolutè, & simpliciter, seu proportionata per modum obiecti adæquari intensiuè: respectu quorum potentia habet simul cum priori illa proportione hanc posteriorem: propterea licet ens in toto suo ambitu, seu secundùm omnia, quæ sub se continet, sit obiectum proportionatum proportione obiecti specificatiui præcisè, & exigente solam commensurationem essentialem in intellectu, nihilominùs non est absolutè & simpliciter proportionatum respectu illius seu proportionatum per modum obiecti adæquati intensiuè, quia nomine obiecti absolutè, & simpliciter proportionati intelligitur, obiectum cum quo potentia habet proportionem efficaciæ, & quantitatis virtutis superadditæ superadditione saltem virtuali ad proportionem commensurationis essentialis.

39. Ratio autem, propter quam hæc duplex proportio virtualiter saltem distincta debet necessariò assignari, est: quoniam videmus, quod potentiæ cognoscitiuæ aliquando habent proportionem commensurationis essentialis, & radicalem, non verò proportionem quantitatis virtutis, siuè omninò proximam; & ita intellectus creatus est proportionatus priori illa commensuratione fundamentali in ordine ad videndum DEUM provt est in se, ex eo quod Deus sic visus continetur intra latitudinem sui obiecti adæquati, & nihilominùs non est in eo secundùm se sumpto posterior proportio: & ideò vsque dum habeat lumen gloriæ, per quod additur illi efficacia, & ea quantitas virium, quæ ad videndum Deum desideratur, solùm est inchoatè, & fundamentaliter proportionatus ratione prædictæ commensurationis essentialis non verò proportione absolutè, & simpliciter tali quæ includit efficaciam, & quantitatem virtutis ad talem visionem requisitam.

40. Et similiter visus noctuæ habet priorem illam & fundamentalem proportionem ad videndam lucem meridianam, non tamen hanc posteriorem; & ita nisi confortetur per additionem virtutis visiuæ, nequibit illam videre; ac tandem calor secundùm se habet commensurationem essentialem, ad producendum quemcumque calorem; quia specificatur à calefactione generaliter sumpta, & tamen non habet efficaciam, seu quantitatem virtutis, eidem commensurationi essentiali correspondentem, in ordine ad producendum calorem vt 7. nisi addatur illi modus quidam efficacitatis, & quantitatis virtu-

tis, quæ in illo nihil est aliud, quàm intensio proportionata in ordine ad talem effectum producendum & in aliis potentiis, vel est qualitas superaddita, vel formalitas quædam cum eisdem identificata, vel saltem modus aliquis iuxta diuersitatem potentiarum, & actuum: qui ab illis eliciendi sunt.

41. Ad secundum neganda est sequela, & ad probationem, concesso antecedenti neganda est consequentia: & ratio disparitatis est, quoniam album præcisè, quia album disgregat visum, & propterea non mirum, quod magis album magis disgregent. Cæterùm, ratio propter quam quidditas materialis est obiectum proportionatum intellectus, non est eius materialitas, sed potiùs eius immaterialitas, & modus immaterialitatis, quem habet, scilicet quod ita includat, vel concernat materiam in communi, vt simul abstrahit à materia in singulari. Vnde, quia in hoc omnes quidditates materiales, vt sunt obiectum proportionatum nostri intellectus, sunt æquales, quia nullam includunt materiam singularem, & omnes dicunt, vel concernunt materiam in communi, ideò ex hoc capite nulla est magis proportionata in ratione obiecti formaliter sumpti, quam alia.

Diximus in ratione obiecti formaliter sumpti: quia cum hoc stat, vt quidditates illæ, quarum formæ magis dominantur materiæ, sint magis proportionatæ cum intellectu, non verò illæ, quarum formæ sunt magis immersæ in materia: nam cùm intellectus adeò dominetur corpori, vt in suo esse non dependeat ab illo, fit indè, vt quidditates illæ, quæ constituuntur per formas magis dominantes materiæ, habeant maiorem conuenientiam in immaterialitate cum intellectu, & ita sint magis proportionatæ in esse rei cum illo. Cæterum hæc maior proportio solùm de materiali ab eisdem in ratione obiecti proportionati formaliter sumpti importatur, ex eo quod proportio in ratione obiecti formaliter sumpti accipitur ex gradu immaterialitatis, quem in 2. part. pro assertione explicuimus.

42. Nec refert, si vrgeas: quod quidditates magis vniuersales magis abstrahunt à materia singulari, ex eo quod sunt magis remotæ ab illa: ergo falsò dictum est, omnes quidditates materiales esse æquales in hoc quod est, abstrahere à materia. Non itaque hoc refert; nam hæc maior remotio à materia singulari de materiali solum importatur à quidditate materiali in ratione obiecti proportionati formaliter sumpti: quia formaliter solùm importat, quod abstrahant à materia singulari; & ideò loquentes de obiecto proportionato formaliter sumpto meritò asserimus, omnes quidditates materiales esse æquales, in hoc quod est, abstrahere à materia singulari: attamen cum hoc stat, vt illa maior remotio à materia singulari, quàm rationes materiales vniuersaliores important non tribuat illis, vt etiam de materiali habeant ex hoc capite esse perfectiores in ratione obiecti proportionati, quia potius vt in sua specie atoma constituuntur, habent rationem obiecti de materiali magis proportionati.

43. Et ratio est aperta: quoniam licet anima rationalis, sit quodammodo separata à materia physica, & singulari ratione independentiæ iam dictæ, nihilominùs est immediatè in illa, & ita quidditates materiales, quæ immediatè sunt coniunctæ cum materia singulari, quales sunt quidditates constitutæ in specie atoma, sunt de materiali magis proportionatæ cum eadem anima, ac proindè cum intellectu, qui est in eodem gradu immaterialitatis cum ea, & ratione illius concernit, vel non concernit materiam, & corpus.

Possùntque omnia hæc explicari exemplo Angeli infimi, qui vt 1. part. q. 12. artic. 5. & in materia de Angelis dici solet, habet pro obiecto de materiali magis proportionato suam substantiam ex eo, quod prædicta substantia in ratione intelligibilis non solùm est separata omninò à materia, sicut substantiæ aliorum Angelorum, sed est separata ab illa per tantam immaterialitatem: seu remotionem à potentialitate, verbi gratia, vt duo, vel vt ter, quantam ipsamet in ratione intellectiuæ habet; quamuis, quia quoad formale obiecti proportionati tantùm petitur à prædicto intellectu, quod suum obiectum sic omninò separatum à materia physica; ideo omnes substantiæ Angelicæ consideratæ in ratione obiecti formaliter proportionati, sunt æquales: ita ergo in præsenti proportione seruata philosophandum est.

44. Ad tertium concessa maiori, neganda est minor, ad cuius probationem negandum est antecedens: & ratio disparitatis est; nam accidentia materialia possunt esse effectus adæquati substantiarum materialium, & ita poterunt, modo infra, Deo dante, explicando, deseruire ad perfectam cognitionem earundem substantiam: secùs verò in ordine ad perfectam notitiam substantiarum spiritualium, & separatarum, quales sunt Angeli, nam respectu illorum, nec possunt esse effectus adæquantes eorum virtutem, nec necessariò petunt pendere ab illis. Ad illud autem, quod de Deo ibidem adducitur: patet ex dictis.

Ad confirmationem respondetur, quod licet daremus animam rationalem esse obiectum proportionatum intellectus pro hoc statu, nihilominùs non indè fieret substantias angelicas habere rationem obiecti proportionati pro eodem statu respectu illius: quoniam anima rationalis, ita est spiritualis, vt simul sit forma corporis: Secùs verò substantia angelicæ. Vndè licet anima non sit obiectum proportionatum intellectus pro hoc statu considerati, quatenùs habet modum essendi separatum à corpore, vel quatenùs est spiritualis, *vt quod*, benè tamen quatenùs constituit hominem, & modo in lib. de Generatione, & in hoc opere explicato, habet esse corporeum, *vt quo*.

DISPVTATIO XVIII.

DE INTELLECTV POSSIBILI QVOAD SPECIES intelligibiles, quibus indiget; vbi etiam de speciebus sensibilibus.

QVONIAM obiectum intellectus, non nisi mediis speciebus intelligibilibus redditur intelligibile, & influit in intellectionem, ideò postquam ostendimus, quodnam sit obiectum intellectus, meritò statim de speciebus intelligibilibus disputamus; quia verò eodem ferè modo de illis, & de speciebus sensibilibus philosophandum est, placuit propter connexionem doctrinæ in vna, & eadem disputatione de omnibus illis

illis sermonem texere, & simul in illa explicare, in quibusnam diuerso modo debeat in speciebus sensibilibus, & intelligibilibus philosophari, vt ita habeatur plena notitia de eis, tàm secundùm ea, in quibus conueniunt, quàm secundùm illa, in quibus discriminantur.

QVÆSTIO PRIMA.

AN SENSVS, ET INTELLECTVS INDIGEANT speciebus impressis ad suas cognitiones dicendas.

CONsulto in titulo addita est illa particula; impressis, quia in præsenti non de speciebus expressis, sed de impressis, seu de speciebus illis, quæ præsupponuntor in sensibus, & in intellectu ad sensationem, vel intellectionem agendum est: nam de speciebus expressis, seu verbis ad cognitionem sensitiuam; vel intellectiuam subsecutis, postea sermonem instituemus.

Proponitur duplex opinio.

§. I.

1. PRima sententia asserit sensus, tàm internos, quàm externos non indigere speciebus sensibilibus impressis ad suas sensationes eliciendas. Ita quo ad externos, Galenus 7. de Placitis, vt refert D. Gregorius Nyssenus libr. de viribus animæ, quam etiam tenent Plotinus & quidam Platonici, vt refert Toletus 2. de anima, q. 35. quo ad sensus verò internos eandem tuentur plures alij Philosophi, quos infrà referemus.

Et licèt sententia hæc, quo ad priorem eius partem posset discurrendo sigillatim per omnes sensus externos, maximè verò per gustum, & tactum pluribus argumentis suaderi: nihilominus quia ex alibi dictis, præcipuè verò disp. de tactu eorum solutio constat: ideò consultò omittuntur: & vnico Galeni fundamento probatur, nam potentiæ cognoscitiuæ non indigent speciebus, nisi vt ab eis determinentur ad cognoscenda hæc potiùs obiecta, quàm illa, vt ex infrà dicendis constabit: ergo sensus externi non indigebunt prædictis speciebus. Patet consequentia, nam cum non possint sentire nisi obiecta realiter sibi præsentia; fiet indè, vt sufficienter determinentur per prædictam præsentiam, ad hoc vt hæc obiecta, scil. præsentia potiùs quàm illa nimirum absentia percipiant, & ita superfluè aliquid aliud ad hanc determinationem additur.

2. Secundò eadem sententia quoad sensus internos probatur: quoniam sensus isti sufficienter determinantur per determinationem sensuum externorum: ergo non indigebunt speciebus sensibilibus. Consequentia patet ex nuper dictis. Antecedens autem probatur, quoniam sensus interni non possunt sentire nisi mediante sensatione externorum: ergo hoc ipso, quòd externi sentiant hoc obiectum, potiùs quàm illud, manebunt interni determinati ad illud obiectum potius quàm aliud percipiendum.

Confirmatur, primò ideò intellectus indiget speciebus intelligibilibus ad hoc vt determinetur ad intellectionem huius obiecti, magis quàm alterius; quia determinatio, quæ fit per sensus externos, est inferioris ordinis, ac ipse intellectus: sed determinatio facta per sensus externos, est eiusdem ordinis sensibilis cum determinatione, qua indigent sensus interni: ergo non indigebunt aliqua alia determinatione præter eam quæ fit per sensus externos: Minor cum consequentia satis patere videtur. Maior autem etiam liquet; quoniam determinans subdit sibi rem determinabilem; id autem quod est inferioris ordinis, nequit subdere id quod est ordinis superioris: ergo, &c.

3. Confirmatur secundò, quoniam si sensus externi indigerent speciebus impressis ad sui determinationem, deberent eas conseruare, ad hoc, vt in absentia obiectorum possent cognoscere: hoc autem est impossibile: ergo, &c. Sequela non indiget probatione, falsitas autem consequentis videtur nota: quia alioqui non possent non prædicti sensus esse in actuali cognitione omnium obiectorum, quorum species habent, siquidem sunt agentia naturalia, & haberent omnia requisita ad operandum, scilicèt potentiam sensitiuam & speciem obiecti.

Vltimò eadem sententia quo ad vtramque sui partem probatur: nam ex opposito duo absurda sequerentur. Primum est, duo accidentia solo numero distincta esse in eodem subiecto. Secundùm verò, quod accidens magnæ extensionis reciperetur in subiecto habente satis exiguam extensionem. Sequela quo ad priorem partem patet: quoniam dum quis per sensum externum, vel internum percipit duas res solum numero distinctas, haberet duas species impressas earum, numericè tantum diuersas. Quo ad secundam autem partem etiam constat; nam species repræsentans ingentem montem debet esse non exiguæ extensionis: at hæc deberet recipi in subiecto satis exiguo, seu in organo sensus externi, vel interni: ergo, &c.

4. Secunda sententia docet; nullam potentiam cognoscitiuam siuè sensitiuam, siuè intellectiuam indigere speciebus. Ita Ochan. in 2. q. 17. & 18. Gabriel dist. 3. q. 2. Durand. q. 6. & in 3. dist. 49. q. 2. & alij relati à Soto in 1. dist. 3. q. 7. Quam sententiam, quo ad solum intellectum tuentur Themistius, Theofr. & Ioan. Baccon. vt refert Tolet. lib. 3. de Anima q. 21.

Opinio hæc quo ad potentias sensitiuas constat ex dictis pro præced. Quo ad intellectiuam verò probatur primò, quoniam aliàs intellectus etiam pro hoc statu non penderet in intelligendo à phantasmatibus: hoc autem est falsum, vt constabit ex his quæ infrà dicemus: ergo, &c. Sequela probatus quia ad intelligendum, tãtum requiritur intellectus vnà cum specie intelligibili, sicut ad videndum solum desideratur visus, & species visibiles: ergo hoc ipso, quod intellectus haberet prædictas species, posset sine dependentia, aut cõuersione ad phantasmata inteligere.

5. Secundò, nam relationes, negationes, priuationes, substantiæ angelicæ, & res spirituales non intelliguntur ab intellectu pro hoc statu mediantibus speciebus intelligibilibus: ergo nec reliqua alia. Consequentia patet, quia si intellectus indigeret speciebus, nihil posset intelligere sine illis, vt ex infra dicendis magis constabit. Antecedens autem probatur, ex eo quod pro isto statu possunt ad summum admitti species per abstractionem à phantasmatibus: sed nec negationum, aut priuationum, aut alicuius ex enumeratis dantur phantasmata, quia omnia illa sunt phantasiæ ignota: ergo, &c.

adæquatum extensiuè, vel, vt alij dicunt, terminatiuum; ad quod secundùm omnes suas partes potentia aliquo modo extenditur, non verò extra illud, & ita nuncupatur obiectum adæquatum extensionis, quia est id in ordine ad quod potentia modo dicto ita extenditur, vt ad illud, non verò vltra ipsum extendi valeat: & similiter dicitur terminatiuum, quia totam eius vim terminat; ac proindè, est terminus, totius vt sic dicamus, extensionis, & sphæræ potentiæ.

Aliud verò adæquatum intensiuè, vel vt alij loquuntur adæquatum in ratione obiecti proportionati, seu in ratione obiecti motiui, ad quod non solùm petitur, vt possit potentia vtcunque circa illud versari secundùm omnia quæ continet: sed insuper, quod virtute sua naturali, absque necessitate additionis nouarum virium, ac tandem perfectè, vt in obiectum connaturale possit in illud ferri: quo pacto sonus prout continet omnes soni differentias, quæ consistunt in mediocritate proportionata auditui, potest dici hoc modo obiectum adæquatum illius, ex eo, quod auditus suis viribus relictus solùm percipit perfectè, & sine læsione, eundem sonum prædicto modo sumptum: sicut etiam ob eandem rationem obiectum adæquatum intensiuè visus noctuæ non est lumen diuinum, sed nocturnum, aut aliud huiusmodi.

Hoc autem obiectum dicitur adæquatum intensiuè, quia potentia suis viribus relicta habet sufficientem, vt sic dicamus, intensionem, seu efficacitatem ad illud secundùm omnia ea, quæ continet, attingendum: sicut etiam ob eandem rationem nuncupatur proportionatum, quia prædictis viribus, & efficacitati potentiæ ita proportionatur, vt illa non excedat. Et tandem appellatur motiuum, ex eo quod potest per se primò intentionaliter immutare potentiam, & illi connaturaliter vniri.

Titulus ergo non intelligitur de obiecto adæquato intensiuè, sed de obiecto adæquato extensiuè, nam de illo priori in seq. quæst. agendum est.

Rationes dubitandi.

§. II.

2. PRima est, quoniam nihil est cognoscibile ab intellectu nostro, nisi ministerio sensuum; ergo ens in tota latitudine non erit obiectum adæquatum illius. Antecedens patet ex communi illo Philosophorum axiomate: nimirùm; nihil est intellectu, quin priùs fuerit in sensu. Consequentia autem probatur, quoniam solùm entia materialia cognoscuntur ministerio sensuum, quia sola potuerunt esse aliquo modo sensibilia in illo, scilicet, vel per modum sensibilis proprij, vel communis, aut per accidens.

Secunda est, quia sub ratione entis in toto suo ambitu continetur ratio naturalitatis, & supernaturalitatis, sed hæ duæ rationes non possunt constituere vnicum, & idem obiectum adæquatum vnius potentiæ, ergo ens prout ambit vtramque nequit esse obiectum adæquatum intellectus humani. Maior cum consequentia non indiget probatione. Minor autem probatur, nam entitas naturalis exigit potentiam naturalem cognoscitiuam illius: entitas verò supernaturalis postulat potentiam cognoscitiuam supernaturalem: ergo non possunt constituere vnicum, & idem obiectum vnius potentiæ: alioqui eadem potentia esset simul naturalis, & supernaturalis, quod, vt intuenti constabit, apertè repugnat.

3. Tertia, quoniam si obiectum adæquatum intellectus esset ens, aut verum in tota sua latitudine fieret indè, vt intellectus angelicus, & humanus non distinguerentur specie: hoc autem est apertè falsum: ergo, &c. Sequela patet: quoniam potentiæ intellectiuæ distinguuntur specie penes sua obiecta adæquata: at si intellectus humanus haberet pro obiecto adæquato ens in tota sua latitudine, tunc idem esset obiectum adæquatum intellectus humani, & angelici, siquidem angelicus versatur circa ens in tota sua latitudine tanquam circa obiectum adæquatum: ergo, &c. Minor autem probatur: quoniam intellectus angelicus, & humanus sunt in diuerso gradu immaterialitatis, vt docet D. Thom. 1. p. q. 14. art. 4. potentiæ autem cognoscitiuæ distinguuntur specie penes diuersos gradus immaterialitatis, vt communiter docent Philosophi, ergo, &c.

Communis & vera sententia.

§. III.

4. DIcendum tamen est, obiectum adæquatum nostri intellectus esse ens, aut verum in tota sua latitudine. Ita D. Tho. 1. part. q. 84. artic. 7. ad tertium, & q. 87. art. 3. ad primũ, vbi loquẽdo de obiecto intellectus nostri sic ait: *Dicẽdum, quod obiectum intellectus est cõmune quoddam scilicèt ens, & verum sub quo comprehenditur etiam ipse actus intelligendi.* Si autem eos non in tota sua latitudine, sed vt restringitur ad ens v. g. naturale, esset obiectum nostri intellectus, non dixisset absolutè, ens esse obiectum illius, sed addidisset ly naturale, sicut quia obiectum Philosophiæ non est idem ens in toto suo ambitu, sed limitatum ad ens mobile; propterea dum eius obiectum locis cit. in lib. Phys. disp. 1. num. 9. assignauit, non dixit absolutè obiectum illius esse ens, sed esse ens mobile.

Idem etiam docet q. 79. art. 2. his verbis: *Intellectus enim, sicut supra dictum est habet operationem circa ens in vniuersali*, & q. art. 7. inquit: *Intellectus autem respicit suum obiectum secundum communem rationem entis, eo quod intellectus possibilis est, quod est omnia fieri: vnde secundum nullam differentiam entis diuersificatur differentia intellectus possibilis.* Vndè S. Doctorem sequuntur Bañez 1. part. q. 84. artic. 7. & communiter eius Discipuli. Ex aliis verò, Scotus in 1. dist. 3. q. 3. Fonseca 1. Meth. cap. 1. q. 1. sect. 7. ad secundum, Suarez 2. tom. summæ Theolog. art. 3. lib. 4. cap. 1. & omnes alij, tam Philosophi, quàm Theologi.

5. Rationem autem potissimam huius assertionis insinuauit D. Thom. locis cit præcipuè verò art. 7. quæst. 84. quæ potest sub hac forma proponi; nam illud est obiectum adæquatum extensionis alicuius potentiæ, ad quod secundùm omnes suas partes sumptum, potest vtcumque extendi non verò vltra illud: sed intellectus noster potest vtcumque extendi ad ens, siuè verum in tota sua latitudine, non verò vltra illud: ergo ens, siuè verum in tota sua latitudine erit obiectum adæquatum extensionis respectu illius. Maior cum consequentia satis est perspicua Minor verò etiam liquet; siquidem intellectus (vt experientia constat) non potest non versari nisi circa ens, & nullum est ens, quod ab ipso non possit saltem vtcumque attingi, & ita valet vtcumque cognoscere Deum, vt est Auctor naturæ, & gratiæ, & per consequens omnia alia entia creata.

Confirmatur ratione, quam insinuat idem S. Doctor, quoniam aliàs intellectus humanus non posset etiam per diuinam potentiam eleuari ad videndum Deum prout est in esse, & ad cognoscendos quosuis alios effectus naturales, siuè supernaturales sigillatim sumptos, cuius oppositum docent communiter

Theo

Theologi 1. part. quæst. 12. Patet sequela : quoniam nulla potentia cognoscitiua potest eleuari ad cognoscendum aliquod obiectum, quod sit extra latitudinem sui obiecti adæquati, quia eius essentia consistit in commensuratione, & adæquatione essentiali cum illo, & ita visus nequit eleuari ad gustandum, neque auditus ad videndum ergo si Deus, vt clarè visus prout est in se ; & cæteri alij effectus, tam naturales, quàm supernaturales non continentur sub obiecto adæquato nostri intellectus, ac proindè, oec ens secundùm suam totam latitudinem (secundùm quam hæc omnia ambit) est obiectum adæquatum illius, non poterit etiam supernaturaliter ad hæc attingenda eleuari.

6. Nec refert, si contra hanc rationem obiicias primò, satis esse ad rationem obiecti adæquati extensionis, quod attingatur per se primò, & ratione sui à potentia, & quod si quæ alia attinguntur, debeant ratione illius attingi ; ergo ex ratione facta non concluditur ens in tota sua latitudine esse obiectum adæquatum intellectus, saltem pro hoc statu, sed satis esse, vt habeat pro obiecto adæquato quidditatem materialem. Antecedens probatur exemplo Theologiæ, quæ licèt extendatur ad plura alia quàm ad Deum, nihilominus, quia terminatur ad Deum per se primò, & ratione ipsius, & ad cætera alia ratione diuinæ essentiæ, & per ordinem ad illam : ideò Deus est obiectum adæquatum extensionis respectu illius ; quippè quæ ab eo solummodò specificatur.

Consequentia autem probatur, quia quidditas materialis ita comparatur cum intellectu, saltem pro hoc statu, vt ipsa per se primò, & ratione sui cætera verò alia, non nisi ratione eius, & per ordinem ad ipsam intelligantur, vt experientia constat : ergo ex ratione pro assertione facta ad summum concluditur ens, prout restringitur ad prædictam quidditatem materialem, non verò in tota sua latitudine esse obiectum adæquatum ; intellectus saltem pro hoc statu.

7. Respondetur enim antecedens ad summum esse verum, quando potentia, vel habitus ita extenditur ad alia obiecta, vt repugnet etiam supernaturaliter terminari ad illa nisi per ordinem ad obiectum, quod dicitur esse adæquatum, vt contingit in habitu Theologiæ, iuxta probabilem multorum opinionem, quæ quidem non potest vllo modo inclinare in cognitionem creaturarum, nisi ratione diuinæ essentiæ : ex eo quod inspiciuntur, vel quatenùs sunt effectus illius, vel quatenùs habent rationem medij ad Deum assequendum, &c. At intellectus noster etiam pro hoc statu potest saltem per modum transeuntis eleuari ad cognoscendas res spirituales, licèt eas non cognoscat ratione quidditatis materialis, & ad modum illius, & ideò prædicta quidditas nequit esse obiectum adæquatum extensionis respectu illius, etiamsi pro hoc statu consideretur.

Ex quo etiam manet soluta alia obiectio, quæ contra rationem nostræ assertionis solet fieri, scilicet ex discursu illius etiam sequi, quod ens prout ambit, tam ens reale, quàm rationis, sit obiectum adæquatum extensionis respectu intellectus ; siquidem iste extenditur tam ad ens reale, quàm ad ens rationis : hoc autem videtur falsum : Tum quia aliàs illud quod est purum nihil, ingrederetur aliquo modo ad specificandum realem potentiam : Tum etiam, quia enti realij, & rationis, nequit dari aliqua ratio communis, & vniuoca, qualis requiritur ad vnicum, & idem obiectum vnius potentiæ, vt constat ex his verbis, quæ in Logica disp. 15. num. 11. diximus.

8. Ex dictis ergo obiectio hæc satis corruit : nam ens rationis est talis conditionis, vt etiam per diuinam potentiam nequeat cognosci nisi ratione entis realis, & ad motum illius, & ita ens reale erit obiectum adæquatum intellectus, siquidem nihil præter ipsum, vel ratione ipsius ab eo attingitur.

Quamuis etiam non minus probabiliter ; & magis consequenter ad ea, quæ alibi diximus responderi possit ad hanc obiectionem si dicatur obiectum adæquatum intellectus esse ens, prout ambit, tam ens reale, quàm rationis, ex eo quod obiectum habitus Logicæ est ens rationis. Habitus autem alicuius potentiæ sunt determinationes ipsius in ordine ad peculiaria obiecta inadæquata, circa quæ ipsa versatur, & ita si habitus Logicæ peculiariter inclinat in ens rationis logicale, vt in obiectum formale illius, signum est prædictum ens etiam pertinere per modum obiecti formalis inadæquati ad obiectum formale adæquatum intellectus, de quo in præsenti loquimur, atque adeo ens prout illud ambit, esse obiectum adæquatum eiusdem intellectus.

Neque contra hunc dicendi modum vrgent ; Tum ea, quæ nuper in priori solutione dicebamus ; nam iuxta hanc secundam, licet ens rationis in esse entis dependeat ab ente reali : nihilominus in esse obiecti intelligibilis non pendet ab illo, quatenus habet proprias passiones per quas intelligatur, & sciatus (videantur ea quæ in Logica disp. 1. num. 24. diximus :) Tum etiam, id quod in hac a. obiectione tangitur ad probandam minorem illius, nam ad primam probationem constat, ex his, quæ in Logica disput. 1. quæst. 5. diximus : & ad secundam patet etiam ex ibidem dictis disp. 19. quæst. 4. maximè verò num. 52. 54. & 55. nec non num. 78.

Soluuntur rationes dubitandi initio adductæ.

§. IV.

9. AD primam, concesso antecedenti, neganda est consequentia, & ad probationem, respondetur quòd etiam entia spiritualia cognoscuntur pro hoc statu aliquo modo ministerio sensuum, quatenus cognoscuntur dependenter à rebus sensibilibus & materialibus, quæ ministerio sensuum debent cognosci.

Ad secundam respondetur, negando minorem, & ad probationem, quod entia supernaturalia, vt cognoscibilia ab aliqua potentia propriis viribus, & sine aliqua eleuatione exigunt potentiam supernaturalem, non tamen vt cognoscibilia ad illa mediante aliqua eleuatione supernaturali : at intellectus humanus, non nisi hoc posteriori modo potest attingere entia supernaturalia, vt talia :. & ita licet non sit potentia supernaturalis, poterit mediante eleuatione ad entia supernaturalia terminari.

Adde, esse valdè probabile in sententia Thomistarum, vt optimè notauit, Ledesma de perfectione Dei, quod licet intellectus sit identicè vna, & eadem potentia, nihilominùs in eo reperitur duplex formaliter ratio : Vnà nimirum potentiæ naturalis, alia verò potentiæ obedientialis, quæ sit formaliter supernaturalia : & ita secundùm rationem potentiæ naturalis respicit ens naturale in tota sua latitudine : at secundùm rationem potentiæ obedientialis terminatur ad ens supernaturale in toto suo ambitu : atque adeo sumpta, vt identificat sibi vtramque rationem : quo pacto de intellectu in præsenti loquimur, respicit ens in tota sua latitudine, prout ambit tam res naturales, quàm supernaturales.

Occurritur

Occurritur vltimæ rationi dubitandi initio allatæ.

§. V.

10. AD vltimum respondetur primò neganda sequelam, & ad probationem, quod licet intellectus angelicus, & humanus respiciant ens in tota sua latitudine, vt rationem formalem, *qua*, eisdem adæquatum, nihilominus respiciunt illud diuerso modo: & sub distincta ratione *sub qua*, potentiæ autem non specificantur a ratione formali *qua* etiam adæquata, nisi vt stat sub ratione formali *sub qua*, seu modo illo proprio cuiusuis potentiæ, sub quo in illam tendit, & ita non mirum quod prædicti intellectus specie distinguantur.

Si autem inquiras, quisnam sit iste distinctus modus, seu distincta ratio *sub qua* prædicti intellectus respiciunt ens in tota sua latitudine. Respondetur, posse id explicari, vel ex eo; quod intellectus angelicus habet talem modum tendendi, vt petat per simplicem notitiam, non verò per discursum tendere in prædictum obiectum: humanus verò ita tendit in illud, vt possit per discursum circa ipsum versari, vel ex eo quod angelicus habet talem modum respiciendi ens in tota sua latitudine, qualis requiritur ad potentiam intellectiuam, quæ partim sit in actu, partim verò in potentia: humanus verò petit modum non ita perfectum, sed talem qualis requiritur ad intellectum, qui in ordine intellectiuo potest esse pura potentia.

11. Secundò respondetur cum Alberto, primo de Anima cap. penultimo, Caietanus 1. part. quæst. 77. art. 3. Ferrara 2. contra Gent. cap. 94. Thiniens 2. de Anima text. 9. & pluribus aliis ex Thomistis, intellectum humanum, v. g. posse considerari dupliciter, scilic. vel in ratione potentiæ formaliter sumptæ, vel in ratione proprietatis: & si consideretur secundùm priorem rationem, esse eiusdem speciei cum intellectu angelico in ratione potentiæ formaliter considerato: si verò accipiatur secundùm posteriorem rationem, esse diuersæ speciei. Quare cum potentiæ in ratione potentiarum, specificentur ab obiectis: fit inde, vt tam intellectus humanus, quàm angelicus debeant habere vnum, & idem obiectum adæquatum extensionis, licet quia proprietates, vt tales habent suum esse per ordinem ad naturam, à qua fluunt, debeant prædicti intellectus, quatenus in ratione proprietatum considerantur, fluere à diuersis naturis easque respicere.

Cæterùm, hæc solutio displiciter Francisco Suarez 2. tom. summæ Theol. tr. 3. l. 4. cap. 1. num. 7. & aliis ex iunioribus: & ideo contra eam plura obiiciunt. Primò quidem, nam potentiæ non sunt proprietates essentiæ, nisi vt potentiæ sunt: ergo si in quantum potentiæ non differunt specie, neque etiam in quantum proprietates differunt.

12. Confirmatur primò, nam potentiæ istæ, vt proprietates sunt, debent ad aliquam speciem qualitatis pertinere: at non ad aliam, nisi ad naturalem potentiam: ergo vt proprietates habent esse potentias: ergo si specie differunt in ratione proprietatum, eodem modo distinguentur in ratione potentiarum.

Confirmatur secundò: quoniam in ratione potentiarum sunt accidentia, sed non accidentia communia, ergo propria, ruit ergo prædicta distinctio intellectuum quatenus potentiæ, & quatenus proprietates sunt.

Secundò obiiciunt, quod intellectus humanus quatenus est potentia habet esse puram potentiam in ordine intelligibili: angelicus verò partim est in actu, & partim in potentia: ergo etiam in ratione potentiarum distinguentur specie.

Confirmatur, nam intellectus angelicus, vt potentia intellectiua est, tendit distincto modo in ens generaliter sumptum ac intellectus humanus, quandoquidem ille per simplicem intuitum, & sine discursu, hic verò discurrendo potest ad illud terminari: ergo etiam in ratione potentiarum erunt distinctæ speciei. Patet consequentia, nam potentiæ tendentes ad distinctum obiectum sub distincto modo tendendi, debent distingui specie.

13. Tertio, nam ea, quæ oriuntur à diuersis essentialiter principiis, vt diuersa sunt, debent essentialiter distingui: sed intellectus angelicus & humanus, etiam vt potentiæ sunt, oriuntur à diuersis essentialiter naturis, vt diuersæ sunt: ergo debent essentialiter distingui. Maior videtur certa: nam diuersitas principiorum per se desiderata ad aliquos effectus, non potest non splendere in illis. Minor autem etiam constat: quoniam intellectus humanus, vt est potentia intellectiua, oritur ab anima rationali, vt rationali, quia secundum vltimam rationem est potentia radicaliter rationatiua, & similiter intellectus angelicus, vt potentia angelica est, fluit à natura angelica, vt tali, quia prædicta natura est intellectiua per modum potentiæ radicalis: ergo prædicti intellectus oriuntur à principiis essentialiter diuersis.

Confirmatur, nam intellectus angelicus, & humanus etiam, vt potentiæ sunt, pertinent ad diuersos gradus immaterialitatis: ergo etiam vt potentiæ distinguuntur specie. Antecedens patet: quoniam natura intellectiua, & eius potentia pertinent ad eumdem gradum immaterialitatis: constat autem naturam angelicam, & animam rationalem non pertinere ad eumdem immaterialitatis gradum: ergo neque intellectus angelicus, & humanus. Consequentia autem probatur, quoniam diuersitas in gradu immaterialitatis satis est ad diuersitatem specificam: & ita duæ naturæ angelicæ distinguuntur specie penes maiorem, vel minorem immaterialitatem, quam habent.

14. Vltimò, quoniam repugnant aliqua duo distingui secundùm aliquid pertinens ad suam atomam, & differentialem rationem, & non differre secundùm omnia, quæ ad talem rationem differentialem pertinens, vt inductiuè constat: ergo si intellectus angelicus, & humanus differunt specie in ratione proprietatum, eodem modo different in ratione potentiarum. Patet consequentia, quia ad rationem differentialem intellectus humani spectat esse proprietatem animæ rationalis, & ita intellectus humanus, vt humanus essentialiter illam respicit.

15. Ad primam ex his obiectionibus respondetur distinguendo antecedens: & si sensus illius sit, quod essentia prædictorum intellectuum in ratione potentiarum sita sit: in hoc quòd sint proprietates, vel quòd hæc ratio proprietatum pertineat aliquo modo ad earum specificationem, negandum est: si verò sensus illius sit: quòd ratio proprietatis est ratio de materiali importata in eisdem ratione coniunctionis, quam de materiali habent, cum suis naturis, concedendum est, & deinde neganda est consequentia, quia vt consequens esset verum, debet antecedens non esse falsum in priori sensu.

Explicatur hoc exemplo lucis quæ licet in ratione modi afficiendi solem, & aërem distinguantur specie, quia in aëre afficit per modum accidentis communis, in sole verò per modum accidentis proprij, & nihilominus in ratione lucis, & naturalis potentiæ est eiusdem speciei. Et ratio est eadem in vtroque, quia licet

licet lux secundùm quod talis accidat aëri, & per se coniungatur cum sole, nihilominùs neutrum istorum pertinet ad propriam speficationem illius, si in ratione naturalis potentiæ consideretur, sed est ratio quædã de materiali importata ab alia secundùm quod est in diuersis subiectis, sc. si, in aëre,& in sole, ita etiam in præsenti proportione tamen seruata Philosophandum est.

16. Ad primam confirmationem respondetur, prædictas potentias in ratione proprietatum formaliter, & cum præcisione sumptarum pertinere solum reductiuè ad secundam speciem qualitatis, scilicet ad naturalem potentiam, quia vt proprietates sunt, solùm important rationem quandam inadæquatam, seu modificationem eorumdem intellectuum, vt sunt potentiæ pertinentas ad secundam speciem qualitatis.

Ad secundam patet ex dictis, quomodo in accidentibus, hoc quod est esse accidentia communia, vel propria, non variat speciem naturalis potentiæ, sed solum addit habitudinem quandam ad naturam in qua sunt: ita tamen, vt hæc habitudo de materiali importetur ab eisdem vt potentiæ sunt, imò non solum materialiter, sed per accidens, si ratio potentiæ secundùm ea, quæ ad suam lineam præcisè spectant, consideretur, vt in luce, in sole, & aere dicebamus, & similiter si per possibile, vel impossibile intellectus angelicus Gabrielis vniretur cum anima rationali, tunc respectu illius esset accidens commune, & respectu Gabrielis accidens proprium, & nihilominus in ratione potentiæ vtrobique esset eiusdem speciei.

17. Diximus non solùm materialiter, sed etiam per accidens, si ratio potentiæ præcisè secundùm essentialia suæ lineæ consideretur; quia si potentia intellectiua sumatur secundùm ea, quæ identicè importat: tunc per se coniungitur cum ratione proprietatis, & per illam sua adæquata, & identica ratione potentiæ, & proprietatis constituitur: hoc tamen non obest quin ipsimet, vt cum præcisione consideratur secundùm propria lineæ potentiæ per accidens conueniat ratio proprietatis, quandoquidem ea, quæ sunt extranea alicui lineæ, vt tali, & cum præcisione sumptæ dicuntur per accidens ei conuenire.

Ad secundam obiectionem respondetur concedendo intellectum humanum esse in ordine intelligibili puram potentiam, secus vero angelicum, Cæterùm, hæ duæ rationes non variant eorum speciem in ratione potentiarum, quia intellectus humanus de materiali, seu ratione coniunctionis, quam habet ad animam rationalem, vt est in isto statu, habet rationem puræ potentiæ in ordine intelligibili, nõ verò si sumatur cum omnimoda præcisione suorum prædicatorum essentialium in ratione potentiæ, & ita si anima separata crearetur, & vnà cum illo intellectus: tunc esset partim in actu, & partim in potentia in ordine intelligibili non minus, quàm intellectus angelicus.

18. Ad confirmationem respondetur, modos illos tendendi de materiali importari, iuxta hunc modum dicendi à prædictis intellectibus in ratione potentiarum formaliter sumptis ratione coniunctionis, quam habent ad diuersas naturas: & ita intellectus humanus in statu separationis potest per simplicem intuitum intelligere. Quod si in eodem statu remanet cum potentia ad discurrendum, conuenit illi ex eo quòd vna cum anima est coniungibilis cum corpore. Cæterùm, vt iam innuimus, hæc coniunctio, aut coniungibilitas, siue cum anima, siue cum corpore, modo suprà explicato est quid materiale ad eundem intellectum in ratione potentiæ formaliter sumptum quia secundùm hanc rationem præscindit secundùm suam rationem formaliter consideratam ab ordine ad animam, & corpus, & propterea non specificatur ab illis, sed ab actibus, & obiectis, vt suprà disp. 7. num. 8. diximus.

Ad tertiam respondetur, solùm probare, quòd ea, quæ oriuntur à diuersis principiis, vt diuersa sunt, debeant essentialiter distingui, quatenus ab illis oriuntur, seu secundùm illam habitudinem, secundùm quam ea respiciunt, non verò quod quidquid vnà cum prædicta habitudine oritur ab illis, debeat oriri cum essentiali diuersitate: & ita homo genitus & creatus vt tales sunt, oriuntur à diuersis principiis, & nihilominus non distinguuntur in ratione hominis, sed in ratione geniti, & creati, ita ergo in præsenti de potentia intellectiua angelica, & humana philosophandum est.

19. Et ratio est eadem in vtroque; quia sicut in homine genito, & creato potest considerari & ratio hominis, & rationes creati, vel geniti, & istæ sunt materiales respectu hominis secundùm suam speciem, ita etiam in intellectu angelico, vel humano potest considerari ratio potentiæ, & ratio fluxus à natura angelica, vel humana, & ista posterior ratio de materiali importatur ab eisdem intellectibus in ratione potentiarum: nam sicut homo secundùm se sumptus non specificatur à sua causa efficienti quamuis non possit non fieri ab aliqua causa, ita intellectus humanus, & angelicus secundùm suam speciem in ratione potentiæ præcisè consideratam non specificantur à naturis à quibus fluunt, licet alias non possint non saltem connaturaliter loquendo ab illis fluere.

Nec contra hoc obest probatio ibidem in minori sic sumpta, scilicet naturam angelicam, verbi gratia, vt talem esse intellectiuam per modum potentiæ radicalis, quia inde, ad summum sequitur, quod ab ea debet oriri aliqua potentia proximè intellectiua, cui de materiali coniungatur ordo ad eandem naturam, & fluxus ab illa; sicut ex eo quòd sol, vt talis, sit radicaliter illuminatiuus, solum sequitur dandam esse in eo potentiam illuminatiuam cui de materiali coniungatur, quod fluat ab illa, non tamen, quod ad eius speciem prædictus fluxus desideretur.

20. Ad confirmationem: quòd diuersitas in gradu immaterialitatis non attenditur in potentiis secundùm id præcisè, quod secundùm speciem important, sed secundùm modum essendi, & statum quem habent, & ita intellectus noster pro hoc statu est in inferiori gradu immaterialitatis, ac ipsemet in statu separationis. Vnde ex prædicta diuersitate in gradu immaterialitatis nequit colligi diuersitas intellectuum in ratione potentiarum, & secundùm suam speciem cum præcisione sumptarum.

Ad vltimum dicendum est, antecedens ad summum esse verum, quando illa duo differunt in aliqua ratione inadæquata pertinente ad conceptum intrinsecum, & differentialem alicuius ex illis, secus verò quando solùm differunt in aliqua ratione inadæquata, siue modali de materiali importata, & supponente iam speciem constitutam, vt in præsenti contingit. Vnde æstimatiua hominis, & bruti sunt eiusdem speciei, licet æstimatiua hominis, propter coniunctionem ad naturam illius habeat aliquam maiorem perfectionem modalem, & distinctæ speciei in illo, & in bruto: & ita maneret in ratione æstimatiuæ eiusdem speciei, licet priuaretur prædicta modificatione: ita ergo in præsenti proportione seruata philosophari debet, si per possibile, vel impossibile separaretur intellectus humanus ab anima, & ab illo ordine quem in ratione potentiæ de materiali ad illam dicit, tunc remaneret integer in ratione potentiæ cum præcisione sumptæ, & eiusdem speciei cum angelico.

QVÆ-

QVÆSTIO II

Vtrum obiectum proportionatum intellectus poßibilis, seu obiectum adæquatum intensiuè illius, sit sola quidditas materialis?

Titulus huius quæstionis ex dictis in præced. satis constat: imò, & ratio ordinis huius quæstionis ad præcedentem, & siquidem obiectum adæquatum extensiuè, prius est obiecto proportionato, & aliquo modo post illud, terminatur potentia ad istud.

Argumenta pro parte negante.

§. I.

21. PArtem negantem suadere videntur hæc argumenta. Primò, quoniam idem debet esse obiectum adæquatum extensionis, seu specificatiuum & obiectum proportionatum: ergo si obiectum specificatiuum intellectus est ens in tota sua latitudine: hoc ipsum erit obiectum proportionatum illius. Consequentia patet. Antecedens verò probatur: nam quæuis potentia est proportionata in ordine ad obiectum, à quo specificatur, quoniam essentia illius consistit in commensuratiooe, & coaptatione quadam in ordine ad illud: ergo prædictum obiectum hoc ipso, quod specificatiuum, debet esse proportionatum respectu illius. Patet consequentia, quia non stat, aliquam potentiam esse proportionatam respectu alicuius obiecti, & tale obiectum non esse proportionatum respectu illius: ita hoc ipso, quod visus Aquilæ sit proportionatus ad videndum solem, etiam sol est proportionatus in ratione obiecti visibilis respectu illius.

Secundo, nam si qoidditas materialis esset obiectum proportionatum nostri intellectus, tunc quo aliqua quidditas esset materialior, esset magis proportionata in ratione obiecti respecto illius, hoc autem est falsum, vt communiter admittunt philosophi: ergo, &c. Sequela patet, quoniam ex eo colligimus magis album, esse magis disgregatiuum visus, quia album est disgregatiuum illius: ergo si quidditas materialis est obiectum proportionatum nostri intellectus, optimè inde colligemus quidditatem magis materialem esse magis proportionatam in ratione obiecti.

22. Tertiò, nam illud est obiectum proportionatum, quod potest attingi perfectè à potentia suis viribus relicta, sed potentia intellectiua suis viribus relicta potest, saltem per discursum, deuenire in perfectam cognitionem substantiarum spiritualium: ergo non minus quidditas spiritualis, quàm materialis erit obiectum proportionatum illius. Maior constat ex dictis quæstione præcedenti. Minor vero etiam liquet, nam sicut ex accidentibus materialibus deuenimus in cognitionem perfectam substantiarum materialium, ita ex substantiis materialibus poterunt perfectè cognosci substantiæ materiales, ex eo quod sicut accidentia materialia pendent in suo esse à substantiis materialibus, & propterea ex illis istæ cognoscuntur: ita etiam substantiæ materiales possunt pendere à spiritualibus: imo debent necessariò à prima substantia spirituali, scilicet à Deo vt est Auctor naturæ, dependentiam habere.

23. Confirmatur, nam intellectus etiam pro hoc statu habet pro obiecto proportionato animam rationalem: ergo & substantias angelicas. Consequentia patet, quoniam anima rationalis secundum suam entitatem est purè spiritualis, sicut substantiæ angelicæ: ergo si non obstante spiritualitate est obiectum proportionatum nostri intellectus, etiam istæ hoc habebunt. Antecedens autem probatur, quia intellectus, etiam pro hoc statu perfectè, & propriis viribus, cognoscit animam rationalem, alioqui non posset perfectè cognoscere hominem, vt homo est, & ita non omnis quidditas materialis esset obiectum proportionatum illius, cuius oppositum statim dicemus: ergo anima rationalis erit obiectum proportionatum illius etiam pro hoc statu, siquidem, vt dicebamus, idem est obiectum proportionatum, & obiectum propriis viribus perfectè cognoscibile.

Sententia aristotelis, & D. Thomæ.

§. II.

24. PRo decisione huius quæstionis notandum est: intellectum possibilem posse sumi tripliciter, scilicet, vel pro hoc statu, vel pro statu separationis, vel tandem secundùm se, prout præscindit ab vtroque statu. Vndè, vt difficultas huius quæstionis omnino, & clariùs decisa maneat, oportebit sigillatim explicare, quodnam sit obiectum proportionatum intellectus, secundùm hanc triplicem rationem considerati.

Dicendum est primò, intellectum pro hoc statu habere pro obiecto proportionato solam quidditatem materialem, ac proinde, solam eam, vt abstractam à conditionibus materialibus indiuiduantibus. Ita Aristot. in hoc lib. text. 8. quem Diuus Thomas loquens ibidem lect. 8. de obiecto proportionato intellectus pro hoc statu, sic explicat. *Apparet autem ex hoc, quod Philosophus, hic dicit, quod proprium obiectum intellectus, est quidditas rei, quæ non est separata à rebus vt Platonici posuerunt, sed aliquid in rebus sensibilibus existens, licet intellectus apprehendat alio modo quidditates rerum quàm sint in rebus sensibilibus, non enim apprehendit eas cum conditionibus indiuiduantibus, quæ eis in rebus sensibilibus adiunguntur.*

25. Eandem sententiam tuetur idem Angelicus Doctor 1. part. quæst. 84. art. 7. vbi loquens de obiecto proportionato nostri intellectus pro hoc statu, & comparans illud cum obiecto proportionato intellectus Angelici, sic inquit: *Intellectus Angeli, qui est totaliter à corpore separatus, obiectum proprium est substantia intelligibilis à corpore separata, & per huiusmodi intelligibilia, materialia cognoscit: intellectus autem humanus, qui est coniunctus corpori, proprium obiectum est quidditas, siue natura, in materia corporali existens, & per huiusmodi naturas visibilium rerum, etiam in inuisibilium rerum aliquam cognitionem ascendit.* Quod etiam docet quæst. 87. art. 3. ad primum, eumque communiter sequuntur Caietan. 3. de Anima cap. 5. Bañez 1. part. quæst. 84. articul. 7. dub. 1. referens omnes discipulos S. Doct. nec non Scot. in 1. dist. 3. quæst. 3.

Cæterùm, antequam assertionem hanc ratiooibus probemus, notare oportet, nomine quidditatis materialis à conditionibus indiuiduantibus abstractæ solùm intelligi quidditatem materialem ordinis naturalis: nam cum intellectus sit potentialis, debet eius obiectum proportionatum ad eundem ordinem pertinere.

26. Hoc autem supposito probatur primo assertio ratione deprompta ex D. Thoma super Boëtium de Trin quæst. 1. articul. 3. quoniam illud est obiectum proportionatum, & connaturale intellectus possibilis

lis pro hoc statu, quod sit per se primò intelligibile in actu per operationem intellectus agentis, sed sola quidditas rei materialis est huiusmodi: ergo sola ipsa est obiectum proportionatum illius pro hoc statu: consequentia patet, maior autem constabit ex his, quæ infrà latè dicemus ostendentes, quòd intellectus agens, non aliter reddit obiectum per se primò intelligibiles per se primò, nisi producendo species intelligibiles per primò repræsentatiuas illius: & & quòd prædictæ species per se primò solùm repræsentent quidditatem rei materialis. Maior autem probatur, quoniam vt patebit ex his, quæ infrà dicemus; intellectus agens institutus est à natura ad hoc, vt obiecta illa, quæ non sunt intelligibilia in actu ab intellectu possibili pro hoc statu, atque adeo nec sunt proportionata respectu illius, reddat ea intelligibilia in actu, & proportionata respectu eiusdem.

27. Secundò, probatur ratione desumpta ex Aristotele 3. de Anima text. 39. & Diuo Thoma articul. 7. quæst. 84. 1. part. & alibi sæpè: quam suprà disp. 16. num. 15. tetigimus, quoniam obiectum proportionatum, seu quod idem est, connatuale alicuius potentiæ cognoscitiuæ, & prædicta potentia debent conuenire in eodem gradu immaterialitatis: sed intellectus pro hoc statu solum conuenit in gradu immaterialitatis cum quidditate rei materialis: ergo sola ipsa erit obiectum proportionatum illius: Maior probatur: nam potentia cognoscitiua debet connaturaliter recipere suum obiectum proportionatum, seu connaturale, & illi vniri, vt ex se constabit, & ex dicendis disput. seq. quæst. 1. amplius patebit: ergo prædictum obiectum nequit habere modum essendi per se requisitum ad rationem obiecti cognoscibilis eleuatiorem, quam sit modus essendi potentiæ cognoscitiuæ, alioquin erit supra naturam huius potentiæ, non verò quid naturale ipsi, quod illud recipiat: ergo cùm modus essendi per se requisitus ad cognoscibilitatem obiecti sit immaterialitas, vt constat ex D. Thom. 1. part. quæst. 14. artic. 1. ex his, quæ supra diximus, & infrà dicemus, fiet indè, vt obiectum proportionatum, seu connaturale alicuius potentiæ, & potentia ipsa debeant in eodem immaterialitatis grado conuenire.

28. Minor constat ex dictis disp. 16. n. 15. vbi diximus, quòd sicut quidditas rei materialis, quodammodo est in materia, quia includit, vel concernit illam in communi sumptam, & est à parte rei identificata cum indiuiduis materialibus, & quodammodo non in materia, quia consideratur vt præscindens à materia singulari, ita intellectus pro hoc statu quodammodo est in materia ex eo, quod est in anima rationali, quæ est forma corporis: quodammodo verò non est in illa, quia non est in organo corporeo, sed immediatè recipitur in anima rationali: quodammodo non est in corpore, quatenus licèt illud informet, attamen non pendet ab illo, sed est forma per se subsistens, atque adeò iam intellectus pro hoc statu, & sola quidditas rei materialis conuenient in eodem gradu immaterialitatis. Patet hæc consequentia, quia vt inferius constabit, non potest aliter explicari conuenientia in gradu immaterialitatis inter intellectum pro hoc statu & eius obiectum, nisi modo iam dicto, sic autem explicata planum est in sola quidditate materiali à materia singulari abstracta dictam conuenientiam reperiri.

Nec refert, si contra rationem hanc obiicias, primò quod si aliquid probat, conuincet etiam quidditates rerum spiritualium; nec non, & res ipsas spirituales esse obiectum proportionatum nostri intellectus pro hoc statu, quoniam licet anima rationalis, & intellectus quodammo sint in materia, nihilominus simpliciter loquendo sunt spirituales secundùm suam entitatem: ergo etiam res spirituales erunt obiectum proportionatum vtriusque. Patet consequentia: nam intellectus noster magis conuenit in gradu immaterialitatis cum rebus spiritualibus per hoc, quod secundùm suam entitatem sit spiritualis, sicut illæ, quàm cum quidditate materiali per hoc, quòd quodammodo sit, & non sit in materia, sicut ipsa, siquidem re vera prædicta quidditas est materialis secundùm suam entitatem, & adhuc quoad modum essendi, solum per intellectum est separata à materia.

29. Confirmatur, quia saltem ex ratione facta sequitur quidditas rerum spiritualium esse obiectum proportionatum nostri intellectus pro hoc statu, siquidem istæ quodammodo sunt in materia: quæ sunt quodammodo identificatæ cum conditionibus indiuiduali his, quæ semper sunt conditiones materiales respectu quidditatis, & quodammodo non sunt in illa, quia in ratione quidditatum sumpta præscindunt ab eis.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam; & ad probationem negandum est antecedens, quoniam conuenientia inter intellectum pro hoc statu, & quidditatem materialem in hoc, quod est esse quodammodo in materia, & non esse quodammodo in illa, est conuenientia omnimoda; ita vt quidditas materialis tantam immaterialitatem habeat in ratione obiecti, tam quoad rationem, vt sic dicamus entitatiuam (obiectiuam tamen) quàm quoad modum essendi illius, quantam potentia intellectiua habet pro hoc statu, tam quoad suam entitatem spiritualem, quam quo admodum essendi ipsius.

Cæterùm, conuenientia, quam intellectus pro hoc statu habet cum substantiis purè spiritualibus nimirum cum Angelis, tantum est conuenientia, quo ad immaterialitatem secundùm entitatem solummodo, non verò quo ad eam, & quoad modum essendi simul, vt ex se constat. Vnde quia conuenientia in gradu immaterialitatis debet etiam quo ad modum essendi attendi, vt qu. præcedenti diximus: ideò prædicta conuenientia quo ad entitatem solummodo, non est conuenientia simpliciter, & omnimoda: atque adeo sufficiens ad rationem potentiæ, & obiecti proportionati.

39. Ratio autem, ob quam prior illa conuenientia dicitur omnimoda, hæc est: nam ex quo capite prædicta quidditas quodammodo est in materia, conuenit cum potentia in modo essendi, & ex quo capite, licet quidditas materialis in esse entis sit secundùm suam entitatem minoris immaterialitatis, quam entitas animæ, non tamen in esse entitatis obiectiuæ, vt talis conuenit cum ea in immaterialitate quoad entitatem, quoniam ad perceptionem sui in esse quidditatis materialis præscindentis à materia singulari prærequirit potentiam entitatiuè spiritualem.

Tum, quia potentia, quæ non sit purè spiritualis secundùm suam entitatem, nequit percipere quidditates vniuersales præscindentes à materia singulari, licet à parte rei cum indiuiduis materialibus identificentur.

Tum etiam, quia nulla alia potentia cognoscitiua præter potentiam purè spiritualem secundùm suam entitatem, poterit dari quæ possit esse quodammodo in materia, & quodammodo non esse in illa (seu quod idem quoad præsens est) independens simpliciter ab ea, sicut quidditas materialis præcisa à materia singulari est secundùm hanc rationem simpliciter independens ab eadem singularitate, non secus ac nulla alia forma, præter formam purè, quoad en-

titatem spiritualem, potest esse quodammodo in materia, & quodammodo non esse in illa, ratione independentiæ simpliciter, quam ab ea habet, nisi inter formas purè spirituales secundùm suam entitatem connumeretur.

31. Ad confirmationem respondetur, intellectum nostrum non ideò esse quodammodo in materia, & quodammodo non esse in illa, quia quodammodo habet esse, & non esse in aliqua potentia, seu subiecto, sed quia hoc habet respectu puræ potentiæ physicæ, scilicet materiæ primæ, vt explicatum est, & ita conditiones materiales, à quibus secum obiectum connaturale debet abstrahere, non debent esse conditiones analogicè materiales, sed verè desumptæ à materia prima: quare cum conditiones materiales, à quibus abstrahit essentia angelica (si verum est eam ab illis secundum abstrahere) tantum sint materiales materialitate prædicta, non verò desumptæ ex materia prima, quæ sit earum radix: propterea prædicta abstractio ab ea materialitate, seu conditionibus materialibus non constituit talem essentiam in ratione obiecti proportionati respectu intellectus pro hoc statu sumpti.

32. Nec etiam obest, si secundò contra eandem rationem obiicias, sequi ex illa, quod singulare materiale non sit obiectum proportionatum nostri intellectus, hoc autem dici nequit: ergo, &c. Sequela videtur certa: quoniam prædictum singulare non conuenit in gradu immaterialitatis cum nostro intellectu, siquidem in statu separationis est omnino separatus à materia, & in hoc statu quodammodo non est in illa: cum tamen singulare materiale necessariò includat materiam singularem: atque adeò neque etiam quodammodo sit separatum ab illa. Falsitas autem probatur: quoniam singulare materiale perfectè cognoscitur ab intellectu suis viribus relicto, atque adeò erit obiectum proportionatum respectu illius.

Respondetur enim, distinguendo sequelam, & si intelligatur de obiecto proportionato per se primò tali concedenda est, secus vero si de obiecto proportionato, & secundariò intelligatur: & ad probationem dicendum est, quod licet inter obiectum proportionatum, & per se primum ex vna parte, & inter potentiam cognoscitiuam ex alia, debeat esse conuenientia in gradu immaterialitatis, non tamen inter obiectum proportionatum non per se primum, & prædictam potentiam: nam sicut tale obiectum est proportionatum ratione alterius: ita satis est, vt illud alterum ratione cuius habet proportionari cum potentia, habeat conuenientiam cum illa in gradu immaterialitatis. Quare cum singulare materiale sit proportionatum respectu nostri intellectus non per se primò, sed per se secundò, quatenus singularitas illius est modificatio, & determinatio connaturalis obiecti per se primò proportionati, scilicet quidditatis materialis: inde est, vt non sit necessarium, quod habeat conuenientiam in gradu immaterialitatis cum intellectu.

33. Nec tandem obest, si contra eandem rationem obiicias, saltem ex ea sequi, quod res materiales, siue in communi, siue in particulari sumptæ, nequeant esse obiectum proportionatum intellectus Angelici: sed hoc est falsum, siquidem ab eo propriis viribus relicto perfectè cognoscuntur: ergo, &c. Sequela probatur, quoniam res materiales, nec sunt modificationes substantiarum purè spiritualium, conuenientium cum prædicto intellectu in gradu immaterialitatis, nec ipsæ habent in prædicto gradu conuenientiam cum illo.

Non itaque hoc obest, quoniam etiam res materiales sunt obiectum proportionatum respectu intellectus angelici, non quidem per se primum sed per secundum, nam ex quo capite quidditatiuè, imo etiam comprehensiuè cognoscuntur ab illo propriis viribus relicto, non possunt esse obiectum superexcedens respectu ipsius: & ex quo capite hoc est proprium substantiarum separatarum, vt per se primò terminentur ad res spirituales, vt docet D. Thom. 1. p. quæst. 54. art. 9. non possunt res immateriales esse obiectum proportionatum per se primum illius. Quomodo autem, & cur licet res materiales non sint modificationes substantiarum separatarum, nihilominùs ratione illarum reddantur obiecta proportionata, secundaria tamen respectu propriorum intellectuum non est huius loci, sed in materia de Angelis solet latius explicari.

34. Dicendum est secundò. Intellectus noster pro statu separationis habet pro obiecto proportionato, & per se primo quidditates rerum spiritualium conuenientium cum eo in eodem gradu immaterialitatis, quales sunt v. g. anima rationalis, à qua talis intellectus dimanat, nec non & cæteræ aliæ animæ rationales, non verò substantiæ angelicæ. Ita D. Thom. 3. p. q. 11. art. 1. ad secundum, & 1. part. q. 89. art. 2. vbi loquens de anima separata, ac proindè de intellectu in statu separationis, sic inquit: *Sed cum fuerit à corpore separata, intelliget, non conuertendo se ad phantasmata, sed ad ea, quæ sunt secundum se intelligibilia: vnde se ipsam, per se ipsam intelliget. Est autem commune omni substantiæ separatæ quod intelligat id, quod est supra se, & id, quod est infra se per modum suæ substantiæ. Sic enim intelligitur aliquid secundum quod est in intelligente. Est autem aliquid in altero per modum eius in quo est. Modus autem substantiæ animæ separatæ est infra modum substantiæ angelicæ, sed est conformis modo aliarum animarum separatarum. Et ideò de aliis animabus separatis perfectam cognitionem habet: de angelis autem imperfectam, & deficientem loquendo de cognitione naturali animæ separatæ. De cognitione autem gloriæ est alia ratio.* Quare cum obiectum per se primo proportionatum perfectè cognoscatur ab intellectu, cui est proportionatum, conueniántque intellectus, & prædictum obiectum in modo essendi, seu in gradu immaterialitatis: consequens est, vt substantiæ angelicæ non sint obiectum per se primò proportionatum intellectus pro statu separationis; secùs verò cætera alia, quæ in assertione diximus. Vnde Sanct. Doct. sequunt. Caietan. Bañez loco citato, ex 1. part. & alij plures ex Iunioribus Thomistis.

Ratio huius assertionis tacta est à Diuo Thoma in verbis modò relatis, cuius explicatio potest desumi ex his, quæ num. 27. dicebamus, ac proindè ex generali illa regula, scilicet quod obiectum per se primò proportionatum, & potentia debent per se, & ratione sui conuenire in gradu immaterialitatis, in quo tamen non conueniunt anima, & intellectus separata, si conferantur cum substantiis angelicis, secùs tamen omnes animæ rationales, & intellectus humani: siquidem substantia angelica, ita est secundùm rem separata à materia physica, vt non dicat ordinem ad illam, vt forma eius, benè tamen animæ rationales.

Loquuti autem sumus in assertione de obiecto per se primò proportionato, propter ea, quæ nuper in præcedenti assertione de rebus materialibus collatis cum intellectu angelico dicebamus.

Nec refert, si obiicias obiectum proportionatum coincidere cum motiuo: at prædictæ res spirituales, non sunt obiectum motiuum intellectus pro statu separationis, siquidem non accipit species à rebus cognitis: ergo, &c.

35. Respondetur

35. Respondetur, quod ad rationem obiecti motiui qualiter requiritur ad rationem obiecti proportionati, satis est, quod sit talis naturæ, vt si potentia esset mobilis à suo obiecto per emissionem specierú ab eo in illam, tunc obiectum illud, quod dicitur proportionatum, posset illam immutare per species à se ad eandem immissas: hunc autem modum obiecti motiui planum est, conuenire quidditatibus, siuè rebus spiritualibus collatis cum intellectu nostro in statu separationis.

Dicendum est tertiò, si loquamur de intellectu prout abstrahit ab statu huius vitæ, & ab statu separationis; tunc etiam præscindit ab obiecto proportionato. Ita D. Thom. 1. p. qu. 14. art. 4. quem eius discipuli communiter sectantur. Probatur ratione, nam intellectus sic sumptus præscindit à modo essendi: ergo etiam ab obiecto proportionato: quia potentia non habet, obiectum proportionatum nisi, vt est sub suo modo essendi; quandoquidem non nisi, vt est sub suo modo essendi, potest proximè, & efficaciter operari circa illud, & nonnisi quatenus habet prædictam efficacitatem proximam, correspondet ei obiectum proportionatum. Antecedens autem satis liquet: quoniam intellectus tantùm habet duos modos essendi, scilicet separationis, & vnionis iam explicatæ cum corpore: & ita præcindendo ab his duobus statibus, præscindit à modo essendi.

36. Confirmatur, & explicatur: nam intellectus sic sumptus præscindit à gradu immaterialitatis requisito ad hoc, vt ei correspondeat obiectum proportionatum: ergo etiam præscindet ab obiecto proportionato. Consequentia non indiget probatione. Antecedens autem probatur, quoniam gradus immaterialitatis, requisitus ab obiectum proportionatum includit: Tum immaterialitatem potentiæ: Tum etiam modum essendi illius, & ideo D. Thom. collocat intellectum nostrum in diuerso gradu immaterialitatis, dum est in corpore, seu, vt melius dicamus, dum est in anima corpori vnita, & dum est separatus, ex eo quòd sit vnus, & idem secundùm suam entitatem, habet tamen diuersum statum, & diuersum essendi modum: & propterea eidem diuersum obiectum proportionatum in vno, & in alio statu tribuit, cum tamen eidem secundùm se, & vt præcindit ab hoc duplici statu nullum gradum immaterialitatis, neque aliquod obiectum proportionatum assignet.

Fit satis argumentis initio allatis.

§. III.

37. AD primum negandum est antecedens, si intelligatur de obiecto absolutè, & simpliciter proportionato, & coincidente cum obiecto adæquato intensiuè, & ad probationem distinguendum est antecedens: & si sensus illius sit, quod quæuis potentia est proportionata proportione commensurationis essentialis præcisè sumpta cum obiecto, à quo specificatur, concedendum est; si verò intelligatur de proportione efficacitatis, seu quantitatis virtutis superadditæ priori illi proportioni commensurationis essentialis negandum est: & eodem modo debet distingui consequens; & contra hoc non obest probatio consequentiæ, ibidem adductæ, quia nos non negamus obiectum specificatiuum intellectus, ac proindè eos in tota sua latitudine esse proportionatum proportione requisita ad specificandum: sed quod negamus est prædictum ens sic sumptum esse proportionatum proportione obiecti adæquati intensiuæ, ita vt non requirat super additionem virtutis, & efficaciæ in potentia ad hoc, vt perfectè terminetur ad omnia, quæ sub illo continentur adhuc diuisiuè sumpta.

38. Explicatur hoc: etenim duplex proportio potest in potentia cognoscitiua in ordine ad suum obiectum assignari, alia quidem commensurationis essentialis, ad quam solum requiritur, vt tale obiectum sit specificatum illius, vel contineantur intra latitudinem sui obiecti specificatiui, & hæc proportio est prima radix, & fundamentalis proportio, quæ potest alicui potentiæ conuenire. Vndè, hoc ipso quod potentia non habeat eam in ordine ad aliquod obiectum, nequit aliquam aliam proportionem in ordine ad illud per modum potentiæ cognoscitiuæ habere. Alia verò proportio est efficaciæ, siuè quantitatis virtutis, aut omnino proxima, quæ supra illam priorem proportionem addit, vt potentia habet sufficientem efficacitatem, & quantitatem virium ad hoc, vt possit efficaciter, & perfectè, & tanquam obiecta omninò connaturalia attingere illa obiecta respectu quorum dicitur habere prædictam proportionem efficaciæ, seu quantitatis virtutis.

Vndè, quia sola illa obiecta dicuntur esse proportionata absolutè, & simpliciter, seu proportionata per modum obiecti adæquati intensiuè: respectu quorum potentia habet simul cum priori illa proportione hanc posteriorem: propterea licet ens in toto suo ambitu, seu secundùm omnia, quæ sub se continet, sit obiectum proportionatum proportione obiecti specificatiui præcisè, & exigente solam commensurationem essentialem in intellectu, nihilominùs non est absolutè & simpliciter proportionatum respectu illius seu proportionatum per modum obiecti adæquati intensiuè, quia nomine obiecti absolutè, & simpliciter proportionati intelligitur, obiectum cum quo potentia habet proportionem efficaciæ, & quantitatis virtutis superadditæ superadditione saltem virtuali ad proportionem commensurationis essentialis.

39. Ratio autem, propter quam hæc duplex proportio virtualiter saltem distincta debet necessariò assignari, est: quoniam videmus, quod potentiæ cognoscitiuæ aliquando habent proportionem commensurationis essentialis, & radicalem, non verò proportionem quantitatis virtutis, siuè omninò proximam; & ita intellectus creatus est proportionatus priori illa commensuratione fundamentali in ordine ad videndum DEVM prout est in se, ex eo quod Deus sic visus continetur intra latitudinem sui obiecti adæquati, & nihilominùs non est in eo secundùm se sumpto posterior proportio: & ideò vsque dum habeat lumen gloriæ, per quod additur illi efficacia, & ea quantitas virium, quæ ad videndum Deum desideratur, solùm est inchoatè, & fundamentaliter proportionatus ratione prædictæ commensurationis essentialis non verò proportione absolutè, & simpliciter tali quæ includit efficaciam, & quantitatem virtutis ad talem visionem requisitam.

40. Et similiter visus noctuæ habet priorem illam & fundamentalem proportionem ad videndam lucem meridianam, non tamen hanc posteriorem; & ita nisi confortetur per additionem virtutis visiuæ, nequibit illam videre; ac tandem calor secundùm se habet commensurationem essentialem, ad producendum quemcumque calorem; quia specificatur à calefactione generaliter sumpta, & tamen non habet efficaciam, seu quantitatem virtutis, eidem commensurationi essentiali correspondentem, in ordine ad producendum calorem vt 7. nisi addatur illi modus quidam efficacitatis, & quantitatis virtu-

illis sermonem texere, & simul in illa explicare, in quibusnam diuerso modo debeat in speciebus sensibilibus, & intelligibilibus philosophari, vt ita habeatur plena notitia de eis, tàm secundùm ea, in quibus conueniunt, quàm secundùm illa, in quibus discriminantur.

QVÆSTIO PRIMA.

AN SENSVS, ET INTELLECTVS INDIGEANT speciebus impressis ad suas cognitiones dicendas.

Consulto in titulo addita est illa particola; impressis, qoia in præsenti oon de speciebus expressis, sed de impressis, seu de speciebus illis, quæ præsupponontur in sensibus, & in tellectu ad sensationem, vel intellectionem agendum est: nam de speciebus expressis, seu verbis ad cognitionem sensitiuam; vel intellectiuam subsecutis, postea sermonem instituemus.

Proponitur duplex opinio.

§. I.

1. PRima sententia asserit sensus, tàm internos, quàm externos non indigere speciebus sensibilibus impressis ad suas sensationes eliciendas. Ita quo ad externos, Galenus 7. de Placitis, vt refert D. Gregorius Nyssenus libr. de viribus animæ, quam etiam tenent Plotinus & quidam Platonici, vt refert Toletus 2. de anima, q. 35. quo ad sensus verò internos eandem tuentur plures alij Philosophi, quos infrà referemus.

Et licèt sententia hæc, quo ad priorem eius partem posset discorrendo sigillatim per omnes sensus externos, maximè verò per gustum, & tactum pluribus argumentis suaderi: nihilominus quia ex alibi dictis, præcipuè verò disp. de tactu eorum solutio constat: ideò consultò omittuntur: & vnico Galeni fundamento probatur, nam potentiæ cognoscitiuæ non indigent speciebus, nisi vt ab eis determinentur ad cognoscenda hæc potiùs obiecta, quàm illa, vt ex infrà dicendis constabit: ergo sensus externi non indigebunt prædictis speciebus. Patet consequentia, nam cum non possint sentire nisi obiecta realiter sibi præsentia; fiet indè, vt sufficienter determinentur per prædictam præsentiam; ad hoc vt hæc obiecta, scil. præsentia potiùs quàm illa nimirum absentia percipiant, & ita superfluè aliquid aliud ad hanc determinationem additur.

2. Secundò eadem sententia quoad sensus internos probatur: quoniam sensus isti sufficienter determinantur per determinationem sensuum externorum: ergo non indigebunt speciebus sensibilibus. Consequentia patet ex nuper dictis. Antecedens autem probatur, quoniam sensus interni non possunt sentire nisi mediante sensatione externorum: ergo hoc ipso, quòd externi sentiant hoc obiectum, potiùs quam illud, manebunt interni determinati ad illud obiectum potius quàm aliud percipiendum.

Confirmatur, primò ideò intellectus indiget speciebus intelligibilibus ad hoc vt determinetur ad intellectionem huius obiecti, magis quàm alterius; quia determinatio, quæ fit per sensus externos, est inferioris ordinis, ac ipse intellectus: sed determinatio facta per sensus externos, est eiusdem ordinis sensibilis cum determinatione, qua indigent sensus interni: ergo non indigebunt aliqua alia determinatione præter eam quæ fit per sensus externos: Minor cum consequentia satis patere videtur. Maior autem etiam liquet; quoniam determinans subdit sibi rem determinabilem; id autem quod est inferioris ordinis, nequit subdere id quod est ordinis superioris: ergo, &c.

3. Confirmatur secundò, quoniam si sensus externi indigerent speciebus impressis ad sui determinationem, deberent eas conseruare; ad hoc, vt in absentia obiectorum possent cognoscere: hoc autem est impossibile: ergo, &c. Sequela non indiget probatione, falsitas autem consequentis videtur nota: quia alioqui non possent non prædicti sensus esse in actuali cognitione omnium obiectorum, quorum species habent, siquidem sunt agentia naturalia, & haberent omnia requisita ad operandum, scilicèt potentiam sensitiuam & speciem obiecti.

Vltimò: eadem sententia quo ad vtramque sui partem probatur: nam ex opposito duo absurda sequerentur. Primum est, duo accidentia solo numero distincta esse in eodem subiecto. Secundùm verò, quod accidens magnæ extensionis reciperetur in subiecto habente satis exiguam extensionem. Sequela quo ad priorem partem patet: quoniam dum quis per sensum externum, vel internum percipit duas res solum numero distinctas, haberet duas species impressas earum, numericè tantum diuersas. Quo ad secundam autem partem etiam constat; nam species repræsentans ingentem montem debet esse non exiguæ extensionis: at hæc deberet recipi in subiecto satis exiguo, seu in organo sensus externi, vel interni: ergo, &c.

4. Secunda sententia docet; nullam potentiam cognoscitiuam siuè sensitiuam, siuè intellectiuam indigere speciebus. Ita Ochan. in 2: q. 17. & 18. Gabriel dist. 3. q. 2. Durand. q. 6. & in 1. dist. 49. q. 2. & alij relati à Soto in 1. dist. 3. q. 7. Quam sententiam, quo ad solum intellectum tuentur Themistius, Theofr. & Ioan. Baccon. vt refert Tolet. lib. 3. de Anima q. 21.

Opinio hæc quo ad potentias sensitiuas constat ex dictis pro præced. Quo ad intellectiuam verò probatur primò, quoniam aliàs intellectus etiam pro hoc statu non penderet in intelligendo à phantasmatibus: hoc autem est falsum, vt constabit ex his quæ infrà dicemus: ergo, &c. Sequela probatur quia ad intelligendum, tãtum requiritur intellectus vnà cum species intelligibili, sicut ad videndum solum desideratur visus, & species visibiles: ergo hoc ipso, quod intellectus haberet prædictas species, posset sine dependentia, aut cõuersione ad phantasmata inteligere.

5. Secundò, nam relationes, negationes, priuationes, substantiæ angelicæ, & res spirituales non intelliguntur ab intellectu pro hoc statu mediantibus speciebus intelligibilibus: ergo nec reliqua alia. Consequentia patet, quia si intellectus indigeret speciebus, nihil posset intelligere sine illis, vt ex infra dicendis magis constabit. Antecedens autem probatur, ex eo quod pro isto statu possunt ad summum admitti species per abstractionem à phantasmatibus: sed nec negationum, aut priuationum, aut alicuius ex enumeratis dantur phantasmata, quia omnia illa sunt phantasiæ ignota: ergo, &c.

Vltimò: eadem sententia quo ad omnes suas partes probatur: nam sensus externi determinantur sufficienter per præsentiam obiectorum, & interni per sensationes sensuum externorum; ac tandem intellectus per cognitionem sensus interni: ergo superfluunt species in omnibus potentiis cognoscitiuis. Consequentia patet ex dictis. Antecedens autem probatur: nam in potentiis subordinatis obiectum ostenditur posteriori potentiæ per actum prioris, & ita appetitui rationali ostenditur obiectum per intellectum, & sensitiuo per sensum; vt per æstimatiuam aut phantasiam: ergo cùm sensus inter se, & cum intellectu collati sint potentiæ subordinatæ consequens est, vt per priores sensus, scilicet externos præsentetur & ostendatur obiectum sensui communi, & sic de reliquis vsque ad intellectum; ac proindè, per hanc ostensionem sensus posteriores, ac tandem intellectus determinabitur.

6. Confirmatur, & simul excluditur quædam solutio, quæ huic rationi adhiberi poterat quoniã multoties ea, quæ sunt inferioris ordinis, possunt determinare res ordinis superioris, & ita causæ superiores determinantur ab inferioribus ad hoc, vt producant hunc effectum, potiùs quàm illum, vt constat in sole concurrente cum diuersis causis particularibus, & inferioris ordinis: ergo ex eo, quòd intellectus sit ordinis superioris, nihil oberit, quominus possit determinari per sensationes sensuum exteriorum, & interiorum, quæ sunt inferioris ordinis: maximè, quia sicut nihil est in sensu interno, quod priùs non fuerit in externo; & propterea ille determinatur ab isto; ita nihil est in intellectu, quod priùs non fuerit in vtroque sensu externo, nimirum, & interno, ac proindè, intellectus poterit determinari à sensu externo mediatè, & ab interno immediatè.

Sententia Arist. & D. Thom. primúmque illius fundamentum.

§. II.

7. **D**Icendum tamen est, omnem sensum cognoscitiuum, & similiter intellectum indigere speciebus intentionalibus, & impressis ad suas cognoscendas. Ita Aristot. 3. huius operis, text. 3. his verbis: *Si igitur est intelligere, sicut sentire, aut pati quoddam, erit ab intelligibili, aut aliquid huiusmodi: alterum ergo oportet esse, susceptiuum autem speciei, & potentia talem, sed non hoc, & similiter se habet sensitiuum ad sensibilia, sic intellectiuum ad intelligibilia.*

Vbi Diuus Thomas lectione 7. *Sentire vt supra in secundo dictum est, non propriè pati est; patitur enim propriè aliquid à contrario, sed aliquid habet simile passioni in quantum sensus est in potentia ad sensibile, & est susceptiuus sensibilium: ergo si intelligere est simile ei quod est sentire, & partem intellectiuam oportet esse impassibilem passione propriè accepta, sed oportet, quod habeat aliquid simile passibilitati, quia oportet huiusmodi partem esse susceptiuam speciei intelligibilis. Et quòd sit in potentia ad huiusmodi speciem, sed nõ sit hoc in actu, & sic oportet quod sicut se habet sensitiuum ad sensibilia, similiter se habeat intellectiuum ad intelligibilia, quia vtrumque est in potentia ad suum obiectum, & est susceptiuum eius.*

8. Et similiter in eodem lib. text. 6. inquit: *Et benè iam dicentes sunt animam esse locum specierum, nisi quod non tota, sed intellectiua, nec actu, sed potentia species.* Quæ verba sic explicat D. Th. ibid. lect. cit. *Adaptat, quod dictum est opinioni antiquorum, & dicit, quod ex quo pars intellectiua non habet organum sicut pars sensitiua, iam potest verificari dictum illorum, qui dixerunt, quod anima est locus specierum, quod per similitudinem dicitur eò quod est specierum receptiua. Quod quidem non verum esset si qualibet pars animæ haberet organum, quia iam species non reciperentur in anima sola sed coniuncto. Non enim visus est susceptiuus specierum, sed oculus: & ideò non dicendum est quòd tota anima sit locus specierum, sed solum pars intellectiua, quæ organum non habet; nec ita est locus specierum quod habeat actu species, sed potentia tantum.*

Et deindè text. 38. in hæc verba. *Quarè anima sicut manus est, manus enim organũ organorum, & intellectus, species specierum; & sensus species sensibilium.* Vbi D. Th. lect. 13. *Anima assimulatur manui: manus enim est organum organorum, quia manus data sunt homini loco omnium organorum, quæ data sunt aliis animalibus ad defensionem, vel impugnationem, vel cooperimentum: Omnia enim hæc homo sibi manu præparat & similiter anima data est homini loco omnium formarum, vt sit homo quodammodò totum ens in quantum secundum animam est quodammodò omnia, prout eius anima est receptiua omnium formarum. Nam intellectus est quædam potentia receptiua omnium formarum intelligibilium & sensus est quædam potentia receptiua omnium formarum sensibilium.*

9. Et tandem hoc ipsum docet idem Philosophus in hoc 3. l. cap. 5. & ibid. D. Th. lect. 10. Et. lib. de Mem. c. 1. Vbi Etiam S. Doct. lect. 3. nec non 1. part. quæst. 12. artic. 2. quæst. 55. artic. 1. & 2. quæst. 79. artic. 2. & 3. Contra Gen. cap. 49. & alibi sæpè De Anselmus in Monolog. cap. 36. Damasc. lib. 2. Fidei Orthodoxæ. August. lib. 10. Conf. cap. 10. & 15. & lib. 17. super Genes. cap. 10. aliisque locis, quos refert. Capreolus in 2. distinct. 3. qu. 2. art. 2. quos sequuntur communiter omnes ferè Theologi, & Philosophi.

Prior, & fundamentalis huius sententiæ ratio desumitur ex Arist. & D. Thom. locis citatis: nam intellectus pro hoc statu, similiter sensus habet rationem puræ potentiæ: ille quidem in ordine intelligibili hic verò in ordine intelligibili: ergo nisi priùs actuentur per formas sibi proportionatas, scilicet per formas, seu species intelligibiles; & sensibiles, non poterunt suas cognitiones elicere. Consequentia patet: nam sicut materia prima ex eo quòd est pura potentia in genere entis, seu in ordine naturali, non potest concurrere ad operationem modo illo sibi proprio, scilicet constituendo suppositum operans, nisi actuetur per formam sibi proportionatam: ita intellectus, & sensus secundùm se præcisè sumpti, quatenus sunt pura potentia in ordine intelligibili, & sensibili, non poterunt modo sibi proprio, scilicet sensibiliter, aut intelligibiliter operari, nisi priùs actuentur per formam intelligibilem, & sensibilem eisdem proportionatam.

Antecedens autem, quo ad intellectum constat: Tum ex locis Aristot. & D. Thom. paragraph. præced. relatis: Tum ex his, quæ supra disp. 16. num. 8. & deinceps diximus; quo ad sensum verò, ex ibidem dictis satis patet: nam si intellectus pro hoc statu est pura potentia in ordine intelligibili; etiam sensus erit pura potentia in ordine sensibili, quandoquidem ex eo intellectus est pura potentia in suo ordine, quia mediis sensibus acquirit species, & formas intelligibiles: & ideò hoc ipso, quòd sensus sit in actu in ordine sensibili; statim intellectus est etiam in actu intelligibili.

10. Confirmatur ratione eiusdem Aristot & D. Th. quam Philosophus text. 38. his breuibus verbis loquens de anima, proponit: *Necesse est autem; aut ipsa, aut species esse, ipsa quidem igitur non sunt: non enim lapis in anima est, sed species.* Eius autem vis, & efficacia potest sic declarari; nam anima mediante sensu, & in-

intellectu

tellectu deber fieri sita sensibilia ; & intelligibilia: & propterea visus videns colorem , fit quodammodo color , & intellectus intelligens leonem fit etiam quodammodò leo : sed non potest fieri sua sensibilia, & intelligibilia per hoc , quod in esse naturali fiat illa , aut recipiat ipsa : ergo per hoc , quod recipiat earum imagines , seu species sensibiles , seu intelligibiles, in quibus prædictorum obiectorum natura splendet , & repræsentatur. Minor cum consequentia satis patet. Maior verò probatur : nam propterea immaterialitas est radix cognoscendi , vt docet D. Thom. 1. part. quæst. 14. art. 1. & cum eo communiter omnes Theologi, & Philosophi : quia materia limitat , & coarctat , ne aliquid possit fieri alia , quod requiritur ad virtutem cognoscitiuam , & ita ea solummodò sunt cognoscitiua , quæ vel sunt omninò immaterialia , vel materiæ non parùm dominantur.

Nec refert , si dicas esse dispatem rationem inter puram potentiam in genere entis , & in genere sensibili; aut intelligibili , quia illa nihil habet actualitatis ; hæc verò absolutè , & simpliciter loquendo est actus , & ita se solo poterit operari, siquidem vnumquodque operatur in quantum est in actu.

11. Non itaque hoc refert : quoniam ordo intelligibilis , ita excedit ordinem naturalem , quatenus condistinctum ab illo , vt licet ad hoc , vt aliquid sit pura potentia in ordine naturali , requiratur vt ex se nihil habeat actualitatis : attamen ad hoc vt sit pura potentia in ordine sensibili , aut intelligibili, necessariò inuoluitur per modum fundamenti , quòd sit actus in ordine naturali , ex eo quòd immaterialitas, & dominium supra materiam est radix cognoscendi, ac proindè ibidem necessariò includitur , quod ex se habeat aliquam actualitatem , & ita non requiratur ad agendum , eo solo modo , quo materia prima in entibus naturalibus desideratur , sc. non tanquam dans aliquam vim agendi , sed tanquam componens per modum potentiæ suppositum habens prædictam virtutem.

Cæterùm, quia potentiæ cognoscitiuæ , vt tales non operantur in ordine naturali , nisi simul agant in ordine intentionali , quia eadem realiter actio correspondet illis , vt ad ordinem naturalem , & intelligibilem spectant , ideò intellectus , verbi gratia, qui simul est actus in ordine naturali ; & pura potentia in intelligibi , nequit in nullo ordine operari, nisi prius per formam intelligibilem actuetur.

Secundum fundamentum vera sententia.

§. III.

12. POsterio verò huius sententiæ ratio etiam desumitur ex Arist. & D. Thom. quæ potest sub hac forma proponi. Nam intellectus , verbi gratia , de se est indifferens ad intelligendum hoc obiectum potiùs , quàm istud : ergo ad hoc vt intelligat hoc obiectum magis , quàm istud, oportet vt intrinsecè determinetur per aliquid in ipso receptum : ergo indigebit speciebus intelligibilibus ad hoc vt mediis illis determinetur. Antecedens ex se patere videtur. Prima verò consequentia ex antecedenti constat : quoniam effectus , aut actio determinata , qualis est intellectio huius obiecti potius quàm alterius , non potest oriri , nisi à principio determinato ad eliciendam illam , magis quàm aliam : ac proindè si principium illius fuerit de se indifferens, nec sit in eo aliquid ratione cuius inclinetur in hanc actionem magis quàm in illam : oportebit addere illi aliquid intrinsecum, & in ipso receptum ratione cuius potius sit causa huius actionis , quàm alterius specificè distinctè : alioqui nisi aliquid intrinsecum ei superaddatur , manebit intrinsecè sicut antea , & per consequens ita indeterminatum sicut priùs erat.

Ex quo etiam secunda consequentia satis : quoniam si semel intellectus indiget intrinseca determinatione ad intelligendum , non potest illa aliundè oriri , quàm ab ipso obiecto , vt intuenti constabit: & ita hoc ipso , quòd obiectum vniatur cum intellectu , & determinet intrinsecè illum ; adest sufficiens ratio , cur illud obiectum magis quàm aliud percipiat : ergo necesse erit , quòd ibidem detur species intelligibilis causans prædictam determinationem ex pate obiecti se tenentem ; quandoquidem nomine speciei intelligibilis ; nihil aliud intelligimus , nisi id , quod ex parte obiecti intrinsecè determinat intellectum ad aliciendam intellectionem huius obiecti , potiùs quàm alterius.

13. Occurrunt autem aduersarij satis esse ad hanc determinationem intellectus , quod præstetit sensatio interna huius obiecti, potiùs quàm alterius : Tùm, quia multoties causa vniuersalis , qualis censetur intellectus attingens vniuersalissimam rationem entis, solet determinari per aliquid extrinsecum , vt contingit in sole , qui ratione diuersarum dispositionum in cera, & in luto existentium determinatur ad hoc , vt illam liquefaciat, & istud exsiccet : Tum denique , quia determinatio , quæ fit in intellectu per sensationes sensuum est quodammodò intrinseca , ex eo quod tam sensationes istæ , quàm intellectus radicantur in eadem anima , & hæc radicatio , & determinatio intrinseca, satis est ad hoc, vt actus vnius potentiæ determinet aliam potentiam simul radicatam in eadem forma substantiali ad eliciendos suos actus , vt in intellectu, & voluntate accidit.

14. Cæterùm : hæc solutio insufficiens est , cuius insufficientia , vt meliùs capiatur, recolendum est in memoriam , id quod ex D. Thom. 1. part. quæst. 77. art .5. & quæst. de anima art. 23. diximus , nimirùm potentia vitales esse in duplici differentia : aliæ enim sunt potentiæ purè actiuæ, vt potentia augmentatiua, & generatiua ; aliæ verò sunt passiuæ , non quidem, quia sint omninò expertes actionis , alioqui non essent potentiæ vitales , de quarum ratione est , vt communiter docent Philosophi , & Theologi , vt sint principia actionum vitalium ; sed quia priùs quàm in operationem prorumpant , debent perfici, & immutari à suis obiectis , ex eo quòd non habent omninò completam virtutem , & determinationem, ex omni capite requisitam ad hoc , vt suas operationes eliciant. Quam doctrinam tetigit etiam Aristot. pluribus in locis , præcipue verò in his , quæ supra ex eodem retulimus.

Hinc ergo contra prædictam solutionem sequens ratio deducitur , quoniam intellectus est de genere potentiarum vitalium , & passiuarum : ergo oportet, quod priùs perficiatur , & immutetur ab obiecto per aliquid intrinsecum , quàm prorumpat in suam operationem: ergo necessarium erit, quod obiectum vniatur per seipsum cum illo: quod quidem est genere per selpsum rationem speciei , vt omnes Philosophi , & Theologi admittunt; vel per aliquid ab illo immissum, & illius vices gerens , seu quod idem est per speciem intelligibilem , quæ nihil est aliud , quàm quædam vicaria , & vice gerens obiecti.

Hæc secunda consequentia ex priori parte sequitur, prior verò ex antecedenti : nam potentia passiua respectu alicuius obiecti , debet pati ab illo , vel per hoc , quòd recipiat ipsum , vel aliquid ab eo immissum , & ex parte eius se tenens.

15. Antecedens autem etiam constat : Tùm , quia

vt communiter docent Philosophi, in hoc distinguitur intellectus, & quæuis potentia cognoscitiua à potentiis non cognoscitiuis, quod istæ feruntur ad sua obiecta; illæ verò trahunt ad se propria obiecta, & propterea beatitudo nostra, quæ iuxta communem Doctorum sententiam debet esse actus vitalis ab anima elicitus, & simul professio simul boni consistit in actu intellectus, quia intellectio est, vt sic dicamus ipsa tentio vitalis, & professio sui obiecti in actu secundo, sicut intellectus est ipsa vis, & facultas ad possidendum, & habendum in se suum obiectum, ergo intellectus erit de genere potentiarum vitalium & passiuarum.

Tùm etiam, quia intellectio est partus quidam, iuxta illud commune proloquium ex Augustino desumptum, ab obiecto, & potentia paritur notitia (modo tamen infrà dicendo:) & ita potentia intellectiua, quæ se habeat ad instar fœminæ parientis, debet priùs fœcundari, ac proinde, pati ab obiecto, vel per se ipsum, vel per aliquid habens se ad modum seminis eiusdem obiecti, scilicet per speciem intelligibilem, quandoquidem sicut in naturalibus nequit dari partus fœminæ, nisi priùs fœcundetur per virum, & patiatur ab illo; ita in ordine intelligibili, & intentionali non potest dari partus, quin fœmina intellectualis, scilicet intellectus priùs fœcundetur, & patiatur, quàm intentionaliter pariat, & consequenter intellectus non poterit non esse potentia passiua.

16. Tùm denique, quia intellectio fit vel mediante aliqua similitudine expressa obiecti, vel mediante obiecto ipso in intellectu recepto, & gerente vicem speciei expressæ, vt in beatis contingit. Et 1. part. qu. 12. art. 2. explicatur: & propterea tunc meliùs, & perfectiùs rem aliquam intelligimus, cum producimus verbum, seu speciem expressam, meliùs illam repræsentantem: ergo oportet, quod intellectus, antequàm producat prædictam speciem, & similitudinem expressam, sit similis in actu primo cum obiecto intelligendo; alioqui, nequiret prædictam similitudinem expressam producere, vt ex se constat: ergo cùm ex se non sit similis obiectis, quæ ab illo specie distinguuntur, oportet, vt sit potentia passiua in ordine ad recipiendas similitudines illorum, seu species impressas, ratione quarum fit ex omni capite potens ad productionem speciei expressæ, ac proindè, ad intellectionem eliciendam.

17. Ex quo etiam constat; non fauere huic obiectioni duo illa, quæ pro se adducit, quandoquidem nec virtus actiua solis, nec voluntas sunt de genere potentiarum passiuarum, sed actiuarum: & ita non est necesse, vt priùs, quàm eliciant suas operationes perficiantur intrinsecè à suo obiecto, vt in potentiis cognoscitiuis, propter oppositam rationem contingit. Vndè potentiæ istæ, non vtcumque intrinsecè; sed per realem receptionem, seu vnionem intrinsecam sui cum suo obiecto debent determinari, ad suas operationes eliciendas: & ita non sufficit determinatio illa quodammodo intrinseca, quæ fit per operationes aliarum potentiarum, quæ in eadem anima radicantur: quandoquidem iste modus determinationis intrinsecæ non sollit à potentiis vitalibus rationem potentiarum purè actiuarum, vt in voluntate, & in aliis potentiis purè actiuis; id est non simul passiuis à suis obiectis, cernitur.

Respondetur argumentis aliarum sententiarum.

§. IV.

18. AD primum primæ concedendum est antecedens, & neganda consequentia: ad cuius probationem patet ex dictis; quomodo illa extrinseca præsentia obiecti non sufficiat ad determinandum sensum externum. Vndè, visibile, verbi gratia duplex munus, & vtrumque obiectiuum exercet circa visum: aliud quidem obiecti motiui: aliud verò obiecti terminatiui, & ratione huius cum præcisione sumpti, non est necessarium, vt similitudinem sui producat, sed satis est (vt multi probabiliter volunt de quo aliàs) quod sit præsens, & intra sphæram actiuitatis visus; at verò ratione illius prioris muneris debet per sui similitudinem immutare, & mouere visum, vt explicatum est.

Potéstque hoc vna, vel altera experientia ampliùs confirmari, & manifestè ostendi. Prima est; nam cùm, à longè nobis adstantibus, aliquis securi percutit lignum, tunc priùs videtur percussio quàm sonus inde resultans, audiatur cuius non potest alia reddi ratio, nisi quia species visibiles non secùs ac lumen deueniunt ad visum in instanti, vel saltem in minima valde duratione: species autem soni, quippè procedentes ab obiecto, non ita perfecto, & actiuo, non nisi in longiori tempore multiplicantur per medium, & ad auditum accedunt: nam si solum requireretur præsentia obiecti visibilis, & audibilis absque eo, quod aliquid imprimerent in suas potentias, non esset cur priùs videretur percussio, quàm audiretur sonus, sicut etiam si obiectum visibile, nihil produceres in visu, ratione cuius determinaret illum ad videndum, nihil obesset in ordine ad visionem impediendam, quod inter obiectum visibile, & visum interponeretur aliquod corpus opacum; eo sanè modo, quo respectu phantasiæ, & intellectus; quia semel accepta specie sensibili, nihil de nouo recipiunt; non obstat interpositio alicuius corporis, vel distantia obiecti, quominùs possint illud percipere.

19. Secunda est: nam oculo, nec facies, nec ea, quæ à tergo sunt, videri possunt: si verò obiiciatur speculum; tunc omnia hæc videntur: huius autem non potest alia assignari causa, nisi quia omnia ista species ad speculum immittunt, & species hæ ab speculo reflectuntur ad oculum: si autem obiectum, nihil immitteret, quod mediante speculo ad oculum reflecteretur, non esset cur absente speculo non viderentur: secùs verò eo præsente, & ante oculo posito, vt intuenti patebit.

Ad secundum patet ex dictis: quomodo licèt sensu internus non possit sentire, nisi præcedat sensatio externa, ob rationes supra dictas; nihilominùs non sufficiat prædicta sensatio ad illum determinandum.

Ad primam confirmationem respondetur negando maiorem, si illa particula *ideò* ibidem posita reddat causam adæquatam; quoniam licèt satis sit ad hoc, vt sensationes sensuum internorum non determinent sufficienter intellectum, quod sint inferioris ordinis; nihilominùs etiam si essent eiusdem ordinis, non possunt illum sufficientes determinare, vt probatum est.

20. Ad secundam confirmationem concedenda est sequela, & neganda minor, & ad probationem negari debet sequela: ad cuius probationem dicendum est, quòd licèt phantasia, verbi gratia, habeat species plurimorum sensibilium, non ideò habet omnia requisita ad simul illa cognoscenda: quia habet virtutem limitatam, & ratione huius limitationis

nequit

nequit omnibus illis vti. Cur autem vtatur hac potiùs quàm illa specie, prouenit ex aliis causis, vt ex aliquo excitante extrinseco, ex aliquo humore intrinseco, ex appetitu sensitiuo, aut in nobis ex rationali, cui quo ad vsum, tàm habitus, quàm species intentionales subordinantur.

Ad vltimum neganda est sequela, quoad vtramque partem, & ad probationem prioris negandum est antecedens: nam, vt optimè notauit Caietanus, species repræsentantes, verbi gratia, duo alba, distinguuntur specie, quamuis prædicta obiecta in esse entis naturalis solo numero differant; quia tota essentia harum spicierum sita est in repræsentatione illorum obiectorum, quatenus sic distincta sunt: & ita ab eis, quatenùs sic distinctis specificantur. Ad probationem verò posterioris partis eiusdem sequelæ dicendum est speciem ingentis montis propter sui immaterialitatem non exigere maiorem extensionem quantitatiuam, quàm sit illa, quæ ei ratione visus in quo recipitur, potest conuenire.

21. Ad primum verò secundæ sententiæ neganda est sequela, & ad probationem dicendum est: antecedens solùm esse verùm de his, quæ requiruntur ad intelligendum tanquam rationes per se primæ intelligendi, non tamen de illis, quæ desiderantur tanquam conditiones, aut modificationes, aut aliquo alio modo: & ita ad visionem desiderantur vltra visum, & speciem, influxus sensus communis, & concursus spirituum animalium: licèt non tanquam rationes videndi, id est rationes per se primo constituentes visum in ratione visui.

Cor autem vltra intellectum, & speciem intelligibilem, quæ sunt rationes per se primò intelligendi requiratur pro hoc statu operatio phantasiæ, aut conuersio ad phantasmata, iam supra id tactum est: quia nimirum modus operandi, sequitur modum essendi. Quarè, cùm intellectus, nec non, & species intelligibiles sint quodammodo in corpore, quia sunt in anima informante illud, debent aliquo modo in sui operatione pendere ab operatione corporea, scilicèt ab operatione sensus interni, siue conuersione ad phantasmata. Sed de hoc infrà sermo redibit.

22. Ad secundum negandum est antecedens; quia licèt demns relationes, & alia ibi enumerata, non cognosci per proprias species, attinguntur tamen per species intelligibiles aliorum obiectorum cum quibus habent aliquam connexionem: nam sicut hæc est natura intellectus, vt ex cognitione vnius obiecti, deueniat arguitiuè in cognitionem aliorum similium, vel dissimilium, habentium aliquam connexionem cum illo: ita etiam potest per speciem prædicti obiecti cogno'cere arguitiuè alia. Vnde satis est, vt illud obiectum, cuius est propria illa species, præextiterit, modo infra dicendo, in phantasmate, ad hoc vt detur species deseruiens ad cognitionem iam explicatam aliorum obiectorum, habentium cum illo prædictam obiectionem.

Ad vltimum, & eius confirmationem patet ex dictis. Vnde, licet causæ inferiores possint in genere causæ materialis determinare superiores ad hoc, vt producant hunc effectum, potius quàm illum, non tamen in genere causæ formalis: ita vt aliquid in hoc genere causent in causa superiori, per quod magis actuetur, & determinetur: at determinatio, quam petunt potentiæ cognoscitiuæ, est determinatio in genere causæ formalis, ratione cuius magis actuantur, & fiunt completè potentes in ordine ad operandum, vt probatum est.

QVÆSTIO II.

Vtrum species impressa, tam sensibiles quàm intelligibiles repræsentent formaliter sua obiecta, an verò solum virtualiter, & efficienter?

POst quæstionem *an est* specierum sensibilium, & intelligibilium, merito ad *quia est* earundem specierum explicandum aggredimur: quia verò exacta intelligentia plurium, quæ prædictis speciebus essentialiter conueniunt, pendent ex explicatione modi repræsentandi illis conuenientis: propterea primo loco quæstionem hanc excitamus.

Refertur prior opinio.

§. I.

23. PRima sententia asserit, speciem impressam non repræsentare formaliter, sed solum virtualiter obiectum. Ita Toletus 2. de anima, quæst. 34. conclud. 3. Torres de Trinitate, q. 27. disput. 5. q. 2. Suarez 4. tom. Summæ Theologiæ, tract. 3. de anima, lib 3. cap. 2. num. 20. Rubio 2. huius operis tract. de speciebus sensibilibus, quæst. 6. inquiens, eam esse magis plausibilem inter Recenciores Probant primò, nam productio cognitionis, seu verbi est veluti quidam partus potentiæ cognoscitiuæ: ex eo quod potentia hæc non nisi fœcundata per semen obiecti, scilicet per speciem impressam, parit prolem simillimam obiecto, scilicet verbum: & propterea D. Augustinus 1. de Trinitate cap. 12. inquit: speciem habere se ad instar seminis: verbum autem ad instar prolis: ergo prædictas species non repræsentabit obiectum formaliter, sed solum virtualiter. Patet consequentia, nam sicut ad realem, & naturalem conceptionem, & partum, satis est, quod semen à generante immissum in ordine ad productionem prolis repræsentet virtualiter, & efficienter suam causam, quatenus efficit instrumentaliter prolem similem prædictæ causæ, sic species habens se per modum seminis intentionalis in ordine ad partum intentionalem potentiæ cognoscitiuæ, solum virtualiter, & efficienter repræsentabit obiectum à quo immittitur, quatenus instrumentaliter efficit, verbum illi simillimum.

Confirmatur primò, nam habitus indicatiui scientiarum, & alij similes, non sunt formaliter repræsentatiui, quamuis in ipsis actualibus, qualitatibus, ad quas effectiuè concurrunt reperiatur propria conformitas, & similitudo formalis cum obiectis: ergo neque species, quæ sunt quidam habitus ad simplices conceptiones eorundem obiectorum concurrentes, erunt formaliter repræsentatiuæ. Antecedens communiter recipitur à Philosophus, consequentia verò ex paritate rationis patere videtur.

Confirmatur secundo exemplo diuinæ essentiæ, quæ per modum speciei concurrit cum intellectu beato ad visionem creaturarum, cùm tamen solum causaliter illas repræsentet.

24. Secundò, & principaliter: nam si species impressa esset formalis similitudo, tunc præcisè per receptionem illius constitueretur intellectus in ratione intelligentis, absque eo quod eliceret aliquam actionem vitalem, vel produceret verbum: hoc autem est contra communem sententiam Philosophorum, vt ex infrà dicendis constabit: ergo, &c. Sequela probatur: nam tunc intellectus cognosceret actu obie

ctum, quando fit ei actu & formaliter simili ex eo, quod cognitio est assimliatio quædam cognoscentis, ad rem cognitum, vt significatur Arist. in hoc lib. cap. 4. text. 16.& cap. 8. text. 37. & 38. & D. August. 14. de Trinitate, cap. 11. dum inquit: *Tunc fore perfectam Dei similitudinem in mente, cùm fuerit perfecta Dei visio*, iuxta illud 2. Ioan. cap. 3. Cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus, cum sicuti est: ergo si species impressa est formalis similitudo obiecti, consequens erit, vt præcipuè per receptionem illius in intellectu reddatur ipse actu, & formaliter intelligens, sicut redditur actu, & formaliter similis obiecto.

25. Nec refert si dicas: duplicem similitudinem formalem requiri ad cognitionem: aliam, quæ sit similitudo in actu primo, & veluti habitualis: aliam verò, quæ in actu secundo obiectum repræsentat, quæque non sit ex se permanens, sed facilè transiens: ita tamen, vt prior illa similitudo prærequiratur ad cognitionem, vt principium illius: Hæc verò posterior si formaliter cognitio ipsa. Quare, cum species impressa, tantum repræsentet formaliter obiectum per modum actus primi, & veluti habitualiter, non vero in actu secundo: propterea per illam formaliter, & præcisè sumptam non redditur intellectus intelligens in actu secundo, sed solum in actu primo, & quasi per modum habitus.

Nam contra hanc solutionem obstat: quòd nulla res censeri debet in actu primo respectu illius, quod formaliter habet, sed respectu illius quod necessariò debet esse in actu secundo: ergo si species impressa est similitudo formalis obiecti, non erit similitudo in actu primò, sed in actu secundo: atque adeò constituet intellectum in actu secundo intelligentem. Consequentia patet. Antecedés autem probatur, quia esse aliquid in actu primo tale, est esse in potentia, & in radice tale, nihil autem est in potentia ad seipsum, vel ad id, quod formaliter habet. Vnde, licet calor, verbi gratia, sit calefaciens in actu primo, est tamen in actu secundo virtus: ad calefaciendum, quia formaliter habet esse talem virtutem.

Neque id, quod in hac solutione additur, scilicet speciem expressam, & cognitionem debere esse ex se transeuntem aliquid quoad præsens conducit; nam de ratione similitudinis constituentis intellectum in ratione intelligentis, non est quod sit facilè transiens, vt in visione beata constat: ergo si species impressa est formalis similitudo obiecti, constituet intellectum in ratione intelligentis, etiam si non sit similitudo facilè transiens.

Sententia Aristotel. & D. Th. ratione fundamentali fulcitur.

§. II.

26. Dicendum tamen est: speciem impressam repræsentare formaliter suum obiectum primariũ. Ita Arist. 2. lib. huius operis c. 12. inquiens: quòd sicut impresso annulo ferreo, aut aureo in cera, non manet ibi materia ferri, aut auri, licet maneat similitudo annuli: ita quando obiectum sensibile, & materiale immittit speciem impressam sui ad sensum: tunc sensus recipit speciẽ & similitudinem obiecti absque materia: ac proinde, sentit Philosophus, quòd sicut similitudo illa ab annulo impressa in cera, est formalis similitudo annuli, ita etiã similitudo, seu species impressa immissa ab obiecto ad sensum est formalis similitudo eiusdẽ obiecti: alioqui ad significandũ modum similitudinis, secundùm quem species impressa repræsentat obiectum, non adduxisset in exemplum similitudinem formalem, sed virtualem, cumque quo ad hoc eadem sit ratio de specie sensibili, & intelligibili, vt communiter docent omnes Philosophi: consequens est, vt iuxta mentem Arist. omnes species impressæ, siue sensibiles, siue intelligibiles, debent formaliter repræsentare suum obiectum primarium, quod etiam docet D. Th. ibid.

Idem etiam tenet idem Arist. in eodem lib. cap. 5. text. 62. vbi intendens explicare quomodo potentia cognoscitiua per receptionem speciei fit similis obiecto, sic ait: *Sensitiuum autem potentia est tale, quale iam actu sensibile, sicut dictum, patitur igitur in simile existens, passum autem assimilatum est, & est quale illud.* Si autem species impressa non esset formalis similitudo obiecti, tunc potentia sensitiua per receptionem illius, non fieret talis, quale est ipsum obiectũ, sed potius esset ei dissimilis, siquidẽ id, quod solũ virtualiter repræsentat, aliud est diuersæ speciei ab illo.

27. Et tandem hoc ipsum tuetur idem Philosophus locis quæst. præced. relatis. Vnde sententiam hanc tuentur D. Thomas ibidem, & 1. p. quæst. 12. articul. 2. & 2. contra Gent. cap. 98. & lib. 3. cap. 49. vt quæst. sequenti vnà cum duobus illis testimoniis ex Aristot. nuper adductis magis expendemus. Caietan. 1. part. quæst. 55. artic. 3. Ferrara 2. contra Gent. cap. 8. Bañez 1. part. quæst. 12. art. 2. conclus. 3. Nazarius quæst. 12. art. 2. controuersia prima, & q. 27. art. 1. Ledesma de Perfectione Dei quæst. 4. artic. 4. fol. 145. Vbi hanc sententiam reputat longè probabiliorem in schola D. Thomæ, quam etiam plures alij ex iunioribus sequuntur.

Vt autem priorem, & fundamentalem huius assertionis rationem tradamus, notandum ex est. D. Thoma, necnon ex Caiet. loco supra cit. duplex esse genus entium: alia per se primò instituta ad hoc vt sint, quamuis secundariò habeant repræsentare, alia vero, quæ per se primò instituuntur ad hoc vt repræsentent. Ratio autem propter quam debet dari hoc duplex genus entium, est, quia sicut ordo essendi, & ordo operandi pertinent ad ordinem vniuersi, & propterea debent dari aliqua per se primò instituta ad esse: alia verò per se primò instituta ad operandum, vt constat ex his, quæ in 1. Phys. disp. 10. q. 4. & 5. diximus, ita etiam quia ad perfectionem vniuersi pertinent duo illa genera entium, vt ex se patet, propterea debent dari aliqua entia per se primo instituta ad hoc vt sint, alia verò ad hoc vt repræsentent.

Cæterùm, inter hæc duo genera entium est apertum discrimen, nam ea, quæ per se primò instituta sunt ad hoc vt sint, & secundariò aliquid aliud repræsentans: non est necessarium, vt formaliter illud repræsentent, licet eis talis modus repræsentandi permittatur: at ea, quæ per se primo instituuntur ad repræsentandum, non possunt non repræsentare formaliter suum obiectum primarium.

28. Et ratio est aperta, quoniam id, quod per se primò institutum est ad repræsentandum, est talis conditionis, vt primum quod ei competit, sit esse repræsentatiuum sui obiecti, id autem, quod solum virtualiter competit alicui, non est primum, quod ei conuenit, sed esse formaliter tale, ratione cuius continet virtualiter aliud; & ita quia lux solis virtualiter solùm continet calorem, ideo quod primò ei conuenit, non est esse virtualiter calidam, sed esse formaliter lucem, ratione cuius potest producere calidum; & similiter quia eadem lux solùm virtualiter repræsentat calorem, propterea primum quod in ea repetitur, non est esse repræsentatiuum eiusdem caloris, nec per se primo instituta est ad hoc vt illud repræsentet.

Ex hac ergo D. Thomæ doctrina, sequens deducitur ratio, nam species impressa per se primò, & modo alibi explicando instituta est ad repræsentandum

suum

suum obiectum primarium: ergo erit formalis similitudo illius. Consequentia patet ex modò dictis. Antecedens autem probatur: Tum ex communi philosophorum sententia: Tum etiam quia potentia cognoscitiua tantum indiget speciebus ad hoc, vt mediis illis vniatur cum obiectis ex eo quod prædicta potentia non cognuscit nisi trahendo ad se res, ac proinde tantum indigebit illis, quatenus repræsentatiuæ sunt, æquidem non nisi secundùm istam rationem, & modo alibi dicendo vnitur mediis illis cum suis obiectis.

Vnde, sicut potentiæ proximè operatiuæ, quæ sunt propter substantiam, & eius indigentiam instituuntur per se primò à natura ad operandum, quia substantia non indiget illis ad hoc, vt sit, sed in ordine ad operationem; ita species impressæ, quæ sunt propter perfectionem potentiæ cognoscitiuæ, & vt illi deseruiant, erunt per se primù, & modo alibi dicendo institutæ ad repræsentandum, ex eo quod non sit ratione prædictæ repræsentationis indiget illis potentia cognoscitiua.

29. Tum denique quia id quod non est per se primo institutum ad repræsentandum, non repræsentat, nisi vel eo modo quo vnum indiuiduum eiusdem speciei, & habens eundem modum essendi naturalem, & solo numero distinctum repræsentat aliud, seu est simile illi, vel eo modo quo effectus suam repræsentat causam, vel causa suum effectum: at species non repræsentat suum obiectum primo modo, quia non debet habere eundem modum essendi naturalem cum illo; nec secundò modo, quia materiale est respectu speciei secundùm suam essentiam, & in esse repræsentatiuo consideratæ, quod producatur à suo obiecto, & ita maneret eiusdem naturæ, si à solo Deo fieret: nec tandem tertio, vt ex se constat: ergo signum est, prædictam speciem non repræsentare suum obiectum, tamquam aliquid secundariò institutum ad repræsentandum illud, sed tamquam quid in ordine ad prædictam repræsentationem per se primo institutum.

Eadem assertio, alia ratione ex Diuo Thoma desumpta stabilitur.

§. III.

30. SEcundò probatur essertio ratione desumpta ex D.Th. 1. p.q. 27. art. 2 alibi sæpe: nam productio creata verbi est generatio quædam vitalis, & verbum procedit, vt filius aliquo modo, id est, non secundùm esse naturale, sed secundùm esse intensionale, & repræsentatiuum: ergo species impressa debet esse formalis similitudo obiecti, non minus, quàm verbum adæquatum illius est similitudo formalis eiusdem obiecti.

Consequentia patet, quia id, quod procedit tamquam quid vitaliter genitum, & vt filius, debet esse simile suo principio: ita quidem vt si procedat, vt filius in esse naturali, habeat esse simile illi, & eiusdem naturæ cum eo in tali esse: si autem procedat, vt filius in esse intentionali & repræsentatiuo, sit simile illi, & eiusdem naturæ cum eo in esse repræsentatiuo: ergo cum species impressa sit principium verbi fœcundans intellectum in ordine ad eius generationem, necesse erit, vt verbum, & prædicta species sint eiusdem naturæ, atque adeo si verbum repræsentat formaliter obiectum, etiam prædicta species illud formaliter repræsentabit.

Antecedens autem probatur: Tum quia propter hanc rationem communiter dicitur, quòd ab obiecto, & potentia paritur notitia, & verbum: quia productio huius est partus, siue generatio quædam vitalis, & verbum est aliquo modo filius: Tum etiam, quia generatio vitalis, est origo viuentis à viuente à principio coniuncto in similitudinem naturæ, vt communiter docent Theologi, & Philosophi: at productio verbi est origo viuentis à viuente, quia verbum per illam productum est terminus intrinsecè vitalis, & à principio vitali procedens: & similiter est à principio coniuncto, scilicet mediate specie impressa quæ est vnita cum intellectu, & est in eodem subiecto cum eodem verbo, & tandem prædictum Verbum procedit in similitudiné naturæ cum suo principio, scilicet cum obiecto: quoniam in esse repræsentatiuo est omnino simile illi, ac proinde, processio eiusdem verbi, erit generatio vitalis, & verbum ipsum procedit aliquo modo & secundùm quid, vt filius, seu (quod idem est) procedit, vt filius in esse intentionali, & repræsentatiuo.

31. Tum denique, quia iuxta communem Theologorum sententiam, ideò productio Verbi diuini ex vi propriæ lineæ est generatio, non qualiscumque, id est, generatio secundùm quid, & in esse repræsentatiuo solummodo, sed generatio simpliciter, & in esse naturali, ac entitatiuo, quia productio verbi, vt sic habet ex vi suæ lineæ, esse aliquo modo generationé, & productioné similis in natura cum suo principio: alioqui si productio verbi haberet ex vi sua esse aliquo modo generationem saltem secundùm quid, & modo explicato: consequens esset, vt nec productio Verbi diuini, quæ est productio intellectualis omnium perfectissima, & haberet ex vi propriæ lineæ perfectè, & simpliciter generare producendo simile in natura, secúdùm esse naturale, & entitatiuum.

Nec refert, si contra rationem hanc obiicias primò: quòd licet daretur Verbum procedere ab intellectu, vt genitum, & vt filium, non tamen inde fieret debere esse simile in esse repræsentatiuo cum specie impressa: quoniam principium, & causa principalis generationis Verbi non est species impressa, sed obiectum per illam repræsentatum: ergo Verbum non deberet esse simile in esse repræsentatino cum prædicta specie, sed cum obiecto. Patet consequentia: quoniam ad hoc, vt aliquid procedat, vt genitum, & vt filius, satis est, vt procedat simile suo principio, & causæ principali, & ita Petrus procedens, vt Filius à suo Patre, non procedit vt similis semini habenti rationem instrumenti, seu Patri, qui est causa principalis.

32. Respondetur enim speciem intelligibilem, v. g. & eius obiectum non ponere in numero ad productionem Verbi, vel in ordine ad influendum in intellectionem, quia obiectum non concurrit, nisi, vt redditur intelligibile per prædictam speciem, neque species influit, nisi vt reddens intelligibile tale obiectum, & ita in genere intelligibili habent se vt forma, & id cuius est forma. Ac proinde in hac generatione intellectuali oportet, vt id, quod est simile obiecto, tamquam principio principali illius, sit etiam eodem modo simile speciei intelligibili.

Cæterùm, in generatione ordinis naturalis, & entitatiui semem, & generans à quo deciditur, ponunt in numero in ordine ad generationem prolis, quia semen non est forma reddens generans generatiuum, & constituens illud in esse principij proportionati ad generationem: ex eo quod prædictum generans ratione suæ formæ naturalis est principium principale, omnino proportionatum in ratione talis principij respectu generationis naturalis.

33. Potestque hoc amplius explicari, ex eo quòd generatio intellectualis est ad intra & immanens, ac proinde eius principium principale debet etiá esse ad

intra

intra, & vnitum cum intellectu, & consequenter tale principium non poterit esse obiectum, secundùm esse quod habet extra intellectum, sed secundùm esse, quod habet in specie intelligibili ratione cuius vnitur cum intellectu in ratione principij productiui ad intra: & propterea prædicta species, & obiectum non ponunt in numero in ratione principij principalis, respectu talis productionis. At generatio naturalis, & in esse entatiuo, quæque distinguitur à generatione intellectuali, est processio transiens in externam materiam: & propterea non oportet, vt principium principale illius sit coniunctum cum re genita, quæ procedit vt filius, sed potius debet esse separatum ab illa, atque adeo semen, quod debet esse coniunctum cum re genita ponit in numero cum tali principio: & ita non est necessarium, vt hoc ipso, quod res genita sit similis suo principio principali, habeat etiam assimilari semini.

34. Nec etiam obstat, si secundò obiicias, non posse cohærere cum natura speciei impressæ, & verbi, quod sint similia, & eiusdem naturæ in esse repræsentatiuo: atque adeo, nec quod processio eiusdem verbi sit generatio vitalis in esse repræsentatiuo. Consequentia non indiget probatione.

Antecedens autem probatur: Tum quia verbum per se, & ab intrinseco habet esse facile transiens, & pendere ab intellectione in esse, fieri, & conseruari: species verò impressa est de se permanens, & non facilè transiens, ac tandem non pendet ab intellectione in fieri, aut in conseruari. Tum etiam, quia alioqui darentur duo accidentia solo numero differentia, quæ simul essent in intellectu, scilicet speciem impressam, & verbum, quæ quidem certum est simul inueniri in illo, quoties obiectum aliquod intelligitur: Tum denique quia verbum, & species impressa non possunt non distingui specificè in esse entitatiuo, & naturali, vt communiter docent philosophi: ergo etiam debent eodem modo distingui, in esse repræsentatiuo.

Patet consequentia: quoniam ad specificationem, & rationem differentialem atomam speciei impressæ, & verbi, pertinet tam id, quod habent in esse entitatiuo, quàm id, quod habent in esse repræsentatiuo: at quoties aliquid distinguitur specificè ab alio secundùm aliquam rationem inadæquatam, & atomam, etiam differt ab illo secundùm alias rationes inadæquatas, & atomas, vt inductiuè patet: ergo, &c.

35. Respondetur enim: quòd sicut obiectum, & verbum productum sunt eiusdem naturæ, & speciei, sub diuerso tamen modo essendi: quoniam natura, & species obiecti est in illo sub modo essendi naturali: in verbo autem sub modo essendi intentionali repræsentatiuo, vt q. seq. explicabimus: ita species impressa, & verbum ei adæquatum siue repræsentans obiectum primarium eiusdem rationis, sunt eiusdem naturæ: sub diuerso tamen modo essendi intra latitudinem modorum, qui sub esse repræsentatiuo continentur: nam species impressa repræsentat per modum habitus: verbum autem non est necesse, vt hoc modo repræsentet, sed potius semper, aut ferè semper habeat modum repræsentandi facilè transeuntem, atque adeò per modum dispositionis.

Vnde, sicut obiectum ex parte naturæ cum præcisione sumptæ, non petit determinatè modum essendi naturalem, sed indifferenter, vel hunc, vel modum essendi intentionalem, & repræsentatiuum: ita eadem natura, & sub eadem præcisione sumpta non petit determinatè modum essendi intentionalem, & repræsentatiuum, quem habet verbum, neque illum, qui conuenit speciei impressæ: sed secundùm se præscindit ab his tribus essendi modis, & potest habere quemlibet ex illis, quamuis considerata non secundùm se, sed prout est in verbo, inuoluat necessariò modum illius: & simpliciter prout est in obiecto importet indispensabiliter modum essendi, & naturalem proprium ipsius.

Quare, ad formam argumenti negandum est antecedens, & ad primam probationem debet etiam negari antecedens, si intelligatur de verbo, aut specie impressa præcisè quoad suam naturam, aut speciem consideratissimam sicut secundùm hanc rationem cum præcisione sumptam, sunt eiusdem naturæ, ita ex parte naturæ, & formæ non petunt determinatè, vt argumentum inquit, modum permanentem, aut transeuntem.

36. Ad secundam verò probationem dicendum est: quòd sicut verbum, & obiectum non solùm sunt eiusdem naturæ secundùm speciem sed habent eandem numero naturam, sub diuerso modo essendi naturali, & repræsentatiuo, vt q. seq. ostendimus: Ita verbum, & species possunt aliquando esse eiusdem numero naturæ, sub diuerso tamen modo essendi intra latitudinem modorum, qui sub esse repræsentatiuo continentur. Vnde, ex hoc, quòd species, & verbum per se primò ei correspondentes sunt eiusdem naturæ, non sequitur duo accidentia solo numero distincta esse simul in eodem subiecto, sed quod vnum, & idem numero, secundùm naturam, & habens diuersos specie modos essendi, sit vnà cum illis in intellectu.

Ad vltimam verò probationem, concesso antecedenti, neganda est consequentia: ad cuius probationem neganda est maior; si intelligatur de specie in esse speciei: nam secundùm istam rationem per accidens, & de materiali importat modum essendi naturalem, & entitatiuum: seu hoc, quod est, esse in esse entitatiuo substantiam, vel accidens, vt in seq. quæst. dicemus.

37. Nec tandem obstat, si vrgeas, quod si verbum & species distinguuntur specifice in modo essendi, & repræsentatiuo, tunc generatio verbi non erit generatio propria viuentis, nec verbum erit aliquo modo filius, quandoquidem non procedit in similitudinem naturæ specificæ cum suo principio in aliquo modo essendi, vel entitatiuo, & naturali, vel repræsentatiuo.

Non itaque hoc obstat: quoniam ad rationem generationis vitalis, & ad hoc, vt id quod per illam procedit, sit aliquo modo filius, satis est similitudo in natura, quamuis non similitudo in modo habendi illam; sed prædicti modi sint distincti vel specie, & intra eumdem ordinem, vt in verbo, & specie impressa contingit, vel in diuerso ordine, & genericè, aut quasi genericè, vt in specie impressa & expressa ex vna parte, & obiecto ex alia accidit, quamuis tum hoc fiet, quod ad hoc, vt prædicta generatio, sit generatio simpliciter, & perfecta, ac proinde, res genita sit simpliciter & perfectè filius, debeat esse similitudo inter rem productam, & rationem producendi, tam in natura; quàm in modo naturali habendi illam, vt suo loco explicabitur.

Soluuntur argumenta primæ sententiæ.

§. IV.

38. AD primum patet ex dictis; ad primam confirmationem concesso antecedente, neganda est consequentia, & ratio disparitatis constat ex his, quæ à num. 27. vsque ad 30. diximus: nam habitus scientifici non sunt per se primò primò instituti ad repræsentandum, sicut species impressa ad id per se primò instituta est.

Ad secundam verò confirmationem dicendum est,

est, speciem impressam non debere necessariò repræsentare per modum similitudinis formalis obiecta secundaria, sed sufficere, vt obiectum primarium formaliter repræsentet, at essentia diuina solùm repræsentat creaturas, vt obiectum secundarium, & proptereà ex eo quod admitteremus (de quo alibi) eam solum causaliter illas repræsentare, nihil inde contra nos infertur.

Ad secundùm & eius confirmationem constabit ex his, quæ disput. 21. n. 36. & 37. diceemus: quo modo licèt ad intellectionem prærequiratur species impressa per modum principij, & similitudinis formalis, & verbum influat per modum similitudinis formalis, & expressæ, saltem in his intellectionibus in ordine ad quas debet dari verbum: nihilominus intellectio non consistit formaliter in similitudine aliqua. Et ad probationes in contrarium adductas ex ibidem dicendis satis patebit.

QVÆSTIO III.

An species intentionales debeant esse eiusdem natura cum suo obiecto in esse intentionali, siue repræsentatiuo.

POstquam explicuimus species intentionales debere esse similitudines formales suorum obiectorum, restat vt discutiemus, an hæc similitudo sit tanta, vt reuera fiat eiusdem naturæ cum illis, vel vt melius dicamus, an eademmet natura, quæ est in obiecto, sit in specie intentionali illius: non quidem in esse naturali, & entitatiuo, sed in esse intentionali, siue repræsentatiuo, ita vt ex parte formæ, & naturæ non distinguatur, sed solum ex parte modi essendi, quatenus in obiecto reperitur sub modo essendi naturali, & in specie sub modo essendi intentionali, siue repræsentatiuo.

Opinio negans.

§. I.

39. PArtem negantem tuentur Alb. Magn. de Anim. tract. 9. cap. 11. Tolet. q. 34. Rub. tract. de obiectis, & speciebus sensibil. q. 4. Fonsec. 5 Metaph. c. 2. q. 5. sect. Molin. 1 part. q. 12. art. 1. Vazquez ibid. art. 1. Soar. 2. tom. summ. Theologiæ, tract. 3. de Anima lib. 3. c. 1. num. 9. & alij plures.

Probatur primo testimonio D. Th. q. 8. de verit. art. 11. ad 3. his verbis: *Dicendum quod inter cognoscens, & cognitum non exigitur similitudo, quæ est secundùm conuenientiam tantùm. Constat enim, quod species lapidis in anima est longè alterius naturæ à lapide in materia.*

Secundò probatur ratione; quoniam species intelligibilis habet rationem cuiusdam accidentis spiritualis, cùm tamen obiectum eius multoties sit substantia. Deinde species sensibiles positæ supra sensum, siue illi inhærentes non impediunt sensationem: cum tamen obiectum sensibile positum supra sensum, illam impediat. Et tandem species sensibiles v. g. auditus nequeunt audiri: & tamen eius obiectum, scilicet sonus auditur: ergo signum est species intentionales, & illarum obiecta non esse eiusdem naturæ. Patet consequentia: quia alias illa, quæ conueniunt obiectis, etiam conuenirent prædictis speciebus.

Confirmatur, nam albedo, & nigredo habent inter se contrarietatem: & propterea non sunt compossibilia in eadem parte medij, vel subiecti, vt experientia constat: at species albedinis, & nigredinis possunt esse in eadem parte medij vel potentiæ visiuæ, vt ex se etiam liquet, & communiter admittitur à Philosophis: ergo sunt diuersæ naturæ à suis obiectis. Patet consequentia, quia si essent eiusdem naturæ, haberent easdem proprietates: ac proinde sicut albedo existens in pariete est incompossibilis cum nigredine in eadem parte subiecti, etiam species intentionales vtriusque essent inter se incompossibiles in eadem parte medij, aut potentiæ visiuæ.

Vera Arist. & D. Thomæ sententia.

§. II.

40. DIcendum tamen est, species intentionales eiusdem rationis ex parte formæ & naturæ cum suis obiectis, non quidem absolutè, & simpliciter, seu (quod in idem redit) sub modo essendi naturali, sed quodammodo, id est in esse intentionali, atque adeò illammet numero naturam albedinis v. g. quæ est in pariete sub modo essendi naturali esse in specie visibili intentionaliter, siuè repræsentatiuè, & illammet essentiam hominis; quæ est in homine sub modo essendi entitatiuo, siuè naturali, reperiri etiam in specie intelligibili illius sub modo essendi repræsentatiuo. Sic Arist. 2. huius operis text. 121. vbi etiam D. Thom. lect. 24. Idem etiam docet idem Philosophus 7. Metaph. lect. 6. apud D. Th. his verbis. *Ab arte verò fiunt, quorum forma in anima est atque formam dico quidditatem cuiusque.*

Quod testimonium explicat Angelicus Doctor in eodem loco. *Dicitur ergo primo, quòd illa fiunt ab arte quorum species factiua est in anima: per speciem autem exponit quod quid erat esse cuiuslibet rei facta per artem, vt quod quid erat esse domus quando fit domus.* Et hoc ipsum tuetur idem S. Doctor. multis in locis, vt 1. p. q. 12. & q. 14. art. 1. & 2. cont. gentes cap. 49. q. 2. de verit. art. 2 & quodlibet. 8. art. 4. his verbis: *Species intelligibilis est similitudo ipsius essentiæ rei, & est quoddammodo ipsa quidditas, & natura rei secundùm esse intelligibile, non secundùm esse naturale prout est in rebus.* Et alibi sæpè quos sectantur Caiet. 2. de Anim. c. 11. in explicatione 1. conclus. Arist. paragr. circa eandem conclusionem occurrit, & 1. p. q. 79. art. 2. paragr. quo ad secundum Ferra. 1. contra gent. cap. 44 & lib. 3. c. 49. Durand. in 4 dist. 49 quæst. 2. Bañes, Zumel. Ripa Nazarius Goncalez. 1. p. q. 14. art. primo, vbi etiam Caiet. nuper relatus Ledesm. de perfectione Dei q. 8. art. 4. in explicat. 1. rationis pro secunda conclus. & communiter Iuniores Thomistæ.

41. Explicatur assertio, in ea enim nolumus speciem intentionalem esse eiusdem naturæ cum quouis obiecto, in cuius cognitionem potest influere: sed cum eo, quod per se primo ab illa repræsentatur. Assertio ergo sic explicata probatur ratione fundamentali; quam tetigit D. Th. locis citatis, præcipuè verò tertio contra gent. c. 49. & q. 8. de verit. art. 2. nec non 1. part. q. 12. art. 2. Quoniam species dicunt relationem similitudinis ad sua obiecta: ergo habent vnitatem naturæ cum illis sub diuerso modo essendi. Antecedens videtur certum, quoniam vt ex dictis quæst. præced. constat, species repræsentant formaliter sua obiecta suntque similitudines formales eorum; non quidem sub esse naturali, sed sub esse intentionali, siuè repræsentatiuo, ergo referetur ad illa relatione similitudinis, quandoquidem id, quod est simile alteri refertur ad illud relatione similitudinis. Consequentia autem probatur, nam similitudo fundatur in vnitate, & identitate naturæ, siquidem ideò vnum est simile alteri, quia habet id ipsum, quod in alio est. Et si similitudo sit præcisè in vnitate specifica, cum dissimilitu-

titatem spiritualem, potest esse quodammodo in materia, & quodammodo non esse in illa, ratione independentiæ simpliciter, quam ab ea habet, nisi inter formas purè spirituales secundùm suam entitatem connumeretur.

31. Ad confirmationem respondetur, intellectum nostrum non ideò esse quodammodo in materia, & quodammodo non esse in illa, quia quodammodo habet esse, & non esse in aliqua potentia, seu subiecto, sed quia hoc habet respectu puræ potentiæ physicæ, scilicet materiæ primæ, vt explicatum est, & ita conditiones materiales, à quibus secum obiectum connaturale debet abstrahere, non debent esse conditiones analogicè materiales, sed verè desumptæ à materia prima: quare cum conditiones materiales, à quibus abstrahit essentia angelica (si verum est eam ab illis secundum abstrahere) tantum sint materiales materialitate prædicta, non verò desumptæ ex materia prima, quæ sit earum radix: propterea prædicta abstractio ab ea materialitate, seu conditionibus materialibus non constituit talem essentiam in ratione obiecti proportionati respectu intellectus pro hoc statu sumpti.

32. Nec etiam obest, si secundò contra eandem rationem obiicias, sequi ex illa, quod singulare materiale non sit obiectum proportionatum nostri intellectus, hoc autem dici nequit: ergo, &c. Sequela videtur certa: quoniam prædictum singulare non conuenit in gradu immaterialitatis cum nostro intellectu, siquidem in statu separationis est omnino separatus à materia, & in hoc statu quodammodo non est in illa: cum tamen singulare materiale necessariò includat materiam singularem: atque adeò neque etiam quodammodo sit separatum ab illa. Falsitas autem probatur: quoniam singulare materiale perfectè cognoscitur ab intellectu suis viribus relicto, atque adeò erit obiectum proportionatum respectu illius.

Respondetur enim, distinguendo sequelam, & si intelligatur de obiecto proportionato per se primò tali concedenda est, secus verò si de obiecto proportionato, & secundariò intelligatur: & ad probationem dicendum est, quod licet inter obiectum proportionatum, & per se primum ex vna parte, & inter potentiam cognoscitiuam ex alia, debeat esse conuenientia in gradu immaterialitatis, non tamen inter obiectum proportionatum non per se primum, & prædictam potentiam: nam sicut tale obiectum est proportionatum ratione alterius: ita satis est, vt illud alterum ratione cuius habet proportionari cum potentia, habeat conuenientiam cum illa in gradu immaterialitatis. Quare cum singulare materiale sit proportionatum respectu nostri intellectus non per se primò, sed per se secundò, quatenus singularitas illius est modificatio, & determinatio connaturalis obiecti per se primò proportionati, scilicet quidditatis materialis: inde est, vt non sit necessarium, quod habeat conuenientiam in gradu immaterialitatis cum intellectu.

33. Nec tandem obest, si contra eandem rationem obiicias, saltem ex ea sequi, quod res materiales, siue in communi, siue in particulari sumptæ, nequeant esse obiectum proportionatum intellectus Angelici: sed hoc est falsum, siquidem ab eo propriis viribus relicto perfectè cognoscuntur: ergo, &c. Sequela probatur, quoniam res materiales, nec sunt modificationes substantiarum purè spiritualium, conuenientium cum prædicto intellectu in gradu immaterialitatis, nec ipsæ habent in prædicto gradu conuenientiam cum illo.

Non itaque hoc obest, quoniam etiam res materiales sunt obiectum proportionatum respectu intellectus angelici, non quidem per se primum sed per secundum, nam ex quo capite quidditatiuè, imo etiam comprehensiuè cognoscuntur ab illo propriis viribus relicto, non possunt esse obiectum superexcedens respectu ipsius: & ex quo capite hoc est proprium substantiarum separatarum, vt per se primò terminentur ad res spirituales, vt docet D. Thom. 1. p. quæst. 54. art. 9. non possunt res immateriales esse obiectum proportionatum per se primum illius. Quomodo autem, & cur licet res materiales non sint modificationes substantiarum separatarum, nihilominùs ratione illarum reddantur obiecta proportionata, secundaria tamen respectu propriorum intellectuum non est huius loci, sed in materia de Angelis solet latius explicari.

34. Dicendum est secundò. Intellectus noster pro statu separationis habet pro obiecto proportionato, & per se primo quidditatis rerum spiritualium conuenientium cum eo in eodem gradu immaterialitatis, quales sunt v. g. anima rationalis, à qua talis intellectus dimanat, nec non & cæteræ aliæ animæ rationales, non verò substantiæ angelicæ. Ità D. Thom. 3. p. q. 11. art. 1. ad secundum, & 1. part. q. 89. art. 2. vbi loquens de anima separata, ac proindè de intellectu in statu separationis, sic inquit: *Sed cum fuerit à corpore separata, intelliget, non conuertendo se ad phantasmata, sed ad ea, quæ sunt secundum se intelligibilia: vnde se ipsam, per se ipsam intelliget. Est autem commune omni substantiæ separatæ quod intelligat id, quod est supra se, & id, quod est infra se per modum suæ substantiæ. Sic enim intelligitur aliquid secundum quod est in intelligente. Est autem aliquid in altero per modum eius in quo est. Modus autem substantiæ animæ separatæ est infra modum substantiæ angelicæ, sed est conformis modo aliarum animarum separatarum. Et ideò de aliis animabus separatis perfectam cognitionem habet: de angelis autem imperfectam, & deficientem loquendo de cognitione naturali animæ separatæ. De cognitione autem gloriæ est alia ratio.* Quare cum obiectum per se primo proportionatum perfectè cognoscatur ab intellectu, cui est proportionatum, conueniántque intellectus, & prædictum obiectum in modo essendi, seu in gradu immaterialitatis: consequens est, vt substantiæ angelicæ non sint obiectum per se primò proportionatum intellectus pro statu separationis; secùs verò cætera alia, quæ in assertione diximus. Vnde Sanct. Doct. sequunt. Caietan. Bañez loco citato, ex 1. part. & alij plures ex Iunioribus Thomistis.

Ratio huius assertionis tacta est à Diuo Thoma in verbis modò relatis, cuius explicatio potest desumi ex his, quæ num. 27. dicebamus, ac proindè ex generali illa regula, scilicet quod obiectum per se primò proportionatum, & potentia debent per se, & ratione sui conuenire in gradu immaterialitatis, in quo tamen non conueniunt anima, & intellectus separata, si conferantur cum substantiis angelicis, secùs tamen omnes animæ rationales, & intellectus humani: siquidem substantia angelica, ita est secundùm rem separata à materia physica, vt non dicat ordinem ad illam, vt forma eius, benè tamen animæ rationales.

Loquuti autem sumus in assertione de obiecto per se primò proportionato, propter ea, quæ nuper in præcedenti assertione de rebus materialibus collatis cum intellectu angelico dicebamus.

Nec refert, si obiicias obiectum proportionatum coincidere cum motiuo: at prædictæ res spirituales, non sunt obiectum motiuum intellectus pro statu separationis, siquidem non accipit species à rebus cognitis: ergo, &c.

35. Respondetur

35. Reſpondetur, quod ad rationem obiecti motiui qualiter requiritur ad rationem obiecti proportionati, ſatis eſt, quod ſit talis naturæ, vt ſi potentia eſſet mobilis à ſuo obiecto per emiſſionem ſpecierũ ab eo in illam, tunc obiectum illud, quod dicitur proportionatum, poſſet illam immutare per ſpecies à ſe ad eandem immiſſas: hunc autem modum obiecti motiui planum eſt, conuenire quidditatibus, ſiuè rebus ſpiritualibus collatis cum intellectu noſtro in ſtatu ſeparationis.

Dicendum eſt tertiò, ſi loquamur de intellectu prout abſtrahit ab ſtatu huius vitæ, & ab ſtatu ſeparationis; tunc etiam præſcindit ab obiecto proportionato. Ita D. Thom. 1. p. qu. 14. art. 4. quem eius diſcipuli communiter ſectantur. Probatur ratione, nam intellectus ſic ſumptus præſcindit à modo eſſendi: ergo etiam ab obiecto proportionato: quia potentia non habet, obiectum proportionatum niſi, vt eſt ſub ſuo modo eſſendi; quandoquidem non niſi, vt eſt ſub ſuo modo eſſendi, poteſt proximè, & efficaciter operari circa illud, & nonniſi quatenus habet prædictam efficacitatem proximam, correſpondet ei obiectum proportionatum. Antecedens autem ſatis liquet: quoniam intellectus tantùm habet duos modos eſſendi, ſcilicet ſeparationis; & vnionis iam explicatæ cum corpore: & ita præcindendo ab his duobus ſtatibus, præſcindit à modo eſſendi.

36. Confirmatur, & explicatur: nam intellectus ſic ſumptus præſcindit à gradu immaterialitatis requiſito ad hoc, vt ei correſpondeat obiectum proportionatum: ergo etiam præſcindet ab obiecto proportionato. Conſequentia non indiget probatione. Antecedens autem probatur, quoniam gradus immaterialitatis, requiſitus ab obiectum proportionatum includit: Tum immaterialitatem potentiæ: Tum etiam modum eſſendi illius, & ideo D. Thom. collocat intellectum noſtrum in diuerſo gradu immaterialitatis, dum eſt in corpore, ſeu, vt melius dicamus, dum eſt in anima corpori vnita, & dum eſt ſaparatus, ex eo quòd ſit vnus, & idem ſecundùm ſuam entitatem, habet tamen diuerſum ſtatum, & diuerſum eſſendi modum: & proptereà eidem diuerſum obiectum proportionatum in vno, & in alio ſtatu tribuis, cum tamen eidem ſecundùm ſe, & vt præcindit ab hoc duplici ſtatu nullum gradum immaterialitatis, neque aliquod obiectum proportionatum aſſignet.

Fit ſatis argumentis initio allatis.

§. III.

37. AD primum negandum eſt antecedans, ſi intelligatur de obiecto abſolutè, & ſimpliciter proportionato, & coincidente cum obiecto adæquato intenſiuè, & ad probationem diſtinguendum eſt antecedens: & ſi ſenſus illius ſit, quod quæuis potentia eſt proportionata proportione commenſurationis eſſentialis præcisè ſumpta cum obiecto, à quo ſpecificatur, concedendum eſt; ſi verò intelligatur de proportione efficacitatis, ſeu quantitatis virtutis ſuperadditæ priori illi proportioni commenſurationis eſſentialis negandum eſt: & eodem modo debet diſtingui conſequens; & contra hoc non obeſt probatio conſequentiæ, ibidem adductæ, quia nos non negamus obiectum ſpecificatiuum intellectus, ac proindè ens in tota ſua latitudine eſſe proportionatum proportione requiſita ad ſpecificandum: ſed quod negamus eſt prædictum ens ſic ſumptum eſſe proportionatum proportione obiecti adæquati intenſiuæ, ita vt non requirat ſuper additionem virtutis, & efficaciæ in potentia ad hoc, vt perfectè terminetur ad omnia, quæ ſub illo continentur adhuc diuiſiuè ſumpta.

38. Explicatur hoc: etenim duplex proportio poteſt in potentia cognoſcitiua in ordine ad ſuum obiectum aſſignari; alia quidem commenſurationis eſſentialis, ad quam ſolum requiritur, vt tale obiectum ſit ſpecificatum illius, vel contineantur intra latitudinem ſui obiecti ſpecificatiui, & hæc proportio eſt prima radix, & fundamentalis proportio, quæ poteſt alicui potentiæ conuenire. Vndè, hoc ipſo quod potentia non habeat eam in ordine ad aliquod obiectum, nequit aliquam aliam proportionem in ordine ad illud per modum potentiæ cognoſcitiuæ habere. Alia verò proportio eſt efficaciæ, ſiuè quantitatis virtutis, aut omnino proxima, quæ ſupra illam priorem proportionem addit, vt potentia habet ſufficientem efficacitatem; & quantitatem virium ad hoc, vt poſſit efficaciter, & perfectè, & tanquam obiecta omninò connaturalia attingere illa obiecta reſpectu quorum dicitur habere prædictam proportionem efficaciæ, ſeu quantitatis virtutis.

Vndè, quia ſola illa obiecta dicuntur eſſe proportionata abſolutè, & ſimpliciter, ſeu proportionata per modum obiecti adæquati intenſiuè: reſpectu quorum potentia habet ſimul cum priori illa proportione hanc poſteriorem: proptereà licet ens in toto ſuo ambitu, ſeu ſecundùm omnia, quæ ſub ſe continet, ſit obiectum proportionatum proportione obiecti ſpecificatiui præcisè, & exigente ſolam commenſurationem eſſentialem in intellectu, nihilominùs non eſt abſolutè & ſimpliciter proportionatum reſpectu illius ſeu proportionatum per modum obiecti adæquati intenſiuè, quia nomine obiecti abſolutè, & ſimpliciter proportionati intelligitur, obiectum cum quo potentia habet proportionem efficaciæ, & quantitatis virtutis ſuperadditæ ſuperadditione ſaltem virtuali ad proportionem commenſurationis eſſentialis.

39. Ratio autem, propter quam hæc duplex proportio virtualiter ſaltem diſtincta debet neceſſariò aſſignari, eſt: quoniam videmus, quod potentiæ cognoſcitiuæ aliquando habent proportionem commenſurationis eſſentialis, & radicalem, non verò proportionem quantitatis virtutis, ſiuè omninò proximam; & ita intellectus creatus eſt proportionatus priori illa commenſuratione fundamentali in ordine ad videndum DEVM prout eſt in ſe, ex eo quod Deus ſic viſus continetur intra latitudinem ſui obiecti adæquati, & nihilominùs non eſt in eo ſecundùm ſe ſumpto poſterior proportio: & ideò vſque dum habeat lumen gloriæ, per quod additur illi efficacia, & ea quantitas virium, quæ ad videndum Deum deſideratur, ſolùm eſt inchoatè, & fundamentaliter proportionatus ratione prædictæ commenſurationis eſſentialis non verò proportione abſolutè, & ſimpliciter tali quæ includit efficaciam, & quantitatem virtutis ad talem viſionem requiſitam.

40. Et ſimiliter viſus noctuæ habet priorem illam & fundamentalem proportionem ad videndam lucem meridianam, non tamen hanc poſteriorem; & ita niſi confortetur per additionem virtutis viſiuæ, nequibit illam videre; ac tandem calor ſecundùm ſe habet commenſurationem eſſentialem, ad producendum quemcumque calorem; quia ſpecificatur à calefactione generaliter ſumpta, & tamen non habet efficaciam, ſeu quantitatem virtutis, eidem commenſurationi eſſentiali correſpondentem, in ordine ad producendum calorem vt 7. niſi addatur illi modus quidam efficacitatis, & quantitatis virtu-

illis sermonem texere, & simul in illa explicare, in quibusnam diuerso modo debeat in speciebus sensibilibus, & intelligibilibus philosophari, vt ita habeatur plena notitia de eis, tàm secundùm ea, in quibus conueniunt, quàm secundùm illa, in quibus discriminantur.

QVÆSTIO PRIMA.

AN SENSVS, ET INTELLECTVS INDIGEANT speciebus impressis ad suas cognitiones dicendas.

Consulto in titulo addita est illa particula; impressis, quia in præsenti non de speciebus expressis, sed de impressis, seu de speciebus illis, quæ præsupponuntur in sensibus, & in intellectu ad sensationem, vel intellectionem agendum est: nam de speciebus expressis, seu verbis ad cognitionem sensitiuam; vel intellectiuam subsecutis, postea sermonem instituemus.

Proponitur duplex opinio.

§. I.

1. Prima sententia asserit sensus, tàm internos, quàm externos non indigere speciebus sensibilibus impressis ad suas sensationes eliciendas. Ita quo ad externos, Galenus 7. de Placitis, vt refert D. Gregorius Nyssenus libr. de viribus animæ, quam etiam tenent Plotinus & quidam Platonici, vt refert Toletus 2. de anima, q. 35. quo ad sensus verò internos eandem tuentur plures alij Philosophi, quos infrà referemus.

Et licèt sententia hæc, quo ad priorem eius partem posset discurrendo sigillatim per omnes sensus externos, maximè verò per gustum, & tactum pluribus argumentis suaderi: nihilominus quia ex aliis dictis, præcipuè verò disp. de tactu eorum solutio constat: ideò consultò omittuntur: & vnico Galeni fundamento probatur, nam potentiæ cognoscitiuæ non indigent speciebus, nisi vt ab eis determinentur ad cognoscenda hæc potiùs obiecta, quàm illa, vt ex infrà dicendis constabit: ergo sensus externi non indigebunt prædictis speciebus. Patet consequentia, nam cum non possint sentire nisi obiecta realiter sibi præsentia; fiet indè, vt sufficienter determinentur per prædictam præsentiam; ad hoc vt hæc obiecta, scil. præsentia potiùs quàm illa nimirum absentia percipiant, & ita superfluè aliquid aliud ad hanc determinationem additur.

2. Secundò eadem sententia quoad sensus internos probatur: quoniam sensus isti sufficienter determinantur per determinationem sensuum externorum: ergo non indigebunt speciebus sensibilibus. Consequentia patet ex nuper dictis. Antecedens autem probatur, quoniam sensus interni non possunt sentire nisi mediante sensatione externorum: ergo hoc ipso, quòd externi sentiant hoc obiectum, potiùs quam illud, manebunt interni determinati ad illud obiectum potius quàm aliud percipiendum.

Confirmatur, primò ideò intellectus indiget speciebus intelligibilibus ad hoc vt determinetur ad intellectionem huius obiecti, magis quàm alterius; quia determinatio, quæ fit per sensus externos, est inferioris ordinis, ac ipse intellectus: sed determinatio facta per sensus externos, est eiusdem ordinis sensibilis cum determinatione, qua indigent sensus interni: ergo non indigebunt aliqua alia determinatione præter eam quæ fit per sensus externos. Minor cum consequentia satis patere videtur. Maior autem etiam liquet; quoniam determinans subdit sibi rem determinabilem; id autem quod est inferioris ordinis, nequit subdere id quod est ordinis superioris: ergo, &c.

3. Confirmatur secundò, quoniam si sensus externi indigerent speciebus impressis ad sui determinationem, deberent eas conseruare; ad hanc, vt in absentia obiectorum possent cognoscere: hoc autem est impossibile: ergo, &c. Sequela non indiget probatione, falsitas autem consequentis videtur nota: quia alioqui non possent non prædicti sensus esse in actuali cognitione omnium obiectorum, quorum species habent, siquidem sunt agentia naturalia, & haberent omnia requisita ad operandum, scilicèt potentiam sensitiuam & speciem obiecti.

Vltimò eadem sententia quo ad vtramque sui partem probatur: nam ex opposito duo absurda sequerentur. Primum est, duo accidentia solo numero distincta esse in eodem subiecto. Secundùm verò, quod accidens magnæ extensionis reciperetur in subiecto habente satis exiguam extensionem. Sequela quo ad priorem partem patet: quoniam dum quis per sensum externum, vel internum percipit duas res solum numero distinctas, haberet duas species impressas earum, numericè tantum diuersas. Quo ad secundam autem partem etiam constat; nam species repræsentans ingentem montem debet esse non exiguæ extensionis: at hæc deberet recipi in subiecto satis exiguo, seu in organo sensus externi, vel interni: ergo, &c.

4. Secunda sententia docet; nullum potentiam cognoscitiuam siuè sensitiuam, siuè intellectiuam indigere speciebus. Ita Ochan. in 2. q. 17. & 18. Gabriel dist. 3. q. 2. Durand. q. 6. & in 2. dist. 49. q. 2. & alij relati à Soto in 1. dist. 3. q. 7. Quam sententiam, quo ad solum intellectum tuentur Themistius, Theofr. & Ioan. Baccon, vt refert Tolet. lib. 3. de Anima q. 21.

Opinio hæc quo ad potentias sensitiuas constat ex dictis pro præced. Quo ad intellectiuam verò probatur primò, quoniam aliàs intellectus etiam pro hoc statu non penderet in intelligendo à phantasmatibus: hoc autem est falsum, vt constabit ex his quæ infrà dicemus: ergo, &c. Sequela probatur quia ad intelligendum, tàtum requiritur intellectus vnà cum specie intelligibili, sicut ad videndum solum desideratur visus, & species visibiles: ergo hoc ipso, quod intellectus haberet prædictas species, possat sine dependentia, aut côucursione ad phantasmata intelligere.

5. Secundò, nam relationes, negationes, priuationes, substantiæ angelicæ, & res spirituales non intelliguntur ab intellectu pro hoc statu mediantibus speciebus intelligibilibus: ergo nec reliquæ aliæ. Consequentia patet, quia si intellectus indigeret speciebus, nihil posset intelligere sine illis, vt ex infra dicendis magis constabit. Antecedens autem probatur, ex eo quod pro isto statu possunt ad summum admitti species per abstractionem à phantasmatibus sed nec negationum, aut priuationum, aut alicuius ex enumeratis dantur phantasmata, quia omnia illa sunt phantasiæ ignota: ergo, &c.

Vltimò: eadem sententia quo ad omnes suas partes probatur: nam sensus externi determinantur sufficienter per præsentiam obiectorum, & interni per sensationes sensuum externorum; ac tandem intellectus per cognitionem sensus interni: ergo superfluunt species in omnibus potentiis cognoscitiuis. Consequentia patet ex dictis. Antecedens autem probatur: nam in potentiis subordinatis obiectum ostenditur posteriori potentiæ per actum prioris, & ita appetitui rationali ostenditur obiectum per intellectum, & sensitiuo per sensum; vt per æstimatiuam aut phantasiam: ergo cùm sensus inter se, & cum intellectu collati sint potentiæ subordinatæ consequens erit, vt per priores sensus, scilicet externos præsentetur & ostendatur obiectum sensui communi, & sic de reliquis vsque ad intellectum; ac proindè, per hanc ostensionem sensus posteriores, ac tandem intellectus determinabitur.

6. Confirmatur, & simul excluditur quædam solutio, quæ huic rationi adhiberi poterat quoniã multoties ea, quæ sunt inferioris ordinis, possunt determinare res ordinis superioris, & ita causæ superiores determinantur ab inferioribus ad hoc, vt producant hunc effectum, potiùs quàm illum, vt constat in sole concurrente cum diuersis causis particularibus, & inferioris ordinis: ergo ex eo, quòd intellectus sit ordinis superioris, nihil oberit, quominus possit determinari per sensationes sensuum exteriorum, & interiorum, quæ sunt inferioris ordinis: maximè, quia sicut nihil est in sensu interno, quod priùs non fuerit in externo; & propterea ille determinatur ab isto; ita nihil est in intellectu, quod priùs non fuerit in vtroque sensu externo, nimirum, & interno, ac proindè, intellectus poterit determinari à sensu externo mediatè, & ab interno immediatè.

Sententia Arist. & D. Thom. primúmque illius fundamentum.

§. II.

7. Dicendum tamen est, omnem sensum cognoscitiuum, & similiter intellectum indigere speciebus intentionalibus, & impressis ad suas cognoscendas. Ita Aristot. 3. huius operis, text. 3. his verbis: *Si igitur est intelligere, sicut sentire, aut pati quoddam, erit ab intelligibili, aut aliquid huiusmodi: alterum ergo oportet esse, susceptiuum autem speciei, & potentia tadem, sed non hoc, & similiter se habet sensitiuum ad sensibilia, sic intellectiuum ad intelligibilia.*

Vbi Diuus Thomas lectione 7. *Sentire vt supra in secundo dictum est, non propriè pati est; patitur enim propriè aliquid à contrario, sed aliquid habet simile passioni in quantum sensus est in potentia ad sensibile, & est susceptiuus sensibilium: ergo si intelligere est simile ei quod est sentire, & partem intellectiuam oportet esse impassibilem passione propriè accepta, sed oportet, quod habeat aliquid simile passibilitati, quia oportet huiusmodi partem esse susceptiuam speciei intelligibilis. Et quod sit in potentia ad huiusmodi speciem, sed nõ sit hoc in actu, & sic oportet quod sicut se habet sensitiuum ad sensibilia, similiter se habeat intellectiuum ad intelligibilia, quia vtrumque est in potentia ad suum obiectum, & est susceptiuum eius.*

8. Et similiter in eodem lib. text. 6. inquit: *Et benè iam dicentes sunt animam esse locum specierum, nisi quod non tota, sed intellectiua, nec actu, sed potentia species.* Quæ verba sic explicat D. Th. ibid. lect. cit. *Adaptat, quod dictum est opinioni antiquorum, & dicit, quod ex quo pars intellectiua non habet organum sicut pars sensitiua, iam potest verificari dictum illorum, qui dixerunt, quod anima est locus specierum, quod per similitudinem dicitur eò quod est specierum receptiua. Quod quidem non verum esset si qualibet pars animæ haberet organum, quia iam species non reciperentur in anima sola sed coniuncto. Non enim visus est susceptiuus specierum, sed oculus: & ideò non dicendum est quòd tota anima sit locus specierum, sed solum pars intellectiua, quæ organum non habet; nec ita est locus specierum quod habeat acta species, sed potentia tantum.*

Et deindè text. 38. in hæc verba. *Quarè anima sicut manus est, manus enim organũ organorum, & intellectus, species specierum; & sensus species sensibilium.* Vbi D. Th. lect. 13. *Anima assimilatur manui: manus enim est organum organorum, quia manus data sunt homini loco omnium organorum, quæ data sunt aliis animalibus ad defensionem, vel impugnationem, vel cooperimentum: Omnia enim hæc homo sibi manu præparat & similiter anima data est homini loco omnium formarum, vt sit homo quodammodò totum ens in quantum secundum animam est quodammodò omnia, prout eius anima est receptiua omnium formarum. Nam intellectus est quadam potentia receptiua omnium formarum intelligibilium & sensus est quadam potentia receptiua omnium formarum sensibilium.*

9. Et tandem hoc ipsum docet idem Philosophus in hoc 3. l. cap. 5. & ibid. D. Th. lect. 10. Et. lib. de Mem. c. 1. Vbi Etiam S. Doct. lect. 3. nec non 1. part. quæst. 12. artic. 2. quæst. 55. artic. 1. & 1. quæst. 79. artic. 2. & 3. Contra Gen. cap. 49. & alibi sæpè De Anselmus in Monolog. cap. 36. Damasc. lib. 2. Fidei Orthodoxæ. August. lib. 10. Conf. cap. 10. & 15. & lib. 17. super Genes. cap. 10. aliisque locis, quos refert. Capreolus in 2. distinct. 3. qu. 2. art. 4. quos sequuntur communiter omnes ferè Theologi, & Philosophi.

Prior, & fundamentalis huius sententiæ ratio desumitur ex Arist. & D. Thom. locis citatis: nam intellectus pro hoc statu, similiter sensus habet rationem puræ potentiæ: ille quidem in ordine intelligibili hic verò in ordine intelligibili: ergo nisi priùs actuentur per formas sibi proportionatas, scilicet per formas, seu species intelligibiles, & sensibiles, non poterunt suas cognitiones elicere. Consequentia patet: nam sicut materia prima ex eo quòd est pura potentia in genere entis, seu in ordine naturali, non potest concurrere ad operationem modo illo sibi proprio, scilicet constituendo suppositum operans, nisi actuetur per formam sibi proportionatam: ita intellectus, & sensus secundùm se præcisè sumpti, quatenus sunt pura potentia in ordine intelligibili, & sensibili, non poterunt modo sibi proprio, scilicet sensibiliter, aut intelligibiliter operari, nisi priùs actuentur per formam intelligibilem, & sensibilem eisdem proportionatam.

Antecedens autem, quo ad intellectum constat: Tum ex locis Aristot. & D. Thom. paragraph. præced. relatis: Tum ex his, quæ supra disp. 16. num. 8. & deinceps diximus; quo ad sensum verò, ex ibidem dictis satis patet: nam si intellectus pro hoc statu est pura potentia in ordine intelligibili; etiam sensus erit pura potentia in ordine sensibili, quandoquidem ex eo intellectus est pura potentia in suo ordine, quia mediis sensibus acquirit species, & formas intelligibiles: & ideò hoc ipso, quòd sensus sit in actu in ordine sensibili; statim intellectus est etiam in actu intelligibili.

10. Confirmatur ratione eiusdem Aristot & D. Th. quam Philosophus text. 38. his breuibus verbis loquens de anima, proponit: *Necesse est autem, aut ipsa, aut species esse, ipsa quidem igitur non sunt: non enim lapis in anima est, sed species.* Eius autem vis, & efficacia potest sic declarari; nam anima mediante sensu, & intellectu

tellectu debet fieri sua sensibilia ; & intelligibilia: & propterea visus videns colorem , fit quodammodo color , & intellectus intelligens leonem fit etiam quodammodò leo : sed non potest fieri sua sensibilia, & intelligibilia per hoc, quod in esse naturali fiat illa , aut recipiat ipsa : ergo per hoc , quod recipiat earum imagines , seu species sensibiles, seu intelligibiles, in quibus prædictorum obiectorum natura splendet , & repræsentatur. Minor cum consequentia satis patet. Maior verò probatur : nam propterea immaterialitas est radix cognoscendi , vt docet D. Thom. 1. part. quæst. 14. art. 1. & cum eo communiter omnes Theologi, & Philosophi : quia materia limitat, & coarctat , ne aliquid possit fieri alia , quod requiritur ad virtutem cognoscitiuam , & ita ea solummodò sunt cognoscitiua , quæ vel sunt omninò immaterialia , vel materiæ non parùm dominantur.

Nec refert , si dicas esse disparem rationem inter puram potentiam in genere entis , & in genere sensibili; aut intelligibili , quia illa nihil habet actualitatis ; hæc verò absolutè , & simpliciter loquendo est actus , & ita se solo poterit operari, siquidem vnumquodque operatur in quantum est in actu.

11. Non itaque hoc refert : quoniam ordo intelligibilis , ita excedit ordinem naturalem , quatenus condistinctum ab illo , vt licet ad hoc , vt aliquid sit pura potentia in ordine naturali , requiratur vt ex se nihil habeat actualitatis : attamen ad hoc vt sit pura potentia in ordine sensibili , aut intelligibili, necessariò innuitur per modum fundamenti , quòd sit actus in ordine naturali , ex eo quòd immaterialitas, & dominium supra materiam est radix cognoscendi, ac proindè ibidem necessariò includitur , quod ex se habeat aliquam actualitatem , & ita non requiratur ad agendum , eo solo modo , quo materia prima in entibus naturalibus desideratur , sc. non tanquam dans aliquam vim agendi , sed tanquam componens per modum potentiæ suppositum habens prædictam virtutem.

Cæterùm, quia potentiæ cognoscitiuæ , vt tales non operantur in ordine naturali , nisi simul agant in ordine intentionali , quia eadem realiter actio correspondet illis , vt ad ordinem naturalem , & intelligibilem spectant , ideò intellectus , verbi gratia, qui simul est actus in ordine naturali , & pura potentia in intelligibi , nequit in nullo ordine operari, nisi prius per formam intelligibilem actuetur.

Secundum fundamentum veræ sententiæ.

§. III.

12. POsterior verò huius sententiæ ratio etiam desumitur ex Arist. & D. Thom. quæ potest sub hac forma proponi. Nam intellectus , verbi gratia , de se est indifferens ad intelligendum hoc obiectum potiùs , quàm istud : ergo ad hoc vt intelligat hoc obiectum magis , quàm istud, oportet vt intrinsecè determinetur per aliquid in ipso receptum : ergo indigebit speciebus intelligibilibus ad hoc vt mediis illis determinetur. Antecedens ex se patere videtur. Prima verò consequentia ex antecedenti constat : quoniam effectus , aut actio determinata , qualis est intellectio huius obiecti potius quàm alterius , non potest oriri , nisi à principio determinato ad eliciendam illam , magis quàm aliam : ac proindè si principium illius fuerit de se indifferens, nec sit in eo aliquid ratione cuius inclinetur in hanc actionem magis quàm in illam : oportebit addere illi aliquid intrinsecum, & in ipso receptum ratione cuius potius sit causa huius actionis , quàm alterius specificè distinctè : aliquin nisi aliquid intrinsecum ei superadatur , manebit intrinsecè sicut antea , & per consequens ita indeterminatum sicut priùs erat.

Ex quo etiam secunda consequentia satis : quoniam si semel intellectus indiget intrinseca determinatione ad intelligendum , non potest illa aliundè oriri , quàm ab ipso obiecto , vt intuenti constabit: & ita hoc ipso , quòd obiectum vniatur cum intellectu , & determinet intrinsecè illum ; adest sufficiens ratio , cur illud obiectum magis quàm aliud percipiat : ergo necesse erit , quòd ibidem detur species intelligibilis causans prædictam determinationem ex parte obiecti se tenentem ; quandoquidem nomine speciei intelligibilis ; nihil aliud intelligimus , nisi id , quod ex parte obiecti intrinsecè determinat intellectum ad eliciendam intellectionem huius obiecti , potiùs quàm alterius.

13. Occurrunt autem aduersarij satis esse ad hanc determinationem intellectus , quod præcesserit sensatio interna huius obiecti, potiùs quàm alterius : Tùm, quia multoties causa vniuersalis , qualis censetur intellectus attingens vniuersalissimam rationem entis, solet determinari per aliquid extrinsecum , vt contingit in sole , qui ratione diuersarum dispositionum in cera, & in luto existentium determinatur ad hoc , vt illam liquefaciat, & istud exsiccet : Tum denique , quia determinatio , quæ fit in intellectu per sensationes sensuum est quodammodò intrinseca , ex eo quod tam sensationes istæ , quàm intellectus radicantur in eadem anima , & hæc radicatio , & determinatio intrinseca, satis est ad hoc, vt actus vnius potentiæ determinet aliam potentiam simul radicatam in eadem forma substantiali ad eliciendos suos actus , vt in intellectu, & voluntate accidit.

14. Cæterùm : hæc solutio insufficiens est , cuius insufficientia , vt meliùs capiatur, recolendum est in memoriam , id quod ex D. Thom. 1. part. quæst. 77. art. 3. & quæst. de anima art. 13. diximus , nimirùm potentias vitales esse in duplici differentia : aliæ enim sunt potentiæ purè actiuæ, vt potentia augmentatiua, & generatiua ; aliæ verò sunt passiuæ , non quidem, quia sint omninò expertes actionis , alioqui non essent potentiæ vitales , de quarum ratione est , vt communiter docent Philosophi , & Theologi , vt sint principia actionum vitalium ; sed quia priùs quàm in operationem prorumpant , debent perfici, & immutari à suis obiectis , ex eo quòd non habent omninò completam virtutem , & determinationem, ex omni capite requisitam ad hoc , vt suas operationes eliciant. Quam doctrinam tetigit etiam Aristot. pluribus in locis , præcipue verò in his, quæ supra ex eodem retulimus.

Hinc ergo contra prædictam solutionem sequens ratio deducitur , quoniam intellectus est de genere potentiarum vitalium, & passiuarum : ergo oportet, quod priùs perficiatur , & immutetur ab obiecto per aliquid intrinsecum , quàm prorumpat in suam operationem: ergo necessarium erit, quod obiectum vniatur per seipsum cum illo: quod quidem est genere per seipsum rationem speciei , vt omnes Philosophi , & Theologi admittunt; vel per aliquid ab illo immissum, & illius vices gerens , seu quod idem est per speciem intelligibilem , quæ nihil est aliud , quàm quædam vicaria , & vice gerens obiecti.

Hæc secunda consequentia ex priori parte sequitur, prior verò ex antecedenti : nam potentia passiua respectu alicuius obiecti , debet pati ab illo, vel per hoc , quòd recipiat ipsum , vel aliquid ab eo immissum , & ex parte eius se tenens.

15. Antecedens autem etiam constat : Tùm , quia

vt communiter docent Philosophi, in hoc distinguitur intellectus, & quæuis potentia cognoscitiua à potentiis non cognoscitiuis, quod istæ feruntur ad sua obiecta; illæ verò trahunt ad se propria obiecta, & propterea beatitudo nostra, quæ iuxta communem Doctorum sententiam debet esse actus vitalis ab anima elicitus, & simul professio simul boni consistit in actu intellectus, quia intellectio est, vt sic dicamus ipsa tentio vitalis, & professio sui obiecti in actu secundo, sicut intellectus est ipsa vis, & facultas ad possidendum, & habendum in se suum obiectum, ergo intellectus erit de genere potentiarum vitalium & passiuarum.

Tùm etiam, quia intellectio est partus quidam, iuxta illud commune ploloquium ex Augustino desumptum, ab obiecto, & potentia paritur notitia (modo tamen infrà dicendo:) & ita potentia intellectiua, quæ se habeat ad instar fœminæ parientis, debet priùs fœcundari, ac proindè, pati ab obiecto, vel per se ipsum, vel per aliquid habens se ad modum seminis eiusdem obiecti, scilicet per speciem intelligibilem, quandoquidem sicut in naturalibus nequit dari partus fœminæ, nisi priùs fœcundetur per virum, & pariatur ab illo; ita in ordine intelligibili, & intentionali non potest dari partus, quin fœmina intellectualis, scilicet intellectus priùs fœcundetur, & patiatur, quàm intentionaliter pariat, & consequenter intellectus non poterit non esse potentia passiua.

16. Tùm denique, quia intellectio fit vel mediante aliqua similitudine expressa obiecti, vel mediante obiecto ipso in intellectu recepto, & gerente vicem speciei expressæ, vt in beatis contingit. Et 1. part. qu. 12. art. 2. explicatur: & propterea tunc meliùs, & perfectiùs rem aliquam intelligimus, cum producimus verbum, seu speciem expressam, meliùs illam repræsentantem: ergo oportet, quod intellectus, antequàm producat prædictam speciem, & similitudinem expressam, sit similis in actu primo cum obiecto intelligendo; alioqui, nequiret prædictam similitudinem expressam producere, vt ex se constat: ergo cùm ex se non sit similis obiectis, quæ ab illo specie distinguuntur, oportet, vt sit potentia passiua in ordine ad recipiendas similitudines illorum, seu species impressas, ratione quarum fit ex omni capite potens ad productionem speciei expressæ, ac proindè, ad intellectionem elicendam.

17. Ex quo etiam constat; non fauere huic obiectioni duo illa, quæ pro se adducit, quandoquidem nec virtus actiua solis, nec voluntas sunt de genere potentiarum passiuarum, sed actiuarum: & ita non est necesse, vt priùs, quàm eliciant suas operationes perficiantur intrinsecè à suo obiecto, vt in potentiis cognoscitiuis, propter oppositam rationem contingit. Vndè potentiæ istæ, non vtcumque intrinsecè; sed per realem receptionem, seu vnionem intrinsecam sui cum suo obiecto debent determinari, ad suas operationes eliciendas; & ita non sufficit determinatio illa quodammodo intrinseca, quæ fit per operationes aliarum potentiarum, quæ in eadem anima radicantur: quandoquidem iste modus determinationis intrinsecæ non tollit à potentiis vitalibus rationem potentiarum purè actiuarum, vt in voluntate, & in aliis potentiis purè actiuis; id est non simul passiuis à suis obiectis cernitur.

Respondetur argumentis aliarum sententiarum.

§. IV.

18. AD primum primæ concedendum est antecedens, & neganda consequentia: ad cuius probationem patet ex dictis; quomodo illa extrinseca præsentia obiecti non sufficiat ad determinandum sensum externum. Vndè, visibile, verbi gratia duplex munus, & vtrumque obiectiuum exercet circa visum: aliud quidem obiecti motiui: aliud verò obiecti terminatiui, & ratione huius cum præcisione sumpti, non est necessarium, vt similitudinem sui producat, sed satis est (vt multi probabiliter volunt de quo aliàs) quod sit præsens, & intra sphæram actiuitatis visus; at verò ratione illius prioris muneris debet per sui similitudinem immutare, & mouere visum, vt explicatum est.

Potéstque hoc vna, vel altera experientia ampliùs confirmari, & manifestè ostendi. Prima est; nam cùm, à longè nobis adstantibus, aliquis securi percutit lignum, tunc priùs videtur percussio quàm sonus inde resultans, audiatur cuius non potest alia reddi ratio, nisi quia species visibiles non secùs ac lumen deueniunt ad visum in instanti, vel saltem in minima valde duratione: species autem soni, quippè procedentes ab obiecto, non ita perfecto, & actiuo; non nisi in longiori tempore multiplicantur per medium, & ad auditum accedunt: nam si solum requireretur præsentia obiecti visibilis, & audibilis absque eo, quod aliquid imprimerent in suas potentias, non esset cur priùs videretur percussio, quàm audiretur sonus, sicut etiam si obiectum visibile, nihil produceret in visu, ratione cuius determinaret illum ad videndum, nihil obesset in ordine ad visionem impediendam, quod inter obiectum visibile, & visum interponeretur aliquod corpus opacum; eo sanè modo, quo respectu phantasiæ, & intellectus; quia semel accepta specie sensibili, nihil de nouo recipiunt; non obstat interpositio alicuius corporis, vel distantia obiecti, quominùs possint illud percipere.

19. Secunda est: nam oculo, nec facies, nec ea, quæ à tergo sunt, videri possunt: si verò obiiciatur speculum; tunc omnia hæc videntur: huius autem non potest alia assignari causa, nisi quia omnia ista species ad speculum immittunt, & species hæ ab speculo reflectuntur ad oculum: si autem obiectum, nihil immitteret, quod mediante speculo ad oculum reflecteretur, non esset cur absente speculo non viderentur: secùs verò eo præsente, & ante oculo posito, vt intuenti patebit.

Ad secundum patet ex dictis: quomodo licèt sensu internus non possit sentire, nisi præcedat sensatio externa, ob rationes supra dictas; nihilominùs non sufficiat prædicta sensatio ad illum determinandum.

Ad primam confirmationem respondetur negando maiorem, si illa particula *ideò* ibidem posita reddat causam adæquatam; quoniam licèt satis sit ad hoc, vt sensationes sensuum internorum non determinent sufficienter intellectum, quod sint inferioris ordinis; nihilominùs etiam si essent eiusdem ordinis, non possunt illum sufficienter determinare, vt probatum est.

20. Ad secundam confirmationem concedenda est sequela, & neganda minor, & ad probationem negari debet sequela: ad cuius probationem dicendum est, quòd licèt phantasia, verbi gratia, habeat species plurimorum sensibilium, non ideò habet omnia requisita ad simul illa cognoscenda: quia habet virtutem limitatam, & ratione huius limitationis nequit

nequit omnibus illis vti. Cur autem vtatur hac potiùs quàm illa specie, prouenit ex aliis causis, vt ex aliquo excitante extrinseco, ex aliquo humore intrinseco, ex appetitu sensitiuo, aut in nobis ex rationali, cui quo ad vsum, tàm habitus, quàm species intentionales subordinantur.

Ad vltimum neganda est sequela, quoad vtramque partem, & ad probationem prioris negandum est antecedens: nam, vt optimè notauit Caietanus, species repræsentantes, verbi gratia, duo alba, distinguuntur specie, quamuis prædicta obiecta in esse entis naturalis solo numero differant; quia tota essentia harum spicierum sita est in repræsentatione illorum obiectorum, quatenus sic distincta sunt: & ita ab eis, quatenùs sic distinctis specificantur. Ad probationem verò posterioris partis eiusdem sequelæ dicendum est speciem ingentis montis propter sui immaterialitatem non exigere maiorem extensionem quantitatiuam, quàm sit illa, quæ ei ratione visus in quo recipitur, potest conuenire.

21. Ad primum verò secundæ sententiæ neganda est sequela, & ad probationem dicendum est: antecedens solùm esse verùm de his, quæ requiruntur ad intelligendum tanquam rationes per se primæ intelligendi, non tamen de illis, quæ desiderantur tanquam conditiones, aut modificationes, aut aliquo alio modo: & ita ad visionem desiderantur vltra visum, & speciem, influxus sensus communis, & concursus spirituum animalium: licèt non tanquam rationes videndi, id est rationes per se primo constituentes visum in ratione visiui.

Cur autem vltra intellectum, & speciem intelligibilem, quæ sunt rationes per se primò intelligendi requiratur pro hoc statu operatio phantasiæ, aut conuersio ad phantasmata, iam supra id tactum est: quia nimirum modus operandi, sequitur modum essendi. Quarè, cùm intellectus, nec non, & species intelligibiles sint quodammodo in corpore, quia sunt in anima informante illud, debent aliquo modo in sui operatione pendere ab operatione corporea, scilicèt ab operatione sensus interni, siue conuersione ad phantasmata. Sed de hoc infra sermo redibit.

22. Ad secundum negandum est antecedens; quia licèt demus relationes, & alia ibi enumerata, non cognosci per proprias species, attinguntur tamen per species intelligibiles aliorum obiectorum cum quibus habent aliquam connexionem: nam sicut hæc est natura intellectus, vt ex cognitione vnius obiecti, deueniat arguitiuè in cognitionem aliorum similium, vel dissimilium, habentium aliquam connexionem cum illo: ita etiam potest per speciem prædicti obiecti cognoscere arguitiuè alia. Vnde satis est, vt illud obiectum, cuius est propria illa species, præextiterit, modo infra dicendo, in phantasmate, ad hoc vt detur species deseruiens ad cognitionem iam explicatam aliorum obiectorum, habentium cum illo prædictam obiectionem.

Ad vltimum, & eius confirmationem patet ex dictis. Vnde, licet causæ inferiores possint in genere causæ materialis determinare superiores ad hoc, vt producant hunc effectum, potius quàm illum, non tamen in genere causæ formalis: ita vt aliquid in hoc genere causent in causa superiori, per quod magis actuetur, & determinetur: at determinatio, quam petunt potentiæ cognoscitiuæ, est determinatio in genere causæ formalis, ratione cuius magis actuantur, & fiunt completè potentes in ordine ad operandum, vt probatum est.

QVÆSTIO II.

Vtrum species impressa, tam sensibiles quàm intelligibiles repræsentent formaliter sua obiecta, an verò solum virtualiter, & efficienter?

POst quæstionem *an est* specierum sensibilium, & intelligibilium, merito ad *quia est* earundem specierum explicandum aggredimur: quia verò exacta intelligentia plurium, quæ prædictis speciebus essentialiter conueniunt, pendeot ex explicatione modi repræsentandi illis conuenientis: propterea primo loco quæstionem hanc excitamus.

Refertur prior opinio.

§. I.

23. PRima sententia asserit, speciem impressam non repræsentare formaliter, sed solum virtualiter obiectum. Ita Toletus 2. de anima, quæst. 34. conclud. 3. Torres de Trinitate, q. 27. disput. 5. q. 1. Suarez 4. tom. Summæ Theologiæ, tract. 3. de anima, lib 3. cap. 2. num. 20. Rubio 2. huius operis tract. de speciebus sensibilibus, quæst. 6. inquiens, eam esse magis plausibilem inter Recenciores Probant primò, nam productio cognitionis, seu verbi est veluti quidam partus potentiæ cognoscitiuæ: ex eo quod potentia hæc non nisi fœcundata per semen obiecti, scilicet per speciem impressam, parit prolem simillimam obiecto, scilicet verbum: & propterea D. Augustinus 1. de Trinitate cap. 12. inquit: speciem habere se ad instar seminis: verbum autem ad instar prolis: ergo prædictas species non repræsentabit obiectum formaliter, sed solum virtualiter. Patet consequentia, nam sicut ad realem, & naturalem conceptionem, & partum, satis est, quod semen à generante immissum in ordine ad productionem prolis repræsentet virtualiter, & efficienter suam causam, quatenus efficit instrumentaliter prolem similem prædictæ causæ, sic species habens se per modum seminis intentionalis in ordine ad partum intentionalem potentiæ cognoscitiuæ, solum virtualiter, & efficienter repræsentabit obiectum à quo immittitur, quatenus instrumentaliter efficit verbum illi simillimum.

Confirmatur primò, nam habitus iudicatiui scientiarum, & alij similes, non sunt formaliter repræsentatiui, quamuis in ipsis actualibus, qualitatibus, ad quas effectiuè concurrunt reperiatur propria conformitas, & similitudo formalis cum obiectis: ergo neque species, quæ sunt quidam habitus ad simplices conceptiones eorundem obiectorum concurrentes, erunt formaliter repræsentatiuæ. Antecedens communiter recipitur à Philosophus, consequentia verò ex paritate rationis patere videtur.

Confirmatur secundo exemplo diuinæ essentiæ, quæ per modum speciei concurrit cum intellectu beato ad visionem creaturarum, cùm tamen solum causaliter illas repræsentet.

24. Secundò, & principaliter: nam si species impressa esset formalis similitudo, tunc præcisè per receptionem illius constitueretur intellectus in ratione intelligentis, absque eo quod eliceret aliquam actionem vitalem, vel produceret verbum: hoc autem est contra communem sententiam Philosophorum, vt ex infrà dicendis constabit: ergo, &c. Sequela probatur: nam tunc intellectus cognosceit actu

obie

ctum, quando fit ei actu & formaliter simili ex eo, quod cognitio est assimiliatio quædam cognoscentis, ad rem cognitum, vt significatur Arist. in hoc lib. cap. 4. text. 16.& cap. 8. text. 37. & 38. & D. August. 14. de Trinitate, cap. 11. dum inquit: *Tunc fore perfectam Dei similitudinem in mente, cum fuerit perfecta Dei visio*, iuxta illud 1. Ioan. cap. 3. Cùm apparuerit, similes ei erimus,quia videbimus eum sicuti est:ergo si species impressa est formalis similitudo obiecti, consequens erit, vt præcipuè per receptionem illius in intellectu reddatur ipse actu, & formaliter intelligens,sicut redditur actu,& formaliter simili obiecto.

25. Nec refert si dicas: duplicem similitudinem formalem requiri ad cognitionem: aliam, quæ sit similitudo in actu primo, & veluti habitualis: aliam verò, quæ in actu secundo obiectum repræsentet, quæque non sit ex se permanens,sed facilè transiens: ita tamen, vt prior illa similitudo prærequiratur ad cognitionem, vt principium illius: Hæc verò posterior si formaliter cognitio ipsa. Quare, cum species impressa, tantum repræsentet formaliter obiectum per modum actus primi,& veluti habitualiter, non vero in actu secundo: propterea per illam formaliter, & præcisè sumptam non redditur intellectus intelligens in actu secundo, sed solum in actu primo,& quasi per modum habitus.

Nam contra hanc solutionem obstat: quòd nulla res censeri debet in actu primo respectu illius, quod formaliter habet, sed respectu illius quod necessariò debet esse in actu secundo: ergo si species impressa est similitudo formalis obiecti, non erit similitudo in actu primò, sed in actu secundo: atque adeò constituet intellectum in actu secundo intelligentem. Consequentia patet. Antecedēs autem probatur,quia esse aliquid in actu primo tale, est esse in potentia,& in radice tale,nihil autem est in potentia ad seipsum, vel ad id, quod formaliter habet. Vnde, licet calor, verbi gratia, sit calefaciens in actu primo, est tamen in actu secundo virtus: ad calefaciendum, quia formaliter habet esse talem virtutem.

Neque id, quod in hac solutione additur, scilicet speciem expressam, & cognitionem debere esse ex se transeuntem aliquid quoad præsens conducit; nam de ratione similitudinis constituentis intellectum in ratione intelligentis,non est quod sit facilè transiens, vt in visione beata constat: ergo si species impressa est formalis similitudo obiecti, constituet intellectum in ratione intelligentis, etiam si non sit similitudo facilè transiens.

Sententia Aristotel. & D. Th. ratione fundamentali fulcitur.

§. II.

26. Dicendum tamen est: speciem impressam repræsentare formaliter suum obiectum primariū.Ita Arist.2.lib.huius operis c.12.inquiens:quòd sicut impressio annulo ferreo, aut aureo in cera, non manet ibi materia ferri, aut auri,licet maneat similitudo annuli:ita quando obiectum sensibile, & materiale immittit speciem impressam sui ad sensum:tunc sensus recipit speciē & similitudinem obiecti absque materia:ac proinde,sentit Philosophus, quòd sicut similitudo illa ab annulo impressa in cera, est formalis similitudo annuli, ita etiā similitudo,seu species impressa immissa ab obiecto ad sensum est formalis similitudo eiusdē obiecti:alioqui ad significandū modum similitudinis, secundùm quem species impressa repræsentat obiectum, non adduxisset in exemplum similitudinem formalem, sed virtualem, cumque quo ad hoc eadem sit ratio de specie sensibili, & intelligibili,vt communiter docent omnes Philosophi:consequens est, vt iuxta mentem Arist. omnes species impressæ, siue sensibiles, siue intelligibiles, debent formaliter repræsentare suum obiectum primarium, quod etiam docet D. Th. ibid.

Idem etiam tenet idem Arist. in eodem lib. cap. 5. text. 61. vbi intendens explicare quomodo potentia cognoscitiua per receptionem speciei fit similis obiecto,sic ait: *Sensitiuum autem potentia est tale, quale iam actu sensibile, sicut dictum, patitur igitur in similes existens, passum autem assimilatum est, & est quale illud.* Si autem species impressa non esset formalis similitudo obiecti, tunc potentia sensitiua per receptionem illius,non fieret talis,quale est ipsum obiectū, sed potius esset ei dissimilis,siquidē id,quod solū virtualiter repræsentat,aliud est diuersæ speciei ab illo.

27. Et tandem hoc ipsum tuetur idem Philosophus locis quæst. præced. relatis. Vnde sententiam hanc tuentur D. Thomas ibidem, & 1.p.quæst. 12.articul.2.& 2.contra Gent.cap.98.& lib. 3. cap. 49. vt quæst. sequenti vna cum duobus illis testimoniis ex Aristot. nuper adductis magis expendemus. Caietan. 1. part. quæst. 55. artic. 3. Ferrara 2. contra Gent. cap. 8. Bañez 1. part. quæst. 12. art. 2. conclus. 3.Nazarius quæst. 12.art.2.controuersia prima,& q.27.art.1.Ledesma de Perfectione Dei quæst.4.artic. 4.fol.145.Vbi hanc sententiam reputat longè probabiliorem in schola D.Thomæ, quam etiam plures alij ex iunioribus sequuntur.

Vt autem priorem, & fundamentalem huius assertionis rationem tradamus, notandum ex est. D. Thoma, necnon ex Caiet.loco supra cit. duplex esse genus entium: alia per se primò instituta ad hoc vt sint, quamuis secundariò habeant repræsentare, alia vero,quæ per se primò instituuntur ad hoc vt repræsentent.Ratio autem propter quam debet dari hoc duplex genus entium,est,quia sicut ordo essendi,& ordo operandi pertinent ad ordinem vniuersi, & propterea debent dari aliqua per se primò instituta ad esse: alia verò per se primò instituta ad operandum,vt constat ex his,quæ in 1.Phys.disp. 10.q. 4.& 5. diximus, ita etiam quia ad perfectionem vniuersi pertinent duo illa genera entium, vt ex se patet, propterea debent dari aliqua entia per se primo instituta ad hoc vt sint, alia verò ad hoc vt repræsentent.

Cæterùm, inter hæc duo genera entium est apertum discrimen, nam ea, quæ per se primò instituta sunt ad hoc vt sint, & secundariò aliquid aliud repræsentant: non est necessarium, vt formaliter illud repræsentent, licet eis talis modus repræsentandi permittatur: at ea, quæ per se primo instituuntur ad repræsentandum,non possunt non repræsentare formaliter suum obiectum primarium.

28. Et ratio est aperta, quoniam id, quod per se primò institutum est ad repræsentandum,est talis conditionis, vt primum quod ei competit, sit esse repræsentatiuum sui obiecti, id autem, quod solum virtualiter competit alicui,non est primum,quod ei conuenit, sed esse formaliter tale, ratione cuius continet virtualiter aliud;& ita quia lux solis virtualiter solùm continet calorem, ideo quod primò ei conuenit,non est esse virtualiter calidam, sed esse formaliter lucem, ratione cuius potest producere calidum; & similiter quia eadem lux solùm virtualiter repræsentat calorem, propterea primum quod in ea reperitur, non est esse repræsentatiuum eiusdem caloris, nec per se primo instituta est ad hoc vt illud repræsentet.

Ex hac ergo D.Thomæ doctrina, sequens deducitur ratio,nam species impressa per se primò, & modo alibi explicando instituta est ad repræsentandum suum

suum obiectum primarium : ergo erit formalis similitudo illius. Consequentia patet ex modò dictis. Antecedens autem probatur : Tum ex communi philosophorum sententia : Tum etiam quia potentia cognoscitiua tantum indiget speciebus ad hoc, vt mediis illis vniatur cum obiectis ex eo quod prædicta potentia non cognoscit nisi trahendo ad se res, ac proinde tantum indigebit illis, quatenus repræsentatiuæ sunt, æquidem non nisi secundùm istam rationem, & modo alibi dicendo vnitur mediis illis cum suis obiectis.

Vnde, sicut potentiæ proximè operatiuæ, quæ sunt propter substantiam, & eius indigentiam instituuntur per se primò à natura ad operandum, quia substantia non indiget illis ad hoc, vt sit, sed in ordine ad operationem; ita species impressæ, quæ sunt propter perfectionem potentiæ cognoscitiuæ, & vt illi deseruiant, erunt per se primò, & modo alibi dicendo institutæ ad repræsentandum, ex eo quod non sit ratione prædictæ repræsentationis indiget illis potentia cognoscitiua.

29. Tum denique quia id quod non est per se primo institutum ad repræsentandum, non repræsentat, nisi vel eo modo quo vnum indiuiduum eiusdem speciei, & habens eundem modum essendi naturalem, & solo numero distinctum repræsentat aliud, seo est simile illi, vel eo modo quo effectus suam repræsentat causam, vel causa suum effectum : at species non repræsentat suum obiectum primo modo, quia non debet habere eundem modum essendi naturalem cum illo; nec secundò modo, quia materiale est respectu speciei secundùm suam essentiam, & in esse repræsentatiuo consideratæ, quod producatur à suo obiecto, & ita maneret eiusdem naturæ, si à solo Deo fieret : nec tandem tertio, vt ex se constat : ergo signum est, prædictam speciem non repræsentare suum obiectum, tamquam aliquid secundariò institutum ad repræsentandum illud, sed tamquam quid in ordine ad prædictam repræsentationem per se primo institutum.

Eadem assertio, alia ratione ex Diuo Thoma desumpta stabilitur.

§. III.

30. Secundò probatur assertio ratione desumpta ex D.Th. 1. p. q. 27. art. 2. alibi sæpe : nam productio creata verbi est generatio quædam vitalis, & verbum procedit, vt filius non quidem secundùm esse naturale, sed secundùm esse intentionale, & repræsentatiuum : ergo species impressa debet esse formalis similitudo obiecti, non minus, quàm verbum adæquatum illius est similitudo formalis eiusdem obiecti.

Consequentia patet, quia id, quod procedit tamquam quid vitaliter genitum, & vt filius, debet esse simile suo principio : ita quidem vt si procedat, vt filius in esse naturali, habeat esse simile illi, & eiusdem naturæ cum eo in tali esse : si autem procedat, vt filius in esse intentionali & repræsentatiuo, sit simile illi, & eiusdem naturæ cum eo in esse repræsentatiuo : ergo cum species impressa sit principium verbi fœcundans intellectum in ordine ad eius generationem, necesse erit, vt verbum, & prædicta species sint eiusdem naturæ, atque adeo si verbum repræsentat formaliter obiectum, etiam prædicta species illud formaliter repræsentabit.

Antecedens autem probatur : Tum quia propter hanc rationem communiter dicitur, quòd ab obiecto, & potentia paritur notitia, & verbum: quia productio huius est partus, siue generatio quædam vitalis, & verbum est aliquo modo filius : Tum etiam, quia generatio vitalis, est origo viuentis à viuente à principio coniuncto in similitudinem naturæ, vt communiter docent Theologi, & Philosophi : at productio verbi est origo viuentis à viuente, quia verbum per illam productum est terminus intrinsecè vitalis, & à principio vitali procedens : & similiter est à principio coniuncto, scilicet mediate specie impressa quæ est vnita cum intellecto, & est in eodem subiecto cum eodem verbo, & tandem prædictum Verbum procedit in similitudinē naturæ cum suo principio, scilicet cum obiecto : quoniam in esse repræsentatiuo est omnino simile illi, ac proinde, processio eiusdem verbi, erit generatio vitalis, & verbum ipsum procedit aliquo modo & secundùm quid, vt filius, seu (quod idem est) procedit, vt filius in esse intentionali, & repræsentatiuo.

31. Tum denique, quia iuxta communem Theologorum sententiam, ideò productio Verbi diuini ex vi propriæ lineæ est generatio, non qualiscumque, id est, generatio secundùm quid, & in esse repræsentatiuo solummodo, sed generatio simpliciter, & in esse naturali, ac entitatiuo, quia productio verbi, vt sic habet ex vi suæ lineæ, esse aliquo modo generationē, & productionē similis in natura cum suo principio : alioqui si productio verbi haberet ex vi sua esse aliquo modo generationem saltem secundùm quid, & modo explicato: consequens esset, vt, nec productio Verbi diuini, quæ est productio intellectualis omnium perfectissima, & haberet ex vi propriæ lineæ perfectē, & simpliciter generare producendo simile in natura, secūdùm esse naturale, & entitatiuum.

Nec refert, si contra rationem hanc obiicias primò : quòd licet dicatur Verbum procedere ab intellectu, vt genitum, & vt filium, non tamen inde fieret debere esse simile in esse repræsentatiuo cum specie impressa : quoniam principium, & causa principalis generationis Verbi non est species impressa, sed obiectum per illam repræsentatum : ergo Verbum non deberet esse simile in esse repræsentatiuo cum prædicta specie, sed cum obiecto. Patet consequentia: quoniam ad hoc, vt aliquid procedat, vt genitum, & vt filius, satis est, vt procedat simile suo principio, & causæ principali, & ita Petrus procedens, vt Filius à suo Patre, non procedit vt similis semini habenti rationem instrumenti, seu Patri, qui est causa principalis.

32. Respondetur enim speciem intelligibilem, v. g. & eius obiectum non ponere in numero ad productionem Verbi, vel in ordine ad influendum in intellectionem, quia obiectum non concurrit, nisi, vt redditur intelligibile per prædictam speciem, neque species influit, nisi vt reddens intelligibile tale obiectum, & ita in genere intelligibili habent se vt forma, & id cuius est forma. Ac proinde in hac generatione intellectuali oportet, vt id, quod est simile obiecto, tamquam principio principali illius, sit etiam eodem modo simile speciei intelligibili.

Cæterùm, in generatione ordinis naturalis, & entitatiui semen, & generans à quo deciditur, ponunt in numero in ordine ad generationem prolis, quia semen non est forma reddens generans generatiuum, & constituens illud in esse principij proportionati ad generationem : ex eo quod prædictum generans ratione suæ formæ naturalis est principium principale, omnino proportionatum in ratione talis principij respectu generationis naturalis.

33. Potestque hoc amplius explicari, ex eo quòd generatio intellectualis est ad intra & immanens, ac proinde eius principium principale debet eriā esse ad intra

est, speciem impressam non debere necessariò repræsentare per modum similitudinis formalis obiecta secundaria, sed sufficere, vt obiectum primarium formaliter repræsentet, at essentia diuina solùm repræsentat creaturas, vt obiectum secundarium, & proptereà ex eo quod admitteremus (de quo alibi) eam solum causaliter illas repræsentare, nihil inde contra nos infertur.

Ad secundùm & eius confirmationem constabit ex his, quæ disput. 21. n. 36. & 37. dicemus: quo modo licèt ad intellectionem præterquiratur species impressa per modum principij, & similitudinis formalis; & verbum influat per modum similitudinis formalis, & expressæ, saltem in his intellectionibus in ordine ad quas debet dari verbum: nihilominus intellectio non consistit formaliter in similitudine aliqua. Et ad probationes in contrarium adductas ex ibidem dicendis satis patebit.

QVÆSTIO III.

An species intentionales debeant esse eiusdem naturæ cum suo obiecto in esse intentionali, siue repræsentatiuo.

POstquam explicuimus species intentionales debere esse similitudines formales suorum obiectorum, restat vt discutiamus, an hæc similitudo sit tanta, vt reuera sint eiusdem naturæ cum illis, vel vt melius dicamus, an eademmet natura, quæ est in obiecto, sit in specie intentionali illius: non quidem in esse naturali, & entitatiuo, sed in esse intentionali, siue repræsentatiuo, ita vt ex parte formæ, & naturæ non distinguatur, sed solum ex parte modi essendi, quatenus in obiecto reperitur sub modo essendi naturali, & in specie sub modo essendi intentionali, siue repræsentatiuo.

Opinio negans.

§. I.

39. PArtem negantem tuentur Alb. Magn. de Anim. tract. 9. cap. 11. Tolet. q. 34. Rub. tract. de obiectis, & speciebus sensibil. q. 4. Fonsec. 2. Metaph. c. 2. q. 2. sect. Molin. 1. part. q. 12. art. 2. Vazquez ibid. art. 2. Suar. 2. tom. summ. Theologiæ, tract. 3. de Anima lib. 3. c. 2. num. 9. & alij plures.

Probatur primò testimonio D. Th. q. 8. de verit. art. 11. ad 3. his verbis: *Dicendum quod inter cognoscens, & cognitum non exigitur similitudo, quæ est secundùm conuenientiam tantùm. Constat enim, quod species lapidis in anima est longè alterius naturæ à lapide in materia.*

Secundò probatur ratione; quoniam species intelligibilis habet rationem cuiusdam accidentis spiritualis, cùm tamen obiectum eius multoties sit substantia. Deinde species sensibiles positæ supra sensum, siue illi inhærentes non impediunt sensationem: cum tamen obiectum sensibile positum supra sensum, illam impediat. Et tandem species sensibiles v. g. auditus nequeunt audiri: & tamen eius obiectum, scilicet sonus auditur: ergo signum est species intentionales, & illarum obiecta non esse eiusdem naturæ. Patet consequentia: quia alias illa, quæ conueniunt obiectis, etiam conuenirent prædictis speciebus.

Confirmatur, nam albedo, & nigredo habent inter se contrarietatem: & propterea non sunt compossibiles in eadem parte medij, vel subiecti, vt experientia constat: at species albedinis, & nigredinis possunt esse in eadem parte medij vel potentiæ visiuæ, vt ex se etiam liquet, & communiter admittitur à Philosophis: ergo sunt diuersæ naturæ à suis obiectis. Patet consequentia, quia si essent eiusdem naturæ, haberent easdem proprietates: ac proinde sicut albedo existens in pariete est incompossibilis cum nigredine in eadem parte subiecti, etiam species intentionales vtriusque essent inter se incompossibiles in eadem parte medij, aut potentiæ visiuæ.

Vera Arist. & D. Thomæ sententia.

§. II.

40. DIcendum tamen est, species intentionales eiusdem rationis ex parte formæ & naturæ cum suis obiectis, non quidem absolutè, & simpliciter, seu (quod in idem redit) sub modo essendi naturali, sed quodammodo, id est in esse intentionali, atque adeò illammet numero naturam albedinis v. g. quæ est in pariete sub modo essendi naturali esse in specie visibili intentionaliter, siuè repræsentatiuè, & illammet essentiam hominis; quæ est in homine sub modo essendi entitatiuo, siuè naturali, reperiri etiam in specie intelligibili illius sub modo essendi repræsentatiuo. Sic Arist. 2. huius operis text. 121. vbi etiam D. Thom. lect. 24. Idem etiam docet idem Philosophus 7. Metaph. lect. 6. apud D. Th. his verbis. *Ab arte verò fiunt, quorum forma in anima est atque formam dico quidditatem cuiusque.*

Quod testimonium explicat Angelicus Doctor in eodem loco. *Dicitur ergo primò, quòd illa fiunt ab arte quorum species factiua est in anima: per speciem autem exponit quod quid erat esse cuiuslibet rei factæ per artem, vt quod quid erat esse domus quando fit domus.* Et hoc ipsum docet idem S. Doctor. multis in locis, vt 1. p. q. 12. & q. 14. art. 1. & 2. cont. gentes cap. 49. q. 2. de verit. art. 2. & quodlibet. 8. art. 4. his verbis: *Species intelligibilis est similitudo ipsius essentiæ rei, & est quoddammodo ipsa quidditas, & natura rei secundùm esse intelligibile, non secundùm esse naturale prout est in rebus.* Et alibi sæpè quos sectantur Caiet. 2. de Anim. c. 12. in explicatione 1. conclus. Arist. paragr. circa eandem conclusionem occurrit, & 1. p. q. 79. art. 2. paragr. quo ad secundum Ferra. 1. contra gent. cap. 44. & lib. 3. c. 49. Durand. in 4. dist. 49. quæst. 2. Bañes, Zumel. Ripa Nazarius Gonçalez. 1. p. q. 14. art. primo, vbi etiam Caiet. nuper relatus Ledesm. de perfectione Dei q. 8. art. 4. in explicat. 1. rationis pro secunda conclus. & communiter Iuniores Thomistæ.

41. Explicatur assertio, in ea enim volumus speciem intentionalem esse eiusdem naturæ cum quouis obiecto, in cuius cognitionem potest influere: sed cum eo quod per se primo ab illa repræsentatur. Assertio ergo sic explicata probatur ratione fundamentali; quam tetigit D. Th. locis citatis, præcipuè verò tertio contra gent. c. 49. & q. 8. de verit. art. 1. nec non 1. part. q. 12. art. 2. Quoniam species dicunt relationem similitudinis ad sua obiecta: ergo habent vnitatem naturæ cum illis sub diuerso modo essendi. Antecedens videtur certum, quoniam vt ex dictis quæst. præced. constat, species repræsentant formaliter sua obiecta suntque similitudines formales eorum; non quidem sub esse naturali, sed sub esse intentionali, siuè repræsentatiuo, ergo referetur ad illa relatione similitudinis, quandoquidem id, quod est simile alteri refertur ad illud relatione similitudinis. Consequentia autem probatur, nam similitudo fundatur in vnitate, & identitate naturæ, siquidem ideò vnum est simile alteri; quia habet id ipsum, quod in alio est. Et si similitudo fit præcisè in vnitate specifica, cum dissimilitu-

dine tamen in differentia indiuiduali, tunc est identitas in prædicta natura cum diuersitate numerica: si verò similitudo sit in natura, tam secundùm speciem, quàm secundùm vnitatem numericam sub diuerso tamen modo essendi consideratam, tunc identitas, & vnitas sit cum prædicta natura eodem modo accepta.

41. Et licet huic rationi ex se satis efficaci plures solutiones adhibeant aduersarij: quia tamen nostrum Collegium Salmanticense tom. iam Deo fauente in lucem edendo in principaliores quæstiones totius Summæ Theologiæ D. Thomæ tractatu de diuisione Dei, disput. secunda, eam latè expendunt, & elucide omnes solutiones impugnant & rursus tractatu de scientia Dei disp. 2. rem hanc satis doctè, & fusè discutiunt, vt explicent discrimen, quo sanctus Doctor ibidem scilicet q. 14. art. 1. constituit inter cognoscentia, & non cognoscentia, quatenus illa possunt habere non solùm formas proprias, sed formas rei alterius mediis speciebus intentionalibus; propterea, & quia ad rem hanc ex omni capite explicandam debent aliqua theologica ad loca citata ex prima parte spectantia immisceri hic sistimus, satisque nobis fuisse putauimus succinctè D. Thomæ mentem in præsenti aperire, eiusque rationem fundamentalem tangere, & fusiorem, ac perspicuiorem eius discussionem prædictis Patribus, ac fratribus nostris relinquere: quippe qui omnia hæc, sicut & alia iuxta miram Angelicæ Doctrinæ Scholam, ac proinde omnino consone ad cuncta, quæ in nostro cursu artium edidimus se discussuros in ipso fronte, & titulo totius operis pollicentur, & reipsa id præstituros, opus ipsum doctrina D. Thomæ vndequaque refectum nihil aliud nisi ipsum sanctum Doctorem, & præclara eius testimonia passim eructans tanquam testis omni exceptione maior, iam apud nos, & iam apud omnes testabitur.

Respondetur argumentis primæ sententiæ.

§. III.

43. AD primum constat ex his, quæ in assertione insinuauimus, & ex his, quæ D. Thomas quodlib. citato dixit, quomodo species intentionales, non sint dicendæ absolutè, & simpliciter ipsa quidditas, & natura sui obiecti sed cum addito, sc. in esse intentionali, quia speciem v. g. intelligibilem esse absolutè & simpliciter eiusdem naturæ cum illo, seu esse ipsam quidditatem ipsius, denotat esse naturam prædicti obiecti sub modo essendi naturali. Cuius ratio reddi potest, ex eo quod forma, & quidditas obiecti, v. g. albedinis absolutè & simpliciter dicta innuit eandem formam secundùm propriam, & connaturalem perfectionem. Albedo autem in specie intentionali non habet conditiones debitas suo proprio, & connaturali modo existendi, sc. modo naturali: sed proportionatas modo essendi sensus, aut virtutis cognoscitiuæ illius: & ideò non denominatur talis absolutè, & simpliciter sed cum addito, sc. in esse cognoscibili.

Vndè non mirum quod sanctus Doctor dum absolutè & simpliciter loquitur de identitate inter species, & eius obiecta dixerit illas esse diuersæ naturæ, vt in testimonio in hoc argumento citato contingit, & quod cum non absolutè, & simpliciter de identitate illarum cum prædictis obiectis, sed cum addito, sc. in esse intentionali, aut intelligibili sermonem facit, vt in quodlibeto citato, & aliis locis accidit, tunc asserat esse quodammodo ipsam quidditatem, & naturam rei secundum esse intelligibile non secundum esse naturale prout est in rebus.

44. Ad secundum respondetur, quod in primis species intelligibiles repræsentantes substantiam, sunt substantiæ non quidem in esse naturali, sed in esse intelligibili, & ita prædictæ species sicut cæteræ aliæ possunt considerari, vel vt pertinent ad ordinem entitatiuum, & naturalem, vel vt spectant ad ordinem intentionalem, siue cognoscibilem, & secundùm priorem considerationem possunt esse accidentia: at secundùm posteriorem sunt substantiæ, vel accidentia iuxta naturam obiecti repræsentati. Sed de his videantur ea, quæ nostrum Colleg. Salmanticense tomo citato, tract. de scientia Dei, disp. 2. docent.

Ad illud autem de speciebus sensibilibus respondetur: omnia illa conuenire obiectis prædictarum specierum, non vt præcisè dicunt propriam naturam, sed vt important illam sub modo essendi naturali, & ita nihil refert, quod speciebus intentionalibus non conueniat, siquidem solùm sunt idem cum suis obiectis ex parte naturæ, non verò ex parte modi essendi.

Per quod etiam patet ad confirmationem: quoniam contrarietas, & incompossibilitas, quæ est inter albedinem, & nigredinem non conuenit eis præcisè ratione naturæ secundùm se sumptæ, sed vt est sub modo essendi naturali: & propterea non debet competere ipsi vt est sub modo essendi intentionali: cuius optimam rationem ex D. Thom. & Aristot. desumptam tradunt nostri loco cit. à num. 35. vsque ad 40.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm potentia cognoscitiua, adeò intimè vniatur cum specie intentionali formaliter sumpta, vt in esse cognoscibili fiat per identitatem ipsamet species, & obiectum per illam repræsentatum.

45. EX dictis quæst. præced. satis constat, potentiam cognoscitiuam fieri saltem aliquo modo per vnionem cum specie intentionali ipsummet obiectum cognitum: nam cum species intentionalis sit ipsa quidditas, & natura obiecti, nequit prædicta species esse in potentia cognoscitiua, quin tribuat illi, quod sit ipsummet obiectum, seu vt melius loquamur, quod habeat naturam obiecti.

Cæterùm, quia iuxta commune pronuntiatum Philosophorum ex Auerroë desumptum, ex potentia cognoscitiua, & specie fit magis vnum, quàm ex subiecto, & accidenti, aut ex materia, & forma substantiali. Propterea inquirimus, an hæc vnio sit tanta, & adeò intima, vt non sistat in hoc, quod vnum fiat aliud vtcumque, seu vt clariùs loquamur in hoc, quod ex vtroque resultet vnum tertium compositum ex illis, & continens naturam vtriusque: sed etiam potentiæ cognoscitiua fiat ipsamet species, & obiectum in esse repræsentatiuo, siue cognoscibili.

46. Meritò autem non solùm inquirimus de identitate intellectus cum specie, sed etiam cum obiecto ipsius: Tum quia, vt modò dicebamus, species intentionalis est ipsa quidditas obiecti sub alio modo essendi: Tum etiam quia obiectum non vnitur cum potentia, nisi in esse cognoscibili, atque adeò secundùm esse quod habet in ipsa specie ratione cuius redditur cognoscibilis. Et ita perinde est inquirere, an potentia fiat in esse cognoscibili idem per identitatem cum obiecto, ac quod fiat prædicto modo idem cum specie, & è contra: quamuis in hoc sit sua disparitas: quoniam species est id, quo intel-

lectus vnitur cum suo obiecto: cum tamen obiectum sit quod vnitum vt quod; nam illa est cognoscibilis *vt quo*, hoc verò habet esse cognoscibile, *vt quod*, ac proindè si semel repetitur identificatio, quæ in titulo inquiritur, tunc talis identitas erit cum obiecto, tanquam cum extremo *quo*, & virtute obiecti, in qua eius natura cognoscibiliter, & modo iam dicto reperitur.

47. Et licet quæstio hæc, quippè doctrinam quandam satis subtilem, & valdè profundam Diui Thomæ tangens, longiorem exposcat sermonem; nihilominùs quia ad sui plenam discussionem plura essent Theologica admiscenda, vt identitas, quæ inter essentiam Diuinam, vt vnitam in ratione speciei intelligibilis cum intellectibus Beatorum, & substantiæ Angeli cum suo intellectu, & alia ad hanc identitatem spectantia exactè caperentur: & omnia ista nostri Salmanticenses tomo q. præcedenti citato, tract. de scientia Dei, disp. 2. subtiliter, latè, & eruditè discutiunt, & D. Th. profundissimam mentem satis accuratè enucleant; propterea nos illam, sicut & præcedentem breuiter attingemus, & fundamentalem S. Doct. rationem innuendo, pleniorem; & omninò exactam huius quæstionis vna cum præcedenti discussionem, eisdem Patribus ac fratribus nostris relinquendam putamus.

48. Partem negantem tuentur omnes Doctores pro contraria sententia quæst. præcedenti relata: Probatur primò testimon. D. Thom. 1. p. q. 55. art. 1. ad 2. his verbis: *Dicendum, quod sicut sensus in actu est sensibile in actu, vt dicitur in 2. de Anima, non ita, quod ipsa vis sensitiua sit ipsa similitudo sensibilis, quæ est in sensu, sed quia ex vtroque fit vnum, sicut ex actu, & potentia; ita & intellectus in actu dicitur esse intellectum in actu, non quod substantia intellectus sit ipsa similitudo, per quam intelligit, sed quia illa similitudo est forma eius.*

49. Secundò probatur, & simul præcedens argumentum confirmatur; nam species intelligibilis v. g. hominis quocumque modo sumpta non habet vniri intellectui, nisi ea ratione, qua accidens, vel alia forma vnitur per inhærentiam, aut informationem cum suo subiecto: ergo intellectus non poterit fieri idem per identitatem cum prædicta specie, & per consequens nec cum obiecto illius.

Antecedens videtur certum, quoniam species intelligibilis, secundùm omnia, quæ in ea sunt, educitur de potentia intellectiua; quandoquidem secundùm nihil sui est creata per veram & propriam creationem; ergo quoad omnia, quæ habet, non vnitur intellectui, nisi eo modo, quo accidens, vel alia forma vnitur cum suo subiecto: quandoquidem forma educta de suo subiecto quo ad omnia, quæ in ea sunt, non vnitur cum eo alio modo, vt inductione facta in aliis formis cerni potest.

Prima verò consequentia ex antecedenti constat: quoniam subiectum recipiens per inhærentiam, aut informationem aliquam formam, nequit fieri illa per identitatem, vt constat in igne suscipiente suum calorem in ipso inhærentem, & in materia prima recipiente formam, per quam Petrus constituitur; vbi nec ignis fit suus calor, nec materia Petri fit prædicta forma per identitatem.

50. Tertiò, nam intellectus creatus ante vnionem sui cum specie intelligibili leonis vel alicuius alterius obiecti, non erat idem per identitatem cum tali obiecto, aut specie illius: ergo facta vnione inter vtrumque semper manebunt realiter distincta; & per consequens non erunt vnum, & idem per identitatem. Antecedens non indiget probatione. Prima autem consequentia (ex qua secunda apertè sequitur) satis ex antecedenti liquet: quoniam ea, quæ semel sunt realiter distincta, & ab inuicem separabilia, non possunt non, quantumuis vniantur, manere inter se distincta, & ita quantumuis inter se vniantur substantia, & quantitas; quæ sunt ab inuicem separabilia; quæque ante vnionem realiter distinguuntur, non possunt ita intimè vniri, vt non actu, & realiter distincta maneant.

Præfertur sententia Arist. & D. Thom.

§. II.

51. Dicendum tamen est: potentiam cognoscitiuam fieri per identitatem res cognitas, non quidem in esse naturali, & entitatiuo: ac proinde simpliciter, & absolutè, sed quodammodo, seu cum addito, & secundum quid; id est sub modo essendi cognoscibili, vel repræsentatiuo: ac proinde fieri per identitatem, modo num. 46. insinuato, ipsasmet species intentionales in esse cognoscibili consideratas. Ita Arist. 3. de Anima. text. 37. & 38. vbi loquens de anima, specieb. & obiectis, sic ait: *Necesse autem aut ipsa, aut species esse: ipsa quidem igitur non sunt; non enim lapis in anima est, sed species.* Quod testimonium exponit D. Thom. ibidem sect. 13. his verbis: *Ostendit, quod alio modo est omnia, quàm antiqui posuerunt, & dicit; quod si anima est omnia, necesse est, quod sit, vel ipsæ res scibiles, & sensibiles, sicut Empedocles posuit, quòd terra terram cognoscimus, & aqua aquam, & sic de aliis, aut sit species ipsorum: non autem anima est ipsa res sicut illi posuerunt, quia lapis non est in anima, sed species lapidis, & per hunc modum dicitur intellectus in actu esse ipsum intellectum in actu, in quantum species intellecti est species intellectus in actu.* Et hoc ipsum docuit Angel. Doct. 1. p. q. 14. art. 1. q. 2. de Veritate artic. 2. primo contra gent. cap. 44. & alibi sæpè; quos sequuntur Caiet. Zumel Bañez. Nazarius, Conçalez. loco cit. ex 1. part. Quod etiam docuit ex professo idem Caiet. q. 79. art. 2. & tandem Iuniores, & probatiores Thomistæ.

52. Potissima huius assertionis ratio insinuatur à D. Thom. art. 1. quæstionis 14. citatæ; quoniam in specie intelligibili per accidens, & de materiali se habet, si ipsa formalissimè, & in ratione speciei sumatur, quod si accidens, vel substantia in esse entitatiuo, & naturali, vel quòd inhæreat, aut informet per informationem petentem distinctionem realem inter formam, & rem informatam. Aut tandem, quod vniatur cum intellectu per modum subiecti substantialis ipsum sustentantis: ergo si sumatur secundùm ea præcisè, quæ intra propriam lineam dicit, debet vniri cum illo per identitatem in esse intelligibili.

53. Antecedens explicatur; quoniam species intelligibilis aliquando est accidens in esse entitatiuo, & naturali, vt in nobis pro hoc statu contingit, aliquando verò est substantia etiam in esse entitatiuo, vt in Deo respectu cognitionis sui & in Beatis respectu visionis beatificæ: nec non, & in Angelis cognoscentibus propriam essentiam per suam substantiam, tanquam per speciem intelligibilem cernitur: & per hoc quòd sit substantia, vel accidens modo dicto, non amittit suam propriam, & atomam rationem, si vniat idem obiectum cum potentia intellectiua: & propterea species Gabrielis, quæ est in intellectu Michaëlis est eiusdem rationis atomæ in ratione speciei cum specie intelligibili, quia Gabriel se ipsum intelligit, non obstante, quod hæc sit ipsa substantia Gabrielis, & illa in esse entitatiuo sit accidens: ergo signum est, quod esse substantiam, vel accidens in esse entitatiuo, & naturali habet se

de materiali, & per accidens respectu speciei formaliter sumptæ.

Quoad secundam verò partem satis idem antecedens constat: quoniam inhærere, aut informare per prædictam informationem, aut per modum subiecti substantialis substentare intellectum, est proprium accidentis, aut substantiæ in esse entitatiuo: ergo quod per accidens, & de materiali solùm fuerit substantia, aut accidens modo explicato, scilicèt in esse entitatiuo solùm per accidens, & de materiali vnietur per inhærentiam aut informationem iam explicatam: aut tandem per modum subiecti substantialis sustentantis intellectum.

Consequentia autem ex antecedenti satis liquet: quoniam vnio alicuius formæ quatenùs talis, qualis est vnio speciei intelligibilis formalissimè sumptæ solum potest esse, vel per inhærentiam, aut prædictam informationem, aut per modum subiecti substantialis sustentantis intellectum, aut per identitatem, vt ex se constat, cumque in præsenti non sit per inhærentiam, aut informationem, nec per modum subiecti substantialis sustentantis intellectum, vt ostensum est, nec per identitatem in esse naturali, vt ex se, & ex dictis patet, non poterit non esse per identitatem secundùm quid, & cum addito, scilicet in esse intelligibili.

Fit obuiam fundamentis primæ sententiæ.

§. III.

54. AD primam respondetur, sanctum Doctorem solùm loqui de speciebus sumptis secundùm suum esse reale, & entitatiuum, secundùm quod solent comparari per modum accidentis, & formæ naturalis respectu intellectus: non verò de eisdem secundùm esse cognoscibile, siue repræsentatiuum, secundùm quod vnitur adeò intimè cum intellectu, vt iste fiat vnum, & idem per identitatem cum ipsis in esse repræsentatiuo, siue cognoscibili sumptis, dummodò saltem in creatis aliqua ex vnionibus in esse entitatiuo, & naturali numero 53. relatis præsupponatur.

55. Ad secundùm negandum est antecedens; nam vt optimè notat nostrum Collegium Salmanticense, tomo citato tractatu de scientia Dei, disp. 8. præter illam vnionem accidentis, & subiecti, aut quamcumque aliam naturalem, & entitatiuam, quæ intercedit inter intellectum, aut quamlibet aliam potentiam cognoscitiuam est ibidem alia, secundùm quam intellectus, & species secundùm esse repræsentatiuum, siue cognoscibile sumpta vniuntur, cuius signum est: quod intellectus, dum recipit speciem secundùm esse entitatiuum, limitat, & coarctat eam, adhoc vt secundùm prædictum esse sit hæc, & non illa: at verò dum vnitur eidem speciei secundùm esse repræsentatiuum, siue cognoscibile, non limitat illam adhoc, vt sub prædicto esse sit hæc, & non illa: quandoquidem vt quæstione præcedenti dicebamus, eadem met numero natura, quæ est in obiecto secundùm esse naturale, est in intellectu mediante specie, secundùm esse repræsentatiuum, siue cognoscibile, hoc autem satis indicat intercedere ibidem diuersum genus vnionis inter intellectum, & speciem secundùm has diuersas rationes sumptam.

Et ad probationem in contrarium benè occurrit idem Colleg. Salmanticense, loco citato in hæc verba: Dicendum est, formam intelligibilem, quæ in esse entitatiuo est accidens, non educi per se de potentia subiecti, quatenus est forma intelligibilis, & habet puram, seu præcisam rationem talis formæ, sed solùm conduci ad eductionem sui in esse entitatiuo, & naturali sumptæ. Adhoc autem satis est, vt identificetur cum prædicto esse entitatiuo & naturali, quod de materiali dicit. Vnde non est necesse, quòd secundùm aliquid sui creetur, aut quòd secundùm esse intelligibile formaliter sumptum vniatur intellectui per inhærentiam: qui ad hoc, quòd tam quoad esse entitatiuum quàm quoad esse intelligibile producatur, sufficit, vt quoad illud educatur, & quoad istud conducatur ratione illius: & adhanc conductionem non requiritur, vt in esse intelligibili inhæreat, sed satis est, vt modo insinuato, *esse entitatiuum, & intelligibile prædicta speciei identificentur.*

56. Ad tertium respondetur, etiam ex nostro Colleg. Salmanticensi, quòd intellectus, species, & obiectum non possunt adhuc in esse intelligibili fieri idem per identitatem excludentem distinctionem realem potentialem inter illa, bene tamen per identitatem permittentem talem distinctionem, vt in præsenti contingit. Et ad probationem rectè dicunt prædicti Patres esse plura; quæ ob sui peculiarem rationem sunt talis naturæ, vt licet sint aliquando actu distincta, tunc tamen sint in potentia idem: & semel identificata retinent distinctionem realem: non quidem actualem, sed potentialem: quatenus possunt ab inuicem separari: & sic separata actu distingui, vt nos ex Aristotele & Diuo Thoma, & ratione satis efficaci ostendimus 1. de Generatione disput. 5. à numero 67. vsque ad 80. vt explicaremus; quomodo illud formæ substantialis, quod formæ verbi gratia plantæ per nutritionem denuo aduenit, identificetur præcisè quoad substantialia cum forma substantiali eiusdem plantæ, quæ præerat; ne intra lineam substantiæ cum præcisione sumpta, seu ne forma illa secundùm se, & ab eo, quod habet intra genus substantiæ, habeat distinctionem partium entitatiuarum, seu eiusdem rationis; sed solùm à quantitate, vt à causa formali intrinseca, seu inhærente, vt in Logica disputatione 13. à num. 30. vsque ad num. 43. & in lib. de Generat. disp. cit. à num. 81. vsque ad n. 46. diximus.

Et meritò sanè vtrobique eodém proportionali modo philosophamur: quia intellectum identificari realiter cum specie intelligibili hoc ipso, quod inter se vniantur, suadent ea, quæ pro assertione adduximus, & talem identificationem permittere distinctionem realem potentialem, & rursus distinctionem hanc ad actum facta separatione reductam esse compatibilem cum identitate reali potentiali satis constat ex dictis, siquidem ante vnionem, vel post separationem non sunt idem esse intelligibili, cum tamen possint vniri, & esse idem.

57. Ex quibus omnibus sequuntur duo notatu valdè digna, & ad plurium argumentorum solutionem valdè conducentia, quæque à nostro Colleg. Salmanticensi disp. citata adducuntur. Primum quidem quod si propriè, & formalissimè de hac vnione in esse intelligibili loquamur, tunc species non vnitur cum potentia, tanquam cum subiecto, & potentia receptiua formaliter sumpta, aliqui limitaretur ab ea adhoc in esse repræsentatiuo, siue intelligibili: sed tanquam vnum extremum identificabile vnitur cum alio, cum quo identificari potest. Secundùm verò speciem intelligibilem formaliter sumptam, & intellectum non distingui inter se in ordine intelligibili realiter actualiter ratione propriarum entitatum materialiter, sed formaliter sumptarum, id est, prout intellectus v. g. non subest vnioni intelligibili speciei cum illo; nam hoc ipso quod sic vniatur, & species ita communicetur intellectui, vt habeat eandemmet formam rei alterius in esse repræsentatiuo

tunc

cone intellectus, & species Identificantur quoad prædictum esse. Quæ omnia in prædictis Patribus locis citatibus, vbi ea accurratè explicant, & vnde nos cuncta hæc vnà cum dictis quæst. præced. de prompsimus, videri debent.

QVÆSTIO V.

VTRVM SPECIES IMPRESSA CONCVRRAT actiuè ad cognitionem.

POstquam explicuimus plura, quæ speciei impressæ in ordine ad suum obiectum competunt, restat vt dicamus, quomodo se habeat in ordine ad cognitionem: an nimirum concurrat actiuè ad illam; ce verò solùm dispositiuè, siue solùm formaliter determinando potentiam cognoscitiuam in ordine ad illam.

Adducitur duplex sententia.

§. I.

58. PRime sententia vniuersaliter negat, speciem impressam concurrere ad cognitionem actiuè: concedit tamen desiderari ad hoc, vt disponat, siue determinet, aut excitet potentiam in ordine ad eam. Ita Tolet. 2. de Anima quæstion. 12. conclusion. 4. & Henric. quodlib. 6. quæstion. 7. aliique plures. Sententia hæc quoad posteriorem eius partem videtur sequi ex priori; nam species non potest desiderari ad cognitionem, nisi velut ratio agendi, vel præciè vt disponens, determinans, aut excitans virtutem cognoscitiuam ad cognoscendum; quæ si non influit illo priori modo, solum restat, vt ad hoc vltimum munus solummodò desideretur.

59. Quoad primam verò partem probatur primò, nam cognitio est longè excellentior, quàm species impressa; siquidem illa est quid vitale, secus verum ista, quippè quæ non petit procedere à principio vitæ, vt in speciebus sensibilibus constat; ergo prædicta species nequit concurrere actiuè in cognitionem. Patet consequentie, quoniam id; quod est vitale, nequit produci à principio non vitali, alioqui effectus superaret in perfectione suam causam.

Secundò, nam licet respectu vnius effectus possint dari plures causæ totales subordinatæ, & diuersi ordinis; non tamen plures proximè totales, & eiusdem ordinis: ergo cum potentia cognoscitiua influat actiuè in suam cognitionem, nequibit species simul cum ipsa actiuè concurrere. Antecedens patet inductiuè; quoniam ad producendum v. g. calorem, aut frigus sufficit vnica causa totalis proxima; quamuis vna cum illa possint concurrere aliæ causæ vniuersales, & diuersorum ordinum. Et deinde id etiam constat ex his, quæst. 2. Physic. disp. 15. num. 31. diximus. Consequentie verò probatur nam potentia cognoscitiue concurrit per modum causæ proximæ in cognitionem, vt ex se constat, & non qualitercumque, sed per modum causæ totalis in suo ordine; quandoquidem eminenter continet quidquid est in illa: ergo non relinquitur locus alteri causæ proximæ, quæ simul cum illa actiuè influat, ac proindè neque speciei, quæ solùm per modum causæ particularis, & proximæ poteret actiuè concurrere, vt ex se patet.

60. Secunda sententia concedit speciebus, quæ sunt accidentia, virtutem actiuam respectu cognitionis; negat tamen illam speciebus, quæ sunt substantia, qualis est essentia Angeli respectu cognitionis sui, & essentia Diuina respectu visionis Beatorum. Nam istæ solum habeot vnire potentiam cum obiecto. Idem Bann. 1. part. quæst. 12. articul. 2. quæst. 85. artic. 2. dub. vnic. conclus. c.

Probatur primò: quoniam species quæ est ratio agendi subordinatur virtuti cognoscitiuæ: et species, quæ est substantia, nequit illis subordinari: ergo neque esse ratio agendi. Consequentia satis constet. Minor verò etiam liquet, quia id, quod est excellentius, qualis est essentia Angeli, & multo magis essentia Diuina nequit subordinari rei inferioris ordinis, & rationis, qualis est intellectus; quandoquidem influere per modum principij alteri subordinati, est nota imperfectionis, dependentiæ, & inferioritatis. Maior autem probatur; quia species influens actiue in cognitionem concurrit per modum principij *quo* agendi; principium autem actiuum *quo* subordinatur principio actiuo *quod*, scilicet virtuti cognoscitiuæ, cui ipse est ratio cognoscendi.

61. Secundò, nam substantia Angeli, cut quæuis alie substantia creata, nequit esse principium proximum operendi, vt constat ex his, quæ in lib. Phys. disp. 10. diximus: ergo species, quæ est substantia creata, non potest concurrere actiuè ad cognitionem: ergo neque etiam species, quæ est substantia increata. Prima consequentia patet; quia si concursus speciei est actiuus, debet esse proximus; ex eo quod species ipsa est proxima, & immediata causa cognitionis, siquidem nihil inter vtramque mediat. Secunda verò consequentia ex hac priori videtur sequi; nam si substantia Angeli non influit actiuè, vt gerit vicem speciei, signum est potentiem cognoscitiuam secundùm se sumptam esse talis naturæ, vt concurrat per modum causæ actiuæ, proximæ & adæquatæ ad cognitionem: ac proindè non relinquere locum alteri virtuti proximæ, siuè creatæ, siuè increatæ, quæ cum illa actiuè concurrat, vt ex dictis in lib. Physic. liquet.

Ex mente Aristotelis & Diui Thom. quæstio deciditur.

§. II.

62. DIcendum tamen est: speciem impressam influere actiuè in cognitionem. Assertionem hanc satis insinuat Aristotel. 2. de anima text. 70. quatenus inquit, sensibilia esse actiua sensitiuæ operationis; cumque non sit actiua illius, nisi mediante specie, vt ex se constat; fit indè, vt species sensibilis sit principium actiuum illius; & per consequens species intelligibilis fluet etiam actiuè in intellectionem. Idem etiam docet D. Thom. ibidem lect. 12. & 1. p. q. 56. art. 1. his verbis: *In actione, quæ manet in agente oportet ad hoc quod procedat actio, quod obiectum vniatur agenti sicut oportet, quod sensibile vniatur sensui ad hoc, quod sentiat actu: & ita se habet obiectum potentia ad huiusmodi actionem, sicut forma quæ est principium actionis in aliis agentibus. Sicut enim calor est principium formale calefactionis in igne, ita species rei visæ est principium formale visionis in oculi.*

Et quæstione 58. articulo 1. vbi sic ait: *Species intelligibilis se habet ad intellectum, vt quo intelligit intellectus, quod sic patet: Cum enim sit duplex actio sicut dicitur. Metaphysic. vna, quæ manet in agente, vt videre, & intelligere; & altera, quæ transit in rem exteriorem vt calefacere, & siccare; vtraque fit secundùm aliquam formam: & sicut forma, secundùm quam prouenit actio tendens in rem exteriorem est similitudo obiecti actionis, vt calor calefaciens est similitudo calefacti. Similiter forma se-*

cundum quam prouenit actio manens in agente est similitudo obiecti. Vnde similitudo rei visibilis est secundum quam visus videt, & similitudo rei intellectæ, quæ est species intelligibilis est forma, secundum qua intellectus intelligit. Idem etiam docet verbis satis expressis quæst. 2. de verit. art. 6. Quod testimonium infra disp. 21. num. 110. de verbo ad verbum adducemus. Et deinde hoc ipsum tuetur in 4. dist. 46 q art. 1. in corp. quem sequuntur Goncalez 1. part. q. 2. art. 2. disp. 25. sect. 5. dicens esse communem sententiam inter Thomistas.

63. Prior huius assertionis ratio desumitur ex D. Thom. loco cit. q. 85. Quoniam terminus, qui producitur per cognitionem, per quam cognoscitur obiectum per se primò repræsentatum per speciem impressam (modo tamen infra disp. de intellectione explicando) est similis prædictæ speciei impressæ: ergo, talis species desiderata ad illam influit per modum principij actiui respectu illius. Antecedens patet: quoniam terminus ille cognitionis, scilicet species expressa repræsentat per modum speciei expressæ id, quod species impressa habitualiter repræsentat. Et propterea vtraque species est eiusdem naturæ in esse repræsentatiuo, vt suprà quæst. 2. huius disput. dicebamus.

Consequentia verò probatur: Tum quia id, cui effectus assimilatur, quodque desideratur ad illius productionem non potest non influere per modum virtutis actiuæ in ordine ad illam, vt inductiuè constat: Tum etiam, quia cùm de ratione agentis sit producere sibi simile, iuxta illud, vnumquodque intendit producere sibi simile, signum est, quòd inter ea, quæ desiderantur ad aliquem effectum illud influit per modum principij actiui, cui talis effectus similis euadit.

64. Confirmatur: nam licet per cognitionem aliquando non producatur species expressa, vt contingit in visione beata, & in sensationibus sensuum externorum, vt ex D. Thom. disp. 21. dicemus; nihilominùs adhuc tunc ipsa cognitio procedit aliquo modo similis speciei impressæ quo ad potissimum munus, quod exercet: ergo signum est, prædictam speciem esse virtutem elicitiuam actiuè illius cognitionis Consequentia patet ex dictis; quoniam in effectu non producitur, aut exprimitur, nisi id, quod est in sua causa. Antecedens verò probatur; quoniam sicut species vnit in actu primo obiectum cum potentia, ita cognitio formaliter sumpta est ipsa actualis vnio per modum actus secundi eiusdem potentiæ cum obiecto: quamuis diuersa ratione, ac species; quia illa vnit ex eo, quod habet eandem naturam in esse cognoscibili cum obiecto, hæc verò quia est vitalis vnio, & tendentia in illud: ergo, &c.

65. Secunda ratio desumitur ex eodem S. Doct. locis citatis: quoniam id, quod se habet per modum formæ in aliquo ordine, influit actiuè in operationem eius, quod ab illo informatur, sed species, verbi gratia intelligibilis, habet se vt forma, & actus in ordine intelligibili respectu intellectus: ergo influit actiuè in operationem eius. Minor cum consequentia videntur certæ. Maior verò etiam liquet inductione facta in aliis formis, & propterea quia forma substantialis ignis, aut aquæ suoi actus, & formæ respectu horum entium naturalium quæ constituunt, habent etiam esse principia actiua actionum, quæ à prædictis entibus naturalibus eliciuntur.

Nec refert, si obiicies primò contra primam rationem, quod idæa desideratur ad opus artificiosum, & effectus istiua procedit simili illis, & nihilominùs non influit actiuè in illud, sed solùm in genere causæ formalis, vel exemplaris extrinsecè: ergo ex eo, quod species impressa desideretur ad cognitionem, & terminus per illam productus euadat similis, non rectè colligitur illam esse rationem agendi respectu prædicti termini.

66. Respondetur enim, quod quidquid sit de medio causalitatis ideæ, de quo videri possunt ea, quæ in lib. Phylic disp. 9. à n. 32. vsque ad 38. inclusiuè diximus, potius ex hac obiectione augentur, quàm minuantur vires rationis factæ: quoniam quidquid desideratur ad productionem alicuius effectus, & et per se loquendo talis effectus similis euadit debet esse principium actiuum illius, prout principium istud distinguitur ab idea, & à modo concurrendi illius: siuè talis modus sit in genere causæ efficientis, vel formalis: de quo nihil modò; vel debet concurrere per modum ideæ, & exemplaris, ac proinde per modum obiecti cogniti; cumque certum sit speciem impressam non influere per modum ideæ, & exemplaris, vt communiter docent omnes Philosophi, & Theologi: consequens erit, vt hoc ipso quod desideretur ad productionem speci expressæ, & hæc euadat similis illi, debeat concurrere per modum rationis agendi modo dicto.

67. Nec etiam refert, si secundo obiicias contra secundam rationem, ex ea sequi, quòd species principaliùs producat cognitionem, & eius terminum, quàm potentia cognoscitiua: sed hoc est apertè falsum: ergo, &c. Sequela videtur certa: quoniam id, quod est formale actus in aliquo ordine, & influit actiuè, principaliùs agit, quam illud respectu cuius est actus, & forma: siquidem tribuit illi virtutem, & rationem agendi. Constat autem, speciem habere se per modum actus, & formæ in ordine cognoscibili respectu potentiæ cognoscitiuæ.

Falsitas autem consequentis etiam liquet; nam potentia cognoscitiua influit etiam actiuè in cognitionem, & speciem expressam, est que intimior, & magis coniuncta principio radicali, & principali cognoscendi, quod est anima; quandoquidem ex eius visceribus dimanat: id autem: quod est operatiuum respectu alicuius effectus, & est magis coniunctum principio effectiuo, & fontali illius, magis participat de virtute actiua in ordine ad talem effectum; ac proinde magis, & principaliùs concurrit.

68. Respondetur enim negando sequelam: & ad probationem dicendum est: ad summum probare intentum, quoties id, quod concurrit actiuè per modum formæ, & actus alterius, non desideratur propter propriam operationem eius, cuius est actus; sed propter operationem alicuius tertij resultantis ex vtroque, vel propter operationem talis formæ, vt in aqua calida, & in composito substantiali cernitur; nam calor non concurrit ad calefaciendum propter operationem ipsius aquæ, sed propter propriam operationem: neque forma substantialis tollitur propter operationem materiæ, sed propter operationem compositi ex vtraque resultantis.

Cæterùm, quando forma, & actu alicuius ordinis requiritur propter operationem propriam eius respectu cuius habet rationem formæ; tunc non est necesse, vt prædicta forma principaliùs operetur, quàm id, respectu cuius est forma. Quare cum species desideretur propter operationem propriam potentiæ cognoscitiuæ, scilicet, propter cognitionem: propterea non influit principaliùs in ordine actiuo, quàm potentia cognoscitiua.

69. Adde: quòd vt rectè nostrum Collegium Salmanticens. tomo citato titul. de scientia Dei, disp. 2. adnotauit, species, & potentia cognoscitiua comparantur in ordine cognoscibili, sicut forma comparatur cum suo complemento: per quod redditur perfecta,

perfecta, & completa: ita quidem, vt potentia cognoscitiua sit forma, quæ completur, species verò complementum illius; & vt quæst. præcedenti dicebamus, non qualecumque, sed identificatum cum illa. Constat autem, quod facta collatione inter formam, & suum complementum, tunc principaliùs operatur forma, quàm complementum eidem deseruiens.

Possuntque omnia hæc æqualiter explicari exemplo caloris, collati cum igne, cuius est virtus, quemque in ratione combustiui, & productiui alterius ignis quodammodo complet: nam licet habeat se per modum formæ, & actus eiusdem ignis: nihilominùs quia desideratur propter operationem propriam illius, & ignis non est completus in ratione combustiui, nisi compleatur per calorem, vt est virtus illius propterea ignis principaliùs comburit, quàm calor: imò potius calor solùm instrumentaliter ad combustionem, siue generationem alterius ignis concurrit: ita ergo in præsenti, proportione tamen seruata, philosophandum est. Diximus proportione seruata, quia inter exemplum hoc, & rem de qua agimus, ad est suum discrimen, quatenùs nec calor identificatur cum igne in aliquo ordine, nec species operatur per modum instrumenti respectu cognitionis.

Solutio argumentorum primæ sententiæ.

§. III.

70. AD primum respondetur, speciem consideratam in ratione speciei formaliter, identificari in esse cognoscibili cum intellectu, vt ex dictis quæst. præcedenti constat: & ita licet secundùm se sumpta non adæquet perfectionem cognitionis, attamen vt identificata cum intellectu, adequat illam eo modo quo ipse intellectus. Vnde sicut si in ordine entitatiuo, & naturali essent identificari, tunc entitas illa vt esset quasi composita ex vtraque ratione, posset in eodem ordine elicere actiuè intellectionem; sic, hoc ipso, quòd in ordine intelligibili identificentur, potest eadem entitas, vt est quasi coalescens ex virtute cognoscitiua, & specie, influere actiuè in cognitionem.

Cæterum; quia licèt prædicta species, & intellectus identificentur realiter in prædicto ordine; nihilominus distinguuntur in eodem ordine virtualiter, & etiam realiter potentialiter: ideò oportet explicare, quomodo quatenus sic distincta possit influere actiuè in cognitionem. Vnde dicimus cum nostro Colleg. Salmant. tomo citato, tractatu de visione Dei, disput. 2. speciem ex se habere vim ad eliciendam cognitionem, quatenus est huius obiecti, potius quàm alterius: atque adeò secundùm suam vltimam rationem differentialem consideratam, quamuis non habeat vim ratione sui, ad eliciendam eandem cognitionem quatenus est vitalis; nam licèt cognitio sit quid vitale, aliunde tamen sumitur eius specificatio, & vitalitas; quoniam illud prius competit illi per ordinem ad potentiam; sed hoc posterius per ordinem ad speciem intentionalem, seu obiectum, vt mediante prædicta specie est vnitum in ratione obiecti motiui cum potentia. Et ita licèt species intentionalis sic considerata eliciat totam intellectionem, non tamen totam, & totaliter.

71. Quibus etiam addi potest cum eodem Collegio loco nuper citato, speciem adhuc vt distinctam virtualiter, & realiter potentialiter à virtute cognoscitiua cum qua in ordine cognoscibili identificatur, habere aliquod vitalitatis genus, quatenus ab intrinseco habet esse determinationem potentiæ vitalis, vt talis, & non posse alio modo nisi per modum determinationis eiusdem potentiæ concurrere: hoc autem satis est adhoc, vt in suo ordine, & per modum determinationis prædictæ possit vna cum potentia actiuè influere in cognitionem; etiam quatenus vitalem: Tum quia determinatio potentiæ vitalis formaliter sumptæ ab intrinseco habet concurrere ad operationes illius potentiæ, quatenus tales; atque adeò etiam ad vitalitatem earundem operationum: Tum etiam quia adhoc, vt aliqua causa coalescens ex diuersis rationibus agendi, quarum vna sit determinatio alterius, influat, non est necesse, vt quælibet ex illis adæquatè contineat effectum secundùm illam rationem ad quam concurrit; sed satis est si prædictus effectus sit; verbi gratia vitalis, quod vtraque ratio agendi habeat aliquid vitalitatis, & in ambabus adæquatè tota perfectio effectus claudatur.

Non obest id, quod in hoc eodem argumento adducitur, sc. species sensibiles non posse habere aliquod vitalitatis genus, ex eo quod non procedunt à principio vitæ; quoniam adhoc, vt habeant vitalitatem modo explicato, satis est, quòd sint determinationes potentiarum vitalium formaliter sumptarum, & quod sicut procedunt à rebus materialibus, quatenus habent aliquod participium substantiarum immaterialium, & separatarum, vt in lib. de Generat. tetigimus; ita procedant ab eisdem, quatenus habent aliquod participium earundem, vt in ratione obiecti cognoscibilis sunt etiam determinationes vitales suarum potentiarum.

72. Ad secundum respondetur, quod licèt respectu vnius effectus nequeat dari duplex causa proxima, quæ omnibus modis respectantibus ad rationem causæ proximæ sit totalis; nihilominus multoties potest dari multiplex ratio agendi quæ licèt quoad peculiarem illam modum influxus, secundùm quem proximè influit, sit totalis, quatenus nihil aliud præter ipsam sic influit; attamen non sit omnibus modis totalis, quia potest vna cum illo esse alius modus influendi clausus intra ordinem causæ proximæ. Vnde in generatione hominis masculus, & fæmina concurrunt per modum causæ totalis, quatenus fæmina præstat omnem concursum qui intra modum concurrendi per modum fæminæ desideratur: & similiter masculus omnem illum, qui exigitur præstari à masculo; & propterea vtraque causa est totalis secundùm rationem explicatam, cum tamen causa proxima omnibus modis adæquata prædictæ generationis sint, tam masculus, quàm fæmina simul sumpti.

Quare, cum cognitio procedat ab obiecto, & potentia per modum cuiusdam generationis intentionalis. Consequens est, vt procedat ab obiecto tanquam à masculo, & à potentia tanquam à fæmina, & quod in sensu explicato quodlibet ex istis concurrat per modum causæ totalis, & modo sibi proportionato contineat in suo genere, & non in alio effectum, atque adeò potentia relinquat locum, adhoc, vt obiectum per modum masculi influat, & ex vtroque iuxta modum explicatum quasi coalescat vnica ratio agendi omnibus modis adæquata, & in ordine cognoscibili identificata.

73. Ad primum secundæ sententiæ neganda est maior, quando species, quæ est ratio agendi, est superioris rationis. Et ad probationem; non esse necessarium, vt principium actiuum quo seu, vt melius loquamur, ratio agendi per modum determinationis virtutis actiuæ subordinetur eidem virtuti

actiuæ, quando talis determinatio est superioris rationis in ulle entis; sicut licet forma corporis pendeat à corpore, quando non est superioris rationis, secùs tamen quando fuerit eminentioris ordinis, vt in anima nostra contingit.

Adde, quod si loquamur de specie, Intentionali, & potentia cognoscitiua in esse cognoscibili formaliter sumptis, tunc nulla est realis actualis distinctio inter vtramque atque adeò neque etiam erit in hoc ordine realis actualis subordinatio, quamuis eum hoc stet, vt possit esse mutua virtualis subordinatio inter illa, secundùm diuersum genus dependentiæ virtualis, quod inter se habent dummodo species illa sit creata. Diximus dummodo sit creata, nam in specie creata, neque arguitiuè colligitur illam esse diuersæ rationis in ratione speciei, per hoc quod sit substantia, vel accidens, dummodo repræsentet idem obiectum, vt num. 53. dicebamus. Et ita sicut species, quæ est accidens potest subordinari modo dicto virtuti cognoscitiuæ; Ita species, quæ fuerit substantia. Cæterum ex hoc quod aliqua species habeat esse substantiale increatum, & infinitum, vt in essentia Diuina contingit, optimè colligitur eam esse superioris rationis qualibet alia virtute cognoscitiua creata: & propterea nequit illi adhuc virtualiter subordinari.

74. Ad secundum respondent, optimè nostri Salmant. tom. cit. tractat. de visione Dei, disput. 2. dub. 4. intellectum Angelicum oriri à substantia Angeli, tam vt est intellectiua, quam vt est intelligibilis in actu: & ita esse virtutem proximam secundùm quam substantia Angeli exercet munus influendi actiuè, tam vt est obiectum intelligibile, quam vt est radicaliter intellectiua. Nam si prædicta substantia quatenus est intellectiua influit immediatè per intellectum, quia secundùm istam rationem est radix illius, non est cur eadem substantia, vt est obiectum actu intelligibile, non influat immediatè per eundem intellectum, vt ab ea quatenus est obiectum actu intelligibile dimanat.

75. Diximus esse virtutem proximam secundùm quam substantia Angeli, vt est obiectum intelligibile, exercet munus influendi actiuè; vt denotaremus, quod ex duobus muneribus repertis in substantia Angeli, vt habet rationem speci intelligibilis, scilicet vnire obiectum cum potentia, & influere actiuè vna cum illa; primum illud, quodque est potissimum, præstatur à substantia Angeli secundùm se sumpta: hoc verò, quod non est ita potissimum, exercetur ab illa mediante intellectu. Sed de his videantur nostri. Salmant. loco cit. vbi totam hanc solutionem latius explicant. Et inde subtiliorem, & profundiorem aliam doctrinæ D.Thom. satis consonam ibidem adducunt, & fusè expendunt.

QVÆSTIO VI.

An pro hoc statu dentur species intelligibiles, quæ formaliter, & directè repræsentent singularia materialia.

CONsultò in titulo de solis speciebus intelligibilibus fit sermo, quoniam certum est species sensibiles solùm repræsentare singularia. Et ita experimur species visibiles, verbi gratia, non repræsentare colorem vt sic, ea eo quod visus, sicut & quilibet alius sensus ratione suæ materialitatis nequit percipere colorem vt sic, sed solum colorem in particulari. Et similiter, data opera, addita est illa particula *pro hoc statu*, quia non loquimur de speciebus infusis animæ separatæ; sed de his, quas in via ipsa acquirit, siue per solam abstractionem intellectus agentis, siue quouis alio modo.

Opinio Scoti, & aliorum.

§. I.

76. PArtem affirmatiuam, etiam quoad species, quæ immediatè producuntur ab intellectu agente, tuentur Scot in 4. distinct. 45. qu. 3 Ricard. in 1. distinct. 24. q. 4. Gregor. in 1. distinct. 3. q. 1. art. 2. Ocham. quæst. Butleus, Marsilius, & Thienena 1. Physic. Durand. in 2. distinct. 8. qe. 7. Valentia tom. 1. in 1. p. disp. 6. qu. 7. punct. 2. conclus. 2. quos omnes refert, & sequitur Rub. 3. de Anima, tract. de intellectu possibili, q. 1. quam etiam tuetur Suarez 1. tom. suæ Metaph. disput. 6. sect. 6. n. 7. & 2. tom. Summæ Theol. tract. 3. l. 4. c. 3. n. 5. & allj plures ex recentioribus.

Probatur primò, quia non repugnat dari prædictam speciem: ergo de facto datur. Consequentia patet; nam causa naturalis agit quidquid potest: ergo si non repugnat, quod intellectus agens producat prædictam speciem, non erit cur illam de facto non efficiat.

Antecedens autem probatur; nam talis species non repugnat ex eo, quod sit rei singularis; cum certum sit dari speciem repræsentantem formaliter, & directè singularia. Et ita iuxta communem omnium Doctorum sententiam, in intellectu angelico Michaëlis datur species directè, & formaliter repræsentans Gabrielem. Neque etiam ex eo quod sit rei materialis, siquidem intellectus noster pro hoc statu non cognoscit directè nisi res materiales, non verò spirituales. Nec tandem ex parte vtriusque: Tum quia habemus plures species expressas repræsentantes singularia materialia, non verò naturam vniuersaliter sumptam, vt experientia docet: ergo etiam non repugnabit species impressa eodem modo repræsentans: Tum etiam, quia in Angelis datur species, quæ repræsentat vtrumque, vt communiter docent Theologi: Tum denique, quia cum cognitio intellectiua incipiat à sensu, qui solùm attingit singularia materialia, oportet, vt hæc sint obiecta valde proportionata respectu illius; ac proinde, quod nec ratione singularitatis, nec materialitatis repugnat quominus detur species formaliter, & directè vtrumque repræsentans.

77. Secundò, nam phantasma repræsentat singulare materiale: ergo saltem species intelligibilis quæ ab illo, & ab intellectu agente producitur, repræsentabit formaliter, & directè idem singulare materiale. Antecedens patet: consequentia verò probatur, quia intellectus agens concurrit per modum causæ vniuersalis ad productionem specierum intelligibilium; phantasma verò per modum causæ particularis. Constat autem, quòd effectus sequitur naturam causæ particularis. Et ita quando Sol, & homo quatenus talis generant, tunc effectus productus sequitur naturam causæ particularis, propterea generant hominem, & non aliquid aliud.

Tertiò, nam potentiæ superiores possunt quidquid inferiores, & aliquid amplius. Et ideò sensus communis potest recipere speciem visibilis, sicut potentia visiua, & aliquid amplius; sed potentiæ sensitiuæ possunt habere species repræsentantes singularia materialia: ergo intellectus poterit etiam species prædictas recipere, & insuper species repræsentantes naturas vniuersales.

78. Quartò, quia intellectus pro hoc statu potest cognoscere

cognoscere per se, & directè singulare materiale: ergo potest habere speciem per se, & directè repræsentantem illud. Patet consequentia, quoniam species per se, & directè repræsentatiua alicuius correspondet intellectioni per se, & directè illius, & è contra, ex eo quod habent per modum actus primi, & secundi, qui debent sibi mutuo correspondere. Antecedens autem probatur, quia cognitio directa singularis materialis non potest denegari intellectui pro hoc statu propter perfectionem eius; siquidem intellectus angelicus est longè perfectior, & tamen potest illud cognoscere: nec propter imperfectionem, quandoquidem sensus est multo imperfectior, & tamen illud per se, & directè percipit: ergo ex nullo capite. Patet hæc vltima consequentia, quoniam quod aliquid alicui denegetur, nequit oriri, nisi vel ex perfectione, vel ex imperfectione illius.

Vltimò: quia alioqui non posset intellectus pro hoc statu habere expressam, & distinctam notitiam singularis materialis: sed hoc est falsum: ergo, & cætera. Falsitas minoris experientia constat. Sequela verò probatur, nam si non esset species per se, & directè repræsentatiua singularium materialium, sed solum repræsentaret naturam materialem in communi, tunc solum in confuso esset repræsentatiua illorum, quatenus in confuso, & in potentia sub illa continentur: ergo solùm in confuso, non verò distinctè possent cognosci; siquidem vt nuper dicebamus, intellectio debet correspondere speciei, & eius repræsentationi.

Animæ diuersio ad quæstionis decisionem valdè necessaria.

§. II.

79. VT quæstio hæc radicitus decidatur, notandum est, duo esse specierum intelligibilium genera: aliud earum, quæ nulla præcedenti cognitione intellectus respectu obiecti repræsentati per illas, sed per abstractionem intellectus agentis producuntur; aliud verò illarum, quæ fiunt post intellectionem obiecti repræsentati per eas, & ex intellectione ipsa facta per illam speciem per se primo repræsentantem aliud obiectum relinquuntur, vt statim explicabimus.

Esse autem hæc duo genera specierum danda, satis consonum est doctrinæ Diui Thomæ. Et quidem quo ad priores species constabit ex his, quæ propriori assertione dicemus: quodqua non solum apud Diuum Thomam & eius discipulos, sed etiam apud omnes ferè Philosophos, & Theologos communiter recipitur: quod ad species posterioris generis id docuit idem S. Doct. opusc. 43. & 1. part. quæst. 78. art. 4. nec non quæst. 12. artic. 9. ad 2. his verbis: *Dicendum quòd aliqua potentia cognoscitiua sunt quæ ex speciebus primò conceptis alias formare possunt sicut imaginatio ex præconceptis speciebus montis & auri format speciem montis aurei, & intellectus ex præconceptis speciebus generis & differentiæ format rationem speciei, & similiter ex similitudine imaginis formare possumus in nobis similitudinem eius, cuius est imago: & sic Paulus, vel quicumque alius videns Deum, ex ipsa visione essentiæ diuinæ potest formare in se similitudines rerum, quæ in essentia Diuina videntur; quæ remanserunt in Paulo etiam postquam desiit Dei essentiam videre.*

80. Potest que huius reddi sufficiens ratio ab eodem D. Thom. insinuata: nam experimur quod postquam per speciem alicuius accidentis materialis cognouimus arguitiuè, & per discursum Angelum, possumus transacto aliquo tempore recordari illius absque eo quod ibidem interueniat aliquis discursus, aut cognitio illius accidentis materialis, per cuius speciem arguitiuè deuenimus in cognitionem eiusdem Angeli: hoc autem satis indicat recordationem illam non fieri per speciem talis accidentis, sed per aliquam aliam relictam ex precedenti discursu: siquidem per speciem prædicti accidentis nequit Angelus cognosci, nisi fiat discursus, & accidens illud tunc priùs cognoscatur.

Statuitur prior assertio.

§. III.

81. HOc ergo supposito, dicendum est primò species intelligibiles, quæ fiunt nulla præcedente intellectione obiecti repræsentati per illas, atque adeò per abstractionem, & virtutem intellectus agentis, non repræsentare formaliter, & directè singularia materialia, sed solam naturam, & quidditatem materialem abstractam à conditionibus indiuiduantibus. Ita Aristotel. 1. Physic. text. 20. vbi inquit. *Quòd intellectus est vniuersalium, sensus verò singularium.* Si autem species, quæ fiunt virtute intellectus agentis repræsentarent formaliter, & directè singularia materialia, sicut repræsentant naturas vniuersales, non esset cur intellectus non esset singularium, sicut sensus, siquidem eius obiectum directè ab eo cognitum posset esse prædictum singulare. Et 3. de Anima text. 11. vbi asserit, quod intellectus intelligit vniuersale directè, singulare verò reflexè, & quod singulare cognoscitur per sensum, & per intellectum, sed per sensum directè, per intellectum verò reflexè. Quod etiam docet Diuus Thomas ibidem lectione octaua. Constat autè, quòd si species factæ virtute intellectus agentis repræsentarent directè singularia materialia, quod ipsa directè cognoscerentur.

82. Idem etiam docet Diu. Thomas in 4. dist. 50. quæst. 1. artic. 3. & quæst. de Anima artic. 20. quodlibet 11. art. 12. 2. contra Gent. cap. 100. 1. part. quæst. 86. artic. 1. & quæst. 58. art. 1. ad tertium, his verbis: *Virtute intellectus agentis resultat quadam similitudo in intellectu possibili ex conuersione intellectus agentis supra phantasmata, quæ quidem est repræsentatiua eorum, quorum sunt phantasmata solùm quantum ad naturam speciei: & per hunc modum dicitur abstrahi species intelligibilis à phantasmatibus, non quod aliqua eadem numero forma, quæ prius fit in phantasmatibus, postmodum fiat in intellectu possibili, ad modum quo corpus accipitur ab vno loco, & transfertur ad alterum.*

Vnde tam Aristotelem, quàm Diu. Thom. sequuntur Caietanus loco citato ex 1. part. Ferrar. 2. contra Gent. cap. 100. Capreol. in 1. dist. 35. quæst. 2. art. in solutione ad argumenta contra quartam conclusionem. Henric. quodlibet. 4. quæst. 21. Ægidius in tract. de cognitione Angelorum, quæst. 9. Bañes 1. part. quæst. 80. artic. 1. Gonçalez 1. part. disput. 51. Fonseca 1. lib. Metaphysic. cap. 2. sect. 5. quæstio 3. Conimbricens. in hoc lib. capit. 5. quæst. 4. & communiter omnes Iuniores Thomistæ, pluresque alij.

83. Probatur ratione desumpta ex Angelico Doctore quæst. 85. art. citat. quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam species intelligibiles, quæ fiunt virtute intellectus agentis producuntur ab illo per abstractionem à phantasmatibus, vt communiter docent omnes Philosophi, & Theologi: ergo prædictæ species nequeunt repræsentare formaliter, & directè singularia materialia, sed naturam vniuersalem abstra-

ctam à conditionibus materialibus, & indiuiduantibus. Patet consequentia, quoniam fieri speciem per abstractionem à phantasmatibus nihil est aliud, quam quod de phantasmatibus aliquid assumatur, & aliquid relinquatur, seu quod idem est, quod aliquid eorum in specie intelligibili eluceat, & aliquid non reluceat: ex eo quod abstrahere nihil est aliud, iuxta communem omnium sententiam, nisi aliquid assumere, & aliquid relinquere: at de phantasmate non assumitur, seu elucet in specie intelligibili sola singularitas materialis: Tum quia id ex se constat: Tum etiam quia proprium est intellectus, vt distinguitur à sensu, attingere essentias, & quidditates rerum materialium, atque adeò proprium erit specierum intelligibilium, quòd illas repræsentent: ergo quod inde assumetur, seu quod ex phantasmate relucebit in specie intelligibili, erit natura ipsa materialis, non relucente formaliter, neque assumpta eodem modo singularitate illius.

Euasio aduersariorum & prior præclusio illius.

§. IV.

84. OCcurrunt Suarez, & alij concedendo antecedens, & negando consequentiam: quia licet species intelligibiles fiant per abstractionem à phantasmatibus, ac proinde aliquid ex illis, modo insinuato, sit assumendum, & aliquid relinquendum: non tamen ideo debet assumi natura absque conditionibus indiuiduantibus: quia superest aliquid aliud, quod relinquatur, scilicet entitas materialis eiusdem phantasmatis assumpta natura, & singularitate, quæ in prædicto phantasmate repræsentantur.

Cæterum, hæc solutio vim rationis Angelici Doctoris non eneruat, quia vel species intelligibilis nequit fieri per abstractionem à phantasmatibus, vel hæc abstractio debet esse in esse repræsentatiuo ita vt aliquid illius, scilicet natura repræsentata in specie intelligibili eluceat, & aliquid illius, nimirum conditiones indiuiduantes formaliter ibidem non eluceant, seu repræsententur.

85. Hoc autem duplici via potest ostendi. Prima quidem desumitur ex D. Thoma loco citato, & à nobis disput. 16. num. 15. & disput. 17. num. 27. & sequentibus tacta est. Nam species abstractæ à phantasmatibus sunt omnino connaturales intellectui pro hoc statu, & ita versantur circa obiectum omnino connaturale, & per se primum illius: ergo debent in esse repræsentatiuo abstrahere, ita vt repræsentent naturam sine conditionibus indiuiduantibus. Antecedens ex se, & ex communi Doctorum consensu patet. Consequentia verò etiam liquet, quoniam potentia, & obiectum omninò connaturale, & per se primum debent conuenire in eodem immaterialitatis gradu: Tum, quia id constat ex dictis loco citato: Tum etiam, quia ex his, quæ latius nostri Salmaticenses tomo iam dicto tit. de visione Dei, disput. 2. expendunt, amplius constabit: ergo cum intellectus sit potentia quodammodo existens in materia, & quodammodo non sit in illa, oportet vt eius obiectum omnino connaturale sit quodammodo in materia, quatenus re vera est quidditas, materialis, & quodammodo non sit in illa, quatenus non est eadem quidditas, vt est in materia singulari, sed vt est abstracta ab illa, vt ibidem explicuimus: ergo etiam oportebit, vt species abstractæ à phantasmatibus, quæ sunt omnino connaturales intellectui, & versantur circa obiectum omnino connaturale, & per se primum illius, repræsentent prædictum obiectum abstractum in esse repræsentatiuo à conditionibus materialibus.

Posterior, & fundamentalis impugnatio euasionis aduersariorum.

§. V.

86. SEcunda verò via est etiam deprompta ex eodem Angelico Doctore locis citatis. Sed vt melius intelligatur & via rationis eiusdem Diui Thomæ magis appareat, aliqua breuiter præsupponenda sunt. Primum est, intellectum agentem vna cum phantasmate concurrere ad productionem speciei intelligibilis: ille quidem per modum causæ principalis; hoc verò per modum causæ instrumentalis vt disput. 20. quæst. 2. ostendemus. Secundum est instrumentum habere actionem præuiam ad actionem principalis agentis, & in ordine ad hanc concurrere per modum causæ principalis, vt in lib. Physic. disp. 12. à n. 39. vsque ad 52. diximus.

Tertium est, hanc actionem præuiam aliquando esse realiter distinctam ab actione principalis agentis, & in distincto realiter subiecto inhærere, ac tandem distinctum realiter terminum producere; vt in actione præuia aquæ Baptismi cernere licet, vbi prædicta actio subiectatur in corpore pueri abluti, & ibi habet suum effectum realiter distinctum ab effectu, & actione principalis agentis, quæ est productio gratiæ in anima: aliquando verò talis actio non distinguitur realiter ab actione principalis agentis, sed formaliter: nec habet terminum, aut subiectum realiter distinctum, vt in scissione, & artificiosa scissione, ad quam serra eleuatur, constat. Ex loco nuper citato diximus.

87. Quartum est: quòd licet valdè probabile sit hanc actionem præuiam ad actionem principalem intellectus agentis esse realiter distinctam ab illa, & habere diuersum realiter subiectum, & terminum, ex eo quod vt in lib. Physic. disput. citata num. 55. probauimus, non assumitur, vt instrumentum solum phantasma, sed phantasia ipsa actu phantasians, & producens phantasma; & quoties assumitur, vt instrumentum aliqua actio, vel aliquid includens actionem, non est necessaria alia actio præuia distincta ab actione illa: quæ vt instrumentum assumitur, nihilominus non minus probabile est, quoad productionem speciei intelligibilis non assumitur per se, & formalissimè loquendo, nisi solum phantasma: ac proinde phantasma esse de his instrumentis, quæ non habent actionem præuiam, aut terminum ei correspondentem distinctum realiter ab actione, & termino principalis agentis: quæque in alio subiecto, & passo recipiantur, sed eius actionem præuiam, & terminum illius identificari cum actione, & termino principalis operantis, scilicet intellectus agentis, ac tandem in eodem passo, nimirum intellectu possibili.

88. Tum, quia in hoc valdè inclinat Diuus Thomas de veritate, quæst. 10. artic. 6. ad 7. Tum etiam, quia sicut actio principalis, & præuia serræ in ordine ad actionem artificis est scindere, quia ratio agendi, quæ in illa præsupponitur ad motionem principalis agentis est proportionata in ordine ad talem scissionem, ita actio principalis, & præuia correspondens phantasmati erit productio speciei intelligibilis, non quatenus spiritualis, sed pro vt modo statim explicando repræsentatiua est, quia hæc actio est proportionata virtuti agendi ipsius præsuppositæ ad motionem principalis agentis, scilicet virtuti repræsentatiuæ prædicti phantasmatis. Quapropter quemadmodum assumitur ad artificiosè scindendum

dendum sensu, non verò aliquid aliud non habens virtutem scissiuam, & inde colligimus scissionem esse actionem principalem & præuiam illius: sic etiam assumitur ad productionem speciei intelligibilis phantasma, & non aliquid aliud, quia prædictum phantasma habet esse repræsentatiuum. Et per consequens inde etiam colligemus actionem correspondentem huic esse repræsentatiuo: scilicet productionem speciei, vt repræsentatiua est (modo statim dicendo) non verò productionem eiusdem vt habet esse spiritualem, esse propriam actionem illius.

89. Ex quo etiam fit, phantasma concurrere instrumentaliter, & in virtute intellectus agentis ad omnem spiritualitatem, vt talem, speciei intelligibilis: quia hoc esse excedit eius virtutem, & ad illud producendum eleuatur ab intellectu agente: at verò ad esse repræsentatiuum illius, quatenus tale cum præcisione, & formaliter modo explicando sumptum influere per suam actionem præuiam, & per modum causæ principalis.

90. Hinc ergo sequens impugnatio ex Angelico Doctore locis citatis desumpta deducitur. Nam ratio agendi per quam phantasma producit suam actionem principalem, & præuiam ad actionem principalis operantis, scilicet intellectus agentis, est esse repræsentatiuum eiusdem phantasmatis: non quidem qualitercumque sumptum, id est, quatenus repræsentat naturam materialem, vt singularizatam; sed secundum, quod repræsentat eamdem naturam, prout quatenus est ex se præscindit à singularitate: licet aliàs ibidem sit, & repræsententur coniuncta cum eadem singularitate: ergo esse repræsentatiuum, quod de phantasmate in specie assumetur, seu in illo elucebit, tantum erit esse repræsentatiuum naturæ: non verò esse repræsentatiuum singularitatis materialis: ergo si talis species debet produci virtute intellectus agendi, & phantasmatis; vt ex primo præsupposito constat, ac proinde per abstractionem à phantasmatibus elicienda est, tunc talis abstractio non solum erit per hoc, quod tantummodo relinquatur esse entitatiuum, & materiale phantasmatis, sed per hoc quod relinquatur prædictum esse, & simul cum illo esse formaliter repræsentatiuum singularitatis materialis, & solum assumatur, seu producatur, & eluceat in specie intelligibili esse repræsentatiuum naturæ præcisè sumptæ, non elucente ac formaliter repræsentata singularitate materiali ipsius.

91. Antecedens quoad priorem partem, scilicet phantasma habere actionem præuiam, & ab eo, vt à causa principali oriam, virtutemque agendi respectu illius conuenire ei ratione esse repræsentatiui quod habet, constat ex his, quæ in præsuppositis nuper adductis diximus. Quoad secundam verò partem, nimirum, quod hæc ratio agendi principalis non sit esse repræsentatiuum qualitercumque, sed quatenus repræsentat naturam materialem, prout quantum est ex se, præscindit à singularitate, apertè deducitur ex quarto præsupposito; quoniam esse repræsentatiuum materiale materialiter sumptum, seu natura materialis ibidem repræsentata, & materiali modo accepta, non potest esse ratio principalis agendi in rem spiritualem, qualis est intellectus possibilis, ex eo quod inter causam principalem, & passum debet esse debita proportio in ratione agentis, & passi, quæ tamen vt constat, non est inter rationem agendi corpoream materiali modo sumptam, & passum purè spiritualem: ergo prædictum obiectum, seu natura materialis ibidem repræsentata debet esse ratio agendi principalis, non quidem materialiter, sed immateriali modo sumpta, id est prout quantum est ex se præscindit à singularitate, & conditionibus indiuiduantibus materialibus, secundùm quam rationem, quodammodo habet modum essendi immaterialem, & non parum assimilatur modo essendi immateriali intellectus: quatenus sicut intellectus quodammodo est in materia, & quodammodo non est in illa, vt disput. 16. num. 15. explicuimus, ita etiam prædicta quidditas materialis, vt est sub modo essendi repræsentatiuo phantasmatis quodammodo est materialis, & quodammodo (non ita perfectè sicut intellectus) præscindit à materialitate, prout quantum est ex se præscindit à conditionibus materialibus, quamuis re ipsa per tale phantasma repræsentetur inuoluta cum illis.

92. Ex quo etiam prima consequentia ex qua secunda sponte sequitur, satis liquet: quoniam si ratio principalis agendi prædictam actionem, & præuiam, est esse repræsentatiuum phantasmatis, seu natura materialis repræsentata in illo, prout quantum est ex se præscindit à singularitate materiali, consequens est, vt prædicta singularitas in eo repræsentata perinde se habeat in ordine ad illam actionem, quoad hoc quod est assimilare sibi effectum, ac si non esset ibi repræsentata: ergo id, quod in specie intelligibili per abstractionem assumitur de phantasmate, in eaque elucet, tantum erit quidditas materialis sine conditionibus materialibus, & indiuiduantibus.

Patet consequentia, quoniam speciem intelligibilem esse repræsentatiuam prædictæ singularitatis, nec potest prouenire tamquam à ratione agendi ab ipso phantasmate, vt ex modò dictis constat, neque ab intellectu agente, quippe qui nec repræsentat quidditates, aut singularitates rerum materialium, nec eas continet, nec habet modum essendi materialem, sed potius immaterialem, & eleuatum, sicut intellectus possibilis: ac proinde quemadmodum ratione istius eleuationis est partim in materia, & partim non est in illa, vt de intellectu possibili dicebamus: ita potius est ratio producendi species repræsentatiuas quidditatum materialium, quatenus etiam quodammodo non sunt in materia: id est sunt abstractæ à conditionibus indiuiduantibus.

Obiectiones contra hanc posteriorem impugnationem, & solutio earum.

§. VI.

93. Nec refert si obiicias, quod phantasma habet esse entitatiuum materiale: & similiter esse repræsentatiuum illius est etiam materiale: ergo nequibit esse ratio agendi quatenus repræsentat naturam: & quantum est ex se prædicta natura præscindit à singularitate, sed quatenus dicit etiam eandem singularitatem, cum quia ibidem est inuoluta. Consequentia videtur legitima: quoniam res materialis non potest, nisi hoc modo esse ratio agendi.

94. Respondetur enim negando consequentiam, si prædictum esse repræsentatiuum, & obiectum in illa repræsentatum, quod quantum est ex se præscindit à singularitate, connotet, quod eleuetur, & confortetur ab alio superiori agente in ordine ad producendum esse entitatiuum, & quidquid spirituale est in specie intelligibili, & ita potest producere ex propriis meritis, connotando tamen prædictam eleuationem, esse repræsentatiuum iam explicatum speciei intelligibilis, & vt eleuatum attingere spiritualitatem illius, tam in esse entitatiuo, quàm in esse speciei formaliter sumptæ, vt infrà magis explicabimus. Vnde prædicta eleuatio concurrit per modum connotati, & causæ explicantis virtutem illam,

quam

quam ex habet phantasma, quatenus ex se præscindit à singularitate, & simul influit per modum rationis agendi, & virtutis eleuantis illud in ordine ad productionem spiritualitatis, repertæ in specie intelligibili.

Nec oppositum huius conuincit probatio ibidem adducta: quoniam licet res materiales, quæ non sunt radicatæ in substantia spirituali, nec ipsi ad suam operationem deseruiunt, nequeant esse ratio agendi, nisi materiali modo, atque adeo nisi inuoluendo singularitatem materialem in eis repræsentatam, secus tamen illæ, quæ magis accedunt ad rationem substantiæ spiritualis, & habent quoddam confinium cum illa, sunt que in eadem radicatæ, vt in præsenti contingit.

Nec etiam refert, si secundò obiicias, quod phantasma secundùm quod præscindit, quantum est ex se, non verò absolutè, & simpliciter à singularitate, est inferioris conditionis, & minoris immaterialitatis, ac intellectus, qui est purè spiritualis: ergo non poterit per modum causæ principalis agere in illum. Patet consequentia, quoniam propter hanc rationem non potest secundum quod inuoluit singularitatem materialem tanquam aliquid repræsentatum agere in eundem intellectum.

95 Respondetur enim, concedendo antecedens, & distinguendo consequens, & si intelligatur de agente principali quod catenùs agit principaliter, quatenùs hoc est necessarium, adhoc vt habeat actionem præuiam: & ita sit aptum adhoc vt assumatur per modum instrumenti in ordine ad aliam altiorem actionem alterius principalis agentis, vt in præsenti contingit, neganda est consequentia: si verò intelligatur de agente principali quod non agit principaliter per modum instrumenti habentis necessariò actionem principalem, & præuiam ad actionem alterius principalioris agentis, concedenda est consequentia.

Et ratio disparitatis est aperta: quoniam sicut esse agens principale prioris rationis non tollit ab illo, quod simul habeat rationem instrumenti, & quod hoc sit formalissimum in illo, ita nec aufert, quod habeat modum essendi aliquantulum inferioris conditionis, ac passum, circa quod agit: quamuis quia simul agit principaliter in illo, debeat valde accedere ad eius immaterialitatem. At esse agens principale posterioris rationis, omnino aufert quod simul sit instrumentum, & propterea petit in illo esse eiusdem immaterialitatis cum passo, seu non excedi ab illo, ita vt vnum scilicet agens sit materiale, & aliud nimirum passum sit spirituale.

Quare, cum phantasma agat in intellectu per modum causæ principalis prioris rationis, inde est, quod non obstet, sit ratio agendi, secundùm quod, quantum est de se præscindit à singularitate, non verò secundùm quod absolutè, & simpliciter abstrahit ab illa: quandoquidem id, quod maximè accedit ad immaterialitatem requisitam ex parte obiecti motiui intellectus pro hoc statu, scilicet ad quidditatem materialem abstractam absolutè, & simpliciter à singularitate materiali est, quod sit ratio agendi quatenus secundum quod est de se præscindit à prædicta singularitate.

96. Nec etiam obest, si tertiò obiicias, quod phantasma esse rationem agendi, pro vt quantum est de se, præscindi à singularitate materiali, licet re ipsa sit inuolutum cum illa, tantum conuincit, quod producat in specie intelligibili esse repræsentatiuum quidditatis materialis, quæ quantum est ex se præscindit à singularitate: re tamen ipsa sit inuoluta cum illa, quandoquidem hanc immaterialitatem, & non maiorem petit proportio, quæ debet esse inter illam rationem agendi, quæ est in phantasmate, & suum effectum.

Maximè, quia phantasma pro vt quantum est de se præscindit à singularitate, nequit producere speciem intelligibilem abstrahentem in esse repræsentatiuo absolutè, & simpliciter à singularitate: ergo necesse est, vt producat illam, vt repræsentantem naturam, quantum est de se repræscindentem à singularitate: re tamen ipsa inuolutam cum illa. Consequentia ea se, & ex statim in solutione huius obiectionis dicendis constabit. Antecedens verò etiam liquet quoniam aliàs prædictum phantasma non posset non propria virtute attingere spiritualem, quam species intelligibilis in ratione speciei importat. Nam sicut potentia, quæ potest attingere rationes vniuersales, debet in ratione potentiæ esse spiritualis, & quod eam secundum istam rationem producit, debet eius spiritualitatem attingere, ita species intentionalis, quæ naturas vniuersales, ac proinde abstractas à conditionibus indiuiduantibus repræsentat, non potest non in ratione speciei esse purè spiritualis: & qui illam secundùm hanc rationem propria virtute produxerit, non poterit non eodem modo eius spiritualitatem attingere.

97. Respondetur enim, negando antecedens: quia vt supra dicebamus, quod phantasma sit ratio agendi secundum quod repræsentat naturam, prout quantum est de se præscindit à singularitate, importat; quòd singularitas naturæ repræsentatæ omnino materialiter se habeat in ordine ad hanc rationem agendi: ac proinde in ordine ad illam perinde se habeat ac si non esset ibidem: & ita non debet splendere in effectu, siquidem id, quod omnino materialiter se habet ad rationem agendi, non debet splendere in effectu producto, vt inductiuè constat.

Nec inde fit (vt sic ad id, quod in hac eadem obiectione additur, fiat satis) quod phantasma propria virtute attingat speciem intelligibilem, quatenus repræsentat naturam absolutè, & simpliciter abstractam à conditionibus indiuiduantibus: ac proinde secundùm immaterialitatem, quam in ratione speciei formaliter sumptæ importat, sed propria virtute solum attingit illam, quatenus in esse repræsentatiuo præscindit quantum est de se à singularitate: & est capax, adhoc, vt virtute intellectus agentis, & eiusdem phantasmatis, vt eleuari per illum habeat repræsentare eamdem naturam, vt absolutè, & simpliciter abstractam à conditionibus indiuiduantibus. Quæ solutio desumitur ex D. Thom. de veritate, qu. 10. art. 6. ad 7. cuius verba infra disputatione 20. num. 3. adducemus.

98. Huius autem solutionis ratio est aperta. Nam phantasma non potest non absolutè, & simpliciter loquendo producere speciem intelligibilem, vel coniunctam cum singularitate in esse repræsentatiuo, vel abstrahentem simpliciter ab ea: quia prædicta species non potest non, absolutè loquendo habere vnum ex his duobus modis repræsentandi. Cumque prædictum phantasma ratione perfectionis modi operandi aliquantulum immaterialis, quem ex se habet, nequeat producere speciem intelligibilem repræsentatiuam singularitatis materialis, ex nuper dictis constat, nec possit prædictum phantasma propria virtute producere eandem speciem, vt absolutè, & simpliciter abstrahit à conditionibus materialibus. Tum propter ea, quæ in hac obiectione dicuntur: Tum quia adhoc desiderabatur, vt phantasma non solùm repræsentaret naturam, vt quantum est ex se præscindit à singularitate, sed vt absolutè, & simpliciter abstractam ab illa: propterea petit eleuari ab intellectu agente ad hoc, vt licet quantum est ex

se,

se, non attingat speciem intelligibilem in esse repræsentatiuo sumptam nisi secundùm quod repræsentat naturam, pro vt quantum ex se præscindentem à singularitate: attamen vt eleuatum producat illam quatenus absolutè, & simpliciter abstrahit à singularitatè: atque adeò ex propriis meritis attingit eam secundùm quod est capax, ad hinc; vt virtute intellectus agentis accipiat maiorem illam immaterialitatem abstrahentem simpliciter à conditionibus immaterialibus, quam ex vi influxus phantasmatis non poterat habere.

Proponitur secunda assertio.

§. VII.

99. Dicendum est secundò, species intelligibiles relictas ex præcedenti intellectione, per quam arguitiuè, & indirectè cognoscitur singulare materiale, posse formaliter, & quoddammodo directè esse repræsentatiuas illius. Ita D. Thomas & Doctores à nobis supra relati. Explicatur assertio. Dicimus enim hanc repræsentationem respectu singularis materialis esse quodammodo; non verò simpliciter; absolutè directam, quoniam repræsentatio directa, & absolutè; & simpliciter talis non præsupponit cognitionem indirectam illius obiecti, quod per illam repræsentatur: nam eo ipso, habet ex hac parte aliquid indirectæ repræsentationis, quatenùs dicit ordinem ad prædictam cognitionem, quæ est indirecta, & saltem aliquo modo reflexa, vt disp. 21. quæst. 6. dicemus, dum explicuerimus, quomodo singulare materiale cognoscitur in prima sui cognitione ab intellectu.

Assertio ergo sic explicata apertè deducitur ex dictis in animaduersione huius quæstionis, à nobis adducta. Nam si per cognitionem illam indirectam, & reflexam, per quam, mediante specie intelligibili naturæ communis, determinatam tamen per phantasma modo disputatione, & quæstione citatis explicando producitur species inteligibilis repræsentans id ipsum, quod per cognitionem præcedentem intelligebatur, & per speciem expressam, siue verbum repræsentabatur, non est cur semel per intellectum mediãte illa specie intelligibili cognito singulari materiali non relinquatur inde noua species intelligibilis; quæ illud formaliter, & quodammodò directè repræsentet.

100. Tandem probatur assertio, reddendo disparitatem inter speciem intelligibilem, de qua in præsenti, & eam de qua in assertione præcedenti: desumiturque hæc disparitas ex his quæ tangit D. Thom. art. citato ex quæst. 85. Quoniam species intelligibilis, de qua in hac assertione potest commensurari cum obiecto materiali, aut secundario intellectus: nam cùm relinquatur ex præcedenti intellectione, & hæc possit versari circa obiectum; siue materiale, siue secundarium tanquam circa obiectum cognitum, *vt quod*; fit indè, vt etiam prædicta species intelligibilis possit repræsentare prædictum singulare, quamuis si obiectum materiale, aut secundarium intellectus.

Cæterùm; species intelligibiles, quæ fiunt virtute intellectus agentis, commensurantur cum obiecto primario, & connaturali intellectus, & ipsum tantummodò formaliter, & directè repræsentant: Tum propter dicta: Tum etiam, quia sicut per se primò respiciuntur ab intellectu tanquam primæ formæ in ordine intelligibili, quibus potest actuari; ita respiciunt obiectum per se primum, & connaturale, quod ab intellectu respicitur; cumque obiectum hoc tantùm sit quidditas materialis abstracta à conditionibus indiuiduantibus, vt disp. 16. num. 6. & disp. 17. num. 27. ostendimus; consequens est, vt prædictæ species hanc debeant formaliter, & directè repræsentare.

Fit obuiam argumentis primæ sententiæ.

§. VIII.

101. Ad primum negandum est antecedens: & ad probationem constat ex dictis pro prima assertione, ex quonam capite repugnet species intelligibilis facta virtute intellectus agentis, & phantasmatis: seu producta per abstrationem à phantasmatibus, quæ formaliter, & directè repræsentet singularia materialia. Nec obest id, quod ibidem adducitur de specie expressa prædicti singularis; nam hæc commensuratur cum cognitione illius indirecta, & hæc satis est ad illius productionem: modo tamen infrà disput. 20. quæst. 6. dicendo. Vnde sicut intellectus semel informatus specie intelligibili repræsentante naturam absque conditionibus indiuiduantibus potest indirectè extendi ad cognoscenda singularia materialia: ita valet mediante illa intellectione, produci verbum repræsentans prædictum singulare, quamuis nequeat dari species intelligibilis (de qua in priori assertione) repræsentans formaliter, & directè, nisi solam naturam abstractam à conditionibus indiuiduantibus.

102. Ad secundum, concesso antecedenti, neganda est consequentia. Et ad probationem patet ex dictis, quomodo inter se comparentur intellectus agens, & phantasma in ordine ad productionem speciei intelligibilis, & qua ratione debeat prædicta species sequi conditionem phantasmatis, quo ad esse repræsentatiuum; nam cùm ratio agendi phantasmatis in esse repræsentatiuo, sit natura ipsa materialis, vt est ibidem sub esse repræsentatiuo, non qualitercunque, sed vt quantum est ex se præscindit à singularitet: fit inde, vt satis sit speciem intelligibilem sequi conditionem phantasmatis, quatenus repræsentat naturam modo iam dicto abstractam à conditionibus indiuiduantibus.

103. Ad tertium dicendum est, rectè concludi, ex eo quod intellectus sit potentia superior, posse recipere species repræsentatiuas formaliter singularis materialis, & relictas ex præcedenti intellectione; non tamen posse habere species repræsentatiuas formaliter, & directè eiusdem singularis, quæque fiant per abstractionem à phantasmatibus: nam intellectum pati à phantasmatibus, & non pati immateriali modo, scilicet per immutationem ab illo, pro vt quantum est ex se præscindit à singularitate, dicit magnam imperfectionem, pugnantem cum pura spiritualitate eiusdem intellectus, cum tamen ad hoc, vt haberet prædictas species immediatè productas ab intellectu agente, deberet pati à phantasmatibus, non immateriali, sed materiali modo, vt ex dictis pro priori assertione constat.

Cæterùm, recipere species intelligibiles repræsentatiuas formaliter singularis materialis, quæ ex præcedenti intellectione reliquantur, non dicit imperfectionem pugnantem cum quantitate perfectionis, quam idem intellectus habet, vt ex dictis pro secunda assertione satis liquet. Quarè cùm potentiæ superiores habentes id, quod inferiores debeant habere illud seclusis imperfectionibus pugnantibus cum maxima earum perfectione, fit indè, non debere intellectum ratione huius eminentiæ recipere species abstractas à phantasmatibus, quæ forma-

liter, & directè repræsentent prædicta singularia, quamuis sensua habeant species formaliter, & directè repræsentatiuas eorum.

104. Ad quartum negandum est antecedens, si intelligatur de cognitione per se, & directa absolutè, & simpliciter tali, ac proindè non præsupponente aliam cognitionem. Et ad probationem dicendum est, hanc cognitionem directam denegari intellectui propter excessum perfectionis, quod excedit sensum, & defectum perfectionis ratione cuius est inferior Angelo; nam ex quo capite est inferior illo, nequit habere species spirituales, quæ sint per se infusæ, & adeò eminentes, vt vis intellectus agentis, & phantasmatis nequeat illas producere. Constat autem ex dictis has species, & non alias posse deseruire cognitioni absolutè, & simpliciter directæ, per quam singulare materiale attingatur. At ex quo capite idem intellectus est perfectior sensu, debet recipere species spirituales, & per abstractionem à phantasmatibus: ita vt sint primæ formæ intelligibiles, quas suscipit, & consequenter nequit per cognitionem directam absolutè, & simpliciter talem, percipere prædicta singularia; ex eo quod prædictæ species nequeunt repræsentare formaliter & directè, nisi solam naturam abstractam à conditionibus indiuiduantibus: & ita non possunt per primam cognitionem, mediis illis habitam, cognosci eadem singularia: sed solum per aliam cognitionem indirectam & reflexam, vt ex his, quæ disp. 20. quæst. 6. dicemus, amplius patebit.

Ad vltimum patet ex his, quæ in eadem disputat. 20. numer. 114. adducemus.

DISPVTATIO XIX.

De vnitate intellectus possibilis.

1. SEMEL explicata natura intellectus possibilis, quæ ex eius obiecto petitur, nec non pluribus aliis ad species intelligibiles, quæ ex parte obiecti se tenent spectantibus; restat, vt discutiamus, an nimirum vnicus vel multiplex sit; nam post quæstionem quid est, congruè ad quæstionem quotuplex sit res, acceditur.

QVÆSTIO PRIMA.

AN IN PARTE INTELLECTIVA SIT MEMORIA, ET AN hæc realiter distinguantur ab intellectu possibili.

DVo inquirit titulus: primum quidem an est memoriæ intellectiuæ, secundum verò distinctionem realem illius ab intellectu possibili: & propterea quæstionem hanc, vt clariùs, & distinctiùs procedamus, in duas partes diuidemus. In quarum prima de priori: in secunda verò de posteriori agetur.

Decissio Quæstionis quo ad priorem partem.

§. I.

2. DIcendum est primò; si memoria sumatur pro potentia spirituali habente: tum virtutem conseruatiuam specierum intelligibilium, tum etiam vim ad attingendum obiectum intelligibile, vt antea cognitum; reuera in parte intellectiua dandam esse memoriam.

Assertio hæc quoad priorem eius partem, sc. in parte intellectiua dari virtutem conseruatiuam specierum intelligibilium, atque adeò memoriam sumptam pro hac virtute conseruatiua, est contra Auicenam relatum à D.Th. locis statim dicendis; eam verò docuit Aristot. 3. de Anima text. 8. vbi loquens de intellectu possibili, sic inquit: *Cum autem sic singula fiat, vt sciens, dicitur intellectus, qui secundum actum, hoc autem confestim accidit, cum possit operari per se ipsum. Est igitur, & tunc potentia quodammodo, non tamen similiter, atque ante addiscere, aut inuenire.*

2. Quæ verba explicat D. Thom. ibidem lect. 8. *Ostendit igitur quomodo intellectus in actum reducatur dicens, cum autem sic fiat singula, idest, sic reducatur in actum specierum intelligibilium, quemadmodum sciens, idest habens scientiæ habitum, habet species in actu: & tunc dicitur intellectus qui est secundum actum; sed licet tunc intellectus quodammodo sit in actu quando habet species intelligibiles, sicut sciens habet habitum, est tamen & tunc quodammodo in potentia, non tamen eodem modo sicut prius erat in potentia, &c.*

Manifestum autem ex hoc, quod hic dicitur, falsam esse opinionem Auicenæ, quam habet de speciebus intelligibilibus contra opinionem Aristotelis. Ponit enim Auicena, quod species non conseruatur in intellectu possibili, nec sunt in eo nisi quando actu intelligit. Contra quod manifestè hic Philosophus dicit, quod intellectus reducitur in actum specierum, per modum, quo sciens actu, adhuc est in potentia intelligens. Cum enim intellectus actu intelligit, species intelligibiles sunt in eo secundum actum perfectum. Cum autem habet habitum scientiæ, sunt species in ipso intellectu medio modo inter potentiam puram, & actum purum.

Vndè idem S. Doctor ad hoc ipsum ostendum adducit hoc idem testimonium Aristotelis 1. quæst. 97. art. 6. & ita concludit: *Sic igitur si memoria accipiatur solùm pro vi conseruatiua specierum, oportet dicere memoriam esse in intellectiua parte.* Eandem etiam sententiam tuentur omnes Doctores, qui species intelligibiles in ordine, ad intellectionem eliciendam petunt, quos supra disp. 18. q. 1. retulimus.

3. Rationem autem huius assertioois quo ad hanc priorem partem adduxit idem S. Doctor loco nuper citat. ex 1. part. quæst. potest ad hanc formam reduci. Quoniam necesse est, vt species intelligibiles receptæ in intellectu possibili saltem per aliquod tempus, ibidem conseruentur: ergo sumpta memoria pro vi conseruatiua prædictarum specierum non poterit non dari in parte intellectiua.

Conse-

Consequentia est euidens: Antecedens autem probatur à Diuo Thoma loco relato ex 1. part. his verbis: *Quod enim recipitur in aliquo, recipitur in eo secundum modum recipientis: intellectus autem est magis stabilis natura, & immobilis, quàm materia corporalis: si ergo materia corporalis formas quas recipit non solùm tenet dum per eas agit in actu, sed etiam postquam agere cessauerit, multo fortius intellectus immobiliter, & inamissibiliter recipit species intelligibiles, siue à sensibilibus acceptas, siue etiam ab aliquo superiori intellectu effuxas.*

4. Secunda verò eiusdem assertionis pars, nimirum memoriam acceptam pro potentia attingente obiectum intelligibile, vt antea cognitum, dari in parte intellectiua, est etiam expressa D. Thom. art. 6. nuper relato in solut. ad 2. vbi eam docet, & probat his verbis: *Dicendum quod præteritio potest ad duo referri, scilicet ad obiectum, quod cognoscitur, & ad cognitionis actum, &c. ex parte verò actus præteritio per se accipi potest etiam in intellectu, sicut in sensu: quia intelligere animæ nostræ, est quidam particularis actus in hoc, vel in illo tempore existens secundum quod dicitur homo intelligere nunc, vel heri, vel cras: & ideo sicut intelligit se ipsum intellectus, ita intelligit suum intelligere, quod est singularis actus vel in præterito, vel in præsenti, vel in futuro existens. Sic igitur saluatur ratio memoriæ, quantum ad hoc est quod præteritorum in intellectu secundum quod intelligit se prius intellexisse.* Atque adeò secundùm quod intelligit obiectum illius intellectionis priùs etiam fuisse ab eo intellectum.

5. Dicendum est secundò, si ratio memoriæ sumatur pro potentia terminata ad obiectum, vt præteritum, nõ solùm in esse cognitiui, sed etiam in esse rei, tunc in parte intellectiua non est admittenda memoria, sed solum in sensitiua: ac proindè memoria propriè, & in rigore solùm est in parte sensitiua; non verò in parte intellectiua nisi tantum extenso vocabulo. Assertio hæc quo ad priorem eius partem asseritur ab Arist. de memoria, & reminis. cap. 1. vbi etiam D. Th. nec non art. 6. q. 76. nuper citato, his verbis: *Si verò de ratione memoriæ sit, quod eius obiectum sit præteritum, vt præteritum, memoria in parte intellectiua non erit, sed sensitiua tantum, quæ est apprehensiua particularium.* Quod etiam docet in solut. ad 2. vbi postquam dixit. *Quod præteritio potest ad duo referre, scilicet ad obiectum quod cognoscitur, & ad cognitionis actum* statim addidit. *Quæ quidem duo simul coniunguntur in parte sensitiua, quæ est apprehensiua alicuius, per hoc quod immutatur a præsenti sensibili. Vndè simul animal memoratur sepius sensisse in præterito, & se sensisse quoddam præteritum sensibile, sed quantum ad partem intellectiuam pertinet, præteritio accidit, & non per se conueniens ex parte obiecti intellectus: ex parte verò actus præteritio accipi potest etiam in intellectu sicut sensu: si igitur saluatur ratio memoriæ, quantum ad hoc quod est præteritorũ intellectus secundum quod intelligit se prius intellexisse, non autem secundum quod intelligit præteritum prout est hic, & nunc,* Item etiam tenet de veritate quæstione 10. art. 2. & alibi sæpè.

6. Deinde probatur ratione ex eodem S. Doct. desumpta. Quoniam obiectum, & actus partis sensitiuæ habent præterite, & esse præsentia, vel futura: & similiter actus intellectus, secus verò obiectum per se eiusdem intellectus: ergo in parte intellectiua non dabitur memoria, pro vt petit potentiam, cuius obiectum sit præteritum secundum se, & in esse rei, benè tamen vt terminatur ad actum intellectus præteritum, seu ad obiectum per se illius, vt habet esse præteritum in esse intellecti: & similiter in parte sensitiua dabitur memoria tam respectu sui obiecti, quàm cognitionis illius, vt habent esse præterita.

Vtraque consequentia ex antecedenti patet, quandoquidem ad memoriam requiritur præteritio: & ita iuxta modum, quo hæc fuerit in actu aut obiecto partis sensitiuæ, aut intellectiuæ, poterit, si cætera alia requisita adsint, vt in præsenti modo insinuato contingit, dari memoria. Antecedens autem probatur; quoniam præterire, sicut & esse præsens, vel futurum, solum conuenit rei singulari: ergo cum obiectum intellectus sit vniuersale abstrahens à singularitate; secùs verò obiectum sensus, actus vtriusque potentiæ, scilicet sensitiuæ; & intellectiuæ; consequens erit, vt illud ratione sui habeat esse præteritum, secus verò ista.

7. Secunda verò eiusdem assertionis pars est Aristotelis libri. de Memor. & reminiscen. vt refert Diuus Thomas quæstione 10. de verit. art. 2. vbi etiam idem docet S. Doctor in solut. ad primum ex his, quæ secundo loco obiicit. Nam cum sibi opposuisset testimonium Philosophi ex 3. de Anim. desumptum, scilicet, quod Anima est locus specierum, ac proindè cum loci sit conseruare ea, quæ in loco continentur, consequens erit, vt conseruet species, habeatque in se memoriam, quæ est specierum conseruatiua. Respondet: *Dicendum, quod ex authoritate illa haberi non potest, quod in intellectu sit memoria, nisi secundum modum quo est* (scilicèt secundùm quod conseruat species, & terminatur ad rem, vt ante intellectam) *non autem quod propriè.* Vndè sententiam hanc sequitur Bañes ibidem, & communiter Thomistæ.

8. Rationem autem huius assertionis quo ad hanc secundam partem (per quam etiam secunda pars præcedentis assertionis magis confirmatur) adduxit D. Thom. locis cit præcipuè verò art. 2. ex q. 10. de verit. his verbis: *Memoria secundùm communem vsum loquentium accipitur pro notitia præteritorum. Cognoscere autem præteritum vt præteritum est eius, cuius est cognoscere præsens, vt præsens, vel nunc, vt nunc: hoc autem est sensus. Sicut enim intellectus non cognoscit singulare, vt est hoc, sed secundum communem quandam rationem, vt in quantum est homo, vel albus vel etiam particulare non in quantum est hic homo, vel particulare hoc; ita etiam intellectus cognoscit præsens & præteritum, non in quantum est nunc, & hoc præteritum. Vnde cùm memoria secundùm propriam sui acceptionem respiciat ad id, quod est præteritum respectu huius nunc, constat, quòd memoria propriè loquendo non est in parte intellectiua, sed sensitiua tantum, vt Philosophus probat. Sed quia intellectus non solùm intelligit intelligibilia, sed etiam intelligit se intelligere tale intelligibile, ideò nomen memoriæ potest extendi ad notitiam, quæ & si non cognoscatur obiectũ, vt in præteritione modo prædicto, cognoscitur tamẽ obiectum de quo etiam prius est notitia habita in quantum aliquis scit se eam prius habuisse.*

Obiectiones contra dicta, & solutio earum.

§. II.

9. SEd obiicies primò contra priorem partem primæ assertionis testimonium Augustini 12. de Trinitat. c. 3, & 8. circa principium, vbi inquit; quod ad partem superiorem animæ pertinent, quæ non sunt hominibus pecoribusque communia, sed memoria est hominibus pecoribusque communis: dicit enim ibidem, quod possunt pecora sentire per corporis sensus corporalia, & ea mandare memoriæ: ergo memoria non pertinet ad partem animæ intellectiuam.

Respondetur cum Diuo Thom. art. 6. sæpè citat in solut. ad 1. vbi sic habet: *Memoria secundum quod est conseruatiua specierum non est nobis, pecoribusque com-*

munis; species enim conseruantur non in parte animæ sensitiua tantum; sed magis in coniuncto; cum vis memoratiua sit actus organi cuiusdam: sed intellectus secundum se ipsum est conseruatiuus specierum præter concomitantiam organi corporalis.

10. Secundò obiicies contra eandem partem, quod intellectus nequit pro hoc statu intelligere, nisi per conuersionem ad phantasmata: ergo superfluè ponitur in eo vis conseruatiua specierum. Antecedens constabit ex infra dicendis disp. 20. num. 120. consequentia verò probatur. Nam hoc ipso quod conuertat se ad phantasmata, potest indè elicere species intelligibiles per abstractionem ab illis, per quas intelligat: ergo non erit necessarium habere eas diu conseruatas in se ipso.

Confirmatur: nam ideò in potentia visiua non datur vis conseruatiua specierum, quia nequit videre, nisi adsit obiectum visibile, & hoc præsente, potest ab illo denuò immutari: ergo propter eandem rationem vis intellectiua non habebit conseruare species, siquidem nequit intelligere, nisi conuertendo se ad phantasmata, à quibus potest intentionaliter immutari.

11. Respondetur, negando consequentiam; quoniam intellectus non vtcumque potest intelligere per conuersionem ad phantasmata, sed ita, vt multoties actus producendi phantasmata oriatur ex imperio intellectus, atque adeo tunc sit simpliciter prior actus intellectus, quam actus phantasiæ, influxus phantasmatis: hoc autem non posset contingere, si quinis actus intellectus produceretur mediante specie, quæ tunc de nouo eliceretur ex phantasmate: Nam sicut actus intellectus est simpliciter posterior specie intelligibili, per quam fit, & propterea nequit talis actus imperare productionem illius; sic etiam poteri ratione esset eodem modo posterior, quàm actus phantasiæ, & influxus phantasmatis requisitus ad productionem speciei intelligibilis: & ita non posset actus phantasiæ oriri ex imperio rationis.

12. Adde, ex alio capite falsum esse, intellectum posse elicere species à phantasmatibus, quoties ad illa conuertitur, quia modus recipiendi prædictas species, qui inueniur in intellectu possibili, debet esse iuxta naturam ipsius; atque adeò stabiliter, & adhuc magis fixè quàm modus, quo species sensibiles recipiuntur in memoria sensitiua. Vnde sicut aër calidus, vt quatuor non potest calefieri in eodem gradu ab igne quoties, vt sic dicamus, ad illum conuertitur, seu illi approximatur, sed à præexistenti calore impeditur, ne illum denuò recipiat: ita intellectus petens modum recipiendi fixè, & stabiliter formas intelligibiles v. g., speciem intelligibilem naturæ humanæ vt sic, impeditur ne semel habens illam iterum eandem recipiat, ex eo quod talis receptio superuacanea esset.

Ex quo ad confirmationem respondetur, non ideò præcisè visum non conseruare species, quia nequit intelligere nisi in præsentia visibilis, & eo præsente potest denuo ab illo immutari intentionaliter, sed propter hoc, & propter peculiarem imperfectionem visus, & plurium aliorum sensuum, qui ratione suæ specialis limitationis non habent sufficientes dispositiones, & organizationem ad suscipiendum immobiliter species intentionales: sicut ratione eiusdem limitationis nequeunt imperare suis obiectis, vt immutent illos intentionaliter, sicut intellectus potest imperare actuum phantasiæ, & intelligendo vnum obiectum, quit imperare productionem speciei intelligibilis in ordine ad aliud.

13. Vltimò obijcies contra probationem primæ partis secundæ assertionis, quod actus intellectus solum secundariò, & reflexè cognoscuntur ab intellectu, quatenus sunt aliquid singulare, ac proinde vt sunt præteriti; ergo cum hoc modo possint cognosci ab eodem intellectu omnia alia singularia materialia, sit indè, vt non minus possit in parte intellectiua dari memoria respectu aliorum singularium, vt habent esse præteritum, quam respectu actus intellectus, vt est præteritus; atque adeò respectu obiecti illius, vt in esse intellecti habet rationem præteriti. Vtraque consequentia ex paritate rationis videtur constare. Antecedens verò etiam liquet, quoniam obiectum per se primo intellectus saltem in hoc statu, in quo de illo loquimur, tantum est natura vniuersalis: & ita quoduis singulare solùm secundariò reflexè ab illo attingitur.

14. Respondetur, quòd licet actus particulares intellectus conueniant cum aliis indiuiduis materialibus in hoc, quod cognoscuntur reflexè: attamen aliter, & aliter; nam obiectum per se, & proportionatum intellectus, scilicet natura vniuersalis non potest attingi ab illo, nisi mediantibus actibus intellectus in singulari acceptis: & adhuc conseruando rationem obiecti per se, & proportionati: potest se modificare per illos; & ita prædicta natura intellecta per aliquem actum peculiarem intellecti non amittit rationem obiecti per se, & proportionati illius: at verò eadem natura vniuersalis hoc ipso, quod cognoscatur vnà cum singularitate, & determinata per illam, statim amittit rationem obiecti per se, & proportionati intellectus: & propterea in esse talis obiecti, nunquam est coniuncta cum illa.

Quare cum memoria intellectiua debeat esse in ordine ad obiectum per se, & proportionatum intellectus, sicut sensitiua in ordine ad obiectum per se, & proportionatum eiusdem memoriæ sensitiuæ: inde est, vt non possit per se loquendo esse respectu singularium materialium prout secundùm se prætereunt bene tamen respectu naturæ vniuersalis, vt est præterita: non quidem secundùm se, cùm secundùm se non subiaceat præteritioni, aut futuritioni: sed vt in esse intellectæ habet rationem præteritæ. Cæterùm cum hoc stat, vt sicut intellectus potest versari per accidens, & secundariò circa singularia: ita eodem modo memoria intellectiua, quæ per se loquendo habet obiectum proportionatum iam dictum possit extendi ad prædicta singularia.

Expeditur quæstio quo ad secundam partem.

§. III.

15. Dicendum est vltimò; memoriam intellectiuam non distingui ab intellectu possibili, sed esse eandem prorsus potentiam cum illo. Ita Arist. 3. de Anim. text. 7. quem refert D. Thom. 1. par. quæst. 79. art. 7. in argumento sed contra, his verbis: *De ratione memoriæ est, quod sit thesaurus, vel locus conseruatiuus specierum: hoc autem Philosophus in 3. de Anim. attribuit intellectui, vt dictum est: non ergo in parte intellectiua est alia potentia à memoria ab intellectu.* Quod etiam docet S. Doctor. in 1. dist. 3. quæst. 4. art. 1. & 2. contra gentes. capit. 74. in fine, de verit. quæst. 7. artic. 3. ad 3. & quæst. 10. artic. 3. quos communiter sequuntur ferè omnes Philosophi, & Theologi, & ideò illos in particulari recensere superuacaneum esset.

16. Rationem verò potissimam huius assertionis adduxit Diu. Thom. loco citato, ex 1. part. quæ potest ad hanc formam reduci. Nam eadem potentia, quæ

quæ ſufficit ad videndum hoc, vt illud viſibile : ergo eadem potentia, ſcilicet intellectus poſſibilis, quæ ſufficit ad intelligendum ens tota ſua latitudine, ſufficit etiam ad intelligendum idem ens in eſſe intellecti, quod quidem includit vtrumque munus potentiæ intellectiuæ in priori parte huius quæſt. explicatum, vt intuenti conſtabit. Patet conſequentia; nam propterea idem viſus poteſt percipere quodlibet viſibile, quia quodlibet continetur ſub ſuo obiecto ſcilicet viſibili : ergo cum ens in eſſe intellecti contineatur ſub ratione entis; conſequens eſt, vt intellectus poſſibilis, qui verſatur circa ens in communi, poſſit etiam verſari circa illud in eſſe intellecti, quod, vt modò dicebamus, eſt proprium officium memoriæ intellectiuæ.

Confirmatur ratione eiuſdem ſancti Doctoris. Nam intellectus, poſſibilis poteſt recipere, & conſeruare ſpecies intelligibiles, vt in priori aſſertione diximus : ergo poterit intelligere ſuum obiectum ante intellectum; atque adeò poterit habere rationem memoriæ intellectiuæ.

17. Nec refert, ſi obiicias primò teſtimonium Auguſt. 10. de Trinit. cap. 11. & 12. vbi ponit in mente tria, ſcilicet memoriam, intelligentiam, & voluntatem; cumque memoria ſit alia potentia à voluntate, etiam erit alia ab intellectu : alioqui non connumeraſſet tria. Reſpondetur enim ex D. Thom. artic. 7. iam citato in ſolut. ad 1. quod Auguſtinus non accipit hæc tria pro tribus animæ potentiis, ſed memoriam pro habituali animæ retentione, intelligentiam pro actu intellectus : voluntatem verò pro actu voluntatis.

Nec etiam refert, ſi obiicias ſecundò, quòd ideò in parte ſenſitiua diſtinguitur memoria à ſenſu non memoratiuo, quia fertur in rem, vt præteritam; ſed etiam memoria intellectiua fertur in rem, vt præteritam; ſaltem in eſſe intellectæ : ergo diſtinguetur ab intellectu, qui non terminatur ad rem quatenus intellectam, ſed ſub alia ratione vniuerſaliori.

18. Reſpondetur enim, negando conſequentiam; quoniam memoria ſenſitiua ratione limitationis, quam, tàm ipſa, quam ſuum obiectum habet, poteſt terminari ad illud, vt præteritum, ita vt hæc ſit ratio formalis terminandi, vt multi probabiliter volunt, de quo alibi; vel ſaltem aliqua alia ratio diſtincta à ratione obiectiua ſpecificante ſenſum non memoratiuum; at memoria intellectiua, licet terminetur ad obiectum præteritum in eſſe intellecti, non tamen ita, vt hæc ſit ratio formalis terminandi : quia hoc idem attingit ſub ratione propria ſub quia intellectus poſſibilis attingit ſuum obiectum, ſcilicet ſub ratione entis.

QVÆSTIO II.

Vtrum intellectus practicus, & ſpeculatiuus, & ratio ſuperior ac inferior realiter diſtinguantur.

QVia de, quæ in titulo continentur, poterat eſſe aliqua diffinitas : an propter illa ſit multiplex intellectus poſſibilis diſtinguendus : ideò vt vnitas prædicti intellectus magis pateat, præſentem quæſtionem excitamus. Et licet aliis alij verbis quæſtionem hanc moueant; an nimirum omnia hæc multiplicem intellectum poſſibilem conſtituant : attamen vterque loquendi modus in idem redit. Nam certum ſit intellectum poſſibilem poſſe ſpeculari, & actus cognitionis practicos elicere, &c. fit inde, vt ſi ſemel intellectus v. g. practicus, & ſpeculatiuus non diſtinguantur realiter, quod neque etiam multiplicem intellectum poſſibilem conſtituent.

Rationes dubitandi.

§. I.

19. PRima, quoad primam tituli partem dubitandi ratio eſſe poteſt : quoniam diuerſa ratio obiecti, diuerſificat potentiam; ſed obiectum intellectus ſpeculatiui eſt verum, practici autem bonum : ergo intellectus ſpeculatiuus, & practicus erunt diuerſæ potentiæ.

Confirmatur, nam intellectus ſpeculatiuus fertur ad obiectum ſpeculabile vt ſic; practicus verò ad obiectum operabile quatenus tale : ergo habebunt diuerſa obiecta, & per conſequens inter ſe diſtinguentur.

Secunda verò dubitandi ratio, quo ad ſecundam tituli partem eſt, quoniam nihil oritur à ſe ipſo : ſed ratio inferior oritur à ſuperiori, & ab ea regulatur, & dirigitur : ergo ratio ſuperior eſt alia potentia ab inferiori.

20. Tertia, nam ad ſcientificum animæ, quo cognoſcit, neceſſarium eſt aliud principium, & alia pars animæ ab opinatiuo, & ratiocinatiuo, quo cognoſcit contingentia : ergo etiam ratio ſuperior, & inferior. Antecedens eſt Philoſophi 6. Ethicor cap. 1. & probat illud per hoc, quod ad ea, quæ ſunt genere altera, altera genere particula animæ ordinatur; & contingens autem, & neceſſarium ſunt altera genere, ſicut corruptibile, & in incorruptibile; ergo, &c. Conſequentia verò probatur : nam ſcientificum eſt idem quod ſuperior pars rationis, quia hæc verſatur circa æterna, quæ ſunt neceſſaria vt Auguſt. lib. 12. de Trinit. c. 7. docet. Et ſimiliter opinatiuum eſt idem, quod inferior ratio, quæ ſecundùm eundem Auguſt. intendit temporalibus; atque adeo contingentibus diſponendis.

Vera ſententia Diui Thomæ.

§. II.

21. DIcendum tamen eſt primò, intellectum practicum, & ſpeculatiuum non eſſe duas potentias realiter diſtinctas, ſed vnam, & eandem. Ita Ariſtot. 3. de Anim. text. 7. ex quo loco Diuus Th. 1. part. quæſt. 19. art. 11. arguit his verbis : *Sed contra eſt, quod dicitur in 3. de Anima, quod intellectus ſpeculatiuus per extenſionem fit practicus, vna autem potentia non mutatur in aliam : ergo intellectus ſpeculatiuus & practicus, non ſunt diuerſæ potentiæ.* Quod etiam docet idem Sanctus Doctor. in 3. diſt. 23. quæſt. 2. art. 3. quæſt. 2. & de verit. q. 3. art. 3. & 3. de Anim. lect. 15. nec non art. 11. q. 79. nuper citato, vbi ſic ait : *Reſpondeo dicendum, quod intellectus practicus & ſpeculatiuus non ſunt diuerſæ potentiæ*, quos ſequuntur communiter Philoſophi, & Theologi.

22. Rationem verò huius aſſertionis adduxit D. Th. art. 11. nuper relato in hæc verba : *Quia quod accidentaliter ſe habet ad obiecti rationem, quam reſpicit aliqua potentia, non diuerſificat potentiam, accidit enim colorato, quod ſit homo, aut magnum, aut paruum. Vnde omnia huiuſmodi eadem viſiua potentia apprehenduntur. Accidit autem alicui apprehenſo per intellectum, quod ordinetur ad opus, vel non ordinetur. Secundùm hoc autem differunt intellectus ſpeculatiuus, & practicus. Nam intellectus ſpeculatiuus eſt, qui quod apprehendit non ordinat ad opus, ſed ad ſolam veritatis conſiderationē: pra-*

ticus verò intellectus dicitur, qui hoc quod apprehendit ordinat ad opus. Et hoc est quod philosophus dicit in 3. de Anima quod speculatiuus differt a prædicto fine, vndè & a fine denominatur vterque: hic quidem speculatiuus, ille verò practicus, id est operatiuus : ergo, &c.

23. Dicendum est secundò rationem superiorem, & inferiorem, non esse diuersas potentias, sed vnicam. Assertio hæc non intelligitur de ratione superiori, & inferiori vtcumque, sed in eo sensu, in quo de illis loquitur Augustinus lib. 12. de Trinit. cap. 4. quemque statim explicabimus. Nam de solis illis sic sumptis poterat esse aliqua dubitandi ratio, an inter se identificentur.

Assertionem ergo sic explicatam tuetur D. Thom. 1. part. quæst. 79. art. 9. his verbis. *Sed contra est, quod Augustinus dicit 2. de Trinit quod ratio superior, & inferior non nisi per officia distinguuntur: non ergo sunt duæ potentiæ.* Et statim addit: *Respondeo dicendum, quod ratio superior, & inferior secundùm quod ab Augustino accipiuntur nullo modo duæ potentiæ animæ esse possunt.* Quod etiam docuit idem D. Th. 1. 2. q. 74. art. 7. & in 2. dist. 24. art. 2. & de verit. q. 25. art. 2.

24. Ratio verò huius assertionis desumitur ex eodem D. Th. art. 9. quæst. 79. nuper citato, quam ipse sub his pene verbis, & sub hac ferè forma adducit. Nam secundùm Augustinum ratio superior est, quæ intendit æternis conspiciendis, aut consulendis; conspiciendis quidem, secundùm quod ea in se ipsis speculatur; consulendis quidem, secundùm quod ex eis accipit regulas agendorum. Ratio verò inferior ab ipso dicitur, quæ intendit temporalibus rebus, hæc autem duo, scilicet temporalia; & æterna comparantur ad cognitionem nostram hoc modo, quod vnum est medium ad cognoscendum alterum: ergo non pertinent ad distinctas potentias, & per consequens ratio superior, & inferior, quæ circa illas versantur, erunt vnica, & eadem potentia.

Hæc vltima consequentia patet ex priori; prior verò ex vtraque præmissa. Quoniam licet possit contingere quod medium & id, ad quod per medium peruenitur, ad diuersos habitus, pertineant, sicut principia prima inde monstrabilia pertinent ad habitum qui vocatur intellectus, siue intelligentia; conclusiones verò ex his deductæ ad habitum scientiæ. Et ideò ex principiis Geometriæ contingit aliquid concludere in alia scientia, purà in perspectiua: attamen eadem potentia rationalis debet esse ad quam pertinet & medium, & vltimum, seu id, ad quod per medium peruenitur: Tum quia id constat exemplo modò adducto: Tum etiam, quia cum actus potentiæ rationalis sit quasi quidam motus de vno in aliud, siue de medio ad vltimum proueniens, oportet, quod eadem sit potentia rationalis, quæ ab vno in aliud deuenit, siquidem prædicta potentia habet se ad instar mobilis, & in omni motu debet esse idem mobile quod ab vno in aliud pertranseat.

Minor autem probatur à S. Doct. his verbis: *Quoniam hæc duo, scilicet temporalia, & æterna comparantur ad cognitionem nostram hoc modo, quod vnum eorum est medium ad cognoscendum alterum, nam secundùm viam inuentionis per res temporales in cognitionem deuenimus æternorum secundum illud Apostoli ad Rom. 1. Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; in via verò Iudicij per æterna iam cognita de temporalibus iudicamus, & secundùm rationes æternorum temporalia disponimus.*

Fit satis rationibus dubitandi initio adductis.

§. III.

25. AD primam respondet D. Th. 1. part. quæst. 79. art. 11. his verbis: *Dicendum, quod verum & bonum se inuicem includunt: nam verum est quoddam bonum, alioqui non esset appetibile, & bonum est quoddam verum, alioquin non esset intelligibile: sicut igitur obiectum appetitus potest esse verum in quantum habet rationem boni, sicut cum aliquis appetit veritatem cognoscere, ita obiectum intellectus practici est bonum ordinabile ad opus sub ratione veri, intellectus enim practicus veritatem cognoscit, sicut speculatiuus, sed veritatem cognitam ordinat ad opus.* Quare potentiæ non distinguantur, nisi per obiecta formalia, non verò per rationes accidentales suorum obiectorum, vt ex Sanct. Doctore nuper dicebamus, & intellectus practicus respiciat suum obiectum sub eadem ratione formalissima, scilicet sub ratione veri, & huic accidat, quòd ordinetur, vel non ordinetur ad opus; consequens est, vt nequeant distingui.

Ad 2. respondet D. Thomas art. 9. supra citato in solut. ad secundùm, his verbis: *Dicendum, quod ratio inferior dicitur à superiori deduci, vel ab ea regulari in quantum principia, quibus vtitur inferior ratio deducuntur, & diriguntur à principijs superior rationis*

26. Ad tertiam occurrit idem Angelicus Præceptor ibidem, his verbis. *Dicendum, quòd scientificum, de quo Philosophus loquitur, non est idem quod ratio superior. Nam necessaria scibilia inueniuntur etiam in rebus temporalibus, de quibus est scientia naturalis, & Mathematica. Opinatiuum autem, & ratiocinatiuum in minus est quàm ratio inferior, quia est contingentium tantum: nec tamen est simpliciter dicendum quòd sit alia potentia, qua intellectus cognoscit necessaria, & alia qua cognoscit contingentia: quia vtraque cognoscit secundùm eandem rationem obiecti, scilicet secundùm rationem entis, & veri. Vnde & necessaria, quæ habent perfectum esse in veritate, perfectè cognoscit, vt pote ad eorum quidditatem pertingens, per quam propria accidentia de his demonstrat. Contingentia verò imperfectè cognoscit, sicut & habent imperfectum esse, & veritatem. Perfectum autem, & imperfectum actu non diuersificat potentiam, sed diuersificat actus per modum agendi, & per consequens ipsos*

DISPVTATIO XX.

DE INTELLECTV AGENTE.

SEMEL explicata natura intellectus possibilis, & aliis ad ipsum spectantibus, de quo Aristot. in hoc lib. prius quàm intellectu agente disseruit, meritò vnà cum eodem Philosopho de intellectu agente disputamus, vt ita natura omnium potentiarum ad intellectiuam partem spectantium explicata maneat.

QVÆSTIO

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM DETVR INTELLECTVS AGENS, ET AN realiter distinguatur à possibili.

QVia quæstio *an est* ad alias præsupponitur; propterea primo loco de *an est* intellectus agentis disseruimus. Sed quoniam ex dictis disputatio præced. constat intellectum possibilem tantùm esse vnicum, ideò vt explicetur vtrùm extra intellectum possibilem sit alius, realiter ab eo distinctus, & nullo modo participans eius naturam; sed habens tantummodò rationem intellectus agentis, præsens quæstio quo ad eius secundam partem excitatur.

Expeditur quæstio quò ad primam partem.

§. I.

1. DIcendum est primò, dari intellectum agentem. Ita Arist.3. de Anima text.17. & D.Th. ibidem lect.10. & 1. part. quæst.54. art.4. & quæst.79. art.3. Secundo contra gent. cap.76. de veritate q.10. art.6. de spiritualib. creat. quæst.9. art.10. quæst. de Anima art.4. quos communiter sequuntur Philosophi, & Theologi contra Durandum in 1.dist.3.part.2. q.5. & aliquos sectatores Themistij, quos refert Alb. Magn. in summa de homine tract.de intellectu agente quæst.3.

Rationem autem potissimam huius assertionis adduxit Philosophus loco nuper citato, his verbis: *Quoniam autem sicut in omni natura est aliquid, hoc quidem materia vnicuique generi: hoc autem est potentia omnia illa: alterum autem causa, & factiuum, quod in faciendo omnia, vt ars ad materiam subsistuit: necesse & in anima has esse differentias; & est intellectus hic quidam talis in omnia fieri, ille verò in omnia facere.*

Quam rationem sic explicat D.Thom. lect.10. nuper citata: *Quia in omni natura, quæ est quandoque in potentia, & quandoque in actu, oportet ponere aliquid quod est sicut materia in vnoquoque genere, quod scilicet est in potentia ad omnia, quæ sunt illius generis, & aliud quod est sicut causa agens, & factiuum, quod ita se habet in faciendo omnia sicut ars ad materiam: sed anima secundum partem intellectiuam, quandoque est in potentia, & quandoque in actu. Necesse est igitur in anima intellectiua esse has differentias, vt scilicet vnus sit intellectus, in quo possint omnia intelligibilia fieri: & hic est intellectus possibilis, de quo supra dictum est, & alius intellectus sit ad hoc quod possit omnia intelligibilia facere in actu, qui vocatur intellectus agens.*

2. Confirmatur ratione eiusdem S.Doct.quæst.79. citat.art.3. quam ipse sub his verbis proponit: *Nam formæ in materia existentes, quas intelligimus, non sunt intelligibiles actu; nihil autem reducitur de potentia in actum, nisi per aliquod ens actu sicut sensus fit in actu per sensibile in actu: oportet igitur ponere aliquam virtutem ex parte intellectus, quæ faciat intelligibilia in actu per abstractionem specierum à conditionibus materialibus. Et hæc est necessitas ponendi intellectum agentem.*

Nec refert, si contra rationem hanc & eius confirmationem obiicias primò: Tum quòd intellectus Angelicus aliquando est in actu, aliquando verò est in potentia respectu intellectionis plurium obiectorum: non tamen propterea ponitur in Angelo intellectus agens; vt docet D. Thom.1. part. quæst.54. art.4. Tum etiam, quia si intellectus agens requiritur ad hoc vt formas existentes in materia reddat intelligibiles in actu, fiet indè, vt non requiratur propter intellectionem rerum spiritualium; quæ sunt ex se intelligibiles, atque adeò, quod ad earum intellectionem non prærequiratur actio intellectus agentis.

3. Non itaque hoc refert; quoniam intellectus angelicus non est in potentia ad species intelligibiles, quamuis sit in potentia ad intellectionem, ex eo quod licet non semper sit in actu secundo respectu omnium obiectorum, quæ connaturaliter intelligere potest, semper tamen est in actu primo mediantibus speciebus intelligibilibus, quas sibi naturaliter congenitas habet, vt in materia de Angelis dici solet. At intellectus agens requisitus propter productionem specierum intelligibilium à phantasmatibus abstractarum. Ad illud autem, quod de rebus spiritualibus adducitur, dicendum est, eas saltem respectu intellectus nostri pro hoc statu non esse actu intelligibiles, sed in potentia: imò adhuc magis in potentia quàm res materiales, ex eo, quod non possunt intelligi, nisi mediantibus speciebus per se primò repræsentantibus quidditates materiales.

Nec etiam obest, si secundò obiicias, quod licet, species sensibiles non sint purè spirituales, nihilominùs sunt minùs materiales, quàm obiecta sensibilia: & propterea obiecta hæc redduntur sensibilia in actu per species sensibiles: sed hoc non obstante non datur sensus agens, qui producat prædictas species: ergo licet species intelligibiles sint puriores; quàm species phantasiæ; non ideò dabitur aliquis intellectus agens ad eas producendas.

4. Respondetur enim ex Diuo Thoma quæst. vnica de Anima art.4. ad 5. his verbis: *Dicendum, quod sensibile, cùm sit quoddam particulare, non imprimit neque in sensum, neque in medium speciem alterius generis, cùm species in medio, & in sensu non sit nisi particularis: intellectus autem possibilis recipit species alterius generis, quam sint in imaginatione, cum intellectus possibilis recipiat species vniuersales, & imaginatio non contineat, nisi particulares: & ideò in intelligibilibus indigemus intellectu agente, non autem in sensibilibus alia potentia actiua.* Quomodo autem obiectum sensibile, licet sit satis materiale, possit producere species sensibiles quo ad illud maioris immaterialitatis, quam habent, & qua ratione iam suprà in lib.de Gener.in hoc 3.lib. tetigimus.

Refertur prior opinio pro secunda quæstionis parte.

§. II.

MAior autem difficultas est circa secundam quæst. partem, scilicet circa distinctionem realem intellectus agentis, & possibilis, quàm plures Doctores negant, nimirum. Maior in 2. dist.16. quæst. vnica Abul. Exod.23. quæst.70. Nymphus lib. de intellectu tract.4. cap.21. Suarez 1. tom. summæ Theol. tract.3. lib.4. c.8. n.12. & hoc ipsum probabile

reputant, Tolet. quæst.14. huius lib. Conimbr. cap.5. q.1. art.2.

5. Probatur primò, quoniam intellectus possibilis est quasi medius inter intellectum angelicum, & sensum: ergo poterit de cursu temporis acquirere species necessarius ad intelligendum absque adminiculo alterius intellectus agentis à se realiter distincti. Antecedens communiter admittitur à Philosophis. Consequentia verò probatur; nam intellectus angelicus se ipso per naturalem emanationem in primo instanti suæ productionis acquirit species omnium rerum, quas potest intelligere: sensus verò non potest se ipso producere species sensibiles, quibus indiget, sed debet necessariò immutari ab externo sensibili: ergo vt intellectus possibilis mediam obtineat viam inter vtrumque, nec indigebit aliquo alio agente, quo acquirat species intentionales, sicut sensus, nec eas ab initio suæ productionis, & per naturalem emanationem acquiret, sicut intellectus; sed de cursu temporis, & per nouam actionem.

6. Secundò, nam si intellectus agens esset distinctus ab intellectu possibili, frustrà maneret in anima post hanc vitam: hoc autem videtur inconueniens: ergo, &c. falsitas consequentis ex communi Philosophorum consensu satis constat; sequela verò probatur, quoniam non haberet aliquam operationem, siquidem post hanc vitam non acquiruntur species virtute intellectus, sed infunduntur à Deo: at potentia operatiua frustrà ponitur, vbi nullam habitura est operationem.

Tertiò, quoniam aliàs intellectus agens non esset potentia vitalis: hoc autem est contra communem Philosophorum consensum: ergo, &c. Sequela probatur; nam potentia vitalis debet operari per actionem immanentem, eo quod proprium officium vitæ est mouere se ipsum, vt ex Arist. D.Thom. disp.4. n.7. & sequentibus diximus; at si intellectus agens esset realiter distinctus ab intellectu possibili, non operaretur per actionem immanentem, sed per transeuntem producendo species intelligibiles in intellectu possibili: ergo, &c.

7. Confirmatur, nam repugnat dari intellectum, qui non sit potens ad intelligendum, sicut repugnat dari sensum, qui non habeat virtutem ad sentiendum, & calorem, qui non possit calefacere, ergo etiam repugnabit dari aliquem intellectum humanum distinctum ab intellectu possibili. Patet consequentia; nam hoc ipso quod omnis intellectus humanus debet habere virtutem ad intelligendum, debet etiam esse talis conditionis, vt possit recipere species intelligibiles, & mediis illis fieri omnia illa, quæ intelligere potest: ergo etiam debebit esse intellectus possibilis, siquidem hoc est proprium, & peculiare munus ipsius.

Confirmatur secundò, nam alioqui esset in homine duplex intelligere adæquatum: hoc autem videtur apertè falsum: ergo, &c. Sequela probatur, quoniam duplex intellectus taliter distinctus petit duplicem actum adæquatum realiter distinctum, atque adeò duplex intelligere adæquatum: siquidem (vt modò dicebamus) intelligere est proprius actus cuiuslibet intellectus. Falsitas autem consequentis probatur, nam sicut repugnat dari in eodem homine duplex videre adæquatum, ex eo quòd eius visus terminatur ad quoduis visibile, ita repugnabit dari in homine duplex intelligere adæquatum, ex eo quod eius intellectus possibilis habet pro obiecto adæquato ens in tota sua latitudine, ac proinde omne intelligibile.

8. Quartò, nam postquam intellectus possibilis intelligit aliquod obiectum verbi gratia singulare materiale, potest producere speciem intelligibilem repræsentantem illud: ergo eadem ratione poterit cæteras alias species intentionales, quibus indiget producere, & per consequens non distinguetur ab intellectu agente. Hæc vltima consequentia patet ex priori: prior verò ex antecedenti: Tum propter paritatem rationis: Tum etiam quia intellectus possibilis continet virtualiter, & eminenter suam intellectionem: ergo sicut potest producere species, quæ fiunt per intellectionem, poterit etiam effluere cæteras alias, id est eas, quæ non fiunt media prædicta intellectione. Sicut quia Deus continet virtualiter, & eminanter ignem, ideò potest calefacere: Tum mediante igne: Tum etiam producendo quamcumque calorem, etiam si non mediet ignis.

9. Vltimò: quia si intellectus agens, & passibilis realiter distinguerentur, tunc intellectus agens esset, & non esset nobilior intellectu possibili: esset quidem, quia comparatur per modum agentis respectu illius; agens autem nobilior est patiente: non esset autem, quia, vt docet Aristot. 10. Ethic. cap.8. & 10. beatitudo hominis debet constitui in perfectissima operatione nobilissimæ potentiæ illius: ergo cum constituatur in intellectione, quæ est actus intellectus possibilis, vt communiter docent Theologi, negari non potest, quin intellectus possibilis esset nobilior intellectu agente, si ab illo distingueretur.

Quæstiones controuersia quo ad secundam partem ex mente Arist. & D.Thom. diriminitur.

§. III.

10. Dicendum est secundò, intellectum agentem, & possibilem realiter inter se distingui. Ita Aristot. in hoc lib. text.18. & 19. & D. Thom. ibidem lect.10. nec non in 2. dist.17. quæst.2. art.1. in 3. dist.15. art.1. quæst.2. ad 2. & secundò contra Gent. cap.77. & 78. & opusc.3. cap.83. & 88. & 1. part. quæst.54. art.1. & quæst.79. art.7. vbi postquam conclusit, quòd secundùm nullam differentiam entium diuersificatur differentia intellectus possibilis, statim addidit: *Diuersificatur tamen potentia intellectus agentis, & intellectus possibilis, quia respectu eiusdem obiecti aliud principium oportet esse potentiam actiuam, quæ facit obiectum esse in actu, & aliud potentiam passiuam, quæ mouetur ab obiecto in actu existente, & sic potentia actiua comparatur ad suum obiectum, vt ens in actu ad ens in potentia, potentia autem passiua comparatur ad suum obiectum, è conuerso vt ens in potentia ad ens in actu. Sic igitur nulla alia differentia potentiarum in intellectu esse potest, nisi possibilis, & agentis.*

Quod etiam repetit art.10. eiusdem quæstionis, vbi referens diuisionem quandam intellectus ab aliquibus Philosophis traditam, inquit. *Inuenitur enim talis diuisio etiam à Philosophis, quandoque enim ponunt quatuor intellectus, scilicet intellectum, agentem possibilem, & in habitu, & adeptum. Quorum quatuor intellectus agens & possibilis sunt diuersa potentia, sicut in omnibus est alia potentia actiua, & alia passiua. Alia verò tria distinguuntur secundum tres status intellectus possibilis, qui quandoque est in potentia tantum; & sic dicitur possibilis: quandoque autem in actu primo qui est scientia, & sic dicitur intellectus in habitu: quandoque autem in actu secundo, qui est considerare, & sic dicitur intellectus in actu, siue intellectus adeptus.*

Vnde tam Aristotelem, quàm Diuum Thomam sequuntur Albert. Magn. in summ. de homine, tract. de intellect. agente. Scot. in 1. dist.3. quæst.8. ad 2. Marsilius

lius Fizinus lib.15. de Theologia Platonis, Ferrar.q.9. Caiet. locis citatis ex 1. part. Bañez in eadem 1. part. quæst.79.art.3.dub.1.conclus.4.asserens hanc esse communem Thomistarum sententiam: quod etiam fatetur Suarez loco citato. Idem etiam sectantur Tolet. & Conimb. locis citatis. Valent.1.part.disp.6.quæst.5. puncto 2.ad finem, & Rubio in hoc lib.tract.de intellectu agente quæst.4. nec non & alij plures.

11. Ratio potissima huius assertionis est illa, quam sanctus Doctor locis citatis adducit, quæ potest sub hac forma proponi, quoniam potentiæ habentes diuersos realiter actus, & diuersos obiecta formalia non possunt non distingui realiter: sed intellectus agens, & possibilis sunt huiusmodi: ergo erunt distinctæ realiter potentiæ. Maior constat ex dictis disp.7. q.1. Minor autem probatur, nam actus intellectus agentis, est productio speciei intelligibilis per abstractionem à phantasmatibus, actus verò intellectus possibilis est pati ab speciebus intelligibilibus, & mediis illis intelligere: constat autem hos duos actus intellectus agentis, & possibilis realiter inter se distingui. Et deinde obiectum intellectus agentis est obiectum intelligibile, quatenus ex intelligibili in potentia faciendum est intelligibile actu, obiectum verò intellectus possibilis est idem intelligibile, vt mediante specie est iam intelligibile in actu, quæ duæ rationes non possunt non diuersificare formaliter obiecta prædictorum intellectuum, & ita prædicti intellectus habebunt distinctos realiter actus, & distincta formaliter obiecta.

12. Confirmatur, & explicatur ratione, quam insinuat idem sanctus Doctor, quoniam potentia passiua respicit suum obiectum, vt ens in potentia inspicit ens ab illo immutandum, & perficiendum, potentia verò actiua terminatur ad illud, vt ens in actu ad ens in potentia, ex eo quod vnumquodque agit in quantum est in actu, & vnumquodque est factibile ex eo quod est in potentia, sed intellectus possibilis comparatur ad suum obiectum per modum potentiæ passiuæ vitalis tantùm, vt constat ex dictis disp. & quæst. nuper citatis, & intellectus agens confertur cum illo per modum potentiæ actiuæ: ergo respicient his diuersis modis sua obiecta: atque adeo erunt inter se realiter distincti.

Nec refert si dixeris prædictos actus, & obiecta esse inadæquata respectu vnius, & eiusdem intellectus. Nam hæc euasio, satis impugnata manet ex his, quæ in 5.lib.Physic. disp.28.num.5. & sequentibus adduximus ad probandum, nihil posse esse simul potentiam actiuam, & passiuam respectu eiusdem, sed potentiam actiuam debet necessario distingui realiter à potentia passiua, ex eo quod nihil potest esse simul in actu, & in potentia respectu eiusdem, cum tamen potentia actiua quatenus talis sit in actu, potentia verò passiua, vt passiua est sit in potentia, vt ibidem ostendimus. Et tritam illam Scoti distinctionem de actu virtuali, & potentia formali respectu vnius & eiusdem impugnauimus.

13. Quod etiam potest confirmari, ex eo quod intellectus passibilis, non vtcumque est in potentia respectu sui obiecti, sed est in pura potentia in ordine intelligibili respectu illius, vt constat ex his quæ disputat. 18. num. 9. diximus: ergo nequit se ipsum reducere de potentia in actum, sed indiget aliquo alio à se realiter distincto, per quod de potentia in actum reducatur. Patet consequentia, nam ideo materia nequit in ordine entitatiuo, & naturali de potentia in actum se reducere, sed debet ab alio reduci, quia est pura potentia in hoc ordine: ergo cum intellectus sit pura potentia in ordine intelligibili, nequit se de potentia ista in actum primum reducere, sed indigebit aliquo alio à se realiter distincto, scilicet intellectu agente à quo reducatur.

Diluuntur argumenta prioris sententiæ.

§. IV.

14. AD primum, concesso antecedenti, neganda est consequentia, & ad probationem dicendum est, intellectum humanum non esse medium inter intellectum angelicum, & sensum cognoscitiuum, propter rationem ibi assignatam, seu propter eam quam supra tetigimus, scilicet, quia intellectus angelicus est omnino separatus à materia, sensus verò non potest non illam concernere, ita vt sit affixus organo corporeo, & materiali, intellectus autem humanus pro hoc statu quodammodo est in materia, & quodammodo est ab illa separatus, vt disp.10. num.15. explicuimus.

Ad secundum neganda est sequela & ad probationem dicendum est, quod & si concedatur, intellectum agentem post hanc vitam non habere aliquam operationem sibi propriam, non inde fieret, manere frustra in illa, quoniam satis est; vt debito tempore habuerit suam operationem, sicut potentia nutritiua, & augmentatiua non manent frustra in Beatis, licet in eo statu non exerceant proprios actus, quia satis est vt debito tempore illos exercuerint.

15. Ad tertium neganda est sequela, & ad probationem constat ex his, quæ in lib.1. huius operis disp. quarta num.18. asseruimus, scilicet, satis esse ad operationem vitalem, quòd talis operatio per se maneat in supposito operante: atque adeo quod prædictum suppositum sit mouens se ipsum, vt in præsenti contingit: siquidem operatio intellectus agentis per se & ab intrinseco habet recipi in eodem supposito à quo elicitur.

Et ad primam confirmationem negandum est antecedens, & ad probationem in eo inclusam dicendum est, ideo repugnare dari sensum non habentem virtutem sentiendum, quia sentire est actus correspondens cuiuis sensui, ita vt nequeat dari alius actus, qui ei correspondeat: attamen præter intelligere super est alius actus, qui possit correspondere intellectui, sc. facere obiecta intelligibilia in actu & ita per ordinem ad hanc operationem potest assignari in homine aliquis intellectus.

16. Ad secundam confirmationem debet negari sequela, & ad probationem concesso antecedenti neganda est consequentia propter rationem modò dictam.

Desumiturque tam hæc solutio, quàm præcedens ex Diuo Thoma quæst. vnica de Anima, art.4. ad 8. vbi cum sibi opposuisset, quòd actus intellectus est intelligere, ac proinde si est duplex intellectus, scilicet agens & possibilis, erit vnius hominis duplex intelligere, respondet in hæc verba: *Dicendum quod duorum intellectuum, scilicet possibilis & agentis sunt duæ actiones, nam actus intellectus possibilis est recipere intelligibilia, ac proinde intelligere per illa. Nec tamen sequitur, quod sit duplex intelligere in homine, quia ad vnum intelligere oportet quod vtraque istarum actionum concurrat.* Quod etiam docet S. Doctor in 3. dist.23. quæst.1. ad 1.

17. Ad quartum respondetur, quod si aliquid probaret, etiam conuinceret, quòd si intellectus agens, & possibilis identificarentur, tunc intellectus possibilis posset intelligere sine speciebus intelligibilibus, siquidem contineret illas virtualiter per modum causæ principalis, & æquiuocæ potentis illas efficere.

Quare

Quare ad formam argumenti concesso antecedenti neganda est vtraque consequentia, & ad primam probationem prioris in qua innititur posterior, dicendum esse disparem rationem, nam intellectus possibilis collatus cum speciebus, quæ fiunt nulla præcedente intellectione, sed per abstractionem à phantasmatibus, est in pura potentia in ordine intelligibili respecto illarum, & insuper non potest in ratione potentiæ actiuæ, & principalis, distingui realiter à se ipso, quatenus est in potentia passiua earum, & propterea nequit illas efficere.

Cæterùm idem intellectus possibilis comparatus cum speciebus, quæ relinquuntur intellectione sibi connaturali, non est in pura potentia in ordine intelligibili respectu illarum, sed præsupponitur in actu per speciem intelligibilem abstractam à phantasmatibus, & per intellectionem, nec non per verbum seu speciem expressam singularis materialis indirectè cogniti tamquam per terminum per se primò productum per illam intellectionem, & insuper reperitur in eo sic sumpta distinctio requisita ad hoc, vt habeat rationem potentiæ actiuæ, & passiuæ: nam ipse vt actuatus per omnia prædicta distinguitur realiter à se ipso nudè sumpto, & secundùm priorem rationem est potentia actiua omnino completa in ordine ad efficiendas prædictas species, tamquam terminos secundarios suæ intellectionis per quam indirectè attingit singulare aliquod materiale, at verò secundum posteriorem est potentia passiua respectu illarum, & ita non mirum, quòd licet secundùm quod præcisè est in pura potentia nihil agat, attamen factus in actu, per ea quæ iam diximus possit se extendere ad suum terminum, siue effectum secundarium formando speciem quandam intelligibilem repræsentatiuam illius singularis materialis, quod anteà cognouit.

18. Adde posse etiam reddi aliam disparitatis rationem, nam intellectus possibilis collatus cum speciebus, quæ fiunt mediante intellectione, habet se per modum potentiæ passiuæ: vitalis tamen, quæ antequam vitaliter eas producat, debet fæcundari, & pati ab obiecto, vt ex dictis patet. Quare cum proprium sit intellectus esse potentiam vitalem passiuam, non erit contra rationem eius, propter rationes supra dictas extendi ad productionem prædictarum specierum intelligibilium, quæ ex indirecta cognitione singularium relinquuntur. At respectu specierum, quæ fiunt per abstractionem à phantasmatibus debet intellectus esse potentia vitalis purè actiua, quatenus non prius patitur ab obiecto, quam operatur circa illud. Constat autem: tum in hac quæstione: tum etiam disp. 7. quæst. 1. potentiam vitalem passiuam non posse simul esse potentiam purè actiuam, vt ex terminis ipsis patere videtur.

19. Ad secundam verò probationem concesso antecedenti, neganda est consequentia. Nec instantia illa, quæ ibidem adducitur, conuincit intentum: nam Deus continet per modum entis in actu ignem, calorem, & calefactionem, & ideo potest mediante igne calefacere. Cæterum intellectus possibilis secundum se sumptus continet species intelligibiles, quæ per intellectionem indirectam fiunt per modum puræ potentiæ in ordine intelligibili, vitalis tamen & tanquam terminos secundarios, & ita nisi prius actuetur tum per species intelligibiles factas, ab intellectu agente, tum per alia iam dicta nequibit species illas repræsentatiuas singularis materialis producere. Vnde sicut voluntas continet virtualiter suos actus, & habitus, & tamen non potest producere habitus nisi actuata per actus, ita hoc ipsum in præsenti, proportione tamen seruata, in intellectu possibili respectu prædictarum specierum contingit.

20. Ad vltimum respondetur, negari non posse, quin intellectus agens sit aliquo modo nobilior intellectu possibili, quod apertè docuit Aristoteles in præsenti text. 19. vbi loquens de intellectu agente, inquit: *semper enim honorabilius est agens patiente, & principium materia.* Quod testimonium sic explic. D. Thom. ibidem lect. 10. *Agens honorabilius est patiente, & principium actiuum materia; sed intellectus agens comparatur ad possibilem sicut agens ad materiam ergo intellectus agens est nobilior possibili.* Quod etiam docuit idem sanctus Doctor in 2. dist. 20. quæst. 2. p. 2. ad 2. & de verit. quæst. 10. art. 8. & quæst. de Anima art. 5. ad 10.

21. Cæterùm, vt hoc cohæreat cum aliis dictis tam Arist. quàm D. Thomæ loco citato in argumento, debet intelligi in sensu formali, ita vt fiat comparatio inter intellectum agentem, vitalem, & possibilem, quatenus præcisè, & formaliter habet rationem passi, seu prout habet rationem possibilis respectu intellectus agentis, non verò secundum omnia munera, quæ adæquatè sumptus potest exercere, nam si consideretur pro vt postquam semel ab intellectu agente patitur, potest elicere intellectionem, seu in ratione intellectiui formaliter, & præcisè sumptus, tunc negari non potest, quin sit nobilior, quàm intellectus agens, & ita in substantiis intellectualibus & completis datur intellectus, secundùm quod dicit vim ad intelligendum, non tamen secundùm quod dicit imperfectionem intellectus, pro vt possibilis, id est, prout est in potentia ad species intelligibiles, & potest pati ab intellectu agenti: ac proinde nec etiam datur in eis intellectus agens, & multo minus in Deo, vt in materia de Angelis communiter docent Theologi. Quare inspectis omnibus excessus iste, quo intellectus agens excedit possibilem, tantum erit excessus secundùm quid, non verò excessus simpliciter, quia secundum hunc potius intellectus possibilis excedit agentem.

QVÆSTIO II.

Quomodo intellectus agens concurrat vnà cum phantasmate ad productionem speciei intelligibilis.

IN titulo aliquid supponimus, & aliquid in controuersiam vocamus. Supponimus enim intellectum agentem concurrere ad productionem speciei intelligibilis, vt ex dictis quæst. præcedenti constat. Et similiter phantasma desiderari etiam in ordine ad talem productionem, vt communiter docent Philosophi. Et ratio suadet, quoniam alioqui non esset cur intellectus agens ab initio suæ productionis non produceret in intellectu possibili omnes species intelligibiles, quas decursu temporis in eo efficit: siquidem si non desideratur phantasma ad talem productionem, solùm erunt necessarij in ordine ad illam intellectus agens, & possibilis, & ille operatur per modum causæ naturalis, iste verò esset sufficienter dispositus ad recipiendam quamlibet speciem intelligibilem, cuius est naturaliter capax.

Dubitamus autem de modo quo vtrumque concurrit, an nimirum solus intellectus agens influat per modum causæ efficientis, phantasma verò tantum in genere causæ materialis determinando influxum intellectus agentis, an verò etiam phantasma concurrat per modum causæ efficientis, siue partialis principalis constituentis simul cum intellectu agente vnicam rationem agendi totalem, & principalem, siue per medium instrumenti, aut virtutis instrumentum instructu intellectus agentis.

Duplex

Duplex sententia.

§. I.

22. PRima sententia asserit phantasma non concurrere vllo modo efficienter in ordine ad productionem speciei intelligibilis, sed solum in genere causæ materialis. Ita Suar.2.tom.Summæ Theologiæ, tract.3.lib.4.cap.2.num.7. & sequentibus,& alij ex recentioribus, quos refert Rubio in præsenti tract. de intellectu agente q.5.

Sententia hæc quo ad posteriorem partem ex priosi,& ex nuper dictis manifestè patet.Nam phantasma necessario debet concurrere ad productionem speciei intelligibilis, vt ex dictis quæst. præcedent. constat: ergo si non concurrit efficienter, influet in genere causæ materialis, quandoquidem, vt inmenti constabit, non restat alius modus, secundum quem concurrat.

23. Secundo probatur hæc eadem pars. Nam vt D.Thom.1.part. quæst.84. art.6. in fine loquitur, *non potest dici, quod sensibilis cognitio sit totalis, & perfecta causa intellectualis cognitionis, sed magis quodammodo est materia causæ.* At sensibilis cognitio non alio modo est causa intellectualis cognitionis, ac est causa speciei intelligibilis, per quam producitur, quia non nisi ratione influxus, quem immediatè habet erga speciem, concurrit mediatè ad intellectionem: ergo eodem modo, scilicet solum in genere causæ materialis influit in productionem speciei intelligibilis.

Prima verò pars eiusdem sententiæ,sc.phantasmata non concurrere efficienter in ordine ad productionem speciei intelligibilis: probatur primò: quoniam res corporea, & materialis nequit efficienter causare aliquid in re purè spirituali: sed phantasma est quid corporeum: intellectus verò possibilis purè spiritualis: ergo phantasma nequit, efficienter causare in intellectu possibili speciem intelligibilem,vel aliquid aliud. Minor enim consequentia satis constat. Maior verò est D. August.12. super Genes.ad lit. vbi inquit: *Non est putandum aliquid agere corpus in spiritum, tanquam spiritus corpori facienti materia vices, si habeatur, omni enim modo præstantior est qui facit ea re, de qua aliquid facit.*

Confirmatur, quoniam valdè cruciantur Theologi in explicando, quomodo per ordinem ad diuinam potentiam possit mediante re materiali produci aliquis effectus in re spirituali,vt verbi gratia,quomodo mediante igne inferni possint torqueri dæmones, aut animæ damnatorum, vel quomodo mediante aqua Baptismatis possit producit gratia in anima: ergo nequit concedi posse hoc contingere naturaliter; & per ordinem ad causas naturales:ac proinde nec phantasma corporeum posse agere in intellectus.

24. Secundò, nam phantasma nequit propria virtute, neque virtute intellectus agentis producere speciem intelligibilem: ergo nullo modo concurret efficienter ad illius productionem. Consequentia patet. Antecedens autem quoad priorem partem etiam liquet: quoniam res corporea non potest propria virtute producere effectum purè spiritualem, qualis est species intelligibilis: siquidem causa attingens virtute propria aliquem effectum, non debet esse inferioris ordinis, quàm ille. Quo ad secundam verò partem ibidem antecedens probatur: quoniam ab intellectu agente in phantasma nequit deriuari aliqua virtus, ratione cuius phantasma effectiuè attingat speciem intelligibilem, ex eo quod talis virtus neque esse corporea, neque phantasma, vnà cum illa maneret ita improportionatum sicut antea, ratione suæ immaterialitatis improportionatum erat: neque esset purè spiritualis, siquidem virtus purè spiritualis petit subiectum omnino spirituale, in quo recipiatur, vt ita inter recipiens, & receptum debita proportio seruetur.

Confirmatur, quia naturæ ordo postulat,vt ad productionem rei cuiusque destinetur virtus eiusdem, vel superioris ordinis: ergo supra ordinem naturæ rem materialem assumi ad efficiendam spiritualem: maximè quia multò difficilius est,cæteris paribus animam efficere spiritualem effectum per instrumentum materiale,quam sola virtute spirituali,ipsa autem dispositio naturæ postulat faciliorem agendi modum, abhorretque difficiliorem.

25. Tertiò,nam phantasma est subiectiuè in phantasia: ergo nequit esse instrumentum intellectus agentis in ordine ad producendas species intelligibiles: ergo cum nequeat concurrere per modum causæ principalis propter improportionem, quam ratione suæ materialitatis cum illis habet,consequens erit,vt nullo modo concurrat efficienter ad illas. Hæc secunda consequentia apertè videtur sequi ex priori, prior vero ex antecedenti,quia species expressæ aliorum sensuum inferiorum nequeunt assumi, vt instrumenta in sensuum superiorum in ordine ad producendas species sensibiles, & superioris rationis illorum, ex eo quod sunt in alio subiecto, scilicet in sensu inferiori,& accidens connaturale alicui subiecto solum est virtus instrumentalis respectu illius subiecti, cui inhæret: ergo neque etiam species expressa existens in phantasia (seu quod idem est) ipsum phantasma poterit esse instrumentum intellectus agentis in ordine ad productionem speciei intelligibilis.

Confirmatur,& explicatur,nam licet accidens non connaturale alicui subiecto possit esse virtus instrumentalis alterius, cui connaturale est, vt de calore existenti in ferro constat, qui quidem non est instrumentum ferri,cui est violentus, sed ignis, cui est connaturalis: attamen quoties accidens fuerit connaturale alicui subiecto, tunc naturaliter loquendo non est virtus instrumentaria alterius subiecti, sed ad summum, eius in quo est, vt in calore existente in igne cernitur: ergo cum phantasma sit accidens connaturale phantasiæ, nequibit naturaliter loquendo, esse instrumentum respectu intellectus agentis, imò neque quo ad præsens attinet respectu phantasiæ in ordine ad productionem speciei intelligibilis, siquidem, vt nuper dicebamus, & ex dicendis in hac eadem quæstione constabit, res purè materialis, qualis est phantasia, non potest esse causa principalis respectu effectus spiritualis,scilicet speciei intelligibilis,ac proinde neque illi aliquid per modum instrumenti subordinabitur.

26. Secunda sententia tribuit phantasmati rationem causæ principalis,partialis tamen,& constituentis vnicam rationem totalem agendi simul cum intellectu agente in ordine ad productionem speciei intelligibilis. Pro hac refertur Scot. in 1. dist.3. q.8.ad 1.

Probatur primò: nam obiectum intelligibile est causa efficiens principalis respectu intellectionis: ergo erit etiam causa principalis vnà cum intellectu agente respectu speciei intelligibilis: ergo etiam phantasma habebit rationem causæ principalis actiuæ respectu eiusdem. Antecedens videtur certum, quoniam intellectio procedit à potentia intellectiua tanquam à fœmina intellectuali,ab obiecto verò tanquam à masculo. Iuxta illud commune proloquium ex Augustino desumptum,scilicet,quòd ab obiecto,& potentia paritur notitia,constat autem masculum concurrere

currere principaliter actiuè in ordine ad productionem prolis.

Prima verò consequentia etiam constat, quia masculus qui est causa efficiens, & principalis prolis, est etiam eo modo causa seminis, mediante quo fit: at species intelligibilis habet se per modum seminis obiecti in ordine ad producendam prolem; scilicet intellectionem: ergo, &c.

Secunda verò consequentia ex hac priori videtur apertè sequi: quoniam obiectum non concurrit ad productionem speciei intelligibilis, vt est repræsentatiua illius, nisi per concursum phantasmatis: ergo vt influxus obiecti sit principalis, etiam concursus huius debet esse principalis respectu talis productionis.

27. Secundò: nam illud cui assimilatur effectus, est causa principalis actiua respectu illius, sed intellectui agenti, & phantasmati assimilatur effectus, scilicet species intelligibilis: ergo vtrumque erit causa principalis actiua respectu illius, & constituens vnicam totalem. Consequentia videtur perspicua. Minor verò etiam liquet, nam species intelligibilis duo habet, nimirum esse quid spirituale, & esse repræsentatiuam obiecti: at secundùm illam priorem rationem assimilatur intellectui agenti, & secundùm hanc posteriorem phantasmati. Maior verò etiam patet. Tum quia effectus non petit assimilari causæ instrumentali, sed principali: Tum etiam, quia ideò sol, verbi gratia, & homo sunt causæ principales in productione alterius hominis, quia effectus iste assimilatur vtrique; soli quidem secundùm rationem corporis; homini verò secundùm naturam humanam: ergo, &c.

Vera Diui Thomæ sententia duabus conclusionibus explicatur.

§. I I.

PRo huius quæstionis decisione recolendum est in memoriam id, quod supra disput. 18. num. 79. diximus, scilicet esse duo genera specierum intelligibilium, ex quibus priores producuntur mediante intellectione, & ex intellectione ipsa relinquuntur, posteriores verò fiunt nulla præcedente intellectione, sed per abstractionem intellectus agentis à phantasmatibus.

28. Dicendum est ergo primò species intelligibiles, quæ relinquuntur ea intellectione fieri solùm mediatè ab intellectu agente, & à phantasmatibus: ab illo quidem, vel à causa principali actiua: ab istis verò vt à causa instrumentali, siue virtute instrumentaria. Assertio hæc apertè sequitur ea his, quæ ex D.Th. disp. citata n. relat. & n. 99. diximus: nam vt ibidem probauimus, species istæ sunt immediatè à solo intellectu possibili constituto in actu per speciem intelligibilem, & intellectionem: ergo solum mediatè producentur ab intellectu agente, & phantasmate: ab illo quidem principaliter, ab hoc verò instrumentaliter. Patet consequentia: quoniam intellectus agens concurrit actiuè, principaliter, & phantasma instrumentaliter ad productionem speciei intelligibilis, qua mediante producitur intellectio, & illa alia species intelligibilis ea intellectione relicta, vt statim dicemus: ergo eodem modo, & mediatè concurrunt ad productionem prædictæ speciei. Vnde assertionem hanc sequuntur quam plures ex iunioribus discipulis D.Thomæ, maximè verò Bañex loco ibidem citato.

29. Nec refert, si obiicias speciem intelligibilem repræsentantem indiuiduum materiale esse ea natura rei causam efficientem respectu intellectionis eiusdem indiuidui: ergo nequibit causari efficienter ab intellectione illius: siquidem nihil efficitur ab eo, quod ea natura rei petit esse effectus eius, sicut impossibile est, quod filius sit progenitor sui patris, ex eo quod iuxta ea, quæ in lib. Phys. disp. 15. n. 55. & 56. diximus, ea natura rei filius petit esse genitus à patre, à quo de facto productus est. Respondetur enim hinc solùm concludi, quòd illa intellectio, quæ fit mediante specie intelligibili repræsentatiua formaliter indiuidui materialis, non possit esse ratio agendi eandem speciem, non verò alia, quæ mediante specie intelligibili repræsentatiua naturæ vniuersalis, modo tamen infra dicendo elicitur.

30. Dicendum est secundò, species intelligibiles, quæ immediatè fiunt per abstractionem à phantasmatibus actiuè causari ab intellectu agente, & à phantasmatibus: ab illo quidem vt à ratione agendi principali: ab istis verò vt ab instrumento siue virtute instrumentali. Ita D.Th. quodlib. 8. art. 3. vbi inquit: *In productione specierum intelligibilium intellectus agens concurrit principaliter, phantasma verò concurrit instrumentaliter.* Idem etiam docet quodlib. 2. art. 2. & 3. part. q. 9. art. 4. ad 2. nec non 1. part. quæst. 84. art. 4. ad 1. & quæst. 95. art. 1. ad 3. 2. Contra Gent. cap. 77. de verit. quæst. 10. art. 6. ad 7. his verbis: *In receptione qua intellectus possibilis species recipit; à phantasmatibus se habent phantasmata, vt agens instrumentale, & secundarium: intellectus verò agens vt agens principale, & primum: & ideo actionis effectus relinquitur in intellectu possibili secundùm conditionem vtriusque, & non secundùm conditionem alterius tantùm, & ideo intellectus possibilis recepit formas, vt intelligibiles actu, ex virtute intellectus agentis, sed vt similitudines determinatarum rerum ex cognitione phantasmatum.*

Vnde hanc sententiam tuentur discipuli S. Doctoris, Capreol. in 2. dist. 3. quæst. 2. ad argumenta Durandi 3. loco adducta contra octauam conclusionem, Caiet. 1. part. quæst. 79. art. 3. & quæst. 55. art. 2. in dub. circa solutionem ad 2. & 3. part. quæst. 9. art. 4. Ferrara loco citato ex 2. Contra gent. Soncin. 7. Metaphysic. quæst. 12. & 14. Iabel. 3. de Anima tract. de intellectu agente, quæst. 5. Bañex 1. part. 79. art. 3. dub. 4. & omnes ferè recentiores, quos refert, & sequitur Rub. in hoc lib. tract. 2. de intellectu agente, q. 3. quam sententiam tuentur etiam Scot. in 2. dist. 3. q. 8. ad 1. & alij ex eius discipulis.

31. Rationem autem potissimam, & fundamentalem huius assertionis tetigit D. Thom. locis citatis, præcipuè verò art. 6. ex quæst. 10. de verit. quoniam species intelligibilis est repræsentatiua quidditatum materialium, & non vtrumque, sed spirituali modo, scilicet sine conditionibus indiuiduantibus, & rursus in esse entitatiuo, & naturali, est purè spiritualis: ergo intellectus agens ad eius productionem indigebit influxu actiuo phantasmatis, non quidem tanquam agentis principalis, sed instrumentalis. Antecedens ex se, & ex supra dictis satis constat. Consequentia verò quo ad priorem partem etiam liquet; quoniam licet intellectus agens sit virtus spiritualis, non tamen est repræsentatiuus quidditatum materialium, nec eas eminenter secundùm proprias illarum rationes continet, vt constat. Tum ex se, tum ea his quæ 3. Physic. disputatio. 18. numero 32. & 33. tetigimus: ergo quamuis non egeat influxu phantasmatis ad productionem speciei intelligibilis, secundùm quod tam in esse entitatiuo, quàm repræsentatiuo est spiritualis; egebit tamen illo ad productionem eiusdem speciei, quatenus repræsentatiua est quidditatis, verbi gratia humanæ; siquidem cuiusuis rationis repertæ in effectu debet assignari causa effectiua, quæ contineat illum: quæ quidem

in

in præsenti non potest esse alia respectu esse repræsentatiui speciei intelligibilis, nisi esse repræsentatiuum phantasmatis, nisi semel intellectus agens, vt dictum est, nequit se solo rationem hanc attingere.

Quod ad secundam verò partem eadem consequentia suadetur; nam cum phantasma sit quid materiale, & corporeum, & intellectus, in quo species intelligibilis producenda est sit aliquid spirituale, & similiter prædicta species tam in esse entitatiuo, quàm in esse repræsentatiuo sit spiritualis, ac proindè spiritualiter repræsentans, scilicet repræsentando naturam sine conditionibus indiuiduantibus, sit indè, vt prædictum phantasma sit agens inferioris ordinis, & conditionis respectu intellectus, qui est passum, & speciei intelligibilis ab illo secundùm prædictam rationem producendæ: ergo non habebit respectu vtriusque formaliter sumpti rationem causæ principalis, sed instrumentalis.

32. Nec necesse erit denuò impugnare euasionem quandam quam aliqui ex aduersariis huic rationi præbent, asserentes satis ad esse hoc, vt intellectus agens se solo producat speciem intelligibilem absque concursu actiuo phantasmatis, quod phantasma determinet illum ad modum causæ exemplaris, ad cuius similitudem agens operatur eo proportionali modo, quo imago; ad cuius similitudinem altera depingatur, solet sufficienter determinare artificem, etiam si talis imago non concurrat efficienter.

Non itaque necesse erit denuò prædictam euasionem euertere; quoniam imago exterior non concurrit efficienter ad aliam imaginem, quæ ad eius similitudinem depingitur, ex eo quod in intellectu artificis datur sufficiens principium actiuum continens omnes rationes, quæ in imagine denuò depicta inueniuntur: at intellectu agente secluso phantasmate non continetur esse repræsentatiuum speciei intelligibilis, vt nuper dicebamus: ergo, &c. Adde; quod exemplar, & modus determinationis per illud solum potest reperiri in agentibus per cognitionem, vt ex se patet; quandoquidem exemplar petit esse id, ad quod intuens agens operatur; sed intellectus agens est expers cognitionis, vt ex dictis quæst. præced. constat: ergo, &c.

Ex quo etiam constat nihil referre id, quod aliqui adduint, scilicet sufficere solam præsentiam phantasiæ producentis phantasma, & naturalem sympathiam, & consensionem, quæ est inter potentias animæ, & eius operationes, ad hoc, vt intellectus agens determinetur ad productionem speciei intelligibilis quamuis non cognoscat phantasma; sicut propter hanc naturalem simpathiam obiectum cognitum determinat per modum obiecti voluntatem, quamuis voluntas sit potentia cæca non percipiens illud, nec ipsum obiectum concurrat actiuè ad volitionem.

33. Nam contra hoc est id, quod tetigimus, scilicet voluntatem tantùm producere inclinationem quandam spiritualem in suum obiectum, scilicet bonum; quarè cum ipsa sit inclinatio quædam spiritualis, & in actu primo, poterit iuxta valdè probabilem sententiam, de qua alibi, producere se sola prædictam inclinationem actualem siue concursu actiuo obiecti, supposita tamen propositione intellectus, & naturali simphathia, quæ inter illum, & voluntatem est. Cæterum effectus, qui est producendus ab intellectu agente, scil. species intelligibilis est similitudo obiecti, & intellectus agens se solo non est similitudo illius, & ideò nequit ratione prædictæ simpatiæ, & consensionis potentiarum producere illas absque influxu actiuo phantasmatis, quod similitudo obiecti, sicut propter hanc rationem sensus superiores, non producunt in se ipsis species sensibiles, per quas primò cognoscunt sua obiecta, solent immutari ab illis mediis speciebus, & cognitione sensuum inferiorum. Sed de his videantur ea; quæ suprà in hoc libro diximus.

34. Nec tandem refert si obiicias: quod si ratio pro assertione facta aliquid probaret, conuinceret vtique phantasma non solum esse causam instrumentalem, sed etiam principalem respectu speciei intelligibilis, vt repræsentat suum obiectum; siquidem intellectus agens non continet esse repræsentatiuum, & omnis effectus secundum quamlibet rationem consideratus, est reducendus in aliquam causam principalem, & proximam.

Non itaque hoc refert; quoniam solutio illius satis constat ex his, quæ in lib. Phys. disp. 12. n. 51. diximus, vbi explicuimus, quomodo instrumentum nequeat habere rationem talis, id est assumi ad operationem excedentem proprias vires, nisi habeat actionem præuiam; & respectu huius sit agens principale; non quidem sumpto agente principali omninò rigorosè, sed vt præcisè dicit causam operantem virtute propria, seu non egentem aliqua alia virtute dante rationem agendi commensuratam cum effectu præuio ad effectum prædicti agentis principalioris, quamuis nequeat elicere hanc actionem propriam, saltem vt formaliter præuiam, nisi eleuetur ad illam altiorem, nec agat præuiè, nisi quia non aliter potest participare actionem eleuatiorem agentis principalioris.

Vndè non est necesse omnem effectum præuium ad effectum principalioris agentis reduci tanquam in causam proximam in causam principalem in omni rigore sumptam, sed satis est reduci in causam principalem operantem virtute propria, & modo explicato, & ita effectus illi præuius productus per phantasma, scilicet esse repræsentatiuum naturæ prout quantum est de se præscindit à singulariter poterit reduci in phantasma: & hoc non tollet ab eo rationem instrumenti, quandoquidem non elicit hanc actionem, nisi connotando eleuationem iam dictam, vt participet aliam altiorem rationem distinctam ab ista, per quam in virtute intellectus agentis attingat eandem speciem, tàm secundùm esse entitatiuum spirituale, quàm secundùm quod absolutè, & simpliciter repræsentat naturam, vt est sine conditionibus indiuiduantibus.

Occurritur fundamentis vtriusque sententia.

§. III.

35. AD primum pro secunda parte primæ sententiæ constat ex dictis. Ad secundum respondetur, ideò Sanctum Doctorem dixisse sensibilem cognitionem non esse causam totalem intellectualis cognitionis, sed magis quodammodò materiam causæ, quia saltem mediatè concurrit quodammodò in genere causæ materialis ad illam; quatenùs æqualiter præbet materiam ad hoc, vt à phantasmate illius abstrahatur species intelligibilis virtute intellectus agentis, & operatio instrumentalis eiusdem phantasmatis determinat operationem intellectus agentis, ad hoc vt abstrahat hanc potius speciem quàm illam: & ita si phantasma repræsentat naturam equi inuolotam cum conditionibus indiuiduantibus, tunc intellectus agens abstrahit speciem repræsentantem naturam eiusdem equi separatam à prædictis conditionibus, & non aliam.

Ad primum verò pro priori parte eiusdem sententiæ respôdetur, probate, quòd phantasma, & quælibet alia res corpora nequeat agere in rem pu-

rè ſpiritualem, per modum cauſæ principalis, modo explicato, non verò per modum cauſæ instrumentalis, vt conſtat ex his, quæ in lib. Phyſ. diſp. 12. q. 1. diximus.

Ad confirmationem negandum eſt antecedens, quia ſatis expeditè, & perſpicuè id explicatur à Diuo Thoma, & eius Diſcipulis, & nos aliquid loco nuper citato tetigimus, per quod nun difficultet poteſt explicari, quomodo res corporea per modum instrumenti poſſie agere in rem ſpiritualem.

36. Ad ſecundum conſtat ex his, quæ in lib. Phyſ. diſp. 110. n. 21. vſque ad 27. aſſeruimus. Ad confirmationem negandum eſt antecedens, ſi intelligatur de cauſa instrumentali: nam hæc eleuatur ad effectum altiorem: quàm ſit ille, quem virtute propria poteſt producere: & ita non eſt contra rationem eius, vt ſit inferioris conditionis, ac effectus ab ea instrumentaliter productus. Ad id autem, quod ibidem additur, ſcilicet eſſe multo di●ilius, cæteris paribus, animam efficere ſpiritualem effectum per instrumentum materiale, quàm ſola virtute ſpirituali, dicendum eſt, aliquando id eſſe verum: aliquando verò falſum, vt in præſenti contingit propter rationem in ſecunda aſſertione adductam.

37. Ad tertium, conceſſo antecedenti, neganda eſt vtraque conſequentia: & ad probationem prioris, in qua nititur poſterior, dicendum eſt, eſſe valdè probabile, quod obiectum ſenſibile non immittit ſpecies ſenſatis ad ſenſus ſuperiores, niſi mediantibus ſpeciebus, quas prius producit in ſenſibus externis, & has ibidem connaturaliter receptas concurrere per modum virtutis illius in ordine ad alias ſpecies ſenſatas eleuatioris rationis, & ita non erit contra rationem virtutis instrumentariæ, quod ſit in aliquo tanquam in ſubiecto connaturali, & quòd nihilominùs ſubordinetur alteri tanquam virtus instrumentaria illius. Cur autem non detur ſenſus agens ac proindè ſpecies expreſſæ exiſtentes in vno ſenſu non ſubordinentur ſenſui ſuperiori ad hoc, vt indè eliciat proprias ſpecies, quibus per ſe primò actuatur, iam ſuprà explicatum eſt. Per quod etiam ad confirmationem conſtat, negandum eſſe antecedens vniuerſaliter intellectum.

Ad primum pro ſecunda ſententia reſpondetur, nullum obiectum intellectus noſtri pro hoc ſtatu eſſe ex ſe intelligibile in actu, ſed ſolum in potentia, fieri autem intelligibile in actu mediante ſpecie intelligibili virtute intellectus agentis producta, & ita ſolùm ratione ipſius, & illius eſſe ſpiritualis, quod in ipſa habet eſſe cauſam principalem intellectionis. Vnde exeo, quod obiectum ratione ſpeciei ſit cauſa principalis intellectionis per modum maſculi, non rectè colligitur eſſe etiam cauſam principalem eiuſdem ſpeciei, quia licet maſculus, qui eſt maſculus in actu reſpectu prolis poſſit per modum cauſæ principalis immittere ſemen ad fæcundandam fæmina, vt in generatione naturali contingit, & in generatione, ſeu partu intentionali ſenſuum cernitur, ex eo quod obiectum eſt maſculus in actu, ſeu ſenſibile in actu, non tamen quando maſculus ex ſe ſolùm eſt maſculus in potentia, vt ſo præſenti accidit: & ita indiget alia virtute ſpirituali, per quam virtus eius, ſcilicet phantaſma, quod etiam eſt intelligibile in potentia eleuetur ad fæcundandam ſeminam per immiſſionem ſeminis, ſeu quaſi ſeminis, nimirùm ſpeciei intelligibilis. Vnde proles ſiue intellectio catenus attribuitur illi modò ſuprà explicato, quatenùs intellectus agens producit ſpeciem, ſupplendo defectum eiuſdem obiecti materialis, & tribuendo illi, vt ſit vicaria & vicegerens eiuſdem obiecti reſpectu intellectionis in ordine, ad quam prædictum obiectum ex ſe erat impotens.

39. Ad ſecundum neganda eſt maior vniuerſaliter intellecta; nam cum cauſa instrumentalis habeat actionem præuiam, & modo ſuprà explicato elicitam ab ea tanquam à cauſa principali & inſuper talis actio & effectus præuius per illam productus ſæpè non diſtinguatur ab actione, & effectus cauſæ principalis, ſit indè non eſſe contra rationem inſtrumenti, quod illi etiam aſſimiletur effectus, quo ad aliquid, licet quo ad illud, quod eſt nobiliſſimum in eodem effectu, ad quodque virtute alterius eleuata, ocqueat ei ſecundùm ſe ſumpto prædictos effectus aſſimilari.

Vndè ad primam probationem negandum eſt antecedens in eodem ſenſu intellectum. Ad ſecundam verò probationem dicendum eſt, non ideò præcisè ſolem, & hominem eſſe cauſas principales alterius hominis, quia effectus iſte aſſimiletur eis ſecundum aliquam rationem; ſed propter hoc: & quia neutra in ſuo ordine ſubordinatus alteri, vt cauſæ eiuſdem odinis. Cæterum inſtrumentum, vt tale, ſubordinatur alteri, vt cauſæ eiuſdem ordinis, id eſt, vt cauſæ proximæ, & particulari, intra quem ordinem prædictum inſtrumentum continetur.



DISPVTATIO XXI.

DE INTELLECTIONE.

QVIA intellectio eſt proprius actus intellectus poſſibilis, ideò poſtquam egimus de vtroque intellectu ſecundùm ea, quæ pertinent ad ipſos in actu primo conſideratos, nec non, & de actu correſpondente intellectui agenti; reſtat, vt de intellectione, quæ correſpondet intellectui poſſibili diſſeramus.

QVÆSTIO PRIMA.

AN INTELLECTIO SIT VERA ACTIO DE PRÆDICAMENTO actionis; an verò qualitas quædam.

INtellectionem eſſe in rerum natura dubitari nequit, & propterea quæſtione *an eſt* relicta à quæſtionibus pertinentibus ad *quid eſt*, illius exordium ſumimus. Quia verò ex hoc, quòd intellectio ſit, vel non ſit actio de prædicamento actionis, cætera, quæ circa illam dicendæ ſunt, maximè pendent, ideò

primo

primo loco de hoc inquirimus.

Et licet quæstin hæc de sola intellectione expressè excitetur, attamen quia eadem est ratio de illa, ac de aliis actionibus immanentibus sensuum exteriorum, & interiorum, nec non, & appetitus sensitiui, & rationalis, propterea quidquid de intellectione dictum fuerit, idem quo ad alias actiones immanentes nuper enumeratas, seruata tamen debita proportione, dicendum erit. Et ita alij aliis verbis quæstionem hanc discutiunt, an nimirum actiones immanentes potentiarum cognoscitiuarum, & appetitiuarum sint actiones de prædicamento actionis; an verò qualitates.

Proponitur prima sententia.

§. I.

1. PRima sententia asserit tellectionem esse veram, & propriam actionem de prædicamento actionis. Ita Conimb. in hoc 3. lib. cap. 8. quæst. 3. art. 3. Monsinus 1. 2. disp. 3. quæst. 5. Fonsec. 5. Metaph. cap. 15. quæst. 10. sect. 2. Goncalez 1. part. quæst. 12. art. 2. disp. 25. sect. 4. num. 49. & alij.

Probatur primò testimonio Aristot. 10. ethic. cap. 3. vbi docet, operationes virtutis, & felicitatem, quæ teste eodem Philosopho cap. 7. est actus intellectus, non esse qualitates, his verbis: *Nec enim virtutis operationes qualitates sunt, neque felicitas.*

Secundò: nam Aristot. 9. Metaph. cap. 9. & 1. Magnorum moral. cap vlt. diuidit veram, & propriam actionem in transeuntem, & immanentem: ergo vtraque est vera actio: ergo vtraque erit actiu de prædicamento actionis. Hæc vltimo consequentia apertè videtur sequi ex priori; quoniam sicut vera, & propria substantia creata pertinet ad prædicamentum substantiæ: & vera ac propria qualitas ad prædicamentum qualitatis: ita vera, & propria actio non potest non esse de prædicamento actioni. Prior verò ex antecedenti manifestè deducitur; quoniam membra diuidentia debent participare rationem diuisi: ergo si diuisum huius diuisioois est vera, ac propria actio, non poterunt non membra diuidentia, scilicet actio transiens, & immanens, sub qua intellectio comprehenditur hoc ipsum habere.

9. Tertiò; nam si intellectio esset qualitas, & non actio de prædicamento actioni, non esset verum fieri, sed terminus productus per aliud fieri à se distinctum: hoc autem videtur falsum: ergo, &c. Sequela constat inductione facta in aliis qualitatibus quæ sunt termini facti per productionem a se ipsis ex natura rei distinctam, non verò sunt ipsæmet productiones, & fieri. Falsitas autem conseqoentis videtur certa: Tum quia illud fieri distinctum ab intellectione esse, etiam intellectio, quippe quod esset actua potentiæ intellectiuæ, vt talis est, ac proindè esset, & non esset distinctum ab intellectione: Tum etiam quia iam incideretur in inconneniens, quod vitari intenditur, scilicet actionem immanentem esse actionem de prædicamento actionis; siquidem illud fieri immanens, per qood produceretur intellectio, non posset, esse qualitas, ne indigeret alio fieri, & sic in infinitum; atque adeò deberet esse actio, & fieri de prædicamento actionis.

3. vltimò; nam vera, & propria actio de prædicamento actionis tantùm petit, quòd sit causalitas agentis, & verum fieri termini, siue effectus ab illo producti; sed intellectio est vera causalitas intellectus, & verum fieri verbi ab illo producti: ergo erit vera, & propria actio de prædicamento actionis. Consequentia ex vtraque præmissa satis liquet. Minor verò est D. Thom. 1. part. quæst. 27. art. 1. & ex infra num. 26. & 27. & deinceps dicendis aperte constabit Maior videtur certa; nam propterea calefactio, verbi gratia, est actio de prædicamento actionis, quoniam est vera causalitas ignis, & verum fieri caloris ab illo producti.

4. Nec refert, si cum Schola Thomistarum dixeris ad rationem actionis spectantis ad prædicamentum actionis non satis esse, quòd sit causalitas agentis, & vera productio effectus, sed insuper desiderari, quòd sit aliquid fluens cum motu; hoc autem non conuenit intellectioni, aut aliis actionibus immanentibus iam dictis.

Nam contra hoc est, quod nomine motus non intelligitur motus successiuus, sed mutatio instantanea; aut intellectio est vera mutatio instantanea: ergo erit causalitas intellectus fluens cum motu; ac proindè etiam si demus, hunc fluxum cum motu esse de ratione actionis de prædicamento actionis, non ideò intellectio desinet esse actio huius prædicamẽti.

Vtraque consequentia videtur perspicua. Minor verò etiam constat, quoniam sicut per illuminationem mutatur aër mutatione perfectiua de non illuminato in illuminatum, & propterea illuminatio est vera mutatio instantanea; ita etiam per intellectionem transit intellectus à non intelligente in intelligentem, atque adeò intellectio erit vera mutatio instantanea. Maior autem etiam liquet: quoniam etiam mutationi instantaneæ competit diffinitio motus, de quo in 3. Phys. solumque est actus entis in potentia, &c. vt ex ibidem dictis constat, de quoque num. 7. dicemus esse motum propriè, & strictè dictum, de quo in præsenti.

5. Confirmatur, nam vbi est vera actio, & passio, est verus & proprius motus, atque adeò actio fluens cum motu; sed per intellectionem verè agit, & patitur intellectus: ergo est ibidem verus, & proprius motus, & aliquid fluens cum motu. Maior patet: nam motus identificatur cum vera actione, & passione: Minor verò quoad priorem partem constat ex dictis, qoia oihil aliud est verè agere, quam verè producere aliquid, at per intellectionem verè producitur verbum: ergo, &c. Quo ad secundam verò partem etiam constat; Tum, quia intelligere est quoddam pati: Tum etiam, qua veræ actioni correspondet vera passio, & ex eo, quod sicut agens, & passum mutuo sibi correspondent; ita actio & passio: Tum denique qui non est contra rationem actionis immanentis, qualis est intellectio, vt per illam verè patiatur subiectum, quod illam recipit. Imò actus appetitus sensitiui, qui sunt immanentes vocantur per antonomasiam passiones.

Accedit, quod gratis dicitur, ad actionem de prædicamento actionis desiderari, quòd sit causalitas agentis, & fieri effectus, fluens cum motu: nam causalitas agentis, & fieri effectus pro vt abstrahit ab hoc, quod est esse causalitatem, & fieri fluens cum motu, vel non fluens cum illo, est ratio quædam superior, & vniuoca respectu cuiuslibet veræ causalitatis, & fieri: siquidem in hac ratione sic abstrahante omninò conueniunt: ergo hæc ratio vniuoca debent pertinere, vel potius constituere aliquod prædicamentum: ergo cum nequeat aliud constituere præter prædicamentum actionis, consequens erit, quoad rationem actionis pertinentis ad hoc prædicamentum, tantum desideretur; quod sit vera causalitas agentis, verumque fieri illius; siue fluat, siue non fluat cum motu.

Statuitur prior assertio.

§. II.

6. Dicendum tamen est primò, intellectionem non esse actionem de prædicamento actionis. Ita D. Thomas opusc 47. cap. 7. his verbis: *Intelligere, & sentire sunt actiones immanentes, quia dicunt actum intelligendi, vel sentiendi esse actu in intelligente, vel sentiente: hæc autem actio immanens non est directè in prædicamento actionis.* Idem etiam docet S. Doctor in 1. dist. 8. q. 4. art. 2. ad 3. & 1. part. q. 18. art. 1. vt statim expendemus. Eandem etiam sententiam tuentur Caietan. 1. part. quæst. 79. art. 2. paragr. quo ad 2. & qu. 34. art. 2. ad 2. Capreol. in 1. distinct. 35. quæst. 1. art. 3. & in 2. distinct. 1. quæst. 2. artic. 3. ad 2. Aureoli, Ferrar. 2. contra gent. c. 9. in fine, & clarius cap. 82. non longè à fine paragr. quod si obiiciatur, & in 2. de Anima, cap. 22. Heruæus quodlibet 2. q. 8. & Nazarius 1. p. q. 27. artic. 1. Greg. Martinez 1. 2. quæst. 3. artic. 2. dub. 4. Soncin. 5. Metaph. q. 36. & latius 9. Metap. q. 21. Iabellus ibid. q. 7. Arauio 5. Metap. q. 6. art. 3. & quam plures alij ex discipulis D. Thomæ.

7. Idem etiam docent alij, vt Scotus in 1. dist. 3. q. 6. paragr. hic sunt, & inferius ad argumenta principalia ad 1. & 3. & ibid. q. 7. parag. ad argumenta opinionum lit. O. Ant. And. 9. Metaph. q. Herrera in disputationibus ad 1. sententiarum disp. 20. q. 1. notab. 4. Rada 1. p. controuersiarum, controuers. 7. in solut. 4. argumenti conclusion. 2. & 4. Ægid. de mensura Angelorum quæst. 10. Durand. in 1. distinct. 27. q. 4. Ocham, & Gabriel ibidem q. 2. Vasquez 1. p. disp. 28. c. 2. disp. 112. c. 4. Suar. in Metap. disp. 42. sect. 5. num. 13. & lib. 2. de attributis c. 12. num. 7. Ægid. Lusitanus 1. 2. lib. 4. de beatitudine, q. 2. art. 4. parag. 2. qui quidem licet dissentiant ab Schola Thomistarum in assignando, in quonam consistat intellectio, & quare sit qualitas quædam: conueniunt tamen cum illa in hoc, quod non sit actio de prædicamento actionis.

Ratio autem potissima, & fundamentalis huius assertionis deducitur ex Diuo Thoma locis citatis, & in 4. dist. 17. quæst. 1. artic. 5. quæstiunc. 3. Vt autem melius capiatur, notandum est de doctrina eiusdem Sancti Doctoris, quod motus dupliciter sumitur, vno modo largè, & communiter pro qualibet operatione, etiam si sit actus perfecti, seu rei existentis in actu: quia per illam quodammodò mouetur, & tendit talis res in obiectum suæ virtutis operatiuæ: alio modo strictè, & propriè pro motu 3. Physic. ab Aristotele diffinito, quique est actus imperfecti, seu actus entis in potentia, secundùm quod in potentia, de quibus duabus acceptionibus nos etiam ibidem disputatione 16. num. 13. & 14. fusius egimus; & eas testimoniis Aristotelis & D. Thomæ enucleauimus.

8. His ergo suppositis, ratio ex Angelico Doctore desumpta potest ad hanc formam reduci. Quoniam ad actionem de prædicamento actionis requiritur, vt sit aliquid fluens ab agente, & simul sit motus strictè, & propriè dictus in sensu explicato: sed intellectio non est huiusmodi: ergo non erit actio de prædicamento actionis.

Minor probatur: Tum quia est expressa Diui Thomæ in 1. dist. 8. quæst. 4. art. 3. his verbis: *Dicendum, quòd actio secundum quod est prædicamentum, dicit aliquid fluens ab agente, & cum motu.* Vbi duo ad prædicamentum actionis requirit, scilicet, esse aliquid fluens ab agente, & quod fluat cum motu; non quidem communiter dicto, pro vt præcisè dicit quamlibet operationem quantumuis perfectam, alioquin non addidisset particulam illam, *& cum motu*, siquidem ad rationem motus communiter dicti, seu pro vt præcisè dicit prædictam operationem, satis est, quòd sit aliquid fluens, siue procedens ab agente: Tum etiam, quia de ratione prædictæ actionis est, quòd sit productio alicuius termini ab ea ex natura rei distincti: ergo & quod simul sit actus entis in potentia secundùm quod in potentia, id est secundùm quod relinquit illud in potentia ad terminum: ac proindè, quod sit actio cum motu, vt ex dictis 3. Phys. disp. 1. constat.

Minor autem est etiam eiusdem Sancti Doctoris 1. part. quæst. 18. art. 1. & insuper suaderi potest, ex eo, quod motus propriè dictus est actus imperfectus, & relinquens mobile in potentia ad vlteriorem actum, & ita talis actus non est complementum mobilis, sed est via ad complementum illius; intelligere autem est actus perfectus, & complementum operantis, non relinquens ipsum, vt sit in potentia ad vlteriorem actum, quia non est necesse, vt post illum subsequatur aliquis alius terminus ab eo productus, vt in hac disp. num. 78. ostendemus: & propterea, si aliquando prædictus terminus per intellectionem producitur, non ordinatur intellectio ad illum, sicut ordinatur motus strictè dictus; sed potius talis terminus est propter intellectionem, vt quæst. 5. huius disputationis dicemus.

9. Nec refert si dixeris; quòd motus ratione suæ imperfectionis, & quia est aliquid viale & incompletum non pertinet ad prædicamentum: & ideò in Logica illum in postprædicamentis collocauimus: ergo ad actionem constituentem prædicamentum actionis, non potest desiderari, quòd sit motus propriè, & strictè dictus alioqui etiam ipsa non constitueret prædicamentum.

Respondetur enim, concedendo antecedens, & negando consequentiam; quoniam ad actionem constituentem prædictum prædicamentum, non desideratur, quòd sit motus, ita vt motus pertineat ad eius formalem, & intrinsecam rationem, secundùm quam prædicamentum constituit: sed quòd necessariò sit coniuncta, & identificata cum motu, vt per hoc denotetur prædictam actionem esse talis conditionis, vt non possit non quasi spectare aliquid futurum per eam productum, ita vt ad illud producendum sit per se primò instituta, quoniam illæ solæ actiones sunt huius conditionis, quæ necessariò sunt coniunctæ cum motu, & cum illo identificatæ, ac proindè, vt per hoc etiam significetur, prædictam actionem esse talis naturæ, vt non possit se sola habere rationem fieri, & facti esse simpliciter talis: atque adeò nec rationem veræ, & propriæ qualitatis, aut alterius termini producti ad aliud prædicamentum spectantis.

Posterior assertio stabilitur.

§. III.

10. Dicendum est secundò: quod licèt intellectio nun sit actio de prædicamento actionis, siue cum motu; nihilominus est vera, & propria actio, quæ est idem quod operatio: ac proindè est vera operatio, & actio ad genus qualitatis spectãs.

Explicatur assertio; etenim sicut in opinione eorum, qui dicunt, tam quantitatem, quàm substantiam, & qualitates materiales habere suas partes entitatiuas, & integrales, ex quibus totum quoddam integrale, & per se vnum resultat, dicendum est quòd

ratio

ratio prædicti totius non pertinet ad solum prædicamentum quantitatis, sed diuagatur per alia prædicamenta: & ideò habere non vtcumque, partes integrales, sed quæ sint quantitatiuæ: seu radix impenetrabilitatis, constituit prædicamentum quantitatis, & habere partes integrales, & entitatiuas, non qualescumque, sed sine radice impenetrabilitatis, & qualitatiuas spectat ad prædicamentum qualitatis: & propterea ad distinguendas has partes, & tota ex eis resultantia diuersis nominibus vtimur, & totum entitatiuum, ac integrale continuens prædicamentum quantitatis nuncupamus quantitatem, & totum nuncupatiuum, ac totum resultens ex partibus qualitatiuis appellamus qualitatem, & totum, ac integrale qualitatiuum: quamuis cum hoc stet quòd ratio totius integralis absolutè, & simpliciter dicti, iuxta communem modum concipiendi, potius supponat pro quantitate, quàm pro aliis; & ideò à pluribus ex sectatoribus prædictæ sententiæ solet negari, quòd alia prædicamenta præter quantitatem habeant absolutè, & simpliciter loquendo partes integrales, sed solum partes entitatiuas.

Ita iuxta D. Thomæ sententiam ratio actionis non pertinet ad solum prædicamentum actionis, sed etiam spectat ad aliud prædicamentum, scilicet ad prædicamentū qualitatis, & in prima illius specie, scilicet dispositione collocatur. Et propterea ad significanda hæc diuersa actionum genera, vtimur diuersis omnibus, & illas priores, quæ constituunt prædicamentum actionis appellamus actiones cum motu; has verò posteriores nuncupamus operationes: & licet sint veræ actiones liberæ à motu propriè dicto, de quo in 3. Physic. attamen ratio actionis absolutè, & simpliciter dictæ magis supponit pro actione cum motu constituente prædicamentum actionis & ob hanc rationem solet ratio actionis absolutè sumptæ denegari prædictis operationibus, asserendo eas te vera esse operationes, non verò actiones.

11. Assertionem ergo sic explicatam docuit D. Thom. locis citat. statim referendis, quem eius discipuli conclusione præced. n. 6. relati sequuntur. Et in primis quo ad posteriorem partem; scilicet intellectionem esse veram qualitatem, apertè deducitur ex dictis pro præcedenti assertione, & ex his quæ in hac secunda pro prima eius parte dicemus. Nam intellectio non potest spectare ad illud prædicamentum, nisi vel ad prædicamentum actionis, vel ad prædicamentum qualitatis, vt discurrenti per omnia prædicamenta patebit: ergo si semel non est actio de prædicamento actionis, & aliàs est vera, & propria operatio, quæ sit verum exercitium virtutis actiuæ intellectus; consequens erit vt sit vera actio, siue operatio ad prædicamentum qualitatis spectans.

Potestque hæc eadem pars amplius confirmari ex dictis, quoniam id, quod per se & eminenti quadam ratione habet rationem fieri, & termini producti, in quo tale fieri, non potest non spectare ad aliud prædicamentum distinctum à prædicamento actionis, siquidem actio ista semper habet terminum ex natura rei ab ea distinctum, & ad aliud prædicamentum pertinentem, vt ex dictis in lib. Physic. disput. 16. quæst. 3. diximus, satis constat, at intellectio habet eminenti quadam ratione esse simul fieri, & terminum, in quo istic tale fieri, vt infra num. 69. dicemus, & propterea potest dari sine verbo, aut termino producto ab illa distincto: ergo non poterit non spectare ad aliud prædicamentum distinctum ab actione, & per consequens ad genus, & prædicamentum qualitatis vt nupet dicebamus.

12. Quoad priorem verò partem nimirum, quòd licet intellectio non sit actio de prædicamento actionis, sine cum motu, nihilominus est vera, & propria operatio, potest probari testimonio eiusdem Diui Thomæ quæst. 8. de verit. art. 6. his verbis: *Dicendum quod duplex est actio, vna, qua procedit ab agente in rem exteriorem quam transmutat & hæc est sicut illuminare, quæ etiam propriè actio nominatur: alia verò actio est, quæ non procedit in rem exteriorem, sed stat in ipso agente, vt perfectio ipsius, & hæc propriè dicitur operatio: actio autem appetitus, & sensus, & intellectus non est sicut actio progredient in materiam exteriorem, sed sicut actio consistens in ipso agente, vt perfectio eius.*

13. Vbi, vt vides, actioni transmutatiuæ, atque adeò coniunctæ cum motu tribuit rationem actionis propriè sumptæ, id est actionis; quæ absolutè & simpliciter dicunt talis, ex eo quod nomen actionis principuè est impositum ad significandas actiones cum motu, at verò actionibus immanentibus intelligendi, & sentiendi tribuit rationem, & nomen operationis, quia licet re vera sint actiones, & propterea actio in eas etiam diuidatur, sunt tamen actiones siue motu, & ad has significandas nomen *operanti* est per se primò institutum.

Et confirmatur ex eodem S. Doct. in 4. dist. 17. q. 1. art. 5. q. 3. ad 1. vbi propter hanc rationem inquit intellectionem, & sensationem, quas vocat actum perfecti, esse potiori ratione operationem, his verbis: *Alius motus est actus perfecti, quæ magis operatio dicitur, quia non spectat aliquid in futurum ad complementum suæ speciei:* Vt per hoc denotaret illas re vera esse actiones, sen exercitia virtutis actiuæ intellectus & sensus, quamuis propter nuper dicta magis dicendæ sint operationes, imo non sint dicendæ actiones, si nomen actionis sumatur secundùm id ad quod significandum per se primò institutum est.

14. Nec refert; obiicias sanctum Doct. ideò intellectionem appellare operationem; vt denotet eam tantum esse actionem, grammaticalem, non autem veram actionem, siuè exercitium alicuius potentiæ actiuæ: ergo ex his testimoniis malè colligitur oppositum. Antecedens probatur; quoniam post quam dixit actionem immanentem esse propriè operationem, protinus addidit. *Et hæc est sicut lucere*, constat autem, quod lucere non est actio nisi tantum grammaticalis, non autem verum exercitium alicuius virtutis actiuæ, siquidem nihil est aliud, nisi habere in se lucem, & ita S. Doctor distinguit illam ibidem ab illuminatione, quæ est vera productio lucis, vtraque causalitas luminosi.

Respondetur enim negando antecedens, & ac probationem dicendum est Sanctum Doct. non æquiparare actionem immanentem, quam veram, & propriam operationem esse dixerat cum actione grammaticali lucendi, quo ad omnia, quæ operatio immanens importat, sed tantùm quo ad hoc, quod est non transire, modo tamen infra magis explicando, in externam materiam, vt in ipso lucere contingit. Et propterea consultò non dixit, quòd lucere sit vera operatio immanens, sed quòd prædicta operatio erat sicut lucere, seu habebat aliquam similitudinem cum illa; esse autem hunc legitimum verborum D. Thomæ sensum intuenti eius contextum satis constabit.

15. Vndè cum aliqui ex discipulis D. Thomæ loquentis de intellectione appellant illam actionem grammaticalem, non loquuntur de actione in sua abstractione analoga pro vt dicit verum ac proprium egressum ab agente, & verum, ac proprium exercitium suæ virtutis operatiuæ: siuè simul fluat cum motu, siuè sine illo; nam sic sumpta actione, tunc.

intellectio habet veram, & propriam rationem actionis; sed de actione pro vt constituit prædicamentam actioois, ad quam significandam nomen actionis est per se primò impositum, nam licèt intellectio re vera non transeat secundùm suam entitatem in externam materiam, sicut actio prædicamentalis in illam transit, attamen quo ad modum significandi, denotatur, ac si transiret: quia significatur per modum eiusdem tendentiæ à potentia intellectiua in ipsum obiectum.

Nec necesse erit, vt hæc duo, quæ diximus, scilicet intellectionem, & sensationem esse veras operationes, vtraque exercitia virtutis actiuæ sensus, & intellectus: & nihilominus non necessariò producere aliquem terminum ab eis distinctum: conciliemus cum his, quæ in Log. disp. 1. num. 13. dicta sunt, nimirum, *Quod si quæ sunt actiones absque termino producto, vt de aliquibus sensationibus, & visione beatifica docent inter alios Caietanus 1. part. quæstione. 17. articulo 1. tales actiones, eo dicuntur grammaticaliter actiones, eo modo quo resistentia lapides ad diuisionem,* quæ tamen resistentia, vt constat, non est vera operatio secundùm rem, sed solùm grammaticaliter.

Non igitur necesse erit, duo illa cum his conciliare: quoniam, vt ex ibidem dictis patet, loquebamus, iuxta probabilem modum dicendi aliquorum, qui tam actiones transeuntes quam immanentes, de quibus in præsenti loquimur, collocant in prædicamento actionis; nam iuxta hunc modum dicendi, secundùm quem ad rationem veræ actionis, vel operationis indispensabiliter petitur, quòd habeat terminum à se distinctum, & per eam productum, certum est sensationes, aut intellectionem non producentes verbum, seu speciem expressam, non esse veras actiones, vel operationes, sed solùm grammaticaliter dici actiones. Ratio autem, ob quam ibi consultò non fuimus locuti ex propria, sed ex aliorum probabili sententia fuit, quia ea, quæ ad intelligentiam doctrinæ D. Thom. de natura actionis immanentis, scilicet intellectionis, sensationis, & similiom necessaria erant, non poterant ibi commodè tradi, & sufficienter explicari: & ideò explicationem eius hucusque, vbi propria illius sedes est, distulimus.

16. Secundò probatur assertio quo ad eandem illius primam partem, ratione quam insinuat idem Angelicus Doctor locis cit. Tum in hac quæstione, Tum disp. 7. n. 20. & deinceps: quoniam intellectus possibilis est vera potentia vitalis animæ, ac proindè non est potentia purè passiua: sed simul actiua vt ex se, & ex dictis loco cit. constat: ergo debet habere aliquam veram actionem, seu operationem egredientem ab illo, quæ sit verum exercitium suæ virtutis operatiuæ, scilicet operationem. Patet consequentia, quoniam cuiuis potentiæ actiuæ debet correspondere suum proprium exercitium, & actio, siuè operatio, quæ in præsenti non potest esse alia nisi intellectio: siquidem adæquatus actu, & exercitium intellectus possibilis est intelligere, vt ex infrà dicendis magis constabit.

Confirmatur primò, quia beatitudo consistit in vera actione, siue operatione, vt constat ex D. Thom. 1. 2. quæst. 3. & tamen, vt docet idem S. Doct. ibid. consistit in intellectione Dei. Confirmatur secundò, quia beatitudo est vita iuxta illud Ioannis 17. hæc est vita æterna, vt cognoscant te: & tamen vita actualis, siue operatio, vt ex D. Thom. ostenditur 1. p. quæst. 18. artic. 2. ergo, & cætera.

Soluuntur Fundamenta primæ sententiæ.

§. IV.

17. AD primum ex testimonio Arist. petitum respondetur, verba illa ex Aristot. desumpta contineri propè quoddam argumentum, quod Platonici obiiciebant contra Eudoxium asserentem delectationem esse de genere bonorum, quod quidem Philosophus ibidem format, & simul soluit his verbis: *Non tamen si non qualitatum est delectatio propter hoc neque bonorum, neque enim virtutis operationes qualitates sunt, neque fœlicitas.* In quibus verbis hoc argumentum continetur, scilicet bonum esse de genere qoalitatis; non verò delectationem, ac proindè non esse bonum, & simul continetur eius solutio ab illis verbis, neque enim, &c. quorum sensus tantum est: quod licèt detur delectationem non esse de genere qualitatum: non propterea sequitor eam non esse bonam; quia bonum non solum est in genere qualitatis, sed etiam in alijs generibus, & ita non concedit delectationem non esse de genere qualitatis, sed solum quod etsi hoc transeat, seu permittatur, non propterea inferri non esse bonom.

Quæ solutio desumitur ex D. Th. in explicatione horum verborum lect. 3. vbi sic ait: *Postquam Philosophus remouit obiectionem. Platonicorum ad rationes Eudoxi, hic ponit rationes eorum contra ipsam positionem Eudoxi, & circa hoc duo facit. Primo proponit rationes ad ostendendum, quod delectatio non sit de genere bonorum. Secundò ponit rationes ad ostendendum, quod delectatio non sit per se, & vniuersaliter bonum, & quia prima rationes falsum concludunt, ideò Aristotelee simul ponendo eas destruit eas, quarum prima talis est Bonum videtur ad genus qualitatis pertinere: quærẽtes enim quale est hoc, respondemus quoniam bonum, delectatio autem non est qualitas: ergo non est bonum. Sed hoc Aristoteles remouet dices quòd non sequitur, si delectatio non sit de genere qualitatum quod propter hoc non sit de genere bonorum; bonum enim dicitur non solum in qualitatibus sed etiam in omnibus generibus.*

Vbi, vt vides, iuxta explicationem Sancti Doctoris non concessit Aristoteles minorem illius obiectionis, scilicet, delectationem non esse qualitatem, sed solùm ex præmissa, curauit de illatione, nimirum, quod ex hoc non sequitur, eam noo esse bonum, ex eo quod etiam in aliis generibus bonum reperitur. Et meritò sanè hoc soluendi modo vsus est Aristoteles, nam cum obiectio proposita posset solui: Tum negando minorem: Tum & permittendo illam, negando tamen consequentiam, & hic posterior modus sit à difficultatibus, liberior, propterea Aristoteles non curando de minori, sed permittendo illam transire, soluit argumentũ negando prædictam consequentiam.

18. Ad secundum, concesso antecedenti, & prima consequentia sumpta actione pro vt præcisè dicit aliquid egrediens ab agente per modum exercitij suæ virtutis actiuæ, siue fluat cum motu siue non, neganda est secunda consequentia. Et ad probationem neganda est paritas rationis, quoniam vera substantia, aut qualitates completæ habent ea, quæ desiderantur ad rationem substantiæ, & qualitatis prædicamentalis, non tamen vera actio pro vt dicit aliquid egrediens, sine motu habet id, quod requiritur ad rationem actionis de prædicamento actionis, scilicet fluere cum motu, vt explicatum est, & ita id quod egreditur ab agente per modum exercitij eius & sine motu non erit actio de prædicamento actionis, sed de prædicamento qualitatis. Vndè diuisum illius diuisionis, qua diuiditur actio

in

in transeuntem, & immanentem, non est diuisio actionis de prædicamento actionis, sed ratio quædam analoga, & superior respectu prædictæ actionis, &c.

Ad tertium neganda est sequela, quia intellectio propter sui eminentiam, & peculiarem rationem (quod etiam de aliis similibus operationibus dicimus) habet simul rationem fieri, & termini producti respectu sui, modo tamen, n. 99. & num. 100. explicando: & quoties indiget termino à se distincto, toties ipsa est productio illius: vndè sicut actio transiens non indiget alia actione, vt sit, quia ipsa essentialiter est ipsa egressio; ita neque intellectio indiget alia actione, quæ sit fieri ipsius: eo quòd ipsa est essentialiter egressio seu, vt meliùs loquamur, ipsum actuale exercitium virtutis operatiuæ intellectus possibilis. Et ad probationem in contrarium dicendum est, illam inductionem solùm esse veram in qualitatibus, quæ non sunt ita actuales, sicut intellectio, & aliæ similes.

19. Ad vltimum bene respondetur ibidem, & ad impugnationem, concessa maiori neganda est minor intellecta de mutatione instantanea propriè dicta. Ad cuius probationem concedendum est antecedens & neganda consequentia, & ratio disparitatis desumitur ex dictis: quoniam illuminatio per se, & ab intrinseco habet spectare aliquid in futurum, ad quod ordinetur, & habet intrinsecè annexam rationem viæ & fluxus in ordine ad illud: & ita ex vi huius implicat dari illuminationem sine luce per illam producta, ac proindè non mirum quod sit actio fluens cum motu propriè dicto, vt constat ex his, quæ in 3. Phys. disp. 16. n. 13. & sequentibus diximus. Quarè cùm hæc non reperiantur in intellectione, indè est, vt non sit mutatio adhuc instantanea propriè dicta, vt loco citato asseruimus, & amplius elucidauimus.

20. Ad confirmationem concedenda est maior de vera actione, & passione de prædicamenti actionis, & passionis, secùs verò de vera actione, & passione, quæ extra prædicta prædicamenta sint: & eodem proportionali modo distinguenda est minor, sed neganda consequentia. Per quod ad cætera, quæ ibi adducuntur satis constat. Vndè ad illud de actibus appetitus sensitiui, qui per antonomasiam vocantur passiones, dicendum est prædictos actus vocari passiones ratione antecedentia transmutationis corporalis, quæ verè est passio, & actio prædicamentalis: at ipse actus appetitus formaliter sumptus est actus immanens de prædicamento qualitatis; nec infert ex se formaliter sumpto passionem ad prædicamentum passionis spectantem, ita vt necessariò habeat illam annexam, aut cum ea, vel cum motu realiter identificetur, vt in actione de prædicamento actionis contingit.

Ad id autem quod vltimo loco additur, negandum est antecedens, quoniam ab his duobus generibus actionum non est abstrahibilis vnica & eadem ratio vniuoca, sed analoga, quia vt ex dictis constat, intellectio, & aliæ actiones ei similes sunt de genere qualitatis qualitati autem, & aliis prædicamentis nequit dari aliquid commune vniuocum, vt his, quæ in logica asseruimus, liquet.

QVÆSTIO II.

Vtrum intellectio sit qualitas distincta saltem formaliter à verbo mentali, seu specie expressa; an verò sit idem formaliter quod prædictum verbum.

QVamuis hæc quæstio peculariter exciteiur de intellectione, & verbo mentali: quia tamen vt in simili q. præced dicebamus, eademmet ratio, quo ad hoc militat de sensatione in his potentiis sensitiuis, quæ sentiunt formando quandam speciem expressam, seu idolum vt in imaginatione contingit, propterea quæ de intellectione, & verbo mentali, diximus, debent etiam de sensatione, & eius specie expressa, siue verbo intelligi.

Refertur Prior sententia.

§. I.

21. PRima sententia asserit, intellectionem non vtcumque esse qualitatem, sed eandem prorsus qualitatem, ac verbum. Ita Scot. in 1. dist. 3. q. 8. Suarez lib. 1. de Trinitate c. 6. n. 5. & 2. tom. summæ Theologiæ. tract. 3. lib. 3. cap. 5. n. 11. Vazquez 1. part. disp. 38. c. 1. & disp. 141. cap. 4. & 1 2. disp. 9. cap. 6. Rubio lib. 3. de Anima cap. 5. tract. de actu intellectus possibilis q. 3. n. 276. & alij.

Probatur primò testimonio Diui Augustini. 9. de Trinit. capit. 10. vbi verbum appellat notitiam; constat autem nihil esse aliud notitiam, quàm cognitionem, & perceptionem obiecti: ergo, &c. Confirmatur; quoniam D. August. cognitionem appellat similitudinem obiecti, & indè colligit fore in nobis, dum beati fuerimus, similitudinem Dei, quia videbimus eum sicuti est: ergo sentit cognitionem, siuè intellectionem esse idem quod verbum. Patet consequentia, quoniam verbum nihil est aliud, quàm actualissima similitudo obiecti: si autem cognitio vel intellectio est similitudo obiecti, non poterit non esse actualissima similitudo obiecti, proindè non poterit non esse verbum.

22. Secundo probatur ex D. Thom. 1. part. quæst. 34. art. 1. ad tertium, vbi loquens de intellectione formaliter sumpta inquit: *Intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur, sed informatio quadam in intellectu nostro, prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellecta.* Vbi vt vides, intelligere dicitur effectus formalis formæ rei intellectæ, in qua nulla originis ratio importatur. Constat autem solum verbum esse formam rei intellectæ, in qua nulla ratio originis importatur; siquidem licet species intelligibilis sit forma rei intellectæ, in ea tamen inuoluitur, quod ab illa procedat verbum, cum tamen à verbo nulla alia forma rei intellectæ, aut aliquid aliud originetur, ex eo quod est terminus virtutis productiuæ intellectus.

Confirmatur ex eodem D. Thom. q. 8. de potentia artic. 1. vbi inquit: *Verbum nostri intellectus non est extrinsecum ab ipso intelligere intellectus, cum ipsum intelligere compleri nec possit sine verbo prædicto*: Ergo sentit pertinere intrinsecè ad actum intelligendi, atque adeò esse ipsam intellectionem siquidem intellectio, quæ est qualitas, vt ex dictis quæstione præcedenti constat, debet esse vna simplex qualitas sicut & aliæ qualitates per se, & directè pertinentes ad prædicamentum qualitatis: & ita nequit resultare ex verbo, & ex aliqua alia qualitate.

Confirmatur secundò ex eodem S. Doct. q. 4. de Veritate art. 2. ad 2. asserente, quod verbum est notitia expressa ab aliquo, & Opusculo 13. vbi inquit quòd contemplatio veritatis est verbum: &c.

23. Tertiò, quia intellectio nihil est aliud, quàm actualis manifestatio per quam res intellectui manifestatur: Sed per verbum mentis manifestatur ei actualiter res per illud repræsentata: ergo intellectio, & verbum erunt idem: Maior videtur perspicua, quoniam nihil aliud est rem fieri manifestam intellectui, quàm quod ipse percipiat illam, & propterea stare non potest rem aliquam esse manifestam illi & ignorari ab ipso. Minor autem etiam patet: nam cùm verbum sit actualissima repræsentatio obiecti, erit etiam actualissima manifestatio eiusdem.

Confirmatur: nam ideò essentia Diuina ex se ipsa est actualis intellectio omnium intelligibilium, quia omnia illa actualissimè repræsentat, cùt que actualissima manifestatio omnium: ergo cùm verbum actualissimè repræsentet intellectui rem intellectam, erit actualis manifestatio, ac proinde actualis notitia, & intellectio illius.

24. Quartò probatur, & simul confirmatur præcedens argumentum; nam hoc ipso quod intellectus informetur per speciem intelligibilem impressam habitualiter repræsentantem obiectum constituitur in ratione intellectiui: ergo hoc ipso quod informetur per speciem expressam, quæ actualissimè repræsentet obiectum, constituitur in actu secundò intelligens. Patet consequentia: nam sicut similitudo intentionalis complet potentiam intellectiuam, ita similitudo, quæ est in actu primo, & per modum habitus complebit, & constituet eam in actu primo, & quasi habitualiter, reddendo ipsam complete intellectiuá: & deindè similitudo actualissima, quæ, vt sic dicamus, in actu secundo repræsentat, complebit actualissimè intellectum reddendo illum intelligentem in actu secundo.

Confirmatur primò: nam intellectus intelligit per hoc quod actu trahat ad se res; voluntas verò vult per hoc quod actu feratur ad illas, vt docere videtur Aristoteles 3. de Anima text. 15. & D. Thom. infra quæst. 27. art. 4. ergo intellectio consistet in verbo mentis, per quod actualissimè, & in actu secundo res repræsentantur, ac proindè actualissimè, & in esse intelligibili, seu repræsentatiuo ad eundem intellectum trahuntur.

Confirmari potest secundò ex his quæ supra: nam cum volumus rectè intelligere aliquam rem, tunc maximè conamur ad efformandam intra nos perfectam illius similitudinem: & vbi primò per illam intellectus noster actuatur, statim perfectam eiusdem rei notitiam habemus; hoc autem satis arguit intellectionem in dicta similitudine consistere.

Ex mente D. Thomæ ostenditur intellectionem distingui saltem formaliter a verbo.

§. II.

25. Dicendum tamen est, intellectionem non consistere in verbo mentali, sed distingui ad minus formaliter ab illo. Ita D. Thom. de potentia, q. 8. art. 1. his verbis: *Intelligens in intelligendo ad quatuor potest habere ordinem, scilicet ad rem, quæ intelligitur, ad speciem intelligibilem, qua fit intellectus in actu ad suum intelligere, & ad conceptionem intellectus, quæ quidem conceptio à tribus prædictis differt; à re quidē intellecta, quia res intellecta est interdum extra intellectum, conceptio autem intellectus non est nisi intellectu, &c., differt autem ab actione intellectus, quia prædicta conceptio consideratur, vt terminus actionis, & quasi quoddam per ipsam constitutum, hæc autem conceptio intellectus in nobis propriè verbum dicitur.*

Idem docet S. Doct. Opusc. 43. vbi sic ait: *Illud ergo sic formatum, & expressum in anima dicitur verbū internum, & ideò comparatur ad intellectum, non sicut quo intellectus intelligit,* seu sicut ratio intelligendi; *sed sicut in quo intelligit, quia in isto sic expresso, formato videt naturam rei intellectæ.* Et tandem hoc ipsum tuetur idem D. Thom. 1. contra gent. cap. 53. & 4. contra gent. c. 11. nec non 1. p. q. 27. art. 1. de verit. q. 4. art. 2. & alibi sæpè, quem communiter sequuntur Capreol. in 1. dist. 27. q. 2. Ferrar. 1 contra gent. c. 53. Caietan. Torres. Bañes, Nazarius, Gonçales, & communiter Thomistæ in præsenti.

26. Ratio autem potissima huius assertionis tacta est à D. Thom. in locis citatis; quoniam fieri, & terminus per illud realiter productus distinguuntur ad minus formaliter; sed intellectio est fieri verbi mentalis, & prædictum verbum est terminus illius: ergo distinguentur ad minus formaliter. Consequentia patet: Minor autem constat ex verbis in hac assertione, & Diu. Thom. nuper relatis, & ex his, quæ in quæstio. 4. latiùs dicemus magis patebit. Maior autem ex illis, quæ in 3. Physic. disput. 16. à oum. 37. vsque ad 32. asseruimus, satis liquet.

Nec refert si dicas primò, quod intellectio ratione suæ eminentiæ est simul qualitas, & fieri sui ipsius: atque adeò fieri, & terminus productus, ex eo quod est actio de prædicamento qualitatis: ergo ex hoc quod sit fieri verbi, non rectè colligitur distingui formaliter ab illo, siquidem ratione suæ eminentiæ potest se ipsa formaliter esse simul fieri, & terminus per tale fieri productus.

27. Nam contra hoc est, quod ex eminentia intellectioois solum sequitur, quod se ipsa, absque distinctione formali sit fieri eorum quæ ad eandem in recto pertinent, ac proinde quod respectu horum habeat eminenter quadam ratione esse operationem, & rem operatam: non tamen, quod absque distinctione saltem formali sit fieri eorum, quæ in obliquo ab eadem importantur, & sine quibus aliquando potest esse: verbum autem est terminus intellectionis in obliquo importatus, & sine eo potest aliquando dari intellectio, & ita licet ad intellectionem ferè semper requiratur similitudo obiecti intellecti quæ sit verbum seu species expressa: attamen intellectio non consistit formaliter in hac similitudine expressa, nec hæc in omni intellectione inuenitur, vt infra quæst. 5. ostendemus.

28. Ex quo etiam (vt id obiter, & per transenam dicamus) maior confirmatio assertionis deducitur: quooiam verbum externum, siue vocale, oon significat intellectionem, sed verbum ioternum & mentale; ergo signum est verbum, est intellectioné distingui formaliter. Patet consequentia: quoniam si intellectio consisteret in verbo meotali, atque adeò non distingueretur formaliter ab illo, noo posset non verbum vocale repræsētans montale, repræsentare etiam intellectionem. Antecedens autem probatur: quoniam verbum vocale significat immediate res secundùm esse intentionale, & repræsentatiuum: non quidem habituale, sed actuale, quod habent in intellectu, & mediatè, ac vltimatè secundùm esse quod habet in se. Quarè, cum in intellectu non babeant esse intentionale, & repræsentatiuum actuale ratione intellectionis, quippè quæ non est similitudo obiecti, vt modò dicebamus, & quæstione nuper citata, nec non in solutione argumentorum dicemus: fit inde, vt verbum vocale non significet immediatè intellectionem, sed verbum ipsum conceptum per intellectionem,

tellectionem, iuxta illud Philosophi, verba sunt signa conceptum, non quidem formalium, sed obiectiuorum, & non qualiumcumque sed internorum, & in verbis ipsis mentalibus consistentium, vt infrà magis explicabimus.

Quam rationem tetigit Diuus Thomas Opusc. 43. & loco citato ex quæst. 8. de potentia, his verbis: *Hæc autem conceptio intellectus in nobis propriè verbum dicitur, hoc enim est, quod verbo exteriori significatur: vox enim exterior neque significat ipsum intellectum, neque speciem intelligibilem, neque actum intellectus, sed intellectus conceptionem, qua mediante refertur ad rem.*

29. Nec refert si cum iuniore quodam dicas, ex hoc quòd intellectio sit fieri verbi, & fieri debeat distingui formaliter à suo termino, solùm colligi, quod intellectio in fieri, quæ sola est ipsum fieri verbi distinguatur formaliter à verbo, non verò intellectio in facto esse, quæ in verbo formaliter consistit.

Non itaque hoc refert: quamuis impugnatio eius dilemmate quodam aliquantulum fuso; ad hanc tamen formam redacto egeat, inquirimus enim quidnam, cum distinguitur duplex intellectio, alia in *fieri*, alia in *facto esse*, per illas significetur, an nimirum per intellectionem in fieri significetur intellectio, quæ secundùm se, & formaliter spectata habeat veram rationem intellectionis seu perceptionis obiecti eo proportionali modo, quo cognitionis sensuum externorum, per quos in sententia Diui Thomæ, & aliorum, vt infra dicemus, non producitur species expressa, siue verbum repræsentans obiecta externa eorundem sensuum, sunt secundùm se, & formaliter perceptiones illorum obiectorum; & an per intellectionem in facto esse significetur, non quidem aliquid quod per se, & formaliter sit ipsa perceptio obiecti, sed solum terminus, & complementum, quidque factum per intellectionem in fieri: sicut cum dicitur calorem esse ipsam calefactionem in facto esse, tantum innuitur esse terminum, & factum esse calefactionis, non verò habere in se formaliter ipsam essentiam calefactionis: Vel an per intellectionem in fieri, & in facto esse innuatur vtrobique vera, & formalissima ratio intellectionis, & perceptionis obiecti, quæ sit sub statu perfecto & imperfecto, ita vt in intellectione in fieri reperiatur essentia intellectionis, seu perceptionis intellectualis obiecti, sub statu tamen imperfectio, & sub intellectione in facto esse inueniatur etiam essentia intellectionis, & prædictæ sub statu tamen perfecto, vel tandem per intellectionem in fieri denotetur aliquid, quod re vera non habet essentiam in fieri intellectionis, sed sit ipsa essentia intellectionis, seu perceptionis obiecti, & per intellectionem in facto in quo re vera consistit ipsa essentia intellectionis, & perceptionis obiecti.

30. Si primum dicatur, habetur intentum sc. intellectionem formaliter & secundùm suam essentiam sumptam, seu prout dicit ipsam perceptionem rei intellectæ, & correspondet perceptioni sensuum externorum, in quibus non datur verbum, siue species expressa non consistere formaliter in verbo, nec verbum mentale esse veram rei intellectionem, sed prædictum verbum solum dici intellectionem in facto esse, quatenus est quid factum per intellectionem illam, quæ dicitur esse in fieri, quæque sola iuxta hoc primum membrum prædicti dilemmatis habet essentiam intellectionis.

Secundum autem dici non potest: Tum quia vt inductione generali in omni alio fieri & facto esse constat, quia calor in facto esse verè habet essentiam caloris, & homo in facto esse essentiam hominis, propterea calor in fieri, pro vt est idem, quod fieri calibilis, non est formaliter calor, neque habet formaliter essentiam caloris: & similiter generatio hominis non habet essentiam hominis, ergo si intellectio in facto esse, seu (quod idem est iuxta hunc dicendi modum) verbum habet essentiam intellectionis, & perceptionis obiecti: consequens erit vt intellectio in fieri, siue fieri intellectionis, & verbi non participet veram essentiam intellectionis, & perceptionis sui obiecti, adhuc eo modo, quo sensatio exterior non producens verbum, vt multi volunt, est vera perceptio sui obiecti sensibilis.

Tum etiam quia visio beatifica est perfectissima quædam intellectio, imò inter creata est omnium nobilissima, & tamen in ea non formatur verbum, vt quæst. citata in hac disputatio. num. 78. ostendemus: ac proinde intellectio in esse perfecto non consistet in verbo, nec verbum erit idem formaliter quod intellectio in esse quieto, & perfecto, siue in facto esse.

Tum deinde, quoniam intellectio, quæ est formalis perceptio obiecti est qualitas perfecta, vt quæstione prima ostendimus, atque adeò quæuis intellectio, quæ formaliter est talis, debet re ipsa esse intellectio in esse quieto, & perfecto.

31. Tum denique, quia hoc ipso quod homo verbi gratia in fieri, & in facto esse habeat veram rationem hominis, tunc ipse in fieri non dicit actionem quaqua sit, sed ipsum hominem terminantem primo in executione actionem, siue mutationem prædictam, & nondum habentem mediante illa totum suum esse, seu quidquid ab ipsa habiturus est, homo autem in facto esse dicit eumdem hominem participantem media illa actione quidquid mediante ea in ordine ad suum esse perfectum participaturus est: ergo hoc ipso quòd intellectio in fieri habeat veram essentiam intellectionis, seu perceptionis obiecti eo modo, quo sensatio exterior in opinione iam dicta, & similiter intellectio in facto esse, seu verbum sit vera intellectio, & perceptio eiusdem obiecti: consequens erit vt intellectio in fieri non sit verum fieri, vtraque productio verbi, siue intellectionis in facto esse, cuius oppositum hic dicendi modus, quem impugnamus admittit, sed sit ipsummet verbum nondum habens quidquid à sua causa efficiente habiturum est, ac proinde nulla restet actio, per quam prædictum verbum producatur.

Ex quo etiam constat, non posse dici tertium, scilicet intellectionem in fieri non esse veram perceptionem obiecti modo iam dicto, sed solùm ipsam productionem, & fieri verbi, quoniam vt ex infra n. 57. & deinceps latius dicendis patebit, dictio, quæ est productio verbi, includit essentialiter intellectionem, & perceptionem obiecti, saltem eo modo, quo sensatio exterior non producens iuxta modum dicendi iam insinuatum speciem expressam, est perceptio sui obiecti sensibilis.

Occurritur fundamentis primæ sententiæ.

§. III.

32. AD primum ex testimonio Diui August. petitum respondetur cum Angelico Doctore 1. part. quæst. 34. art. 1. vbi postquam sibi opposuit verba Augustini in hoc argumento adducta, sic in solutione ad secundum loquitur: *Cum ergo dicitur, quod verbum est notitia, non accipitur notitia pro actu intellectus cognoscentis, vel pro aliquo eius habitu, sed pro eo, quod intellectus concepit cognoscendo. Vnde & Aug. dicit, quod verbum est sapientia genita quod nihil aliud est, quàm ipsa conceptio sapientis; quæ etiam pari modo notitia genita dici potest.*

Ad

Ad confirmationem respondetur primò cum Capreolo, & Nazario optimè colligi ab August. quod in patria erimus similes Deo, quia videbimus eum sicuti est, non quidem, quia per ipsam visionem formaliter sumptam sit habenda prædicta similitudo in esse intelligibili, sed quia hoc ipso, quòd Beatus videat Deum sicuti est, inuoluitur ibidem, quod debeat habere essentiam Diuinam vnitam sibi in ratione formæ intelligibilis, per quam in esse intelligibili fiat Deus.

Secundò respondetur cum eodem Nazario, hoc esse proprium visionis beatificæ, quòd sit similitudo obiecti vi sui, scilicet Dei, non quidem in esse intelligibili, & repræsentatiuo, sed in esse entitatiuo, & naturali: quatenus per participationem quandam, & similitudinem analogam participat aliquid de eo, quod in Deo habet rationem naturæ, scilicet videre se ipsum pro vt est in se, quamuis non participet illud per modum naturæ, vt nostri Salmaticenses, immo iam citato, tract. de scientia DEI, disp. 5. optimè explicant. Vnde propter hanc etiam rationem meritò Augustinus dixit, quod cum apparuerit similes ei erimus, ex eo quod videbimus eum sicuti est.

33. Ad secundum ex auctoritate Diui Thomæ desumptum respondetur loqui ibi sanctum Doctorem de intelligere pro vt distincto à dicere: de eo autem sic sumpto, verum est, quòd in illo nulla ratio originis importatur, id est, quod ab eo nihil procedat tamquam terminus per illud productus, & ab eo distinctus, sicut in ipso dicere contingit. Et propterea dixit D. Thomas quod est *informatio quadam in intellectu nostro*, vt denotaret non debere respicere aliud à se distinctum, tamquam terminum per illud productum, sed respicere subiectum, vt illud constituat in esse intelligentis obiectum.

Cæterum, cum post prædicta verba, sc. *quòd est informatio quadam in intellectu nostro*, statim adiecit, *prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectæ*, noluit significare, quòd forma rei intellectæ sit id, per quòd formalissimè constituitur intellectus in ratione intelligentis, ita vt hoc sit effectus formalis talis formæ, sed quidnam sit illud per quod intellectus redditur omnino proximè capax ad hoc, vt eliciat, & suscipit in se intellectionem à prædicta forma distinctam, per quamque in esse intelligentis constituatur: & hoc dixit esse se ipsam formam rei intellectæ, scilicet speciem intelligibilem, quam formam rei intellectæ sæpè nominat, vt ex 1. contra Gent. cap. 53. & aliis locis supra citatis constat: quia nisi intellectus sit actuatus per prædictam formam intelligibilem, non est omninò proximè capax ad eliciendam, & suscipiendam in se intellectionem, quæ tam ab specie impressa, quàm ab expressa, siue verbo distinguitur.

Vnde, non est omnino verum id quòd in eodem argumento additur, scilicet quod intelligere dicitur à D. Thoma, effectus formalis rei intellectæ, in qua nulla ratio originis importatur: quia licet verum sit, quod in intelligere vt distincto à dicere nulla ratio originis importatur, est tamen falsum, quòd intelligere sit effectus formalis formæ rei intellectæ. Vtrùm autem species intelligibilis desideretur ad suscipiendam intellectionem: ita vt in ipsa immediatè hæreat: an verò solum suscipiatur in intellectu, actuato tamen, & informato per prædictam speciem, eo proportionali modo, quo actiones Christi Domini, licet non recipiantur in subsistentia verbi, recipiuntur tamen in humanitate, terminata per prædictam subsistantiam: & visio beata, licet non recipiatur in essentia Diuina, suscipitur tamen in intellectu beato, actuato tamen per essentiam Diuinam in ratione formæ intelligibili; alia quæst. est, & alibi discutienda.

34. Ad primam confirmationem respondetur, non rectè colligi, ex eo quod intelligere compleri non possit siue verbo, atque adeo non sit extrinsecum illi, quatenus per hoc significatur non esse de numero eorum, quæ numquam ad intellectionem desiderantur, quod prædictum verbum pertineat intrinsecè ad actum intelligendi, tanquam aliquid in recto ab eo importatum, sed solùm colligitur, quod habeat necessarium nexum cum illo, tamquam cum obiecto per se primo, & (modo infrà dicendo) intellecto, vt non contingit in his intellectionibus ordinis naturalis, & aliis pluribus, in quibus obiectum non est intimè præsens in intellectu cum sufficienti actualitate, & immaterialitate ad hoc, vt se ipso absque adminiculo verbi à se distincti possit vniri cum intellectu in ratione obiecti intellecti.

35. Vnde, contra hoc nullam habet vim probatio ibidem adducta, scilicet intellectionem esse vnicam, & simplicem qualitatem, atque adeò non posse resultare ex verbo, & ex aliqua alia qualitate, sed necessariò consistere in verbo si semel ad illam desideratur, nam quòd intellectio sit simplex qualitas, tollit ab ea, vt importet verbum in recto, vt quid intrinsecè illam constituens, non tamen, quòd afferat illud tamquam obiectum, modo explicato, & in euentu iam dicto, nam sicut de ratione intellectu est, quod sit per se nexus cum obiecto intelligibili, ita de ratione intellectionis est, vt habeat etiam nexum cum obiecto, de cuius ratione sit esse actu intellectum, seu actu terminans intellectionem, vt suprà tetigimus. Constabit autem ex dicendis quæst. sequenti verbum esse obiectum actu intellectum per intellectiones iam explicatas: & ita non mirum, quod cum eo habeant necessariam connexionem.

Ad secundam confirmationem constat ex his, quæ in solutione ad secundum asseruimus.

Ad tertiam respondetur, duplicem esse actualem manifestationem rei, aliam quidem per modum vitalis operationis, aliam verò per modum obiecti, & similitudinis, quæ non solum habitualiter, sed etiam actualiter manifestet obiectum, quæque semper sit nexa cum actuali intellectione à se distincta. Intellectio igitur est actualis manifestatio rei, per modum vitalis operationis: non verò per modum obiecti terminantis intellectionem, quodque non habet rationem operationis vitalis, per quæ ad omnia, quæ ibidem adducuntur satis constat.

Ad confirmationem patet ex modò dictis: nam essentia diuina ratione suæ eminentiæ, & purissimæ actualitatis habet adunatè rationem tam intellectionis, quàm obiecti, de cuius ratione est esse actu intellectum. Cæterum, illud prius conuenit illi, quia est manifestatio rei intellectæ per modum intelligibilis, & vitalis operationis: at verò hoc posterius competit ei, quatenus correspondet, modo tamen alibi dicendo, verbo mentali, quo ad hoc, quod est esse de ratione illius esse actu & intrinsecè terminatum intellectionem, seu esse per modum obiecti iam explicati manifestatiuum rei intellectæ. Vnde secundum quod exprimit hanc rationem, non exprimit per se ipsam, vt est intellectio, sed vt obiectum intellectum.

36. Ad quartam, concesso antecedenti neganda est consequentia, quia intellectio non est formaliter similitudo, quantumuis actualissima obiecti. Et ad probationem dicendum est, solum probare, quod sicut species intelligibilis ratione suæ habitualis repræsentationis reddit obiectum intelligibile, ita species expressa, siue verbum, reddit illud actualiter intellectum, id est actu terminans intellectionem, non tamen quod sicut

sicut species intelligibilis constituit intellectiuum in actu primo tamquam aliquid intrinsecum, & intriosecè pertinens ad talem actum primum, ita vt verbum constituat intellectum intelligentem, vt quid intrinsecum, & intrinsecè spectans ad intellectionem.

37. Et ratio disparitatis sumitur ex supra dictis: quia licet intellectio debeat oriri tamquam ab vnico principio, & actu primo adæquato a masculo, & à fœmina intellectuali, scilicet ab intellectu & obiecto siue ab specie intelligibili, quæ sit idem obiectum in esse intelligibili, reddatque illud intelligibile: & similiter obiectum, vel verbum, quod in eodem ordine, & actualiori modo sit idem obiectum, & constituat illud in ratione intellecti, debeat terminare intellectionem, seu partum illum in intellectionibus supra dictis, non tamen ipsa intellectio in creaturis, de quibus loquimur, est ipsum obiectum intellectum, adhuc in esse intelligibili, sicut principium, & terminus illius habent esse prædictum obiectum, quia non est similitudo illius, sed vnio cum eo tamquam cum obiecto intellecto, siue tendentia vitalis in illud tamquam in rem intellectam, vt ex supra num.28. & 32. dictis, & ex his, quæ circa visionem beatificam num.79. dicemus constabit, ac proinde obiectum, vel verbum non pertinebit vt intrinsecè ad intellectionem, vt quid illam intrinsecè constituens, sed solum vt obiectum per se ab ea inspectum, & cum ipsa actualiter nexum: quamuis species intelligibilis pertineat ad intellectum, vt intrinsecè illum complens, & constituens in actu primo, & reddens obiectum intelligibile: & similiter, verbum spectet intrinsecè ad rationem termini, & obiecti actualis intellectionis quia, vtrumque munus est munus rei intellectæ, vel eius, quod est idem in esse intelligibili cum illa.

Per quod etiam ad vtramque confirmationem patet: non enim intellectus dicitur intelligere tradendo ad se res, ex eo quòd ipsa intellectio consistat in hoc, quod intellectus intelligibiliter habeat, aut trahat ad se res seu (quod idem quo ad præsens est) sit similitudo in esse intelligibili illarum, sed quia nequit dari intellectio, nisi obiectum sit intimè præsens intellectui: tam in ratione obiecti motiui, quàm terminatiui, seu quantum ex se actu terminantis intellectionem, siue per se ipsum, siue media prædicta similitudine: Vnde cum volumus perfectè intelligere aliquam rem, ideo curamus perfectam eius similitudinem expressam formare, quia intellectionibus iam dictis necessario desiderio talis similitudo ad præstandum hunc influxum: & cum fiat per intellectionem non potest non ea formata haberi perfecta cognitio talis rei.

Nec refert si obiicias, non cohærere hæc cum illis, quæ in summulis lib.1. de terminis cap.1. diximus de actibus intellectus, scilicet eos esse per se expressas similitudines rerum. Respondetur enim id tantum à nobis fuisse dictum adducendo actus intellectus in exemplum ad explicandum signum formale, vt distinctum à signo instrumentali: constat autem ex communi Doctorum sententia quòd ad adducendum aliquid in exemplum, satis superque est vti probabili aliorum sententia, vt D.Thom. multoties id fecit. Sed de his videantur ea, quæ in simili disp.20.num.78. & 79. diximus.

QVÆSTIO III.

Vtrum intellectio sit qualitas per modum rei, & rei distincta a verbo, ita vt nullo modo inter se identificentur.

SEmel ostenso, quomodo verbum, & intellectio saltem formaliter distinguantur, statim pulsat animum inquirere, an maior alia distinctio inter vtrumque intercedat, ita vt nullo modo realiter identificentur, & propterea quæstionem istam excitamus.

Adducitur prior sententia.

§. I.

38. PRima sententia distinguit intellectionem à verbo solùm formaliter, non tamen distinctione per modum rei, & rei inter se non identificatæ entitatiuè. Ita Sotus in 4. dist.49. quæst.2. art.3. Molina 1. part. quæst.27. art.1. disp.8. num.2. & eam esse probabilem existimat Torres ibidem disput.4. Bañez dub.3. quam etiam plures ex Recentioribus tuentur.

Sententia hæc quatenus negat omnimodam identitatem inter intellectionem, & verbum constabit à fortiori ex his, quæ num.41. & sequentibus dicemus: quatenus verò negat distinctionem realem rei à re inter eandem intellectionem, & verbum productum per illam.

39. Probatur primò, quoniam intellectio, & verbum habent per se modum fieri & facti esse: ergo non distinguentur realiter tamquam res & res, sed ad summum formaliter, siue ex natura rei. Antecedens constabit ex his, quæ infrà n.57. & deinceps dicemus. Consequentia verò probatur, nam sicut realiter loquendo eadem res est, quæ est in fieri, & in facto esse, ita idem est realiter, & entitatiuè, fieri, & factum esse talis rei.

Confirmatur, nam actio transiens, quæ fit cum motu, non distinguitur per modum rei, & rei à suo termino, vt ex dictis in 3.Phys.disp.16. à num.28. vsque ad numerum 32. constat: ergo neque actio immanens qualis est intellectio, distinguetur per modum rei, & rei à suo termino, scilicet a verbo mentis. Patet consequentia; tum ex paritate rationis, tum etiam quia actiones nobilissimæ, & magis liberæ à limitatione minus debent distingui à suis terminis, quàm illæ quæ sunt inferioris conditionis, quandoquidem ea, quæ in inferioribus sunt dispersa, debent in superioribus esse vnita, ergo cum intellectio sit inter omnes actiones creatas nobilissima, ac proinde magis libera à limitatione, fiet inde vt non distinguatur plus, sed potius minus à suo termino, scilicet verbo, quàm actio transiens distinguitur à suo.

40. Secundò probatur, nam productio verbi, quatenus actio non distinguitur ab eadem productione quatenus est passio: at productio eiusdem verbi, quatenus est passio, non distinguitur realiter ab ipso verbo producto: ergo nec productio eiusdem verbi, quatenus est actio, distinguetur realiter ab illo. Maior constat ex communi Philosophorum sententia asserentium, quod actio, & passio inter se identificantur, & constat ex his, quæ 3.Physic. dip.17.n.13. asseruimus. Minor autem etiam liquet: tum inductione facta in aliis passionibus causatis ex actione transeunti, quæ non distinguuntur realiter à termino producto, tum etiam in creatione passiua, quæ est passio alterius rationis, quam intellectio, & sine motu propriè dicto,

dicto, sicut intellectio & nihilominus non distinguitur realiter ab ipsa creatura, sed est eademmet, vt in fieri: ergo, &c.

Confirmatur, quia alioqui in quauis intellectione esset duplex passio hoc autem videtur inconueniens: ergo, &c. Sequela probatur, quia esset duplex receptio, altera quidem intellectionis, quæ est qualitas quædam: altera verò verbi realiter ab illa distincti. Minor autem inductione facta in aliis actionibus satis constare videtur.

Ex Mente angelici Doctoris stabiliter ratione priori, & fundamentali intellectionem & verbum distingui per modum rei, & rei.

§. II.

41 Dicendum tamen est, intellectionem distingui à verbo mentali per modum rei, & rei, quæ inter se realiter non identificentur. Assertio hæc satis colligitur ex D. Thoma locis citatis, quæst. præced. & 4. contra gent. c. 11. & alibi sæpè, quem sequuntur Caietan. 1. part. quæst. 27. art. 1. dub. 4. Nazarius ibid. controuers. vltim. Turres, & Cano. super eundem articulum, Zumel disput. 5. referens Ferrarain, & Capreolum & tandem alij quàm plures ex discipulis D. Thomæ.

Probatur primò ratione, quam insinuat Angelic. Doctor locis quæst. præced, relatis, quæ potest explicari ex discrimine, quod intercedit inter Intellectionem, & actiones transeuntes: nam intellectio potest dari sine verbo, vt ibidem tetigimus, & quæst. 5. latius ostendemus, & ita quæuis intellectio, quantum est ex parte perfectionis siue entitatis, & consistentiæ illius, potest separari ab illo, & per consequens esse qualitatem valdè perfectam, vt loco citato num. 79. ostendemus, licet ex aliis capitibus ferè semper contingat, vt nequeat separari ab illo, ex eo quod obiectum, vel non existit intra intellectum: vel non habet sufficientem actualitatem, & immaterialitatem ad hoc, vt possit vniri cum illo in ratione obiecti, actu terminantis intellectionem, vt nostri Salmant, tomo iam dicto tractatu de visione Dei, disput. 2. optimè explicant.

Cæterum, actio de prædicamento actionis, & transiens ex vi imperfectionis suæ entitatis, & debilis consistentiæ illius, habet, quod nequeat dari sine termino: & ita implicat esse sine illo. Vnde intelligere non est modus, aut formalitas termini, sic verbi, nec è contra verbum (quia etiam est qualitas valdè perfecta, imo perfectior, modo tamen alibi insinuato, specie intelligibili) potest esse modus, aut formalitas intellectionis, ac proindè debent per modum rei, & rei inter se non identificatarum distingui, ac actio de prædicamento actionis, & cum motu identificata potest propter oppositam rationem esse modus, aut formalitas termini producti, atque adeò poterit modo alias iam tacto identificari cum illo.

Eodem assertio ratione alia ex D. Thoma petita fulcitur.

§. III.

42. Secundò probatur assertio ratione, quam insinuat Angel. Doctor locis citatis: quoniam loquendo de intellectionibus formantibus verbum, tunc verbum mentale est obiectum, internum intellectionis, seu obiectum illius existens intra potentiam intellectiuam, quod per se, & ab intrinseco petit esse actu intellectum, saltem per modum obiecti quo; & ratione cuius res intellecta extra intellectum existens, vel quæ, non est ita immaterialis, & actualis, sicut requiritur, habet terminare intellectionem: ergo debet distingui realiter per modum rei, & rei ab eadem intellectione. Consequentia videtur legitima, quoniam si intellectio solum distingueretur formaliter, siue ex natura rei à verbo, ita vt identificarentur in eadem entitate, non posset verbum esse semper obiectum intellectum per illam, vt patet in intellectione omnino directa, non habente realiter, & entitatiuè aliquid reflexè, alioqui talis intellectio esset omninò directa, sine admixtione reflexionis, vt supponitur, & communiter admittitur ab omnibus, & simul esset realiter eadem, siquidem per illam cognosceretur verbum, quod esset realiter, & entitatiuè ipsa intellectio.

Antecedens autem probatur: Tum quia illud docet D. Th. loco cit. ex 4. contra gent. vbi propter hanc rationem appellat verbum intentionem intellectam, his verbis: *Dico autem intentionem intellectam, id quod intellectus in se ipso concipit de re intellecta, quæ quidem in nobis nec est ipsa res quæ intelligitur, nec est ipsa substantia intellectus, sed est quædam similitudo concepta intellectu de re intellecta, quam voces exteriores significãt: Vnde & ipsa intentio verbũ interius nominatur, quod est exteriori verbo significatum.* Vnde ibidem addit, quod *verbum hominis non posset dici absolutè, & simpliciter homo, sed secundum quid scilicet homo intellectus. Vnde hæc falsa esset, homo est verbum, sed hæc potest esse vera homo intellectus est verbum.* Ex quæst. 4. de veritate, artic. 2. ad tertium, vbi sic ait: *Quod conceptio intellectus est media inter intellectum, & rem intellectam quia ea mediante operatio intellectus pertingit ad rem; & ideo conceptio intellectus non solum est id, quod intellectum est, sed etiam id quo res intelligitur, vt sic id quod intelligitur, possit dici & res ipsa, & concepte intellectus; & similiter id, quod dicitur potest dici; & res quæ dicitur per verbum, & verbum ipsum.*

33. Tum etiam, quia illud satis explicat, & suadet sequens probatio: Nam cum sit proprium intellectus intelligere, trahendo ad se suum obiectum, & tale obiectum habeat respectu illius, tum rationem obiecti motiui, tum etiam obiecti terminatiui, oportet, vt secundùm vtramque rationem trahatur ad intellectum, quoties prædictum obiectum non est per se ipsum vnitum illi, & cum sufficienti actualitate, & immaterialitate ad hoc, vt possit vtrumque munus exercere. Quare cum per speciem intelligibilem solùm trahatur obiectum ad intellectum in ratione obiecti motiui, & principij intellectionis: non verò in ratione obiecti terminatiui, seu vt melius dicamus terminantis intellectionem; consequens est, vt in prædicto euentu debeat necessariò dari species expressa, seo verbum, per quod obiectum intellectum trahatur ad virtutem intellectiuam in ratione obiecti terminantis intellectioné.

Vnde, sicut species intelligibilis essentialiter est principium intellectionis, quia per eam res intelligibilis in ratione obiecti motiui ad intellectum trahitur: & ideò obiectum exterius ratione illius est principium efficiens respectu intellectionis, ita etiam verbum essentialiter erit ipsa intentio intellecta, seu terminus; vel obiectum interius, de cuius conceptu sit esse obiectum intellectum, seu obiectum actu terminans intellectionem; & quod ratione illius obiectum exterius, vel non habens sufficientem immaterialitatem, & actualitatem, sit actu terminans vltimatè intellectionem: siquidem per illud trahitur res ab intellectum, in ratione obiecti actu terminantis intellectionem Et propterea Diu. Thom. loco citatu ex 4. contra gent. loquit, quod *esse verbi est*

est intelligi, id est, esse talis conditionis, vt ab intrinseco habeat esse indispensabiliter obiectum terminans actu intellectionem.

44. Nec obest si obiicias primò, quod ex hac ratione non sequitur cognitionem reflexam, sed ad summum cognitionem directam, non posse consistere in verbo, sed distinguendam realiter entitatiuè ab illo: siquidem in cognitione reflexa potest ipsa cognitio habere rationem intentionis intellectæ. Respondetur enim, quòd, si semel intellectio directa non consistit in verbo, sed distinguitur realiter entitatiuè ab eo, signum est, intellectionem non esse formaliter similitudinem obiecti, nec esse modum, aut formalitatem verbi; atque adeò nec cognitionem reflexam hoc habere; quandoquidem, vt intuenti constabit, non debet esse minoris entitatis vna, ac alia, licet ad vtramque in defectu obiecti habentia conditiones iam dictas talis similitudo requiratur. Adde quòd quando cognitio solùm formaliter est reflexa, vt in creaturis contingit, tunc illemet, quæ est cognitio cognitionis, non est intentio intellecta, sed alia realiter, & entitatiuè distincta, quæ per talem cognitionem intelligitur, quæque tunc solum habet rationem obiecti intellecti, mediante verbo ipsius.

45. Nec etiam obest, si obiicias secundò, quòd verbum esse intellectum *vt quod* non tollit, quominùs possit esse realiter ipsa intellectio: ergo ex hac ratione non rectè colligitur intellectionem, & verbum esse realiter distinguenda. Antecedens probatur, quoniam etiam ipsa intellectio intelligitur *vt quo*; siquidem ipsa necessariò est id quo obiectum intelligitur. Respondetur enim, intellectionem esse necessariò id quo res intelligitur, tanquam ratio intelligendi præcisè, non tamen tanquam ratio terminandi intellectionem; & ita id, quo res intelligitur, vt forma intelligendi est intellectio; id autem quo intelligitur vt ratio terminandi, est verbum. Quæ solutio desumitur ex D. Thom. Opusc. 43. vbi vt supra retulimus, sic inquit. *Istud ergo sic formatum & expressum in anima dicitur verbum internum; & ideò comparatur ad intellectum, non sicut quo intellectus intelligit seu sicut ratio intelligendi; sed sicut in quo intelligit, quia in isto sic expresso, & formato videt naturam rei intellectæ.*

46. Ex quo etiam addi potest, quod verbum non dicitur intelligi per modum obiecti *quo*, quia non habeat etiam rationem obiecti intellecti, *vt quod*, sed quia ita intelligitur, & terminat *vt quod*, vt simul sit obiectum *quo*, quatenus res ad extra existens non terminat nisi ratione verbi: & sic intellectio immediatè terminatur ad verbum, vt ad obiectum immediatè cognitum *vt quod*, & mediante verbo terminantur ad obiectum externum, vt ad obiectum vltimatum. Vnde, Diuus Thomas loco nuper citato ex quæst. 4. de verit. art. 2. ad tertium dixit. Quod *conceptio intellectus non solum est id, quod intellectum est, sed etiam id, quo res intelligitur, vt sic id, quod intelligitur, possit dici, & res ipsa, & conceptio intellectus; & similiter id, quod dicitur, potest dici & res, quæ dicitur per verbum, & verbum ipsum.* Sicut etiam propter eandem rationem 1. contra gent. cap. 53. iam citato inquit de verbo, quòd est quasi terminus intelligibilis operationis, id est, vt benè explicat Ferrar. ibidem, quod non terminatur ad ipsum vltimatè intellectio, licet sit terminus, & obiectum immediatum, ac proximum.

Nec tandem obstat, si obiicias tertiò, quod iuxta doctrinam eiusdem Diui Thomæ 1. part. quæst. 34. artic. 1. ad tertium intelligere, in hoc distinguitur à dicere, quod intelligere, importat solam habitudinem intelligentis, & ad rem intellectam, sed dicere, importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum: & mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quæ in verbo prolato manifestatur intelligenti; si autem verbum esset obiectum intellectum, *vt quod*, & mediante illo intelligeretur obiectum ad extra existens, tunc intellectio non distingueretur à dicere, quo ad hoc quod est importare habitudinem ad verbum; siquidem tam dicere, quàm intelligere respicerent illud immediatè: & mediante eo quasi transierent ad rem intellectam.

47. Respondetur enim, quod intelligere pro vt distinctum à dicere respicit tam verbum, quàm obiectum ab eo repræsentatum, non qualitercumque, sed præcisè per modum obiecti cogniti: ita tamen, vt vnum sit ratio alterius, vt q. 4. magis explicabimus; & propterea verbum, & obiectum ad extra existens non ponunt in numero quo ad hoc, quod est respicere ab ipso intelligere, nec prædictum intelligere extrahitur ad hoc, quod importet solam habitudinem ad rem intellectam: ex eo, quod dicat etiam habitudinem ad verbum in ratione intellecti; ita tamen (vt per hoc tacita quædam obiectio, quæ aliquos immeritò premit, soluatur) quod non sit necessarium, vt secundùm hanc rationem consideratum sumatur secundùm suum esse naturale, & entitatiuum, sed secundùm esse repræsentatiuum: & ideò cum primò formatur, non intelligitur quoad prædictum esse entitatiuum, sed solum quoad esse repræsentatiuum, & per illam met intellectionem, per quam obiectum repræsentatiuum intelligitur, iuxta illud Aristotelis, quod idem est motus in imaginem, & in id, cuius est imago.

Cæterùm, idem verbum pro vt est terminus dictionis, & consideratur in esse producti formaliter sumpti, ponit in numero cum re exteriori, dicta, & intellecta, quia habitudo illa producentis ad productum, quam importat dictio, sistit in verbo, & non transit ad res dictas, & intellectas; ita vt istæ simul, & necessariò producantur vnà cum eodem verbo, & propterea dictio non eodem modo respicit verbum, & res intellectas: nec importat solam habitudinem ad rem intellectam, sed vt significatur nomine dictionis, & productionis importat principaliter habitudinem ad verbum, & mediante verbo ad res intellectas, non quidem quia illas produceat; sed quia illarum productio modo infrà num. 57. & sequentibus explicando intellectio, & ita potest etiam ire mediante verbu, quod etiam est intellectum ad res repræsentatas per illud; sed de his videantur ea, quæ quæst. sequenti dicemus.

Nec tandem refert si obiicias cum Molin. quod quilibet intelligens experitur se non intelligere imaginem obiecti, & in imagine obiectum, sed immediatè obiectum ipsum: ergo falsò in hac ratione supponitur verbum esse per se obiectum intellectum, & ratione illius intelligi rem illam, cuius est similitudo, siue imago.

48. Respondetur enim cum B. ñez & Nazarin 1. part. quæst. 27. art. 1. controuers. 1. paragr. 3. *considerandum est.* Quod dupliciter intelligi potest, speciem expressam, seu verbum esse obiectum, seu terminus actus intelligendi, vno modo quatenus talis est, scilicet qualitas spiritualis perficiens intellectum, & eius actum, & hoc modo non est obiectum nisi respectu actus reflexi; alio modo quatenus est imago, siue similitudo. Et hoc adhuc dupliciter; vel in actu signato, considerando, scil. ipsius naturam, & quidditatem, qua à cæteris rerum generibus, & speciebus distinguitur, quæ est etiam contemplatio verbi, vt res quædam est, & sic etiam non

rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur. Ergo apertè sentit, non includere essentialiter dictionem, quæ est origo quædam verbi mentalis ab ipsa. Et deindè probatur ratione; nam vt suprà diximus, intellectio potest reperiri sine verbo per illam producto, vt patet in intellectione verbi Diuini, & Spiritus Sancti, & in visione beatifica, vt ex dicendis q. sequenti constabit. Quoad secundam verò partem probatur: Tum quia videtur esse D. Thom. loco nuper citato, his verbis: *Sed dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum, nihil enim est aliud dicere quàm proferre verbum.* Constat autem; quòd hoc; quod est proferre verbum neque est, neque includit formaliter intellectionem, sed tantum productionem illius; sicut quod obiectum sensibile producat speciem sensibilem, vel intellectus agens speciem intelligibilem; aut os externum formet verbum, neque est, neque includit formaliter cognitionem, sed solam habitudinem producentis ad rem productam.

53. Confirmatur: Nam in diuinis intellectio non includit dictionem, nec rursus dictio intellectionem: ergo in creatis distinguentur formaliter per modum excludentis, & exclusi. Consequentia videtur legitima. Antecedens autem, quo ad primam partem, patet ex nuper dictis de intellectione Verbi, & Spiritus Sancti. Quoad secundam verò partem videtur etiam certa; quoniam dictio in diuinis se tota est productio actiua verbi, atque adeò se tota distinguitur realiter ab illo: ergo non includit suo præciso, & formalissimo conceptu intellectionem, quæ est idem cum ipso verbo.

Nec refert si dixeris; quòd licet intellectio se sola non sit productio verbi, attamen ipsamet formaliter sumpta, modificata tamen per aliquem modum; seu formalitatem modalem est dictio, & productio verbi; quia dicere nihil est aliud; quàm intelligere exprimendo verbum: & ita dictio coalescit ex intellectione in recto, & ex illa formalitate modali in obliquo, & hoc tam in creatis, quàm in diuinis: & propterea dicere in Patre, nihil est aliud, quàm intellectio connotando paternitatem, ac proinde dictio in illo non distinguitur tota, & totà iter à Verbo.

54. Nam contra hoc est; quod illæ habitudines distinguuntur in recto, quarum obiecta principalia, & immediatè inspecta distinguuntur, sed obiecta principalia, & immediata intellectionis, & dictionis, sunt distincta: ergo etiam habitudines earum debent esse in recto distinctæ. Maior, cum consequentia patent. Minor autem etiam liquet: siquidem obiectum principale, & immediatum intellectionis est res intellecta, & in diuinis est essentia diuina, quæ primò intelligitur; obiectum verò immediatum; & principale dictionis vt talis, est verbum dictum, seu productum.

55. Secundo & principaliter probatur eadem sententia; & simul impugnatur præcedens solutio: quoniam dictio est prior intellectione: ergo non includit illam: ergo neque etiam intellectio includet dictionem, sed mutuo se excludent. Antecedens constat; quoniam intellectio præsupponit verbum, ex eo quòd in eo tanquam in obiecto contemplatur rem intellectam, & obiectum intellectionis contemplatiuæ præsupponitur ad illam: ergo multò magis præsupponet dictionem, quæ præcedit verbum tanquam productio illius. Prima verò consequentia ex antecedenti constat; quoniam id quod est prius non includit essentialiter id, quod est posterius. Secunda verò consequentia ex hac priori, & ex antecedenti apertè equitur: quoniam hoc ipso quòd intellectio præsupponat dictionem, & verbum productum, non est necesse, vt ipsa producat verbum: & consequenter nec quod includat dictionem, quæ est productio verbi.

56. Tertiò, principaliter probatur eadem sententia; & simul impugnatur tacita solutio, quæ argumento præcedenti adhiberi poterat: nam in præsenti non potest habere locum, quod verbum sit prius intellectione in genere causæ formalis; & tamen intellectio in alio genere causæ, scilicèt in genere causæ efficientis; sit prior, vt ita eadem intellectio producat verbum, & in verbo à se producto contempletur rem intellectam: ergo, &c. Antecedens probatur; tum quia id, quod est prius aliquo in genere causæ efficientis, debet etiam esse prius in genere causæ formalis, quàm illud; quoniam vnumquodque agit in quantum est in actu; atque adeò in quantum præsupponitur cum omni actualitate, & causa formali requisita ad suum esse, & agere: Tum etiam; quia hoc ipso quòd intellectio esset prior verbo in genere causæ efficientis, posset dari sine illo; nam illo priori in quo præcedit verbum, non indigeret ipso; & qua ratione tunc non indiget illo; posset etiam in quouis alio posteriori non indigere eodem verbo; siquidem intellectio in quouis signo est eiusdem conditionis.

Vera D. Thom. sententia.

§. II.

57. Dicendum tamen est; productionem verbi, seu dictionem non esse aliam operationem formaliter; & ex æquo distinctam ab intellectione, sed esse etiam intellectionem cum quodammodo, seu formalitate modali. Assertio hæc quoad priorem partem est Diui Thomæ 1. q. 27. art. 1. vbi ait; quod *quicumque intelligit; ex hoc ipso quod intelligit, producit verbum:* si autem productio verbi, seu dictio non esset formaliter intellectio, non dixisset sanctus Doctor, quod quicumque intelligit, ex hoc ipso, quod intelligit, sed ex hoc ipso, quod haberet alteram actionem formaliter distinctam ab intellectione, scilicet dictionem, producit verbum. Idem etiam docet 4. contra Gent. c. 11. ante medium, vbi inquit: quod *de ratione verbi est procedere ab intelligente secundum suum intelligere, cum sit quasi terminus operationis intellectualis, intellectus enim intelligendo concipit, & format verbum.* Et de veritate quæst. 4. artic. 2. asserit verbum esse effectum actus intelligendi: quare cum sit effectus dictionis, non potest non dictio esse ipsa intellectio, & ibidem in solutione ad quintum, loquens de intellectionibus ordinis naturalis nostri intellectus, ait: *In nobis dicere non solum significat intelligere, sed intelligere cum hoc, quod est ex se exprimere aliquam conceptionem; nec aliter possumus intelligere, nisi huiusmodi conceptionem exprimendo, & ideò omne intelligere in nobis propriè loquendo est dicere.* Et qu. 34. art. 2. ad secundum, vbi inquit: *Dicere principaliter importat habitudinem ad verbum conceptum, & mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam.* Ac proindè dicere includet formaliter intelligere, consistens in illa habitudine ad rem intellectam.

58. Quoad secundam verò partem, scilicet dicere addere supra intelligere formalitatem quãdam modalem, est eiusdem D. Th. loc. cit. ex q. 4. de verit. ad quintum, vbi docet, quod dicere est intelligere cum quodammodo, scilicet producendo verbum. Vnde S. Doct. quoad vtramque assertionis partem sequuntur Caiet. part. q. 27. art. 1. Bañes, Zumel, & Naxarius ibidem, qui addit hanc esse communem Thomistarum sententiam, quam etiam sequitur Valent. & alij plures.

Explicatur assertio; etenim sicut actus scientificus producit habitum scientiæ, non quidem per alium actum formaliter, & ex æquo distinctum ab eodem actu scientifico, ex eo quod habitus iste quatenus talis petit oriri ab acto scientifico, sed per se ipsum modificatum per quendam modum, seu formalitatem quandam modalem causalitatis, & fœcunditatis, *vt quo* respectu eiusdem habitus, taliter, quod nec solùm modus iste, nec solus actus scientificus, sed prædictus actus modificatus per hunc modum fœcunditatis, siuè efficacitatis iam dictæ sit actualis productio habitus scientiæ; ita intelligere quatenus tale potest esse productio verbi, non tamen cum præcisione sumptum, sed vt modificatum per modalem quandam formalitatem causalitatis, *vt qui* verbi, & propterea nec solùm intelligere, nec solus prædictus modus, sed intelligere modificatum cum hoc modo est ipsa causalitas, & expressio verbi. Videantur ea quæ infrà à num. 63. vsque ad 75. dicemus, ex quibus assertio ista perspicuior, & manifestior euadet.

59. His ergo suppositis, probatur assertio ratione, quam insinuat Diu. Thom. loco citato ex q. 34. art. 1. ad tertium, & a. 3. & D. Aug. 15. de Trin. c. 7 quæ potest sub hac forma proponi; quoniam verbum procedit ex notitia rei intellectæ, ergo procedit ab intelligere. Consequentia est euidens. Antecedens autem probatur: Tum quia hoc ipso, quod nihil intelligatur, nihil potest intellectualiter dici: & iuxta mensuram eius, quod de re intelligitur, potest intellectus dicere, & non aliter: Tum etiam, quia præcisè per hoc, quòd producatur verbum, habet res intellecta esse intellectam id est, terminare actu intellectionem ratione verbi, vt suprà num. 43. & sequentibus diximus: ergò verbum procedit ex notitia rei intellectæ, alinqui præcisè per hnc, quod produceretur verbum, non haberet res intellecta terminare actu intellectionem ratione eiusdem verbi: Tum deindè, quia de ratione verbi mentalis, de quo loquimur, est quòd procedat ab intellectu, tanquam terminus suæ operationis, operatio autem adæquata intellectus, est notitia rei intellectæ; sicut operatio adæquata visus, est notitia obiecti visibilis: Tum denique, quia verbum in diuinis procedit ex cognitione essentiæ, & aliorum, eo quod cognitio illa est infinitè perfecta, & propterea infinitè efficax, & fœcunda: & ita si addatur illi modus quidam, scilicet relatio paternitatis, ratione cuius oponatur cum verbo, potest & debet ex prædicta notitia verbum infinitæ perfectionis procedere: ergo etiam in creatis, debita tamen proportione seruata hoc idem inuenietur.

60. Secunda verò rationis pars probatur ratione, quam innuit idem S. Doctor. nam cum intellectio producat verbum, non dicit specialem habitudinem ad rem intellectam, ita vt intellectio, quatenùs productio versetur circa illam, vt constat: ergo talis productio non addit nouam speciem intellectionis, sed solùm nouam modificationem illius; sicut quia in acto scientifico esse productionem habitus scientiæ, non conuenit illi respectu obiecti scibilis vt talis; ita vt productio illi versetur circa ipsum: propterea non arguit aliquem alium actum distinctum ab actu scientifico ex æquo; sed solum aliquem modum, seu formalitatem modalem eiusdem actus.

Fit satis priori argumento primæ sententiæ.

§. III.

61. AD primum, concesso antecedenti quo ad priorem partem, iuxta ea, quæ nuper, & in quæstione 1. huius disputationis diximus, & in quæstione sequenti dicemus, negandum est quod ad secundam: & ad probationem concedenda est maior, iuxta ea, quæ infra in hac eadem quæstione dicemus, & neganda est minor propter rationem dictam. Neque instantiæ ibidem adductæ aliquid probant; quoniam actus proprius obiecti sensibilis intellectus agentis, aut oris externi non est cognitio sicut actus proprius, & adæquatus intellectionis, est intellectio. Vnde sicut nulla actio naturalis potest procedere à luce, quatenùs præcisè est lux, nisi illuminatio tantummodò, vel eadem met modificare per tantam, vel tantam intensionem, quia illuminatio est actus adæquatus prædictæ lucis; itaquia intellectio est actus adæquatus intellectus, nihil potest oriri mediante operatione illius, nisi mediante intellectione secundùm se sumpta, vel modificata cum aliquo modo proprio illius.

Ad confirmationem patet ex dictis concedendum esse antecedens quoad priorem partem, & negandum quoad posteriorem; & ad probationem, quod licet dicto in diuinis distinguatur à verbo se totas non tamen se tota, & totaliter, quia includit intellectionem essentialem identificatam cum eodem verbo.

62. Vndè solutio ibidem tradita ad hoc argumentum, & eius confirmationem est legitima: quamuis cum hoc discrimine in diuinis, & in humanis philosophandum sit, quod in diuinis modus, quem addit dictio super intellectionem, non importatur in recto, sed tantùm in obliquo; secus verò in creatis propter minorem perfectionem, propter limitationem, quam intellectione creata ex se affert. Quare ad impugnationem ibidem adductam quatenus contra dicta procedit, dicendum est, quòd illæ habitudines distinguuntur in recto formaliter, & ex æquo, quarum obiecta principalia immediatè inspecta, & formalia eodem modo distinguuntur, quod quidem in præsenti non contingit quoniam in obiecto dictionis includitur obiectum intellectionis. Si quidem, vt ex Diuo Thoma docuimus, dicere mediante verbo, importat habitudinem ad rem intellectam, & per consequens in obiecto illius includitur obiectum habitudinis intellectionis. Vnde cum dicitur obiectum principale dictionis esse verbum productum, quatenùs productum est, sumitur dictio, præcisè & formaliter secundùm, id quod addit ratione illius formalitatis modalis supra intellectionem, vt intellectio est; non verò secundùm id præcisè quod includit ex parte intellectionis, quæ aliàs modificatur per prædictam formalitatem.

Occurritur secundo argumento eiusdem sententiæ.

§. V.

63. AD secundum vt respondeamus notandum est, intellectionem producentem verbum, quippè etiam est qualitas quædam, & forma ex se perfecta, vt ex dictis num. 8. & 41. constat, posse considerari tripliciter. Primò vt est, vt sic dicamus, in via, seu vt habet esse inchoatiuè. Secundò, vt habet esse quietum, seu completiuè. Tertiò, vt præscindit ab vtroque statu, seu quasi statu.

Iotes

Inter quæ hoc versatur discrimen; quod intellectio primo modo sumpta dicit eandem intellectionem ortam ab intellectu, vt informato per speciem intelligibilem, quatenùs immediatè terminatur ad verbum, vt ad effectum productum, & vt ad obiectum immediatè, & ratione sui per se primò intellectum, & solùm mediatè attingit res intellectas in verbo repræsentatas, non quidem ita, vt intellectio, quantum est ex vi huius status, & considerationis formalissimæ sumptæ, transeat, mediante verbo, ad res intellectas, quia hoc est proprium alterius status eiusdem intellectionis statim explicandi, sed quia status, & consideratio ista sistit in verbo quod est veluti medium quoddam ad percipiendum res in illo repræsentatas, quoniam non terminatur ad illud vt actu, & in exercitio est ratio, quare obiectum in illo repræsentatum percipiatur, seu terminet intellectionem: sed vt est sibi ratio illam terminandi.

Ad secundo modo dicit ipsam intellectionem provt in verbo producto contemplatur rem intellectam in ipso repræsentatam, seu provt à verbo, vel ratione verbi prius intellecti transit ad res intellectas, & repræsentatas in illo. Nam cum intellectio prædicta habeat hæc duo munera, vt ex dictis constat, & secundum priorem considerationem solùm exerceat primum munus quod exercere potest, & secundùm posteriorem exerceat munus vltimum quod ei competit, inde est, vt secundùm priorem rationem censeatur esse quasi in via, & inchoatiuè; at vt vero secundùm posteriorem habeat esse completiuè, & perfectum, seu quietum, quippè non tendens ad aliud munus sibi necessariò, & indispensabiliter debitum, vt in priori consideratione accidit; sed sistit in vltimo ex illis, à quibus suam perfectionem accipit.

64. Cæterùm intellectio vltimo modo accepta dicit eandem intellectionem, provt præscindit ab hoc, quod est terminari ad verbum, vt ad obiectum immediatè intellectum, & vt sibi ipsi est ratio terminandi eandem intellectionem, vel ad obiectum in eo repræsentatum, & ratione verbi perceptum, quamuis in exercitio nequeat terminari ad aliquod obiectum, nisi vt est sub aliquo ex prædictis statibus, aut quasi statibus; atque adeò non nisi iuxta modum, & conditionem iam explicatam illius status.

65. Diximus intellectionem producentem verbum habere hanc triplicem considerationem; quia hic non loquitur de intellectione creata, provt abstrahit ab omni intellectione, siuè producente verbum, siuè non; sed de ea, quæ illud producit, & simul percipit idem verbum modo suprà num. 47. & 48. explicato, & in verbo contemplatur rem intellectam; nam intellectio non producens verbum tantum habet respectu obiecti per se primò intellecti munus contemplationis; non verò intellectionis, vt sic loquamur, practicæ, id est producentis suum obiectum immediatè intellectum, & ex illa habitudine quatenùs primò terminata ad suum obiectum per se primò intellectum, intelligitur habere omne suam perfectionem, quamuis inde transeat ad alia, vt ad obiecta secundaria, & ita intellectio secundùm se, & vt abstrahit ab omni intellectionem creata dicit intellectionem, siue tantùm habeat esse perfectum; ita vt nequeat habere esse vitale iam explicatum, siuè præscindat ab vtroque.

Cæterum licet istæ duæ rationes habeant inter se suum ordinem, & prioritatem *à quo* iam insinuatam; non tamen ibidem intercedit aliqua prioritas *in quo*, etiam rationis, quia intellectio non producit verbum, nisi intelligendo, atque adeò nequit concipi talis productio sine intellectione. Et rursus intellectio producens verbum, non potest dum intelligitur producere illud, percipere ipsum: quia tunc debet concipi, vt terminata ad obiectum per se primò intellectum, quod est verbum: sicut in vniuersum intellectio, qualitercumque considerata debet aliquo modo habere obiectum intellectum.

66. Et tandem, cùm idem verbum non sit obiectum per se primò intellectum, nisi per modum imaginis, & similitudinis rei intellectæ, vt ex dictis constat; indè est, vt nequeat intelligi, quin simul intelligatur res per illud repræsentata, ex eo quod idem est motus in imaginem; & in id, cuius est imago: quamuis quia in hoc ipso intercedit duplex munus, nimirùm quòd talis imago sit sibi ipsi ratio terminandi intellectionem, & simul sit ratio, quare res intellecta terminet illam; propterea illud munus est quodammodò prius, quàm istud & si intellectio consideretur secundum id, quod habet præcisè ex vi vnius muneris, non habet idipsum, quod ex vi alterius.

Maximè, quia licèt munus producendi verbum, & attingendi illud, vt est sibi ratio, quare per se primò terminet perceptionem sui, non distinguantur nisi tantum ex parte modi significandi, & concipiendi: attamen munus contemplandi in verbo producto rem intellectam, atque adeò ratione illius transeundi ad istam distinguuntur virtualiter à duobus prioribus muneribus: quia duo illa priora munera includunt modum, seu formalitatem illam modalem productionis iam explicatam.

67. Hinc ergo ad argumentum respondetur, concedendo antecedens, si intelligatur de dictione collata cum intellectione completiuè, & in esse quieto sumpta; non verò de dictione comparata cum intellectione sumpta secundùm se, vel provt est in via, modo explicato; nam secundùm se accepta prior est dictione, ex eo quòd intellectio secundùm se, modificata tamen per illum modum, seu formalitatem modalem iam explicatam, & virtualiter ab ea distinctam, habeat rationem dictionis, & ideò quod per aliud modificatur, est prius sua modificatione, & coniunctio illo, seu quasi coniuncto ex vtroque coalescente: & deinde intellectio provt in via ad contemplandum in esse quieto obiectum, quod per se ipsum non potest vniri in ratione rei intellectæ cum intellectu est formaliter dictio: quia intellectus producit verbum adhoc, vt in illo contempletur statim in esse quieto obiectum prædictum: & ideò dum intelligitur producere illud, intelligitur etiam esse in via tendentiæ ad contemplandum ipsum.

Et eodem proportionali modo distinguendum est consequens: & concedenda consequentia, si intelligatur de intellectione in esse quieto, & completiuè; neganda verò si intelligatur de illa secundùm se, vel vt est via, & tendentia iam explicata, secundùm quam vltimam rationem est formalissimè idem quod dictio.

68. Et ad probationem, tam antecedentis, quàm primæ consequentiæ, quatenus possunt pugnare contra solutionem datam, dicendum est, verbum posse etiam tripliciter sumi. Primò, provt habet rationem termini producti. Secundò, provt est forma actualissima, ratione cuius intellectui sit non quidem habitualiter, sed actualiter res intellecta. Tertiò secundùm quod non solùm habet vim potentem actu in exercitio esse id, in quo intellectus contemplatur obiectum, sed in actu exercito exequitur hoc munus.

Quæ quidem considerationes verbi ita inter se comparantur, vt secunda supponat primam, ex eo quod prius est prioritate, à quo, verbum produci quàm tribuere intellectui, quod sit actualissimè

res intellecta. Tertia verò subsequitur eodem modo ad secundam, nam ideò intellectio contemplatur obiectum in verbo, quia verbum est forma rei intellectæ repræsentans eam actualissimè.

69. Intellectio igitur (vt ita ad formam prædictæ probationis respondeamus in esse quieto, & completiuè præsupponitur ad verbum secundùm posteriorem considerationem sumptum: quia sicut prius est, quod visio corporea contemplans rem visam in se ipsa, terminetur ad illam, quam quod ipsa actu, & in exercitio fit visa: ita prius est, quod intellectio, vt contemplans in esse quieto rem intellectam in verbo, terminetur actu, & in exercitio ad prædictum verbum, quàm quod illud in actu exercito exequatur hoc munus essendi id, in quo intellectus contemplatur rem intellectam.

Et deinde eadem intellectio in esse quieto, & completiuè præsupponit verbum secundùm duas priores considerationes: ac proindè multò magis præsupponet dictionem, quæ præcedit verbum, tanquam productio illius: quamuis præsupponatur ad idem verbum secundùm posteriorem considerationem sumptum; ex eo quod nequit intellectio contemplari in verbo secundùm esse quietum rem intellectam, quin præsupponatur verbum productum: imò quin præsupponatur in ratione constituentis intellectum, in hoc quod est esse actualiter rem intellectam.

Et ratio est, quia vt nostri Salmanticenses, tomo citato, tract. de scientia Dei, disp. 4. rectè expendunt, intellectio secundùm hanc considerationem habet se per modum vltimæ actualitatis, & existentiæ ordinis intelligibilis; existentia autem alicuius ordinis præsupponit formam actualem eiusdem ordinis, qualis est verbum, vt tribuit intellectui, quod sit in ordine intelligibili res intellecta. Cæterùm, intellectio, vel in abstractione iam dicta, vel prout in via est prior verbo secundùm omnes has considerationes sumpto, ex eo quòd prædicta intellectio in via est ipsa effectio illius, & intellectio, quæ abstrahit à viali, & ab ea quæ habet esse quietum, non potest non includi in intellectione viali iam explicata.

Fit obuiam vltimo argumento prioris opinionis.

§. V.

70. AD tertium negandum est antecedens iuxta nuper dicta, quia cùm verbum concurrat ad specificandam intellectionem, modo tamen suprà explicato, potest in genere causæ formalis extrinsecæ præcedere illam, licet, quia ipsa facit suum obiectum internum, & immediatum, scilicet verbum, possit esse prior illo in genere causæ efficientis.

Et ad primam probationem dicendum est, causam efficientem, aut causalitatem eius debere esse priorem in genere causæ efficientis, & formalis intrinsecæ, quam suus effectus in esse effectus consideratus; non tamen quatenus talis effectus habet rationem obiecti concurrentis ad specificationem eiusdem causæ, aut causalitatis illius, nam tunc prædictus effectus potest esse secundùm hanc considerationem prior in genere causæ formalis extrinsecæ, & ad specificationem influentis, quàm illud, ad cuius specificationem concurrit, vt contingit in potentiis collatis cum suis actibus, qui ab illa secundùm vnam considerationem fiunt & secundum aliam specificant prædictas potentias. Vndè quod ibidem dicitur, scilicet vnumquodque agere quatenùs est in actu, atque adeò, vt præsupponitur cum omni actualitate, & causa formali requisita ad suum esse, & agere, potius est pro nobis, si fiat collatio inter agens & suum effectum, quatenùs est obiectum modo explicato, quia ad hoc, vt præsupponitur cum omni requisito ad esse, & agere, desideratur, vt obiectum in esso obiecti sit prius illo, & prædictum agens, causalitasque eius sint quid posterius, quidque dependens à suo obiecto in esse talis.

71. Et ad secundam probationem negandum est antecedens; quoniam hæc prioritas intellectionis respectu verbi non est prioritas in quo, sed à quo; neque est prioritas absoluta, & libera ab omni posterioritate in alio genere causæ: & ita intellectio creata producens verbum, semper indiget illo: Tum vt obiecto, & termino vt specificante, secundùm quam rationem est prius eadem intellectione: Tum etiam vt effectu non quidem, quia secundum quod est effectus, habeat prioritatem respectu intellectionis, sed quia prædicta intellectio vt est productio verbi, debet esse necessariò connexa cum illo: & ideò optimè colligeretur à posteriori intellectionem, non esse productionem verbi, nisi actu daretur verbum productum per illam.

Corollarium notatu dignum.

§. VI.

72. EX quibus omnibus fit, eleganter explicuisse Angelicum Doctorem naturam intellectionis, & dictionis, siue ipsum intelligere, & dicere; dum 1. part. quæst. 34. art. 1. ad 3. differentiam inter vtrumque his verbis assignauit: *Intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur, sed solùm informatio quædam in intellectu nostro: sed dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum; nihil enim est aliud dicere quàm proferre verbum, sed mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quæ in verbo prolato manifestatur intelligendi.*

Nam in prioribus verbis loquitur de intelligere in esse quieto, vt præsupponit verbum productum, & in illo contemplatur obiectum: & ita nec respicit verbum, nec rem intellectam, tanquam effectum productum per illam sic sumptam: sed tanquam obiecta intellecta habentia inter se subordinationem iam explicatam: & propterea optimè dixit Sanctus Doctor, quod in intelligere sic sumpto nulla importatur ratio originis, id est, quod ab eo formaliter sumpto nihil procedit per realem processionem (quamuis si identicè accipiatur, possit ab illo aliquid per realem processionem procedere) ac proindè non importat ordinem ad terminum productum, sed ad subiectum: quia respectu huius solummodò habet realem causalitatem, scilicet formæ ad subiectum. Propter quam rationem D. Thomas addidit verba illa: *Sed solùm informatio quædam in intellectu nostro, prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectæ.* Circa hæc tamen vltima verba videantur ea, quæ suprà num. 33. diximus.

73. Cæterùm, cum in verbis sequentibus inquit: quod *dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum, nihil enim est aliud dicere, quàm proferre verbum,* explicat ipsum dicere, non quidem adæquatè, sed inadæquatè, secundùm quod affert modum illum causalitatis *vt quo* iam explicatum & simul ipsum intelligere quod modificat, non quidem vtcumque, sed præcisè secundùm quod ex eo. & ex prædicto modo virtualiter ab eo distincto resultat integra causalitas, & productio verbi, prout præcisè exprimit

exprimit rationem causalitatis, & productionis, ac proinde habitudo producentis ad verbum productum: Nam ipsum dicere adæquatè sumptum importat ratione intellectionis, quam includit, quòd sit immediata perceptio verbi, & mediata obiecti in illo repræsentati; atque adeò non exprimit solam habitudinem producentis vt talis.

74. Vndè propter hanc rationem addidit, *quod mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quæ in verbo prolato manifestatur intelligenti.* Vt ita explicaret idem *dicere* quoad hanc habitudinem in adæquatam, siue expressum munus, quod habet ratione ipsius intelligere quod includit, quodque per prædictam formalitatem modalem modificatur; ac tandem in his, & in præcedentibus verbis ab eodem Sancto Doctore ad naturam dictionis explicandam adductis satis denotat, quod dicere nihil est aliud, quàm intelligere, prout est in statu viali, & tendentia ad contemplandum in verbo, & in esse quieto rem intellectam: quoniam, vt ex dictis constat, intelligere producens verbum non aliter est in statu viali, & dicit habitudinem tendentiæ prædictæ, nisi producendo, & dicendo verbum, ad hoc vt in eo contempletur quietè rem intellectam; ac proindè nisi intelligendo etiam verbum vt est quid primò, & in executione intellectum, & vt ex illis duobus muneribus, quæ simul in quouis signo *in quo etiam rationis* habet; scilicet esse sibi rationem terminandi intellectionem, & esse id, ratione cuius obiectum in eo repræsentatum terminat illam, habet exercere illud prius, quod aliquo modo præcedit hoc posterius.

Adde tandem pro maiori horum omnium explicatione, quod verba illam D. Thom. in hoc eodem testimonio ad explicandam naturam intellectionis, prout aliquod modo distinctæ à dictione adducta possunt etiam intelligi de intellectione secundùm se, & sua essentialia prout præscindit ab statu viali, & quieto, secundùm quam rationem nulla in ea ratio originis importatur; sed solum informatio quædam, præscindendo ab hoc, quod per illam in diuersis statibus sumpta producatur, vel supponatur productum verbum mentale.

QVÆSTIO V.

Vtrùm per quamlibet intellectionem creatam producatur verbum?

SEmel explicata distinctione; quæ inter intellectionem, & verbum reperitur, restat, vt explicemus, an sit tantus nexus inter vtrumque, vt quæuis intellectio debeat habere prædictum verbum pro termino producto. Loquimur autem de intellectione creata generaliter sumpta, quia licèt in his libris non agatur ex professo de alia intellectione, præterquam de intellectione humana; nihilominùs quoad hoc, eadem est ratio de quauis intellectione creata vniuersaliter sumpta.

Cæterum, quamuis titulus quæstionis expresè solum inquirat de intellectione creata; attamen, quod de intellectione in assertionibus dictum fuerit, debet etiam intelligi, debita tamen proportione seruata, de aliis operationibus immanentibus sensuum, & appetituum, præterquam de operationibus sensuum externorum; vt ex dicendis constabit.

Sententia affirmans.

§. I.

75. PRima sententia asserit per omnem intellectionem creatam produci verbum. Ita Molin. 1. part. q. 27. art. 1. Vasquez quæst. 12. art. 2. cap. 1. Suar. disp. 48. Metaph. sect. 2. à num. 7. referens plures alio. Montesin. 1. 2. qu. 3. art. disp. 3 quæst. 5. à num. 69. Rub. lib. 3. de Anima tract. de actu intellectus possibilis, q. 3. n. 168. Conimbricens. cap. 8. quæst. 3. art. 2.

Probatur primò ex Diuo Thoma 1. part. quæst. 27. art. 1. vbi inquit: *Quicumque autem intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ, ex vi intellectiua proueniens, & ex eius notitia procedens, quam quidem conceptionem vox significat, & dicitur verbum cordis significatum verbo vocis*: ergo sentit. S. Doctor in omni intellectione dari necessariò verbum productum per illam, quia quod conuenit intelligenti ex hoc ipso quod est intelligens, semper, & necessariò ei competit; sicut quod conuenit homini ex hoc ipso; quod est homo, non potest non semper, & necessariò ei competere.

Confirmatur; quia quæuis intellectio humana; siue per eam intelligatur aliquid per suam similitudinem, siue per suam essentiam, producit verbum: ergo idem de intellectione angelica, & de quauis alia intellectione dicendum erit. Consequentia patet ex paritate rationis. Antecedens autem probatur ex eodem S. Doctore de veritate quæst. 4. art. 2. ibi. sic ait: *Et hoc vniuersaliter verum est de omni quod à nobis intelligitur, siue per essentiam intelligatur, siue per similitudinem: ipsa enim conceptio est effectus actus intelligendi. Vnde etiam quando mens intelligit se ipsam, eius conceptio non est ipsa mens, sed aliquid expressum à notitia mentis.*

Secundò probatur eadem sententia; nam intellectio est vera, & realis operatio: verumque, & reale fieri: ergo necessariò debet ab ea aliquid procedere: ergo quod ab ea necessariò procedit, erit verbum. Antecedens videtur certum. Prima verò consequentia ex antecedenti consequitur: nam per verum, & reale fieri, non potest non aliquis terminus produci. Secunda verò consequentia ex hac priori constat; quia verbum nihil est aliud, quàm terminus immediatus intellectionis.

Confirmatur; nam cum intellectio creata hoc ipso, quòd talis, sit aliquid procedens ab intellectu, vel ipsa procedit ab illa præcisè *vt quo*, vel *vt quo, & vt quod*: si primum: ergo necessariò erit id, quod aliquid aliud, nempè verbum procedit, & fit ab intellectu. Secundum autem dici nequit, quia nihil potest esse fieri sui ipsius; ita vt simul fiat *vt quo, & vt quod*: Tum quia alioqui esset prius se ipsa, atque adeò esset antequam esset, quod repugnantiam inuoluere videtur: Tum etiam, quia sicut causa realis necessariò distinguitur realiter à suo effectu; ita causatio, & fieri reale eiusdem effectus non potest non realiter distingui ab illo, & ita nihil poterit procedere ab aliqua causa, vt id quod fit ab illa, tam vt quod, quàm vt quod.

76. Tertiò, nam si aliquando posset dari intellectio sine verbo, maximè cum res intellecta est immaterialis, & intimè præsens intellectui: at etiam in hoc euentu formatur verbum: ergo semper formabitur. Consequentia videtur legitima. Minor autem probatur; quoniam essentia, & intellectus angeli sunt satis immaterialia, & intimè præsentia intelle-

ctui angelico : & nihilominus cum ab eodem Angelo cognoscuntur formatur verbum seu (quod idem est, vt ex dictis n. 42. constat) intentio intellecta de illis, vt docet. Diu. Thom. 4. contra gent. cap. 11. his verbis : *Perfectior igitur est intellectualis vita in Angelis, in quibus intellectus ad sui cognitione non procedit ex aliquo exteriori, sed per se cognoscit se ipsum, nondum tamen ad vltimam perfectionem vita ipsorum pertingit, quia licet intentio intellecta sit ei omnino intrinseca, non tamen ipsa intentio intellecta est eorum substantia, quia non est in eis idem intelligere, & esse.* Maior autem suadetur ; nam tunc posset res intellecta per se ipsam terminare intellectionem, siquidem, vt supponitur, esset immaterialis, & intimè præsens intellectui : sicut propter hanc rationem sine productione nouæ speciei intelligibilis potest esse obiectum motiuum intellectus : ergo si aliquando posset dari intellectio sine verbo producto per intellectionem, esset in prædicto euentu.

77. Quartò ; nam adhoc, vt aliquis sit intelligens in actu, necessariò requiritur, quòd sit res intellecta in actu ; sicut adhoc, quòd aliquid sit intellectiuum habitualiter desideratur indispensabiliter, quòd sit res intellecta in habitu, scilicet per speciem intelligibilem habitualiter repræsentantem obiectum : ergo etiam necessariò requiretur verbum, ac proindè per omnem intellectionem producetur. Hæc vltima consequentia patet ex priori, quoniam hoc ipso quod detur verbum, debet fieri per intellectionem, prior verò ex antecedenti etiam constat, quia verbum nihil est aliud, quàm forma actualissima rei intellectæ per quamque intellectus fit in actu ipsa res intellecta.

Quintò, nam si de intrinseca ratione intellectionis sit productio verbi, tunc suauiùs, & commodiùs intelligemus mysterium Trinitatis quantum ad generationem Filij : ergò hic modus dicendi est præ aliis eligendus, maximè, quia Sancti Patres, & grauissimi Theologi explicant nobis generationem Filij in diuinis per analogiam & similitudinem ad verbum creatum, ex eo quod sicut per intellectionem creatam semper producitur verbum ; ita per diuinam quippè fœcundiorem debet etiam produci verbum diuinum.

Sententia D. Thomæ magis placet.

§. II.

78. Dicendum tamen est primò non esse necessarium, vt in omni intellectione creata formetur verbum. Ita Diu. Thom. 1. part. quæst. 12. art. 2. q. 8. de verit. artic. 1. in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 1. ad 15. quæ testimonia optimè expendunt Nostri Salmant. tomo cit. tract. de visione Dei, disput. 2. Vnde S. Doctorem sequuntur Caiet. Baños, Nazarius, Gonçalez, Zumel, Nauarette, Ripa, Isabel 1. part. quæst. 12. artic. 2. Aluarez 3. part. disput. 13. notab. 3. & disp. 61. num. 10. Soncinas in epitome ad Capreolum in 1. dist. 27. q. 2. & Capreol. in 4. distinct. 49. quæst. 5. Ledesma de perfectione Dei quæst. 8 art. 5. & 6. & quam plures alij ex discipulis Diui Thomæ, vt testantur idem Ledesma, & Zumel locis cit.

79. Ratio autem fundamentalis huius assertionis desumitur ex Diuo Thoma locis nuper relatis ; quoniam visio Beatorum, per quam videtur Deus prout est in se, est vera, & propria intellectio : imò inter intellectiones creatas omnium perfectissima : & tamen in ea non producitur verbum : ergo non erit necessarium, quod in omni intellectione creata formetur verbum. Maior cum consequentia sunt satis perspicuæ. Minor verò latè ostenditur à nostro Collegio Salmanticensi, tomo, & tract. nuper citato, & potest breuiter suaderi ex his, quæ supra disput. 18. q. 3. diximus : nam quæuis species intentionalis, maximè verò species expressa, seu verbum est eiusdem naturæ cum suo obiecto, saltem sub alio modo essendi, scilicet in esse repræsentatiuo, siue cognoscibili : sed repugnat aliquid creatum esse eiusdem naturæ cum diuina essentia etiam sub esse repræsentatiuo, siue cognoscibili, quandoquidem, vt communiter docent Theologi, & Philosophi, implicat, quòd Deo, & creaturis detur aliquod prædicatum vniuocum sub quocumque modo essendi reali : ergo repugnabit in visione prædicta, per quam videtur Deus, formari verbum ; alioqui, vt dicebamus, verbum hoc esset eiusdem naturæ cum suo obiecto, scilicet cum Deo : sed de vi videantur ea quæ disp. & quæst. nuper adducta tetigimus, & illa quæ loco citato, & tractatu de scientia Dei, disp. 2. nostri Salmant docent.

Confirmatur ex his, quæ ex D. Thom. ex duabus quæstionibus præcedentibus diximus, scilicèt intellectionem esse qualitatem valde actualem, & perfectam, atque adeò ex vi imperfectionis, & illius propriæ entitatis non indigere termino per illam producto, per quem veluti fulciatur, & confortetur, ad hoc vt possit esse, & consistere in rerum natura, sed aliundè, ex eo quod obiectum, vel non est secundùm se intra intellectum, vel non est intra illum cum sufficienti immaterialitate, & actualitate adhoc, vt per modum obiecti ad intra sit obiectum terminans intellectionem : ergo quando obiectum fuerit intra intellectum, & habuerit sufficientem immaterialitatem, & actualitatem adhoc, vt se ipso terminet intellectionem, ex eo quod de sui ratione est esse essentialiter actu intellectum seu terminans intellectionem per modum actus purissimi, vt in Deo clarè viso à Beatis contingit, non erit necessarium formari verbum.

80. Dicendum est secundò, quamuis per nullam intellectionem producatur verbum, ex eo quòd intellectio ipsa ex defectu, & debilitate suæ entitatis petat necessariò terminum productum, cum quo identificetur, vel à quo fulciatur, & confortetur, vt in rerum natura sit, & consistat, vt in actionibus de prædicamento actionis contingit, attamen per omnes alias intellectiones creatas, præterquam per visionem beatificam producitur verbum.

81. Assertio hæc quoad priorem partem satis explicata, & probata manet ex dictis pro præcedenti; quoad posteriorem verò est D. Thom. q. 9. de potentia, art. 5. vbi petit verbum productum deseruiens ad omnem intellectionem creatam, in qua obiectum non est talis conditionis, vt habeat per se esse obiectum actu intellectum, seu actu terminans intellectionem ; ac proindè petit illud ad omnem intellectionem, in qua obiectum, licet ex se sit actu intellectum, nihilominus non vnitur in ratione obiecti intellecti, seu actu terminantis per se ipsum cognitionem : constat autem, quòd respectu omnium aliarum intellectionum creatarum, vel non habet obiectum esse per se, & essentialiter intellectum respectu alicuius intellectionis, vt in intellectionibus terminatis ad obiecta creata contingit ; vt si obiectum id habuitur ex eo, quod obiectum eas terminans est Deus ; non tamen per se ipsum est vnitus in ratione obiecti intellecti cum potentia intellectiua ; nisi solum in ordine ad visionem beatam, sicut tantum in ordine ad illam vnitus per se ipsum in ratione speciei intelligibilis cum intellectu creato.

Idem etiam docet S. Doct. 4 contra gent. cap. 11. vbi ex eo negat posse Angelos se ipsos intelligere absque formatione verbi ; quia non est de ratione suæ substantiæ,

substantiæ, & quod essentialiter, & ex propriis meritis præcisè habeat esse obiecta actu intellecta, seu actu terminantia intellectionem, aut quod in idem redit, quia non sunt ipsa intentio intellecta. Et ita ait: *Perfectior igitur est intellectualis vita in Angelis, in quibus intellectus ad sui cognitionem non procedit ex aliquo exteriori (sicut intellectus humanus) sed per se cognoscit se ipsum, nondum tamen ad vltimam perfectionem vitæ ipsorum pertingit, quia licet intentio intellecta sit eis omnino intrinseca; non tamen ipsa intentio intellecta, est eorum substantia, quia non est in eis idem intelligere, & esse.*

82. Et hoc ipsum etiam docuit idem Angelicus Doctor. 1. part. quæst. 12. art. 2. vbi ideò præcisè negat omnem speciem creatam, siue intelligibilem, siue expressam Dei, quia prædicta species debet esse eiusdem immaterialitatis, & naturæ cum Deo, quod tamen implicat. Quare, cum non repugnet alias species deseruientes ad quamcumque aliam intellectionem creatam esse eiusdem immaterialitatis, & naturæ cum suis obiectis, vt statuenti constabit: planè fit, quòd iuxta mentem Diui Thomæ sit contra rationem visionis beatæ attingentis Deum, prout est in se, quod per eam formetur verbum; secus tamen contra rationem aliarum intellectionum creatarum, sed potius sit satis consonum naturis earum, vt ex eodem Angelico Doctore modo innuebamus. Vnde hanc sententiam tuentur Ferrar. 1. contra gent. cap. 53. Syluester, quem refert, & sequitur Nazarius 1. p. q. 77. art. 1. controuers. 1. Bañes in eodem articulo in dubio, quod excitat ad examinandam rationem D. Thom. in 6. conclusione illius, & quàm plures alij ex discipulis Diui Thomæ.

83. Ratio fundamentalis huius assertionis desumitur ex D.Thom. locis citatis: quoniam ad omnem intellectionem sequitur, vt obiectum terminans illa sit intra intellectum, & vnitum cum eo in ratione obiecti terminantis eandem intellectionem: ergo in omni intellectione creata, siue naturali, siue supernaturali; quæ non terminetur ad Deum prout est in se, siue vt clarè visum, debet produci verbum, ratione cuius obiectum sit actu intellectum, & terminans actualem sui cognitionem. Antecedens constat ex his, quæ num. 43. diximus, & insuper potest probatio ibidem adducta amplius explicari, & confirmari: Tum ex eo quod de ratione obiecti terminantis intellectionem est, vt habeat actu aliquod esse, ratione cuius terminet illam, sicut de ratione obiecti motiui intellectus est, vt habeat actu aliquod esse, ratione cuius exerceat rationem obiecti motiui; sed obiectum intellectus non terminat intellectionem secundùm esse, quod habet ad extra; quia proprium est intellectus intelligere trahendo res ad se: ergo secundùm, quod est ad intra in intellecto, & vnitum cum eo in ratione obiecti terminantis intellectionem: Tum etiam, quia res intellecta eodem modo terminat prædictas intellectiones, siue existat, siue non existat in se: ergo signum est non terminare intellectionem secundùm quod habet actu in se esse naturale, sed secundùm quod habet actu aliquod esse obiectiuum, & intentionale, ratione cuius sit intellecta, & habeat esse vnitum cum illo in ratione obiecti terminantis intellectionem.

Consequentia verò probatur ex dictis; quoniam aliæ intellectiones creatæ præter visionem beatificam, vel terminantur ad obiecta quæ non sunt secundùm se intra intellectum; vel si secundùm se sunt intra illum, habent tamen esse creatum, de cuius ratione non est esse actualiter intellectum; seu petere, quod indispensabiliter sit semper, & in exercitio terminans intellectionem: vel si terminentur ad obiectum: increatum, non tamen terminantur ad illud, vt est in se quidditatiue, & clarè cognoscibile; ac proinde non terminantur ad ipsum, prout secundùm suam substantiam est vnitum cum intellectu in ratione obiecti clarè, & quidditatiuè visi, seu secundùm quod est vnitum secundùm suam substantiam cum intellectu in ratione obiecti actu terminantis intellectionem, nisi in sola visione beatifica: ergo necessariò debet in prædictis intellectionibus produci verbum ratione cuius obiectum sit actu intra intellectum terminans actu intellectionem.

Obiectiones contra dicta, & solutio earum.

§. III.

84. Sed obiicies primò contra confirmationem primæ assertionis: imò etiam contra rationem illius, quod licet essentia Diuina habeat essentialiter esse intellectam à Deo, non tamen ab intellectu creato: ergo licet adhoc, vt intelligatur ab illo non indigeat verbo producto, & ita verbum Diuinum non ex indigentia intellectionis Dei, sed ex fœcunditate ipsius procedat ab illa; nihilominus adhoc, vt intelligatur ab intellectu beato, indigebit verbo producto, de cuius ratione sit esse actu intellectum per talem visionem; & reddere Diuinam essentiam actu intellectam ab illa: & per consequens non erit de ratione verbi, vt sit eiusdem naturæ cum re intellecta.

Respondetur, quòd sicut adhoc, vt esse personale Verbi diuini possit secundario extendi ad terminandam naturam humanam Christi Domini; ita vt ex parte sui, sit ipsa actualis terminatio illius, non requiritur, quod sit de ratione eius esse actu, & in exercitio terminantem illam, sed satis est, quod habeat esse ipsa filiatio in abstracto per essentiam, & per modum actus purissimi: & propterea à solum Verbum Diuinum, vel aliæ ex Personis Sanctissimæ Trinitatis possunt, vt sic dicamus, personare naturam aliquam, ita adhoc vt Diuina essentia possit se ipsa, & secundariò, scilicet vnionem cum intellectu Diuino vniri cum intellectu beato in esse obiecti intellecti, non est necessarium, quòd sit de ratione eius esse actu intellectum ab illo, sed satis est eam esse ipsum actuale esse intellectum in abstracto per essentiam, & per modum actus purissimi. Et ratio est eadem vtrobique: quia hoc ipso; quòd subsistentia Verbi, & essentia Diuina habeant conditiones iam dictas, habent essentialiter esse actu terminantes suum proprium, & per se primum terminabile: & ita se ipsis absque aliqua additione possunt extendi ad secundarium terminabile; & quòd actu non extenduntur, non est defectu earum, sed ex defectu, & potentialitate, verbi gratia, naturæ humanæ, & intellectionis creatæ.

85. Secundò obiicies contra secundam assertionem testimonium quoddam Arist. 9. Metaph. text. 16. & 1. ethic. cap. 1. vbi inter actionem transeuntem, & immanentem constituit discrimen in hoc quod per illam aliquis terminus producitur, secus verò per hanc: quod etiam docuit Angelicus Doct. 1. contra gent. c. 90. vbi diffinit actionem immanentem eam esse, per quam nihil præter ipsam producitur.

Ad hanc obiectionem respondent Suar. disput. 49. suæ Metaph. sect. 2. num. 10. Montesin. loco citato. 1. part. q. 27. art. 1. disp. 8. memb. 2. & alij discrimen istud assignatum ab Aristot. & D. Thom. tandem consistere in hoc, quod per actiones immanentes nihil producitur, quod remaneat post ipsas; secus verò per transeuntes, vel in hoc, quòd actiones

immã

immanentes nihil producunt extra ipsum operantem, secùs verò transeuntes.

Sed contra hanc solutionem obstat esse plures actiones transeuntes, vt citharizatio, & illuminatio formaliter, sumpta, quæ nihil post se permanens relinquunt: & similiter esse aliquas operationes immanentes, & virtualiter transeuntes, per quas aliquid extra ipsum operans producitur, vt constat in creatione, quæ est actus immanens Diuini intellectus, & voluntatis, per quem producuntur res ad extra, ex eo quod actus illi ratione suæ infinitæ perfectionis habent summam efficacitatem: & ita possunt efficere id, quod alij actus transeuntes efficerent.

86. Quarè, melius respondetur cum D. Thom. locis citatis, & 9. ethic. Aristotelem loqui permissiuè, ita vt actioni immanenti possit permittit, quod non habeat terminum productum, iuxta ea quæ de visione beatifica diximus, ex eo quòd actio immanens ob generalem rationem actionis immanentis illum non petit; secùs verò est de actione transeunte ordinata ad transfo mandam materiam exteriorem, de qua Arist. & Diuus Thom. locis citatis loquuntur; quæ semper debet habere terminum ab illa distinctum.

Tertiò obicies contra rationem secundæ assertionis; quod licèt detur, obiectum debere esse intra intellectum ad hoc vt terminet, non inde sequitur necessariò dandum esse verbum in prædictis intellectionibus, quia obiectum extra intellectum existens trahitur ad illum per speciem intelligibilem: ergo ratione illius poterit terminare intellectionem.

87. Respondetur enim speciem intelligibilem tantùm habere rationem principij intellectionis directæ, & obiecti motiui intellectus in ordine ad illam: & ideò non habere rationem obiecti terminatiui, nisi verbi gratia in cognitione reflexa; qua cognoscitur intellectio directa; & ea mediante principium formale elicitiuum illius, scilicèt prædicta species: & ita necessariò dandam esse aliquam aliam speciem intentionalem, ratione cuius obiectum ad extra existens terminet intellectionem, quia in cognitione omninò directa, nihil habens de reflexione, non potest idem esse principium, & terminus intellectionis, vt intuenti constabit.

88. Neque hinc sequitur, quod saltem respectu intellectionis reflexæ non detur verbum. Ratio autem cur id non sequatur: iam supra tacta est, potest elucidari sic: Nam de ratione speciei intelligibilis, vt talis non est esse actualiter intellectam, quod tamen requiritur ad obiectum interius terminans actu intellectionem; ex eo quòd sicut ad hoc vt intellectus habeat quidquid requiritur ex omni capite, ad hoc vt possit intelligere; necessariò desideratur tanquam aliquid tenens se ex parte obiecti, quòd sic habitualiter res intellecta, & illud per quod est habitualiter res intellecta reddit necessariò obiectum intelligibile; ita ad hoc vt intelligat in actu secundo, requiritur ex parte obiecti, quòd sit actualiter res intellecta, & id per quod est actu res intellecta reddit illam necessariò actualiter intellectam, seu actu terminantem intellectionem: & per consequens est talis conditionis, vt sit de ratione eius esse actualiter intellectum; alioqui non posset rei intellectæ præstare prædictum effectum: quemadmodum nec species impressa redderet obiectum intelligibile, nisi de ratione eius esset esse intelligibile per modum principij intellectionis.

Quarto obicies contra eandem rationem, quod ex illa videtur colligi per operationes appetitus sensitiui, & rationalis nullum terminum produci: hoc autem est contra communem Theologorum sententiam: ergo, &c. Sequela videtur perspicua, quoniam appetitus isti feruntur ad res non provt sunt ad intra, sed provt sunt ad extra in se ipsis: ergo cum ideò dicatur per prædictas intellectiones produci aliquem terminum, quia intellectus intelligit, trahendo res ad se; fiet indè per actus vtriusque appetitus nihil esse producendum.

Confirmatur; quia cum amatur aliquod obiectum, quod est ad extra, verbi gratia diuitiæ, tunc nihil aliud ad intra residens diligitur vt obiectum; è contra verò cum aliquid ad extra existens intelligitur, debet dari aliquod obiectum interiùs, quòd sit intellectum per illam intellectionem: ergo quamuis per intellectiones prædictas producatur verbum, non tamen per actus appetitus.

89. Respondetur negando sequelam; nam sicut est proprium obiecti intellecti quatenus talis, quòd sit intellectu, vel per se ipsum, vel per sui similitudinem, ita est proprium amati, vt modo sibi proportionato sit in amante: & ideò sicut per intellectionem producitur verbum, quoties obiectum non potest vniri per se ipsum cum intelligente in ratione obiecti intellecti; ita etiam per volitionem producitur terminus aliquis proportionatus, quo mediante amatum sit in amante, saltem quoties amatum nequit per se ipsum vniri in ratione obiecti amati cum amante; quia proportio quæ est inter obiectum intellectum, & amatum, & inter voluntatem, & intellectum, hoc exposcit.

Vndè D. Thom. 1. p. q. 27. art. 3. sic ait: *Secundùm autem operationem voluntatis inuenitur in nobis quadam alia processio, scilicèt processio amoris, secundùm quam amatum est in amante, sicut per conceptionem verbi res dicta, vel intellecta est intelligente.* Quod etiam repetit q. 37. art. 1. dicens: *Sicut enim ex hoc quòd aliquis rem aliquam intelligit, prouenit quadam intellectualis conceptio rei intellecta in intelligente, qua dicitur verbum: ita ex hoc, quod aliquis rem aliquam amat, prouenit, quadam impressio, vt ita loquar, rei amata in affectu amantis, secundùm quam amatum dicitur esse in amante, sicut & intellectum in intelligente: ita cùm aliquis se ipsum intelligit, & amat, est in se ipso non solum per identitatem rei, sed etiam vt intellectum in intelligente, & amatum in amante.*

90. Et ad probationem in contrarium dicendum est, non esse contra rationem appetitus, qui fertur in rem amatam, quòd hæc sit in appetitu amante ratione alicuius termini per illam producti; quamuis sit contra rationem eius, quod sit in illo ratione alicuius termini, qui sit similitudo obiecti, sitque prædictum obiectum in esse cognoscibili: quia hoc est proprium virtutis cognoscitiuæ: & propterea ratione huius dicatur esse proprium illius trahere res ad se.

Ratio autem propter quam illud prius non est contra rationem appetitus est; quoniam amatum non est in amante ratione prædicti termini, nisi quatenùs talis terminus est quædam inclinatio, & impulsus per modum termini in illud, & vnaquæque res dicitur esse quodammodo in inclinatione, & impulsu, quo aliud fertur in ipsum ratione portionis, & conuenientiæ, quæ est inter vtrumque: constat autem, quod hoc modo esse aliquid in appetitu non tollit quominus proprium sit eiusdem appetitus ferri in res, provt sunt in se ipsis; quia vt optimè notauit D. Thom. 4. contra gent. cap. 19. hoc ipso quod amatum sit hoc modo in amantis voluntate, est in illa, vt inclinans, & quodammodo impellens intrinsecus amantem in ipsam rem amatam. Et propterea Caiet. & Nazarius 1. part. quæst. 27. artic. 3. inquiunt, quod fieri vt amatum sit in voluntate, non est fieri quod sit in illa vt tractum, sed vt trahens ipsam voluntatem: & quod amare non est trahi, sed trahere amantem.

91. Ex

91. Explicatur magis hoc; etenim licèt intellectus mediante verbo, transeat ad attingendum obiectum secundum esse naturale, & entitatiuum, quod in se habet: & similiter voluntas mediante termino, quem producit, transeat ad amandas res, prout sunt in se ipsis: aliter tamen, & aliter; nam verbum ita mediat, vt sit ratio formalissima *sub qua* obiectum ad extra terminat intellectionem; ac proindè, licèt obiectum ad extra saltem multoties habeat ex propriis meritis quidquid requiritur ex parte rationis formalis *quo* ad terminandam intellectionem; non tamen quidquid ex parte rationis formalis *sub qua* desideratur.

Cæterum, impulsus ille, qui per modum termini producitur per voluntatem ad hoc, vt obiectum amatum sit etiam per modum termini in amante, præcisè se habet per modum medij respectu obiecti amati; non verò per modum formalissimæ rationis ex parte obiecti se tenentis, ratione cuius obiectum amatum habeat formaliter terminare, & specificare volitionem; quoniam ipsa bonitas obiecti est id, quod ex parte eius desideratur, ad hoc vt ex parte sua habeat rationem obiecti formalis specificantis volitionem, & amorem; vt ita per hoc saluetur maxima illa communi calculo recepta, scilicèt, quod intellectus fertur in res prout sunt ad intra, voluntas verò ad easdem prout sunt ad extra, & in se ipsis.

Ex quo ad confirmationem respondetur primò cum Nazario, & Bañes 1.p.q.27. art 3. & Zanardo 9. Metaph. lect. 2.t.q.20. concedendo antecedens, scilicet terminum, & impulsum per voluntatem productum non esse volitum per modum obiecti, ex eo, quod proprium est voluntatis, non egere aliquo vt obiecto volito, & interno ad hoc vt feratur in res ad extra. Cæterùm, neganda est consequentia; quia prædictus terminus non producitur, vt obiectum volitum, sed vt sit impulsus quidam per modum termini quo mediante, voluntas impellatur in rem amatam, & amatum sit in ipso amante.

92. Secundò respondetur, negando antecedens cum Ferrar. 4. contra gent. c. 19. § *Respondetur, quod Spiritus Sanctus*; vbi inquit quod sicut esse verbi est intelligi, seu esse obiectum actu, & ex propriis meritis terminans intellectionem; ita esse termini producti per voluntatem est amari, & esse aliquid de cuius ratione sit esse actu terminans vtcumque volitionem. Tum, quia cum prædictus terminus pertineat ad voluntatem, & non actualis amor, aut principium eius, oportet vt pertineat ad illam tanquam obiectum, modo iam insinuato, amatum: Tum etiam, quia vt docet D.Thom. 1.p.q 16. art. 4. ad 3. & Caiet. ibidem, & q. 9. a. 4. nec non, & Capreol. in 2. distinct. 24 q. 1. a. 1. ad 1. contra primam, actus voluntatis est volitus, vt obiectum, quatenus proprium est illius reflecti supra seipsum & propterea idem S Doctor. 2. 2. q 25. art. 2. ait, quod ex hoc ipso quod aliquis amat aliquid, consequenter amat se amare, & hoc esse de ratione amoris; ac proindè etiam terminus eiusdem actus erit etiam volitus, ex obiectum; siquidem quoties prædictus terminus fit, debet voluntariè, & spontaneè produci sicut ipse actus voluntatis: & ita debet ob hanc rationem, eodem proportionali modo, esse etiam volitus per modum obiecti habentis se ad instar medij ad hoc vt voluntas transeat ad obiectum, quod est ad extra.

Nec refert, si vrgeas, non posse nunc terminum productum per voluntatem esse rationem formalissimam terminandi respectu obiecti amati, & ad extra existentis, si semel talis terminus consistit essentialiter in amari, seu in hoc, quod est esse actu terminantem actum voluntatis; quia terminus productus per intellectionem, scilicet verbum, ob hanc solam rationem habet esse formalissimam rationem terminandi intellectionem respectu obiecti intellecti, & ad extra existentis, ex eo, scilicet quod quidquid essentialiter est tale, habet ratione sui esse tale, & cætera alia ratione illius, & non aliter debent esse talia.

93. Respondetur enim facilè ex dictis, hanc obiectionem solùm probare non posse obiectum ad extra, & non vnitum per se ipsum voluntati in ratione obiecti voliti terminare volitionem, nisi mediet aliquis terminus productus per illam, quòd se habeat tanquam quid volitum per modum medij iam explicati, & impulsus trahentis voluntatem ad rem volitam, quia prædictus impulsus tantùm habet essentialiter esse obiectum volitum hoc modo; saltem quoties obiectum non potest per se ipsum esse vnitum in ratione obiecti voliti; sicut è contra, quia verbum essentialiter habet esse obiectum intellectum; non quidem per modum medij præcisè, sed per modum obiecti formalissimè, & modo iam dicto, ex eo quod intellectus non intelligit nisi trahendo res ad se, atque adeò nisi prout sunt in illo; propterea quoties obiectum non potest per se ipsum vniri cum intellectu in ratione obiecti intellecti, toties nihil terminat intellectionem nisi verbum ipsum, vel ratione illius tanquam formalissimæ rationis terminandi ex parte rei intellectæ se tenentis, non secùs, proportione seruata, ac contingit in specie intelligibili impressa, quæ quidem essentialiter habet esse obiectum motiuum intellectus, ..., & propterea nihil mouet illum nisi ipsa vel ratione illius; & inde est; vt ipsa obiectum reddat intelligibile, sicut verbum obiectum ad extra existens reddit intellectum, seu actu terminans intellectionem.

94. Quintò, contra eandem rationem obiicies, quòd res intellecta non terminat intellectionem intuitiuam, nisi secundùm esse reale, & naturale quod habet in se ipsa; & ideò hoc ipso, quòd non existat in se, nequit per visionem intellectualem videri: ergo malè in prædicta ratione diximus, quòd res intellecta eodem modo terminat cognitiones, de quibus in assertione loquimur, siue ipsa existat, siue non existat in se ipsa.

Confirmatur; nam visio corporalis terminatur ad suum obiectum secundùm esse quod habet in se, non verò secundùm esse quod habet in aliquo verbo; siue specie expressa: ergo hoc ipsum dicendum erit de visione intellectuali. Consequentia patet: Tum ex paritate rationis: Tum etiam, quia si visio corporea, quæ est longè imperfectior, quàm intellectualis potest sine indigentia verbi terminari ad suum obiectum, quando magis id poterit visio intellectualis, quæ est excellentior, atque adeò minus habens indigentiæ? Antecedens autem est Diui Thomæ quodlibet. 5. art. 9. ad secundum, vbi inquit: *Non autem ipse sensus exterior format sibi aliquam formam sensibilem: hoc autem facit vis imaginatiua, cuius forma quodammodo simile est verbum intellectus.*

95. Respondetur, quòd licet res intellecta non terminet visionem intellectualem seu notitiam intuitiuam intellectus, nisi existat in se per realem, & naturalem existentiam respectu illius durationis, per quam mensuratur intellectio; attamen quoties obiectum non est per se ipsum vnitum cum intellectu in ratione obiecti intellecti, toties tam hoc, quàm cætera alia, quæ secum affert, non terminant intellectionem secundùm prædictum esse; ita vt tale esse sit ratio, sub qua terminandi ex parte rei

intellectæ

intellectæ se tenentis, sed secundùm, quod repræsentantur in verbo producto, vt actu, & in exercitio existentia: ideò in eis ratio formalissima terminandi semper est verbum. Vndè ad formam argumenti, concesso antecedenti iuxta modò dicta, debes negare consequentiã; quia cùm diximus, rem intellectam eodem modo terminare intellectiones illas siue existas, siue non existas, loquebamur de formalissima ratione sub qua terminandi; ita vt hæc semper sit aliquid interius, scil. verbum, de cuius ratione sit esse actualiter intellectum, & actualissimè repræsentare id, quod intelligitur, vt supra explicatum est.

96. Ad confirmationem respondetur concedendo antecedens: quippè quod testimonio D. Thom. loc. cit. & 1. contra gent. c. 100. & 9. Metaph. lect. 8. fultum est, & ita illud concedunt Nazarius, Zumel, Bañes, Caiet. loc. cit. ex 1. p. & Capreol in 1. dist. 27. q. 2. art. 3. & quamplures alij ex discipulis eiusdem S. Doct. & deindè neganda est consequentia. Et ad primam probationem dicendum est, esse disparem rationem, nam intellectus ratione suæ maioris perfectionis habet trahere ad se res, tam in ratione obiecti motiui, quam terminatiui; sicut etiam alij sensus interiores id habent. Et propterea eodem modo, vt n. præced. explicuimus, tendunt in res cognitas, siue existant, siue non existant: & ita petunt obiectum aliquod interiùs, scil. verbum, siue speciem expressam de cuius ratione sit, quod ex proprijs meritis habeat esse obiectum actualiter cognitum, seu esse actualiter terminans cognitionem; atque adeò esse cognitum, seu esse actualiter terminans cognitionem, non est in tali re, proueniens à cognitione, sed aliquid intrinsecè obiecto sola denominatio extrinsecum & præuium ad eandem cognitionem, quatenus extrinsecè illud denominantem.

Cæterùm; sensus externi ratione suæ minoris perfectionis secundùm quam obtinent infimum locum inter potentias cognoscitiuas, tantùm habent trahere res ad se, medijs speciebus sensibilibus, & impressis; atque adeò tantum trahunt illas in ratione obiecti motiui, non verò terminatiui: & ideò prædicti sensus solum habitualiter suas res sentiũt, non verò actualiter; quia ad hoc requiritur maior perfectio, maiorque immaterialitas, quàm sit illa, quæ in his sensibus inuenitur. Vnde ex vi modi tendendi nec terminantur ad obiecta sensibilia, siue existant, siue non existant: sed secundùm illud esse naturale, quod habent, quatenus obiecta sensibilia non aliter, nisi ratione prædicti esse possunt terminare, nec in prædictis obiectis est aliquid intrinsecum eis actu terminantia sensationem, sed solum denominatio extrinseca à sensatione proueniens.

Soluuntur argumenta primæ opinionis initio adducta.

§. IV.

56. AD primum optimè respondent nostri Salmanticenses tomo citato, tractatu de visione Dei, disp. 2. dicentes S. Doct. loqui de omnibus intellectionibus ordinis naturalis, quantumuis perfectis, vt dum Angeli se per suam essentiam intelligunt; nam in his semper datur verbum, vt infra explicabitur, & consonat interpretatio hæc contextui; quoniam ibi S. Doct. non intendit adducere rationem ex se efficacem ad probandum dari verbum in diuinis, quandoquidem id ratione naturali nequit conuinci, sed solum afferre congruentiam ex his, quæ in omnibus cognitionibus naturalibus contingit ad manuducendum intellectum supposita. Fide in ordine ad assensum prædictæ veritatis, scil. generationis verbi Diuini. Ad hoc autem sufficit, quòd in omni cognitione naturali semper inueniatur verbum: quia conuenientius ex illa quippe notiori, quàm ex alijs intellectibus solo lumine fidei notis, quales sunt intellectiones supernaturales, ratio congruentiæ desumitur. Vndè cum D. Thom. plures alias congruentias ad alia mysteria Fidei declaranda, & supposita eadem Fide aliquo modo suadenda adducit, vtitur multoties exemplis rerum naturalium, non verò supernaturalium, quæ ad sui certam cognitionem etiam requirunt Fidem.

Quibus etiam addi potest (vt sic tacitè cuidem obiectioni fiat satis) quod ex hoc, quòd per intellectionem aliquando non producatur verbum, vt in Beatis contingit, non posse argui illud non generari in diuinis, quia visio beatifica non est participatio intellectionis notionalis Patris, vt notionalis est, sed intellectionis essentialis diuinæ, vt talis est intellectio autem essentialis præcisè vt talis, non producit verbum: aliàs Filius, & Spiritus Sanctus illud producerent, sed vt est notionalis: & ideò a solo Patre, in quo tantùm intellectio notionalis seu dictio inuenitur, illud producitur.

Per quod etiam ad confirmationem patet, quia etiam in illo testimonio ex quæst. 4. de veritate sumpto loquitur D. Thom. de intellectione nostra ordinis naturalis, siue illa fiat per species distinctas à re intellecta, siue per ipsum obiectum per suam essentiam vnitum in ratione speciei, vt cum anima se per se ipsam in statu separationis intelligit.

98. Ad secundum concesso antecedenti de reali fieri pertinente ad prædicamentum qualitatis, non verò actionis, neganda est prima consequentia vniuersaliter intellecta, quia, vt ex dictis constat, operatio, & fieri de prædicamento qualitatis, non est necesse, vt semper habeat terminum productum realiter ab illa distinctum, ex eo, quod prædicta qualitas est forma perfecta eminenti modo, rationem actionis, & termini continens.

99. Explicant autem hoc optimè nostri Salmanticenses tomo, tractatu, & disputatione nuper citatis in hæc verba: nam actio immanens, nempe intellectio, & aliæ iam dictæ, ob suam eminentiam, vltimamque actualitatem æquiualent actioni transeunti, & termino illius; termino quidem, quia est forma, & qualitas quædam perfecta, sicut terminus prædictæ actionis; actioni verò, quia eminenti modo est vltima actualitas potentiæ, & consistit in exercitio quodam actualissimo: & ita est forma quædam perfecta, in actuali exercitio, & vltima actualitate constituta, quia intellectus actualiter viuit, & obiecto vitali, & intelligibiliter vnitur. Vnde, licèt actio transiens, quæ est purum fieri ad prædicamentum actionis spectans, & realiter entitatiuè in esse vitali, & fluxu consistens, debeat necessariò habere terminum productum ex natura rei ab ea distinctum; cum esse eius, quippè viale, sit propter illum, secùs verò intellectio: quia non necessariò est propter terminum, scilicet verbum, sed terminus, & verbum est propter ipsam, vt eo mediante tanquam obiecto (modo iam dicto præ intellecto) obiectum contempletur.

Quapropter, quando prædicta intellectio indiguerit hoc termino, ex hoc, quod obiectum non est actu præsens, & in ratione obiecti terminatiui non habet sufficientem actualitatem: quia non est de ratione eius esse actualiter intellectum, seu esse actu terminans intellectionem, tunc eadem intellectio, quatenus eminenter æquiualet actioni transeunti, est quæ vltima actualitas agentis, producit eleuatiori modo

terminum

terminum à se distinctum, nempe verbum; quandò verò eo non indigeret, ex eo, quod obiectum est intimè præsens, habetque sufficientem actualitatem ad hoc, vt non solum in ratione obiecti motiui; sed etiam actu terminatiui se ipso immediatè vniatur cum intellectu, vt in visione beatifica contingit; tunc non producit terminum à se distinctum, quia cum non fit propter illum, sicut actio transiens; sed potius terminus fit propter indigentiam ipsius intellectionis, non producit illum, cum eo non indiget; sed ipsa sola per modum formæ perfectæ, & habentis in se eminenter rationem actionis, & termini, procedit ab intellectu, illúmque vitaliter, & in actu secundo cum obiecto vnit. Hucusque nostri Salmant.

100. Ad confirmationem benè etiam respondent nostri Salmanticenses loco citato dicentes; quod hoc ipso, quod intellectio procedat ab intellectu per modum formæ perfectæ, eminenter æquiualentis actioni transeunti, & termino illius, potest eminenti modo procedere ab illo; tam, *vt quo*; quàm *vt quod*, ac proindè si talis intellectio non indiguerit termino producto à se realiter distincto; ex eo quod obiectum ob sui eminentiam, & purissimam actualitatem, est intimè vnitum cum intellectu in ratione obiecti intellecti, tunc non producetur verbum.

Et ad primam probationem in contrarium occurrunt; quod licèt fieri de prædicamento actionis, & coniunctum cum motu non possit esse fieri sui ipsius, vt ita fiat *vt quo*, & *vt quod*, sed solum *vt quo*; secùs tamen fieri eminens, & consistens in forma, & qualitate quadam perfecta; nam ex quo capite est vltima actualitas agentis, & æquiualet actioni transeunti, non indiget alia actualitate, seu actione, media qua procedat ab intellectu; & ex quo capite est forma perfecta non consistens quo ad suam formalitatem, siuè entitatem in fluxu, & esse viali, procedit etiam tanquam res effecta, *vt quod*. Nec indè sequitur, quòd sit, antequam sit; vt argumentum intendit, sed quòd simul habeat ratione suæ eminentiæ procedere *vt quo*, & *vt quod* absque vlla distinctione ex parte rei conceptæ, sed solum ex parte modi concipiendi; & ad summum (de quo alibi) cum sola distinctione virtuali; ita vt illa formalitas, per quam æquiualet actioni transeunti; sit prior virtualiter alia, per quam æquiualet termino illius, quamuis realiter loquendo, vtraque formalitas sit omninò simul.

Per quod etiam ad secundam probationem (inquiunt prædicti Patres) satis patet, nam licèt effectus, vel terminus productus debeat indispensabiliter distingui à sua causa, vel principio productiuo; non tamen est necesse, vt fieri, & productio alicuius rei consistentis in actuali exercitio, & vltima actualitate agentis, & simul rationem formæ perfectæ habentis, distinguatur ab eadem forma, vt est producta *vt quod*, quia tale fieri non est vtcumque fieri reale illius; sed fieri reale, & eminens. Vndè sicut generatio passiua verbi Diuini, quæ in satis probabili multorum sententia consistit in relatione filiationis per modum originis significatæ simul habet esse realiter eminenter productam, *vt quo*, & *vt quod*: & hoc non arguit in ipsa distinctionem realem; quia hoc non conuenit illi vtcumque realiter sed realiter eminenter; atque adeò per modum alicuius præhabentis vnitè, & eleuatiori modo vtramque rationem; ita hoc ipsum, proportione seruata in emanatione intelligibili, & creata ratione suæ eminentiæ inuenietur.

101. Ad tertium concedenda est maior, quando res intellecta est immaterialis tanta immaterialitate, vt de ratione eius sit esse actu intellectam. Et deindè neganda est minor. Et ad probationem dicendum est, essentiam Angeli non habere tantam immaterialitatem, quanta requiritur, vt per se ipsam vniatur in ratione formæ intellectæ cum suo intellectu; ex eo quod non est de intrinseco, & essentiali conceptu eius, esse rem actu intellectam, seu esse obiectum actualiter terminans intellectionem sui.

102. Ad quartum concedenda est maior; nam licèt intellectio formalissimè sumpta non consistat in hoc, quod intellectus fiat res ipsa intellecta, quandoquidem non est effectus formalis per se primus rei intellectæ; attamen nunquam datur intellectio, quin intellectus fiat in actu res intellecta, vel quia ipsa res intellecta vnitur per se ipsam in ratione rei actu intellectæ cum ipso intellectu: vel quia vnitur cum eo mediante verbo, illius defectum supplente.

Et deindè neganda est vtraque consequentia. Et ad probationem prioris, in qua posterior innititur, patet ex modò dictis; quoniam verbum non est vtcumque forma rei intellectæ, seu res ipsa intellecta; sed forma illius expressa, & producta per intellectionem. Cæterùm ad hoc, vt intellectus intelligat, non est necesse, vt fiat in actu per hanc formam, sed per eam, vel per ipsam rem intellectam, non expressam per intellectionem; sed per se ipsam rationem suæ summæ actualitatis vnitam per modum obiecti intellecti, propter quam rationem solet nomine Verbi communiter dicti nuncupari.

Ad quintum negandum est antecedens; quoniam vt diximus implicat, quod per visionem beatificam producatur verbum. Ad illud autem; quod de sanctis Patribus adducitur, constat ex dictis, eos non explicare generationem verbi Diuini per analogiam ad omnem, & quamlibet intellectionem creatam, sed per analogiam ad nostras intellectiones ordinis naturalis: quippè nobis notiores, vt ita eis mediantibus ad cognitionem generationis diuinæ manu duci possimus.

QVÆSTIO VI.

Quomodo intellectus prò hoc statu se habeat circa primam cognitionem singularis materialis.

QVia peculiarem difficultatem habet; quomodo intellectio pro hoc statu ad singularia materialia se habeat, propterea in hac disp. peculiariter inquirimus, quomodo ad illa terminetur.

Explicatio tituli.

§. I.

103. PRo tituli intelligentia notandum est 1. in eo tanquam certum innui, quod intellectus cognoscat singularia materialia; Tum, quia id docet Arist. 3. lib. huius operis text. 11. vbi etiam D. Thom. lect. 8. & 1. p. q. 84. art. 7. & q. 86. art. 1. de verit. q. 10. art, 5. & alibi sæpè, quos communiter sequuntur Philosophi, & Theologi: Tum, quia intellectus format hanc propositionem: Petrus est homo, ac proindè cognoscit vtrumque extremum: Tum, quia prudentia potissimùm versatur circa singularia; hæc autem est virtus in intellectu residens, vt docet D. Th. 2. 2. q. 49. art. 2. ad. 1. sicuti etiam fides, quæ residet in intellectu, sæpissimè versatur circa singularia: ita per illam credimus Christum esse verum Deum, & hominem; & B. Virginem esse veram matrem illius: Tum etiam, quia cum intellectus

sit potentia longè superior sensibus, debet cognoscere quidquid illi cognoscunt; atque adeò debet etiam attingere singularia: & ita videmus, quod eosdem in suis cognitionibus dirigit, illis imperat, & ipsorum errata corrigit.

Secundò notandum est; consultò in titulo inquiri, non quidem quomodo intellectus se habeat circa qualemcumque cognitionem singularium materialium, sed circa primam, quam de illis habet: quia de hac cognitione est specialis difficultas, vt ex statim dicendis constabit: nam semel cognito singulari v. g. Petri, producitur iuxta superius disp. 18. n. 79. dicta per illam intellectionem species in intellectu, quæ repræsentet illud: & ita potest optimè postmodum, mediante illa specie, intelligi idem Petrus, sicut hoc ipso, quòd intellectus habeat speciem hominis in communi, potest cum libuerit intelligere eundem hominem: quamuis quia talis species debet fieri mediante prima intellectione prædicti indiuidui, & repræsentat illud, vt antea cognitum propterea si fiat per intellectionem indirectam, & reflexam, aut quasi reflexam (de quo statim) etiam intellectio, quæ media illa fit, non erit omninò directa, sed habebit aliquid de intellectione indirecta, & reflexa, quatenùs media illa fit, & non nisi mediante tali reflexione potuit talis species produci, & in notitiam illius singularis deueniri. Et ideò Arist. & D. Th. vt n. 109. videbimus absolutè & simpliciter docent singularia materialia solùm indirectè, & per quandam reflexionem ab intellectu percipi.

Refertur prior sententia.

§. II.

104. PRima sententia asserit, intellectum, cum primo cognoscit aliquod singulare, cognoscere illud omninò directè. Ita omnes DD. quos disp. 18. n. 76. attulimus in fauorem sententiæ asserentis speciem, quæ primò fit ab intellectu repræsentare per se primò & omnino directè ipsa singularia materialia: non verò naturam vniuersalem abstractam à singularibus.

Fundamentum potissimum huius sententiæ desumitur ex his quæ loco citato dicta sunt: nam hoc ipso, quòd species, quæ primò fit ab intellectu agente, repræsentet singulare materiale: non verò naturam abstractam ab indiuiduis, oportet, vt prima cognitio quam intellectus de singulari materiali habet, quæque fit mediante prædicta specie sit omninò directa, siquidem id omninò directè cognoscitur ab intellectu, quod omninò directè repræsentatur per speciem deseruientem illi intellectioni.

Confirmatur, & explicatur: nam cognitio alicuius singularis materialis non fit per speciem repræsentantem naturam abstractam ab indiuiduis: ergo fit per speciem repræsentantem directè naturam ipsam indiuiduatam: ergo cum primò cognoscitur prædictum indiuiduum, debet attingi per intellectionem directam. Hæc vltima consequentia probatur ex priori, vt constat ex his, quæ modò dicebamus, prima verò ex antecedenti apertè sequitur: Antecedens autem probatur: quia ad cognitionem alicuius obiecti requiritur species repræsentans illud, quo ad ea quæ de ipso cognoscuntur: ergo per speciem repræsentantem solam naturam præcisam à singularibus, non possunt cognosci singularia illius naturæ quo ad singularitatem, sed solum quo ad naturam.

105. Nec refert, si dicas primò, satis esse repræsentationem naturæ, quæ fit per speciem intelligibilem ad hoc, vt cognoscantur prædicta singularia ex eo, quòd repræsentatio illius speciei modificatur, & determinantur per phantasma, ad hoc vt influat in intellectionem singularium, quæ per phantasma repræsentatur. Nam contra hoc est quòd hæc modificatio, & determinatio nihil reale potest ponere in prædicta specie intelligibili cōducens ad cognitionem singularis, vel si quid ponit, non impediet: sed sed potius iuuabit ad directam intellectionem illius: ergo, &c. Antecedens probatur, nam hæc modificatio, vel nihil ponet conducens ad prædictam intellectionem, vel si quid poneret, tantum erit repræsentatio singularitatis materialis, siquidem species tantùm influit in intellectionem alicuius, mediante repræsentatione illius; & non aliter; seposita hac repræsentatione vnà cum præexistenti repræsentatione naturæ, non est cur singulare materiale non cognoscatur directè: siquidem species illa sic modificata directè repræsentat illud: ergo ex vi huius modificationis, & determinationis, vel nihil ponitur in specie, vel quidquid ponitur, non impediet, sed potiùs iuuabit ad intellectionem directam eiusdem singularis.

106. Neque etiam refert, si secundo dicas, speciem intelligibilem non determinari à phantasmate per hoc quod aliquid in ea producatur, sed per hoc, quod determinet illam obiectiuè, & in genere causæ formalis extrinsecæ, seu vt clarius dicamus per hoc, quod intellectus informatus specie intelligibili naturæ communis intuetur phantasma, & in eo tanquam in obiecto prius cognito singulare illud materiale cognoscit.

Nam contra hoc est: Tum, quod multi cognoscunt singularia materialia extra sensum, & intellectum existentiæ, qui tamen nihil cognoscunt de phantasmatibus, quin potius penitùs ignorant quid sint, & an in rerum natura dentur, vt experientia docet. Ergo signum est intellectum non intueri singularia materialia in phantasmate tanquam in obiecto determinante extrinsecè, ad illorum cognitionem. Patet consequentia, quoniam quoties aliquid videtur in alio tanquam in obiecto determinante ad illius visionem, toties tale obiectum habet priùs cognosci: vt ita mediante sui cognitione ducat in notitiam rei cognitæ in illo, vt patet in cognitione Beatorum, quæ, quia attingit creaturas in diuina essentia, tanquam in obiecto; propterea visio illa priùs terminatur ad diuinam essentiam, tanquam ad obiectum visum, & in ea visa attingit creaturas.

Tum etiam: quia intellectus antequam cognoscat prædictum phantasma singulare, & materiale, vel habet speciem repræsentantem illud, vel ea caret: si primum, ergo singularis materialis dabitur in intellectu species intelligibilis: ergo prima cognitio singularis materialis poterit esse omninò directa: quippè quæ fit per propriam speciem illius; si verò secundum, ergo nequibit intellectus intelligere illud phantasma, quandoquidem ad cognoscendum obiectum quo ad aliquam rationem illius desideratur, quod virtus cognoscitiua determinetur intrinsecè per speciem repræsentantem illud quo ad talem rationem: ergo non sufficit determinatio intrinseca per obiectum, & propterea visus nequit percipere colorem, nisi habeat speciem illius, licèt aliàs talis color extrinsecè ei proponatur, & fiat præsens.

Tum denique, quia adhuc concesso posse intellectum cognoscere hoc modo singularia materialia, non indè colligeretur, prædicta singularia cognosci ab illo indirectè, sed potius directè: ergo, &c. Antecedens probatur, quoniam id, quod cognoscitur per cognitionem per se primam intellectus, debet

bet

bet cognosci per cognitionem omninò directam illius: siquidem cognitio reflexa, & indirecta supponit aliam priorem cognitionem; at si hæc determinatio phantasmatis sufficit ad cognitionem singularis materialis, non est cur intellectus in prima sui cognitione, non possit attingere prædictum singulare: siquidem ante illam supponitur intellectus cum specie intelligibili: supponiturque phantasma sufficiens ad hoc, vt in illo tanquam in obiecto cognoscatur: ergo, &c.

107. Nec tandem obest, si dicas, hanc determinationem non fieri, vel per aliquid intrinsecum denuò additum, vel per determinationem obiectiuam, & extrinsecam, sed præcisè per naturalem sympathiam, quæ est inter intellectum & phantasiam, quatenùs hoc ipso, quod phantasia versetur circa aliquod singulare, debet intellectus, mediante hac consensione, determinari ad cognitionem talis singularis.

Nam contra hoc est: Tum id, quod nuper dicebamus, scilicet naturalem consensionem, & sympathiam intellectus, & phantasiæ, non posse esse satis ad hoc, vt intellectus absque specie, intrinsecè in ipso existente cognoscat aliquod obiectum: alioqui intellectus non indigeret speciebus intelligibilibus, sed sufficeret prædicta sympathia: ergo neque potest esse satis ad hoc, vt intelligat singulare materiale, vt tale, nisi præsupponatur in eo species, quæ illud quoad singularitatem materialem repræsentet. Tum etiam, quia alioqui intellectus nunquam posset cognoscere naturam præcisam ab indiuiduis; sed necessariò debet illam cognoscere indiuiduatam; siquidem quoties intellectus intelligit aliquam naturam, debet phantasia versari circa aliquod singulare illius naturæ, vt ex dicendis q. sequenti constabit; ac proinde cum iuxta hanc solutionem detur sufficiens determinatio per prædictam sympathiam, non poterit tunc illa cognitio naturæ sistere in cognitione illius præcisè, sed debet extendi, & terminari ad eandem naturam indiuiduatam.

108. Secundum & principalius fundamentum huius sententiæ est, quia aliàs eodem modo cognosceretur ab intellectu singulare materiale pro hoc statu, ac cognoscuntur substantiæ spirituales, hoc autem est falsum: ergo, &c. sequela probatur, quia prædictæ substantiæ non cognoscuntur pro hoc statu directè, sed solum indirectè, & arguitiuè: falsitas autem consequentis probatur; nam cum singularia materialia directè contineantur sub obiecto proportionato, & connaturali nostri intellectus, cum in eis includatur ratio quidditatis materialis, quæ est obiectum proportionatum illius, debent perfectiori modo attingi, quam prædictæ substantiæ, in quibus ratio quidditatis materialis non includitur: quare, cum istæ solùm attingantur indirectè, oportet vt illæ directè cognoscantur.

Confirmatur, quoniam ideò visus percipit directè album, & nigrum, quia directè, & per se continentur sub colore, qui est obiectum proportionatum illius: ergo cum singularia materialia directè contineantur sub obiecto proportionato intellectus pro hoc statu, attingentur etiam directè ab illo.

Ex mente Arist. & D. Th. difficultatis nodus dissoluitur.

§. III.

109. Dicendum tamen est, intellectum pro hoc statu non cognoscere singularia materialia directè, sed indirectè, per quandam reflexionem, aut quasi reflexionem. Ita Aristoteles 3. de Anima, text. 10. his verbis: *Sensitiua quidem igitur calidum, & frigidum iudicat, & quorum ratio quædam caro est, alia autem, aut separato, aut sicut circumflexa se habet ad se ipsam; cum extensa sit, carni esse discernit.*

Quæ verba in se satis obscura sic explicat Diuus Thomas ibidem lectione 8. *Sicut enim supra dictū est; quòd non possemus sentire differentiam dulcis; & albi, nisi esset vna potentia sensitiua communis, quæ cognosceret vtrumque, ita etiam non possemus cognoscere comparationem vniuersalis ad particulare, nisi esset vna potentia, quæ cognosceret vtrumque. Intellectus igitur vtrumque cognoscit, sed alio & alio modo; cognoscit enim naturam speciei, siue quod quid est directè extendo se ipsum; ipsum autem singulare per quandam reflexionem, in quantum redit super phantasmata, à quibus species intelligibiles abstrahuntur, & hoc est quod dicit, quod sensitiuo cognoscit carnem* (alio) *id est alia potentia* (discernit esse carni) *id est quod quid est carnis* (aut separata) *puta cum caro cognoscitur sensu, & esse carnis intellectu, aut eodem aliter se habente, scilicet* (sicut circumflexa se habet ad se ipsam) *anima intellectiua cognoscit carnem* (quæ cùm extensa sit, discernit esse carni) *id est, directè apprehendit quidditatem carnis; per reflexionem autem ipsam carnem.*

Idem etiam docuit Sanctus Doctor 1. part. quæstiunc. 85. artic. 1. his verbis: *Respondeo dicendum, quòd singulare in rebus materialibus intellectus noster directè & primò cognoscere non potest, indirectè autem, & quasi per quandam reflexionem potest cognoscere singulare.*

Ex quæst. de Anim. art. 20. in solut. ad primam ex his, quæ secundo loco obiecit, vbi sic ait: *Dicendum, quòd anima coniuncta corpori per intellectum cognoscit singulare: non quidem directè, sed per quandam reflexionem in quantum scilicet ex hoc, quod apprehendit suum intelligibile, reuertitur ad considerandum suum actum, & speciem intelligibilem, quæ est principium suæ operationis, & eius speciei originē: & sic venit in considerationē phantasmatum & singularium, quorū sunt phantasmata.*

Vndè tàm Aristotelem, quàm Diuum Thomam sequuntur Henric. quodlib. 4. quæst. 21. & Ægid. in 2. dist. 3. tract. de cognitione Angelorum quæst. 9. Abulens. super Matth. cap. 25. quæst. 617. Capreol. 10 dist. 35. quæst. 2. art. 1. & in 2. dist 3. quæst. 2. Ferrar. 1. cōtra gent. cap. 65. circa octauam rationem in resp. ad 3. dubium. Iau. 1. 7. Metaph. quæst. 16. Scot. 2. Physic. quæst. 2. art. 2. ad argumenta Durandi, Gonçalez. 1. part. quæst. 14. art. 11. disput. 41. Caietan. quæst. 86. art. 1. vbi etiam Bañes, qui benè addit sententiē hanc sectari ab vniuersis discipulis D. Thomæ.

110. Rationem autem præcipuam huius assertionis, quo ad priorem eius partem scilicet singularia materialia, non cognosci directè ab intellectu pro hoc statu, adduximus suprà disp. 18. nu. 81. & sequentibus ex Diuo Thoma locis ibidem relatis: quia nimirum species intelligibilis, per quam singulare materiale in prima sui cognitione attingitur ab intellectu, repræsentat directè solam quidditatem materialem abstractam à singularibus: indirectè autem ipsa singularia: ergo prædicta singularia non cognoscuntur per talem intellectionem directè: si quidem, vt suprà dicebamus, ad intellectionem directam alicuius obiecti requiritur repræsentatio directa in specie respectu eiusdem obiecti.

Quam rationem adduxit idem Sanctus Doctor quæst. 2. de verit. art. 6. his verbis: *Qualibet actio sequitur conditionem formæ agentis quæ est principiū actionis, sicut calefactio mensuratur secundum modum caloris; similitudo autem cogniti, qua informatur potentia cognoscitiua, est principium cognitionis secundum actum; sicut calor calefactionis, & ideo oportet vt qualibet cognitio fiat per modū formæ quæ est in cognoscente. Vnde cū similitudo rei, quæ est in intellectu nostro, accipiatur, vt se-*

parata à materia, & ab omnibus materialibus conditionibus, quæ sunt indiuiduationis principia, relinquitur, quod intellectus noster per se loquendo singularia non cognoscat, sed vniuersalia tantum: sed per accidens contingit, quod intellectus noster singulare cognoscat. Atque adeò non directè, siquidem quod cognoscitur directè ab intellectu, per se cognoscitur ab illo, ex eo quòd est obiectum proportionatum ipsius.

111. Ratio verò eiusdem assertionis quo ad secundam eius partem, adducta est à Diuo Thoma locis citatis, quæ potest in hunc modum formari: nam licet species intelligibilis, per quã primò cognoscitur singulare materiale, non repræsentet formaliter distinctè, & directè, nisi tantùm quidditatem ipsam materialem abstractam ab indiuiduis; attamen indirectè, confusè, & virtualiter repræsentat omnia illa propter connexionem, quam cum eis habet: ex eo, quod natura, per illam repræsentata est natura, & quidditas eorum, & per proprias ipsorum differentias indiuiduales contrahibilis: ergo licet non directè, attamen indirectè poterunt prædicta indiuidua in prima sui intellectione per talem speciem intelligi.

112. Confirmatur, & explicatur primò ex eodem Angelico Doctore, quoniam intellectus nequit pro hoc statu, & in prima intellectione alicuius singularis materialis versari circa illud, nisi inspiciendo ipsum in phantasmate, in quo elucet: ergo nequit intelligere illud per prædictam intellectionem nisi indirectè, & per quandam reflexionem aut quasi reflexionem. Antecedens probatur: nam cum species deseruiens illi intellectioni adeò inuolutè, confusè, & imperfectè repræsentet indiuidua contenta sub natura abstracta ab illis: & intellectus noster pro hoc statu non sit tantæ virtutis in intelligendo, & vtendo speciebus imperfectè, & adeò confusè, & indeterminata quadam ratione repræsentantibus, oportet vt adiuuetur à phantasmatibus, per quæ determinetur per modum obiecti, sibi propositi, & in illis indiuidua materialia illius naturæ in specie intelligibili repræsentata contempletur: in quibusquo quasi explicatum inueniat id, quod in prædicta specie implicatum, & inuolutum erat.

Consequentia verò probatur: Tum quia, vt ex eodem Arist. Diu. Thom. innuebamus, prædicta intellectio singularium cõparatur lineæ curuæ, & reflexæ: ex eo quod intellectus ex prima, & directa cognitione naturæ communis curuat se, & veluti reflectitur in phantasiam, in qua singularia elucent, & sic illa intelligit: etenim cum à sensu in phantasiam, & à phantasiam intellectum rei cognitio progreditur, tunc directus vtique progressus est: cùm verò ad cognoscendum intellectus, quasi à se ad phantasiam tendit, tunc hoc quasi curuè, & reflexè, & veluti per modum resultus fieri intelligitur: Tum etiam, quia singularia possunt etiam hoc peculiari modo inspici ab intellectu in phantasmatibus, scilicèt per hoc, quod intellectus reflectitur supra suum actum, & principium eius, scilic. speciem intelligibilem, atque adeò supra phantasmata à quibus actu, vel virtute abstracta fuit, & in eis intelligit singularia ibidem repræsentata, hunc autem modum cognoscendi planum est, esse satis indirectum, & reflexum: ergo, &c.

113. Confirmatur tandem, & explicatur magis ratione deprompta ex eodem Angelico Præceptore art. 6. q. 2. de veritate nuper citata; quoniam licet intellectus conueniat cum sensu in hoc, quod sicut sensus v. g. visus immutatur à suo visibili, ita etiam intellectus pro hoc statu immutatur à phantasmate, modo tamen alibi dicto, attamen differt ab eo, quod visus immutatur visibili, vt à proprio obiecto per se primò inspecto; intellectus autem immutatur à prædicto phantasmate, tanquam à medio, ex eo quod obiectum ad extra existens non potest aliter, quàm mediante illo immutare intellectum ad intra existentem, & rationem potentiæ purè spiritualis habentem: ergo licet visus directè tendat in visibile: non tamen intellectus in phantasma: ergo cum non nisi conuertendo se ad illud, possit pro hoc statu percipere singularia materialia, vt nuper dicebamus, fiet indè, vt hæc non nisi indirectè ab illo percipiantur.

Hæc secunda consequentia sequitur ex priori, prior verò ex antecedenti: quoniam potentia tendit directè in suum obiectum per se primum: in id autem, quod tantùm se habuit vt medium per quod tale obiectum abstractum à conditionibus eiusdem medij, quales in præsenti sunt conditiones materiales, & indiuiduantes, peruenit ad potentiam, non tendit nisi ex consequenti, & indirectè, quatenus semel cognito principali, & primario obiecto, potest ratione virtutis reflexiuæ, quàm prædicta potentia habet, conuerti ad illud, & supra illud suo modo reflectere. Antecedens autem probatur: quoniam quidditas materialis, & singularizata, quatenus talis non est obiectum per se primum intellectus pro hoc statu, quamuis vt est in phantasmate, assumatur, vt medium, & instrumentum ad immutandum intellectum.

Respondetur argumentis primæ sententiæ.

§. IV.

114. AD primam patet ex dictis disp. 18. à n. 81. vsque ad 84. Ad confirmationem benè respondetur ibidem in priori solutione: & ad probationem priorem contra illam legitima est solutio, quæ secundo loco ibidem adducitur, ad cuius primam impugnationem constat ex his, quæ num. 47. & 48. diximus. Ad secundam verò dicendum est, speciem intelligibilem deseruientem ad cognitionem quidditatis materialis abstractam à conditionibus indiuiduantibus, directè, & per se primò cognoscibilem, posse etiam deservire ad cognitionem indirectam, & reflexam, aut quasi reflexam, qua intellectus in prima intellectione singularis materialis circa illud versatur, quia ita repræsentat directè naturam, vt indirectè, & virtualiter, ac confusè repræsentet singularia materialia, quod ad proprias eius rationes: & ita si determinetur obiectiuè per phantasma, in quo quasi explicatum inueniat id, quod inuolutè, & implicitè erat in specie, potest indirectè, & modo dicto illud percipere: quia hæc est vis, & ingenium nostri Intellectus, vt ex vno virtualiter continente aliud possit in aliud, quando adest sufficiens determinatio, vt in præsenti contingit deuenire: quare licet ad cognitionem directam non sufficiat repræsentatio speciei intelligibilis iam dicta, benè tamen ad indirectam, & habentem aliquid reflexionis, vt in prima cognitione singularis materialis accidit: maximè verò si talis cognitio habeat rationem cognitionis argutiuæ: vt in prædicta cognitione contingere potest, iuxta ea, quæ in fine, num. 123. dicebamus.

115. Ad vltimam verò impugnationem patet ex his, quæ pro secunda parte assertionis adduximus, explicarique id amplius potest ex dictis pro prima parte eiusdem assertionis: quia ad cognitionem directam alicuius requiritur, vt distinctè, & directè repræsentetur in specie intelligibili, vt docet D.

Thomas

Thomas 1. contra gent. cap. 48. ex eo quod cognitio directa proportionatur speciei, & ita repræsentatio indirecta speciei non est modificabilis per phantasma ad hoc, vt deseruiat pro intellectione directa obiecti indirectè repræsentati, benè tamen pro intellectione indirecta ipsius.

Ad secundum neganda est sequela; si omnimoda paritas in intellectione circa substantias immateriales, nempè Angelos, & circa primam intellectionem singularis materialis ponatur, quamuis vtraque cognitio conueniat in hoc, quòd non est directa, sed indirecta. Vnde intellectus pro hoc statu attingit longè perfectius singularia materialia per cognitionem indirectam iam explicatam, quàm Angelos per intellectionem illam indirectam, secundùm quam circa illos versatur, & ad illam priorem immediatè determinatur per phantasmata: secus verò ad istam: & propterea illa necessariò habet multum de cognitione arguitiua, secùs verò ista, & species intelligibilis satis remotè prædicta substantias repræsentatè contra verò in cognitione indirecta singularis materialis contingit.

116. Quæ omnia videtur innuisse D. Thom. 1. part. qu. 88. art. 2. ad 1. his verbis: *Et rebus materialibus ascendere possumus in aliqualem cognitionem immaterialium rerum*, nempè Angelorum: *non tamen imperfectam, quia non est sufficiens comparatio rerum materialium ad immateriales; sed similitudines si quæ à materialibus accipiuntur, ad immaterialia intelligenda sunt multum dissimiles, vt Dionysius dicit 2. Cælestis Hierarchiæ.*

Ad confirmationem respondetur, ideò visum directè, & per se cognoscere album, & nigrum, & non solùm rationem coloris (modo tamen alibi insinuato) quia tam album, quàm nigrum continentur directè sub colore, non solùm in genere rei, sed in genere obiecti considerato: Cæterùm singularia materialia non continentur directè sub quidditate materiali, vt habet rationem obiecti, sed solum in esse rei, quoniam obiectum proportionatum intellectus pro hoc statu, si in esse obiecti consideretur, non est quidditas materialis vtcumque, sed vt præcisa à singularibus; sub hac autem continetur directè quidditas materialis v. g. hominis, aut equi abstracta etiam à singularibus; non verò singularia ipsa, sed tantùm indirectè, ex eo quod quidditas materialis in esse rei ab eis participatur.

QVÆSTIO VII.

Vtrum quæuis intellectio huius status pendeat naturaliter ab operatione phantasiæ.

117. PRo tituli intelligentia notandum est primo, fieri in eo peculiariter mentionem de intellectione huius status, quia intellectionem alterius status (scilicet status separationis à corpore, vel beatitudinis) non pendere ab operatione phantasiæ, est satis certum, & communiter receptum inter Philosophos, & Theologos, quamuis non nihil etiam de hoc in præsenti tangemus reddentes rationem, ob quam anima beata, & vnita corpori non pendeat vllo modo ab operatione phantasiæ; sicut etiam in eodem titulo solum inquiritur de dependentia naturali, id est dependentia secundùm communem rerum cursum; nam de potentia Dei absoluta non est dubium, quin possit dari intellectio pro hoc statu vnionis dissolubilis cum corpore, quæ non pendeat ab operatione phantasiæ, communiter omnes docent.

Secundò notandum est, quod vt disp. 15. diximus, phantasia potest sumi, vel pro vt præcisè nominat sensum illum internum, de quo in eadem disp. qui realiter distinguitur: tum à sensu communi, tum etiam ab æstimatiua, & memoria: vel pro vt nominat sensum internum generaliùs sumptum, illum nimirùm, qui potest ferri in res absentes, ac proindè pro vt comprehendit omnes sensus internos cognoscitiuos præter sensum communem. Titulus ergo non de dependentia ab operatione phantasiæ, pro vt phantasia primo modo, sed pro vt secundo; & generaliori modo accipitur, intelligenda est.

Sententia negans.

§. I.

118. NOn defuere plures innuentes intellectionem huius status non pendere ex natura rei ab operatione phantasiæ, quod quidem probabile reputat Toletus 3. de Anima quæst. 15. ad secundum, & quæst. 16. ad tertium. Fonseca 1. Metaph. cap. 2. q. 3. sect. 6. fauent Alb. Magn. 3. de Anim. tract. 2. c. 19. Carthusianus super Dionysium Areopagit. de Mystica Theologia, Auerroes, Themistius, & Auicena, soletque pro ea referre D. Greg. 6. Moral. & alij ex Patribus, & Theologis Mysticis.

Probatur primò: nam in altissima v. g. diuinarum rerum contemplatione potest dari, imò & frequenter datur intellectio, & contemplatio earum, quin ibi adsit operatio phantasiæ: ergo, &c. Antecedens probatur; quoniam experientia constat vehementem animæ operationem media vna potentia imminuere operationem illius mediante alia, ex eo quod virtus animæ est finita; & propterea operationes partis vegetatiuæ, vt decoctio cibi solent minui, vel etiam impediri, dum nimis attentè studiis vacatur: ergo poterit adeò crescere attentio ad diuina media contemplatione intellectus, qualiter contingit in altissima contemplatione, vt omninò tollatur operatio phantasiæ, ex eo quod tota animæ vis ad operationem illam intellectus applicatur.

Secundò, nam anima rationalis semper, & in quocumque statu est purè spiritualis, & independens in suo esse à corpore: ergo semper, & in quocumque statu debet habere aliquam operationem, scilicet intellectionem independentem ab illo, ergo & independentem ab operatione phantasiæ. Hæc secunda consequentia patet ex priori; quoniam intellectio non aliter pendet à corpore, nisi quatenus pendet ab operatione illius, nempe an operatione phantasiæ, vt ex se, & ex dicendis in hac quæstione constabit. Prima verò ex antecedenti videtur deduci, nam ideò aliæ formæ non habent vllam operationem independentem à corpore, quia non sunt purè spirituales, atque adeò in suo esse non sunt independentes ab illo, ergo si anima est purè spiritualis, non poterit non aliqua eius operatio, scil. intellectio, quæ est omnium nobilissima, esse independens à corpore. Antecedens autem constat ex dictis disp. 16. num. 4. communiter quę recipitur à Theologis, & Philosophis.

119. Tertiò, adæquatum principium creatum intellectionis humanæ est anima, siue homo mediante illa, nec non intellectus, & species intelligibilis: ergo hoc ipso, quòd hæc dentur poterit elici intellectio, absque dependentia ab operatione phantasiæ. Consequentia patet; quoniam ad quamlibet operationem satis est dependentia à suo adæquato principio. Antecedens autem probatur inductiuè in aliis

potentiis cognoscitiuis, quæ solum indigent ad suas operationes concursu animæ, & totius compositi, nec non illius potentiæ, ac obiecti, à quibus cognitio elicienda est,& propterea ipsa operatio phantasiæ ab his solummodo pendet.

Vltimò, nam intellectus plura intelligit pro hoc statu, quorum, nullum habet phantasma: ergo talis intellectio non pendebit ab operatione phantasiæ: ergo neque aliqua alia huius status. Hæc secunda consequentia patet ex priori; quoniam quæuis intellectio huius status habet eundem spiritualitatis,& immaterialitatis gradum: ergo vel omnes, vel nulla erit pendens à corpore & operatione illius. Prior verò consequentia ex antecedenti liquet; quoniam operatio phantasiæ solum potest desiderari pro hoc statu ad intellectionem, vt quasi coadiuuet intellectum, producendo aliquod phantasma illius rei, quam intellectus intelligit: in quoque res intellecta aliquo modo ei præsentetur, ergo si obiectum, quod intelligitur, sit talis conditionis, vt phantasia nequeat producere phantasma illius, ex eo, quod est spirituale transcendens omnem cognitionem phantasiæ, fiet inde, vt intellectio prædicti obiecti purè spiritualis non pendeat vlla ratione ab operatione phantasiæ. Antecedens autem constat in intellectione, qua pro hoc statu Deum; & substantias purè spirituales intelligimus.

Vera Arist. & D. Thomæ sententia.

§. II.

120. Dicendum tamen est, quamuis intellectionem huius status pendere naturaliter ab operatione phantasiæ, ita vt nequeat dari talis intellectio, quin simul ad sit operatio phantasiæ. Ita Arist. 3. de An. text. 39. his verbis: *Quoniam autem res nulla est præter magnitudines sicut videtur, sensibiles, separata in speciebus sensibilibus intelligibilia sunt & quæ abstractione dicuntur, & quæcumque sensibilium habitus sunt & passiones. Et ob hoc nihil sentiens, nihil vtique addisceret, neque intelliget. Sed cum speculetur necesse simul phantasma aliquod speculari: phantasmata enim sicut sensibilia sunt, præterquam quod sunt sine materia.*

Quæ verba sic explicat Angel. Doct. ibid. lect. 13. *Quia dixerat, quod intellectus est quodammodo intelligibilis, sicut sensus sensibilis, posset aliquis credere quod intellectus non dependeret à sensu. Et hoc quidem verum esset si intelligibilia nostri intellectus essent à sensibilibus separata secundum esse, vt Platonici posuerunt. Et ideo ostendit, quod intellectus indiget sensu. Dicit ergo primò, quod quia nulla res intellecta a nobis est præter magnitudines sensibiles, quasi ab eis separata secundum esse sicut sensibilia videtur ab inuicem separata, necesse est quod intelligibilia intellectus nostri sint in speciebus secundum esse, tam illa, quæ dicuntur per abstractionem, sc. Mathematica, quã naturalia, quæ sunt habitus, & passiones sensibilium. Et propter hoc sine sensu non potest aliquis homo addiscere, quasi de nouo acquirens scientiam, neque intelligere quasi vtens scientia habita. Sed oportet cum aliquis speculatur in actu, quod simul formet sibi aliquod phantasma: phãtasmata enim sũt similitudines sensibiliũ: sed in hoc differunt ab eis, quia sunt præter materiam. Nam sensus est susceptiuus specierũ sine materia, vt supra dictũ est.*

Idem etiam tenet D. Th. 1. p. q. 84. art. 7. his verbis: *Respondeo dicendũ, quod impossibile est intellectum secundum præsentis vitæ statũ, quo passibili corpori coniungitur, aliquid intelligere in actu nisi conuertendo se ad phantasma.* Et q. 87. art. 1. 3. p. q. 11. art. 2. & q. 16. art. 1. nec non 2. contra gent. c. & 19. quem sequuntur Caiet. & Bann. in dicta q. 84. 1. part. & alij quam plures 121. Probatur primò à posteriori ex duplici signo, quo vtitur D. Thom. q. 84. art. 7. iam citatis ad hanc assertionem suadendam. Primum est, quia alioqui non esset ratio propter quam læsa phantasia, vt in amentibus, aut impedita, vt in dormientibus contingit impediretur vsus aut rectus vsus rationis: quandoquidem essent tunc omnia, quæ ad intelligendum, & ad rectè intelligendum desiderantur. Secundum est, quia experimur, quod quoties intelligimus aliquod obiectum, toties formamus interius quoddam corporeum idolum, quod sanè indicat intellectũ nostrum à phantasiæ operatione dependentiam habere, maximè, quia non solum cum corporea, sed etiam cum spiritualia intelligimus, solemus tale idolum formare: quod si non esset in nobis dependentia dicta, non esset cur tanta cura, & indefectibiliter conaremur imaginem istam per phantasiam exprimere.

122. Secundò probatur ratione, quam insinuat D. Thom. quæ potest sub hac forma proponi: nam anima rationalis, & intellectus pro hoc statu dependent quodammodo in suo esse à corpore: ita tamen, vt hæc dependentia sit omnium minima: ergo eodem modo dependebunt in intelligendo ab operatione illius, ergo nequibit dari intellectio pro hoc statu absque eo, quod phantasia suam eliciat operationem. Antecedens quoad primam partem constat, quoniam licet anima non pendeat quoad suam entitatem à corpore pro hoc statu, pendet tamen ab illo quodammodo, sc. quoad vnionem, & informationem; qua mediante est in materia; & licèt intellectus non sit immediatè in corpore informando illud, est tamen quodammodo in eo quatenus est in anima, quæ ipsum informat. Quoad secundam verò partem etiam liquet: quia non potest dari minor dependentia in esse à corpore, mixta tamen cum aliquali dependentia ab illo, quam ea, quæ nuper explicata est, vt intuenti constabit.

Prima verò conseq. ex antecedenti constat: quoniam aliæ animæ, & eius potentiæ eo magis dependent in sua operatione ab operatione corporis, quo magis dependent in esse, & sunt amplius in materiam immersæ: ergo si anima rationalis, & intellectus habent aliquam minimam tamen dependentiam à corpore in esse, habebunt eodem modo in operando dependentiam ab illo.

Ex quo etiam secunda consequentia probatur: quoniam hæc minima dependentia in intelligendo ab operatione corporis non potest consistere in hoc, quod intellectio fiat per organum corporeum, sicut visio; quia hæc dependentia est tanta, vt arguat potentiam immediatè elicitiuam illius actionis, quæ fit per prædictum organum esse corporeum, vt ex supra dictis constat, ac proinde solum poterit consistere in hoc quod habeat necessariam concomitantiam, & connexionem cum aliqua operatione eiusdem corporis, medio organo corporeo elicita: cùmque non possit hæc operatio esse operatio sensus externi, aut sensus communis, cuius operatio à sensatione externa in esse, & conseruari pendet, vt experientia constat; oportet, vt sit alia operatio altior, & independens à sensatione externa, qualis est operatio phantasiæ in sensu explicato sumptæ.

123. Nec refert si contra rationem hanc obiicias, ex ea etiam sequi, quod anima in statu vnionis indissolubilis cum corpore, vt in statu beatifico pendeat in intelligendo ab operatione phantasiæ: hoc autem est contra comm. Theolog. sent. ergo, &c. Sequela videtur certa, quoniam etiam in illo statu pendet in vniri à corpore, & intellectus est quodammodo corpore: quatenus est in anima informante illud.

124. Respondetur enim, non qualemcumque dependen

pendentiam in vniri, & informare corpus, esse satis ad hoc, vt anima in operatione sua omnium perfectissima, qualis est intellectio pendeat à corpore, sed hoc ex tali modo informandi, nimium informandi imperfectè prouenire: qui quidem modum consistit in hoc, quod anima non dominetur, illi, neque ex hoc modo excellentiori informandi, redundet in ipsum corpus, vt plene, atque perfectè subiiciatur animæ in suis operationibus. Quare cum in statu supernaturalis beatitudinis, quem homines resurgentes ad illam possidendam habebunt, proueniat ex gloria animæ informatio corporis cum pleno dominio eius, & ex ea in corpus dicta surrectio redundet, ac proindè per gratiam veluti reparetur defectus ille qui per vnionem ad corruptibile corpus, aut non perfusum his dotibus contrahitur: ideò non mirum, quòd homines Beati possint, & non possint cum dependentia à phantasmatibus intelligere.

125. Quod quidem non continget in his, qui in æternum puniendi sunt, aut in nobis pro hoc statu vnionis dissolubilis: quia in eo sic anima informat corpus, vt omninò ei se accommodet, & quasi ei obligata, ac quodammodo subiecta, ac dependens ab illo sit. Et hinc ortum ducit, quòd non possit corpus quando vult, & versus omnes loci differentias mouere, nec tanta, quanta vellet velocitate, nec denique vigilare dum libet, sed impedimentis aut læsione eius compellitur ab operationibus, cessare, in quo consistit eius subiectio, & dependentia in modo operandi, & informandi: ac proindè non mirum quòd nisi dependenter à corpore, id est ab operatione phantasiæ nequeat id intelligere.

Quæ solutio desumitur ex D.Thom. 1. part. quæst. 49. art. 2. & 3. part. quæst. 11. art. 2. vbi reddens rationem, ob quam Christus Dominus posset intelligere absque dependentia à phantasia: ita vt quando libuerit vtatur operatione eius, & quando libuerit non intelligat per conuersionem ad illam, sic ait: *Est autem hæc conditio animæ comprehensoris, vt nullo modo subdatur suo corpori, aut ab eo dependeat, sed totaliter ei dominetur, Vnde & post resurrectionem, ex anima gloria redundabit ad corpus. Ex hoc autem anima hominis viatoris indiget ad phantasmata conuerti, quod est corpori obligata, & quodammodo ei subiecta, & ab eo dependens. Et ideò animæ beatæ, & ante resurrectionem, & post, intelligere possunt absque conuersione ad phantasmata. Et hoc etiam oportet dicere de anima Christi, quæ plene habuit facultatem comprehensoris.*

Fit obuiam argumentis primæ sententiæ.

§. III.

126. AD primum negandum est antecedens: nam potius contrarium illius experti sunt D. Dionysius, Augustin. Ambrosius, Viri diuinæ contemplationi maximo operè deditì. Et ideò Dionysius dixit primo de Cælesti Hierarchia, & c. 6. de Diuinis nominibus, Impossibile esse superlucere in nobis diuinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumualletur: quod etiam docuere D. August. 4. super Genes. ad lit. cap. 7. Beatus Greg. super 1. Regum 7. imò & nos cùm intensiùs, diuinæ contemplationi vacamus, sentimus defatigationem corporis, quod sanè nequaquam ex intellectus, sed ex cerebri fatigatione, & spirituum vitalium consumptione prouenit

Et ad probationem dicendum est, quod cum pro hoc statu operatio phantasiæ, & intellectus sint inter se subordinatæ, & connexæ, non potest attentio intellectus in altissima rerum contemplatione esse tanta, & talis conditionis, vt tollat quominus anima mediante phantasia eliciat propriam operationem illius. Cur autem nimia intellectus attentio tollat, aut impediat decoctionem cibi in lib. Physic. disp. 18. n. 65. explicata est.

127. Ad secundum patet ex dictis; quomodo dependentia iam dicta, quam habeat anima in operando, seu intelligendo ab operatione corporis, non tollat, quod ipsa sit secundùm substantiam spiritualis, & secundùm suum esse independens à corpore, sed solum arguat minimam dependentiam ab illo, quæ quidem cohærere potest cum hoc quod ipsa, licèt sit quid spirituale, habeat tamen esse formam corporis: quandoquidem omnis, & sola forma, quæ per organum corporeum tantummodo operatur, est materialis, & dependens in suo esse à corpore.

128. Ad tertium negandum est antecedens si nomen principij adæquatè sumatur largè pro omni requisito ad intelligendum. Et ad probationem dicendum est esse disparem rationem; quoniam in aliis operationibus aliarum potentiarum cognoscitiuarum saluatur, vt re vera debet saluari, dependentia à corporeo in operando, etiam si non concurrat actu alia potentia corporea, & operatio eius, aut etiam si operationes vtriusque potentiæ non sint inter se connexæ, quia cùm talis operatio fiat per organum corporeum, non potest non ibi saluari dependentia ab illo, etiam si non detur aliqua alia operatio corporea: cuius oppositum in operatione intellectuali animæ nostræ pro hoc statu contingeret, si non haberet necessarium connexionem cum operatione phantasiæ, vt explicatum est. Et ita esset, & non esset vnita corpori, & simul haberet aliquam dependentiam in operando ab illo, & excluderet omnem dependentiam ab ipso.

Ad vltimum respondet D. Thom. 1. part. quæstione 8. art. 7. in solutione ad tertium, his verbis: *Dicendum, quod incorporea quorum non sunt phantasmata, cognoscuntur à nobis per comparationem ad corpora sensibilia, quorum sunt phantasmata: sicut veritatem intelligimus ex consideratione rei, circa quam veritatem speculamur. Deum autem, vt Dionysius, dicit, cognoscimus, vt causam & per excessum, & per remotionem. Alias etiam incorporeas substantias in statu præsentis vitæ cognoscere non possumus, nisi per remotionem, vel aliquam comparationem ad corporalia: & ideò cum de huiusmodi aliquid intelligimus, necesse habemus conuerti ad phantasmata corporum, licèt ipsorum non sint phantasmata.*

DISPVTATIO XXII.

DE APPETITV RERVM COGNOSCENTIVM in communi sumpto, & de appetitu sensitiuo.



QVAMVIS quàm plurima possent de appetitu cognoscentium in communi, & de appetitu sensitiuo inquiri, vt constabit ex his quæ in fronte disputationis sequentis circa voluntatem dicemus: Quia tamen multa locis ibidem citatis expediuntur, propterea ab eis discutiendis in hac disputatione abstinendum erit. Sicut etiam licet de passionibus appetitus sensitiui plurea possent excitari quæstiones: nihilominus, quia de illis solet communiter agi à Theologis prima secundæ vna cum D. Thom. ib. ideò solum in hac disputatione superest vnam, vel alteram instituere quæstionem, vt ea, quæ ad exactam notitiam prædicti appetitus in communi & appetitus sensitiui desiderabantur, discussa maneant: maximè si videantur ea, quæ disp. 7. à num. 8. vsque ad num. 34. diximus, circa virtutem loco motiuam, quæ in animalibus in ordine ad se mouendum localiter per motum progressiuum inuenitur, vbi explicuimus, quam virtutem habeat appetitus sensitiuus in ordine ad hunc motum, & quo pacto ad illum concurrat.

QVÆSTIO PRIMA.

QVID ET QVOTVPLEX SIT APPETITVS IN cognoscentibus quatenus talibus repertus.

1. Consultò non excitamus, quæstionem an est circa appetitum cognoscentium in communi sumptum, aut circa appetitum sensitiuum: Tum, quia hoc satis constat ex his quæ disp. 7. num. 10. asseruimus: Tum etiam, quia id docet Arist. 2. de Anima, text. 17. quem communiter sequuntur omnes Philosophi, & Theologi: Tum denique, quia id suadet ratio desumpta ex D. Thom. 1. part. quæst. 80. art. 1. quæ potest sub hac forma proponi, quia omnem formam sequitur aliqua inclinatio, vt ad formam ignis inclinatio ad locum sursum, & ad formam grauis inclinatio ad locum deorsum; sed cognoscentia vt talia habent formas aliarum rerum altiori quodam modo, quam non cognoscentia, ex eo quod habent species intentionales, quæ sunt formæ quædam sine materia, & eiusdem quidditatis cum obiectis, sine formis per illas repræsentatis, modo tamen supra disp. 18. quæst. 2. explicato: ergo cognoscentia debent habere appetitum altiorem, & eleuatiorem, quàm non cognoscentia, quem quidem appetitum nomine appetitus proprij rerum cognoscentium, vt talium insignimus.

3. Dicendum ergo est primò, prædictum appetitum nihil esse aliud, quàm potentiam passiuam, vitalem tamen, quæ nata est moueri ab apprehenso. Ita Aristot. 3. de Anima, text. 54. & 11. Metaph. text. 35. & D. Thom. quæst. nuper citata, art. 2. his verbis: *Potentia enim appetitiua est passiua, quæ nata est moueri ab apprehenso: vnde appetibile apprehensum est mouens, non motum, appetitus autem mouens motum, vt dicitur in 3. de Anima, & 11. Metaph.* quem sequuntur communiter eius discipuli: nomine autem potentiæ passiuæ non intelligit D. Thom. potentiam passiuam qualemcumque, sed potentiam passiuam eleuatiorem, quæ sit potentia passiua vitalis, id est (quoad præsens attinet) quæ ita moueatur ab apprehenso, vt ipsa etiam se moueat ad illud.

Ratio autem potissima huius assertionis desumitur ex eodem S. Doct. loco citato; quoniam cum proprium sit appetitus moueri ad res appetitas, ita vt trahatur ad illas; oportet, quod bonum appetitum trahat illum ad se, & hoc sit proprium illius; cumque non possit trahere appetitum ad se, nisi media apprehensione prædicti boni, ex eo quod appetitus iste ratione suæ eminentiæ non trahitur à qualibet forma, sed à forma apprehensa; consequens est, vt sit proprium prædicti appetitus moueri à bono apprehenso.

4. Dicendum est secundò, appetitum rerum cognoscentium, vt talium in communi sumptum diuidi in animalem, seu sensitiuum, & in rationalem, seu intellectiuum: Ita tamen, vt hi duo appetitus realiter inter se distinguantur. Hæc est Arist. 3. de Anima, text. 57. relati à D. Thom. 1. part. quæst. 80. art. 2. vbi loquens de appetitu sensitiuo, & intellectiuo, sic ait: *Sed contra est quod Philosophus in 3. de Anima distinguit duplicem appetitum, & dicit, quod appetitus superior mouet inferiorem.* Idem etiam tenet S. Doctor de verit. quæst. 15. art. 3. quæst. 22. art. 4. & 1. de Anima lect. 10. nec non tertio de Anim. lect. 14. quos communiter sequuntur Theologi, & Philosophi.

5. Ratio fundamentalis huius assertionis depromitur ex D. Thom. loco citato ex 1. part. quam ipse sub his verbis proponit: *Potentia enim appetitiua est potentia passiua, qua nata est moueri ab apprehenso: passiua autem & mobilia distinguuntur secundum distinctionem actiuorum, & motiuorum, quia oportet motiuum esse proportionatum mobili, & actiuum passiuo, & ipsa potentia passiua propriam rationem habet ex ordine ad suum actiuum. Quia igitur est alterius generis apprehensum per intellectum, & apprehensum per sensum; consequens est, quod appetitus intellectiuus sit alia potentia à sensitiuo.*

Nec refert si cum D. Thom. art. 2. eiusdem quæstionis in primo argumento pro contraria parte obiicias, quod non potentiæ diuersificantur per accidentales differentias, vt disp. 19. num. 22. diximus; sed accidit appetibili, quod sit apprehensum per sensum vel intellectum: ac proinde sequatur quòd appetitio illius, ad formam apprehensam à sensu, vel intellectu: ergo ex vi rationis & confirmationis, quam ex eodem S. Doct.

S.Doct.adduximus, non probatur appetitum diuidi in sensitiuum,& intellectiuum, tanquam in duas potentias realiter distinctas.

6. Respondetur enim ex eodem S. Doct. in solutione ad primum eiusdem articuli, vt sic habet: *Dicendum, quod appetibili non accidit esse apprehensum per sensum, vel intellectum, sed per se ei conuenit; nam appetibile non mouet appetitum nisi in quantum est apprehensum: vnde differentia apprehensi sunt per se differentia appetibilis: vnde potentia appetitiua distinguuntur secundùm differentiam apprehensorum, sicut secundùm propria obiecta.* Quorum verborum sensus non est quòd apprehensio sensus, vel intellectus sit formalissima ratio obiectiua, distinguens appetitum sensitiuum ab intellectiuo, sed quòd est ratio per se applicans distinctam rationem formalem obiectiuam, quæ ratione sui specificet; & distinguat prædictos appetitus; nam appetitus sensitiuus fertur in bonum limitatum, vel particulare, scilicet in bonum sensibile, tanquam in rationem formalem obiectiuam; & apprehensio sensus tantùm applicat illi rationem hanc obiectiuam, & non aliam, ita vt appetitus per se petat hanc virtutem proximam applicatiuam, & non aliam,ita vt appetitus per se petat hanc virtutem proximam applicatiuam,& non alteram, proximè applicantem, & deindè appetitus intellectiuus fertur, vt ad rationem specificantem ad bonum; non quidem limitatum, & sub ratione sensibilis, sed ad commune bonum absque aliqua limitatione; & apprehensio intellectus per se applicat illi rationem hanc, & non aliam, ita vt quidquid appetitus iste appetit, debeat esse modo alibi insinuato sub vniuersali ratione boni tanquam sub ratione *sub qua*, applicata tamen per apprehensionem intellectus. Vnde diuersitas appetituum reducitur in diuersas bonitates apprehensas, vt in rationes formales obiectiuas, & in apprehensiones, vt in rationes applicantes distinctas rationes obiectiuas. Sed de his videantur ea, quæ in libris Physic. disputat.14. à num.25. vsque ad 35. asserimus.

7. Dicendum est tertiò, appetitum animalem, siue sensitiuum diuidi in irascibilem, & concupiscibilem. Ita Aristot. 3. de Anima, & 1. lib. Magnorum Moralium cap. 13. vt in sequenti quæstione dicemus: quem sequuntur D.Thom. 1.part.quæst.81.art.2.& locis num. 12. referendis, & communiter Theologi ac Philosophi. Explicatur assertio: in ea enim solùm dicimus appetitum sensitiuum diuidi in irascibilem, & concupiscibilem, non determinando, an hæc diuisio sit in duas potentias appetitiuas, realiter inter se distinctas, quia de hac quæstione sequenti agendum est.

Assertio ergo sic intellecta probatur optimè à D.Thom.loco citato ex 1.p.cuius rationem in præsenti omittimus, quia eam latiùs quæstione sequenti expendemus.

8. Nec obest, si cum D. Thom. in argumento secundo, eiusdem articuli obiicias, quòd appetitus sensitiuus non est nisi conuenientium secundùm sensum, sed conueniens secundùm sensum est obiectum concupiscibilis: ergo omnis appetitus sensitiuus erit concupiscibilis, nullus verò irascibilis. Respondetur enim ex eodem S.Doct.1o hæc verba: *Dicendum, quod sicut in apprehensiuis virtutibus in parte sensitiua est aliqua vis æstimatiua, scilicet, quæ est perceptiua eorum quæ sensum non immutant, vt supra dictum est, ita etiam in appetitu sensitiuo est aliqua vis appetens aliquid, quod non est conueniens secundùm delectationem sensus, sed secundùm quod est vtile animali ad suam defensionem, & hæc est vis irascibilis.*

QVÆSTIO II.

Vtrùm appetitus sensitiuus diuidatur in concupiscibilem, & irascibilem tanquam in duas potentias realiter distinctas.

SEmel insinuata diuisione appetitus in irascibilem, & concupiscibilem statim pulsat animum inquirere, an hæc diuisio tantùm sit in duo munera eiusdem potentiæ appetitiuæ, sicut dum intellectus in practicum, & speculatiuum diuiditur: an verò sit in duas vires, & potentias appetitiuas realiter inter se distinctas: & propterea quæstionem hanc excitamus statim post præcedentem, vbi prædictam diuisionem non determinando qualitatem eius insinuauimus.

Sententia negans.

§. I.

9. PArtem negantem tuentur Scot. in 3. dist.26. vnic. Gabriel eandem distinctione, & quæst. art.1. d.1. Nauarrus in Manual. prælud.3. num.8. Suarez 2.tom. summæ Theologiæ tract.3. de Anima lib.5. cap.5. num.2. & 3. & alij ex recentioribus. Probatur 1. nam appetitus rationalis non diuiditur in concupiscibilem, & irascibilem, vt in duas potentia realiter distinctas: ergo neque sensitiuus. Antecedens est Diui Thom.1.part.quæst.82.art.5. Consequentia verò probatur, quia sicut appetitus rationalis respicit bonum rationis, ita sensitiuus bonum sensus: ergo sicut propter illam rationem fertur idem appetitus rationalis in omne bonum rationis, ita ob eandem feretur idem appetitus sensitiuus in omne bonum sensibile, & sic non erit vnde in multiplicem appetitum sensitiuum realiter distinctum, diuidatur.

Secundò, arguit Suarez: quoniam actus concupiscibilis, & irascibilis sunt ita inter se connexi,& ordinati, vt non possint commodè separari, & diuersis potentiis attribui: rectius ergo attribuuntur eidem. Consequentia patet. Antecedens autem probatur, quia irascibilis versatur circa bona iam concupita, iuxta illud Iacobi. Vnde bella & lites in vobis? nonne ex concupiscentiis vestris? Et ideò Aristot.8. de Animalibus inquit: animalium pugnas de rebus concupiscibilibus suscipi, vt de cibis, & venereis: nihil ergo defendit irascibilia, nisi ea, quæ priùs concupita sunt: ergo congruum & necessarium est, vt eadem sit potentia concupiscens, & defendens, siue irascibilis, si namque ratio tuendi bonum est, quia appetitur, qua quæso ratione (inquit Suar.) vna potentia tuetur, quod appetit altera?

10. Confirmat, & explicat; nam irascibilis insurgit contra impedimentum concupiti boni assecutionem: ergo appetit remouere quod talem assequutionem impedit: ergo etiam appetit eandem assecutionem: ergo etiam appetit eandem assecutionem: ergo eadem est potentia appetens bonum, quæ est concupiscibilis, & appetens remouere impedimentum, scilicet irascibilis.

Tertiò, eandem potentia animæ est vnius contrarietatis, vt visus albi & nigri, iuxta id quod in 2. de Anima dicitur; sed conueniens & nociuum sunt contraria: ergo eadem vis,& potentia sensitiua animæ terminabitur ad vtrumque: ergo cum concupiscibilis terminetur ad conueniens; irascibilis verò ad nociuum: consequens erit, vt inter se non distinguantur realiter.

Confirma

Confirmatur: nam per eandem virtutem per quam aliquis accedit ad vnum extremum, recedit ab alio: sicut eadem charitate recedimus ab odio Dei, & accedimus ad illum per amorem: & eadem leuitate recedit ignis à loco deorsum, & accedit ad locum sursum; sed per irascibilem recedit anima à nociuo fugiendo ipsum, per concupiscibilem verò accedit ad conueniens, concupiscendo ipsum: ergo eadem potentia appetitiua, & sensitiua erit, quæ concupiscit & irascitur.

11. Quartò, potentiæ secundùm actus distinguuntur; sed in quolibet actu irascibilis includitur actus concupiscibilis, nam ira habet concupiscentiam vindictæ, & sic de aliis: Ergo concupiscibilis non erit alia potentia ab irascibili.

Confirmatur; nam odium est in irascibi: & propterea Hieronymus super illud Matth. 13. simile est regnum cælorum fermento: inquit, possideamus in irascibili odium vitiorum, sed odium, cum contrarietur amori, est in concupiscibili: ergo eadem potentia sensitiua est & irascibilis & concupiscibilis.

Vltimo arguit idem Suarez his verbis: si hæ potentiæ distinctæ ponantur, quænam illarum erit perfectior? hinc enim perfectior apparet irascibilis, quia illi tribuitur obiectum altius, atque nobilius; illinc videtur minus perfecta cum tota ordinetur ad bonum concupiscibile, seu ad defensionem illius. Vnde passiones concupiscibilis creduntur esse nobiliores, scilicet amor desiderium, &c. neutrum ergo potest dici conuenienter.

Vera Aristot. & D. Thom. sententia, & primum eius fundamentum.

§. II.

12. Dicendum tamen est appetitum sensitiuum diuidi in irascibilem & concupiscibilem tanquam in duas potentias appetitiuas realiter inter se distinctas. Ita Aristot. 3. de Anima relatus à D. Thom. quæst. 25. de verit. art. 2. his verbis: *Sed contra est quod Philosophus in 3. de Anima ponit in appetitu desiderium & animum, id est irascibilem, & concupiscibilem, quæ sunt ad inuicem diuersa.* Et l. 1. Magnor. moral. cap. 13. vbi ait appetitum esse triplicem, scilicet concupiscibilem, irascibilem, & rationalem, quem sequitur T. Thom. 1. part. quæst. 81. art. 2. inquiens: *Respondeo dicendum, quod appetitus sensitiuus est vna vis in genere, quæ sensualitas dicitur, sed diuiditur in duas potentias, quæ sunt species appetitus sensitiui, scilicet in irascibilem, & concupiscibilem.* Et infra. *Hæ autem duæ inclinationes non reducuntur in vnum principium.* Et loco citato ex quæst. 25. de verit. his verbis: *Dicendum quod appetitus sensualitatis has duas vires continet, scilicet irascibilem, & concupiscibilem, quæ sunt ad inuicem diuersæ potentiæ.*

Quod etiam docuit 1. part. quæst. 82. art. 5. & 3. de Anima lect. 12. pro hac etiam sententia refert idem S. Doct. Damascen. 2. de Fide orthodoxa, cap. 12. & Greg. Nissen. in lib. 4. Philosophiæ, cap. 8. & 9. & eandem tuentur Plato, Pythagoras, & Galen. citati à Suar. Bonauent. in 3. dist. 33. q. 3. art. 1. Alb. Magn. 3. de Anima, tract. 4. cap. 2. & in summa de homine, tract. de irascibili. Bañez 1. p. q. 81. art. 2. & communiter discipuli D. Thom. ideoque ab eis in particulari referendis abstinemus.

13. Rationem primam, & fundamentalem huius assertionis adduxit D. Thom. 1. part. quæst. 81. art. 2. & art. cit. ex quæst. 85. de verit. vbi eam sub his verbis proponit: *Appetitus enim sensitiuus quandam conuenientiam habet cum appetitu naturali, in quantum vterque tendit in rem conuenientem appetenti; inuenitur autem appetitus naturalis ad duo tendere secundum duplicem operationem rei naturalis; vna quarum est, per quam res naturalis nititur acquirere id quod est conseruatiuum suæ naturæ, sicut graue mouetur deorsum, vt ibi conseruetur: alia est per quam res naturalis sua contraria destruit per qualitatem actiuam: & hoc quidem necessarium est corruptibili; quia nisi haberet virtutem, qua suum contrarium vinceret, ab eo corrumperetur; sic ergo appetitus naturalis ad duo tendit, scilicet ad consequendum id, quod est congruum, & amicum naturæ, & ad habendum quandam victoriam super illud, quod est ei aduersum. Et primum est quasi per modum receptionis. Secundum vero est per modum actionis. Vnde ad diuersa principia reducuntur. Recipere enim, & agere non sunt ab eodem principio, vt ignis, qui per leuitatem fertur sursum, per calorem contraria corrumpit. Ita in appetitu sensibili ista duo inueniuntur, nam animal per appetitiuam potentiam appetit id, quod est congruum & amicum sibi, & hoc per vim concupiscibilem, cuius proprium obiectum est delectabile, secundum sensum. Appetit etiam habere dominium, & victoriam super ea, quæ sunt sibi contraria. Et hoc per vim irascibilem. Vnde dicitur, quod eius obiectum est aliquid arduum. Et sic patet, quod irascibilis est alia potentia à concupiscibili.*

Explicatur hæc ratio ex eodem S. Doct. ibidem; nam ideò intellectus agens, & possibilis sunt duæ potentiæ realiter distinctæ; quia illæ habet se per modum potentiæ purè actiuæ, iste verò per modum potentiæ passiuæ; vitalis tamen, vt disp. 20. num. 20. & deinceps ostendimus: sed concupiscibilis habet se ad instar potentiæ passiuæ: quia tendit ad suum obiectum, quasi per modum recipientis; irascibilis verò habet se ad instar potentiæ purè actiuæ; quia tendentia actualis, & in actu secundo illius est per modum actionis, id est acquirendo victoriam super id, quod est aduersum naturæ, debellando, & propulsando malum, quod impedit bonum illius: & propterea inquit D. Thom. loco citato quod secundùm Auicenam ad irascibilem pertinet fortitudo, & debilitas cordis, quasi virtuti ordinatæ ad agendum: ad concupiscibilem autem dilatatio, & constrictio ipsius, quasi virtuti ordinatæ ad recipiendum: ergo prædicti appetitus realiter inter se distinguentur.

Nec refert, si contra rationem hanc D. Thom. obiicias 1. hoc esse discrimen inter potentias appetitiuas, & cognoscitiuas, quòd illæ feruntur extra se, neque sunt receptiuæ obiectorum, cognoscitiuæ verò cognoscunt recipiendo obiectum; quia trahunt illud ad se: malè ergo sumitur pro fundamento ad probandam distinctionem irascibilis à concupiscibili, quod concupiscibilis est receptiua; irascibilis autem actiua.

14. Respondetur enim cum Bañez, quod Angel. Doct. non intelligit ipsam potentiam concupiscibilem esse receptiuam trahendo nimirum obiectum intentionaliter ad se, sicut potentia cognoscitiua illud ad se trahit: sed quod appetit aliquid, vt recipiatur in ipso animalis sensu, vt appetimus vinum ad gustandum, irascibilis autem contendit, vt obiectum vincatur per aliquam operationem ipsius animalis, vt quod percutiatur, & occidatur inimicus, reporteturque victoria ab impedimentis, & nocumentis naturæ.

Neque etiam refert, si secundò obiicias, quod in rebus naturalibus idemmet appetitus prosequitur suum bonum per modum quasi receptionis, & obstant nocumenta impedientium, reportando ab illis victoriam, vt potentia augmentatiua per suum appetitum naturalem

naturalem appetit proprium bonum per modum quasi receptionis illius; quia appetit augmentum animalis, in quo ipsa est, & simul resistit nocumentis impedientibus illud augmentationem reportando victoriam ab illis: ergo etiam idemmet appetitus sensitiuus prosequetur bonum per modum quasi receptionis, & resistet agendo, & reportando victoriam.

15. Non itaque hoc refert; quoniam potentia augmentatiua, & eius naturalis appetitus est de genere earum potentiarum, quæ quodammodo tendunt in suum obiectum per modum quasi recipientis, quatenus terminatur ad maiorem quantitatem illius viuentis, in quo ipsa est, ita vt per se primò sit ad hoc destinata: quamuis secundariò habeat deuincere quodammodo impedimenta, quatenùs agit per motum, qui est à contrario in contrarium: & propterea datur in eodem viuenti alia potentia, aliusque appetitus naturalis, qui per se primo institutus sit ad resistendum contrariis nocumentis, seu, quòd idem quo ad præsens est, qui per se primò terminetur ad bonum arduum sibi proportionatum, tendatque ad illud per modum agentis, & potentiæ purè actiuæ, vt in simili de irascibili, & concupiscibili dicebamus.

Nec tandem obest, si tertiò obiicias, quod ea, quæ in inferioribus sunt dispersa, reperiuntur multoties in superioribus adunata: ergo ex hoc quod in rebus naturalibus appetitus naturalis correspondens concupiscibili, & irascibili sit distinctus, non benè colligitur à S.Doct. quod irascibilis, & concupiscibilis, quæ sunt potentiæ appetitiuæ superioris rationis debeant esse inter se realiter distinctæ.

16. Respondetur enim, maiorem esse veram, quando superiora habent debitum illum excessum supra inferiora, qui requiritur ad hoc, vt in illis sint vnita ea, quæ in superioribus sunt dispersa; hoc autem in præsenti non contingit, ratione limitationis, quam appetitus sensitiuus propter suam materialitatem importat: & ita eademmet potentia sensitiua, & appetitiua non potest ferri in omne bonum sensibile, sed ratio boni sensibilis tantùm est ratio boni sensibilis tantùm est ratio quædam generica tam in esse rei, quàm in esse obiecti petens appetitus sensitiuos specie, & realiter distinctos, vt ex sequenti ratione magis constabit.

Examinatur secundum fundamentum vera, & Thomistica doctrina.

§. III.

17. SEcundò probatur assertio ratione desumpta ex D. Thom. locis citatis ex quæst.25. de veritate, & ex quæst.82. primæ partis, nec non ex lect.12. tertij de Anima, quam Bañez ad hāc ferè formam vbi supra reducit; nam irascibilis, & concupiscibilis respiciunt diuersa obiecta formalia: ergo sunt diuersæ potentiæ. Consequentia est satis perspicua; quia vt supponimus, & ex se constat, ac ex statim dicendis magis patebit, habent etiam distinctos realiter actus: ergo si semel habent distincta obiecta formalia, non poterunt non realiter inter se distingui, iuxta ea quæ disp.7.n.12. asseruimus.

Antecedens autem probatur: quia obiectum concupiscibilis est bonum delectabile secundùm sensum: obiectum verò irascibilis est bonum arduum, quod quidem multoties est conueniens animali secundùm alias commoditates; licèt non sit delectabile secundum sensum; appetit enim irascibilis ea, quæ conducunt ad cōseruationem, & defensionem animalis, licèt non sint delectabilia. Vnde, irascibilis respicit ea quæ impediunt bonum sensibile, non quidem fugiendo ea; ad hoc enim sufficit concupiscibilis, sed potius resistendo illis, & contranitendo. Vnde, respicit illa impedimenta tanquam mala; quæ sunt impugnanda, & vincenda: & hac ratione respicit illa tanquam ardua, & difficilia. Et quoniam impugnare, & vincere huiusmodi impedimenta habet rationem boni; idcircò absolutè dicimus, quòd irascibilis habet pro obiecto bonum arduum, & per hoc distinguitur à concupiscibili.

Nec obest si dicas, obiecta hæc à S.Doct. assignata non esse adæquata, sed inadæquata respectu vnius, & eiusdem appetitus sensitiui secundùm speciem: & ita ratio adæquata illius erit ratio quædam superior, & eminentior qualibet ex assignatis, & comprehendens vtramque.

18. Nam contra hoc est: Tum id, quod in prima ratione ex D. Thom. desumpta dicebamus, scilicet potentias, quæ tendunt in sua obiecta tendentia actuali per modum actionis, aut per modum quasi receptionis, necessario habere diuersa obiecta adæquata.

Tum etiam: quia sicut appetitus subsequutus ad intellectum cuique per intellectionem proponitur bonum conueniens, non potest non habere obiectum adæquatum distinctum ab appetitu, qui subsequitur ad sensum, ex eo, quod appetitio sequitur ad formam apprehensam, atque adeò iuxta diuersitatem formæ apprehensæ, & apprehensionis illius, modo tamen quæst. præced. insinuato, diuersificatur appetitio, & potentia appetitiua, nec non obiectum formale illius; ita appetitus qui subsequitur ad æstimatiuam, & sequitur bonum propositum per illam, non potest non habere distinctum obiectum adæquatum: ac ille qui subsequitur ad imaginatiuam, & fertur ad bonum propositum per illam, siquidem istæ duæ potentiæ etiam distinguuntur realiter essentialiter sicut intellectus, & sensus; sed irascibilis subsequitur ad æstimatiuam, & mediante eius apprehensione ducitur in suum obiectum, scilicet in bonum arduum; concupiscibilis subsequitur ad imaginatiuam, & mediante eius apprehensione habet duci in suum obiectum, nimirum in bonum delectabile secundum, sensum; ergo signum est, quod hæc obiecta inspecta ab irascibili, & concupiscibili sunt adæquata respectu illarum.

Consequentia satis constat; Maior verò tam ex se, quàm ex his, quæ disp.15. quæst.2. & 4. circa distinctionem æstimatiuæ, & phantasiæ, siue imaginationis diximus, etiam liquet. Minor autem probatur; quoniam irascibilis sequitur apprehensionem æstimatiuæ: ex eo, quod fertur etiam in plures commoditates, quæ non sunt delectabiles secundùm sensum, sed vtiles animali ad suam defensionem, atque adeò fertur in rationes non sensatas: & ita ratio victoriæ, & eminentiæ supra nocumenta obsistentia, quam per se respicit irascibilis, est ratio non sensata; at verò concupiscibilis sequitur ductum phantasiæ, siue imaginationis: & ideò fertur ad delectabilia secundùm sensum, ac proinde ad rationes sensatas. Quæ ratio desumitur ex D.Th.1.part. q.81.art.2. ad 2.

Respondetur argumentis primae sententiae.

§. IV.

19. AD primum patet ex dictis: quoniam appetitus rationalis non potest non sequi ductum rationis, & formam apprehensam per illam: & ita sicut semper sequitur apprehensionem intellectus; ita semper fertur in vnum, & idem obiectum adaequatum, scilicet in bonum apprehensum per intellectum. At concupiscibilis, & irascibilis sequuntur diuersos sensus apprehendentes: & ita non possunt non habere distincta obiecta adaequata.

Secundò respondetur ex D. Thom. 8. de Anima, lect. 14. & 1. part. quaest. 82. artic. 5. voluntatem quippe potentiam spiritualem, & eleuatam posse fieri in omnem rationem boni: & ita ratio boni delectabilis, & ardui per accidens se habet respectu sui obiecti: at irascibilis, & concupiscibilis ratione suae limitationis non possunt ferri in omne bonum sensibile, & propterea vna fertur in bonum delectabile secundùm sensum; alia verò in bonum sensibile arduum.

20. Nec eefert, si obiicias, rationem boni ardui potiùs esse malum quid, quàm bonum; siquidem malum quoddam est quod bonum & conueniens sit impeditum, ratione cuius habet rationem ardui: ergo nequibit diuersificare potentias appetitiuas, quae solùm secundùm diuersam eationem boni sunt diuersificabiles.

Respondetur enim, quòd cum dicitur bonum arduum esse obiectum irascibilis non est sensus eam appetere difficultatem, sed moueri ad propellendam illam, & impedimenta insurgentia, & sub hac ratione eius obiectum, & actus illi correspondens addit aliquam rationem bonitatis, quoniam propulsare incommoda, & difficultates; sicut & ipsae difficultates, & obsistentia assecutionem boni, vt propulsanda, & debellanda, habent specialem rationem boni, quod quidem nomine boni ardui insignimus.

Potestque explicari exemplo virtutis poenitentiae, quae respicit peccatum, vt destruendum, & debellandum modo statim magis explicando: & secundùm istam rationem addit aliquam rationem boni tam in propriis actibus, quàm in suo obiecto; quia destruere peccatum est bonum quoddam, & peccatum ipsum non quidam vt amplectendum, sed vt propulsandum, & detestandum habet etiam specialem rationem boni.

21. Ad secundum respondetur negando antecedens, & ad probationem concedendum est, quod saltem regulariter loquendo irascibilis versetur circa bona iam concupita per concupiscibilem; & in eodem sensu concedenda est prima consequentia, sed neganda secunda; quia nunquam irascibilis fertur in bonum concupiscibilis sub eadem ratione formali obiectiua, sed sub diuersa, vt iam explicuimus. Et ad probationem huius consequentiae dicendum est, quod licèt irascibilis quodammodo ordinetur ad tuendum bonum concupiscibilis: ac proinde ratio tuendi bonum illud sit quodammodo; quia appetitur à concupiscibili, non tamen ita vt hoc dicat rationem formalissimam sub qua obiectiuam, vt ex D. Th. statim magis explicabimus.

Nec refert id quod ibidem innuitur, scilicet vnam potentiam non posse tueri id, quod appetit altera; nam in potentiis aliquo modo subordinatis nullum est inconueniens tueri ab vna, quod appetitur ab altera, maximè quando illud, quod vna, potentia tuetur appetitue aliquo modo ab vtraque, sub diuersa tamen ratione formali, vt in praesenti contingit.

Ex quo ad confirmationem etiam constat, nam concesso antecedenti; ac prima consequentia, distinguendum est consequens secundae, & concedenda est consequentia, si sensus illius sit, quòd irascibilis appetat aliquo modo eandem assecutionem materialiter, non verò formaliter sumptam, id est sub eadem ratione formali obiectiua, & neganda est si intelligatur de eadem assecutione formaliter accepta, vt explicatum est. Vnde, neganda est vltima consequentia, quia vt esset legitima, debebat consequens secundae esse verum in sensu formali, non verò in solo materiali, cuius oppositum in praesenti contingit. Vnde optimè D. Th. q. 25. de verit. art. 3. ad 4. & 5. dixit, quod *conueniens est obiectum concupiscibilis secundum quod est delectabile, sed totius sensualitatis, secundùm quod est quomodocumque expediens animali, vel per viam ardui, vel per viam delectabilis.*

22. Ad tertium respondet Angel. Doctor. q. 25. de verit. iam citata, art. 2. ad secundum his verbis: *Dicendum, quod tam conueniens delectabile, quàm nociuum tristabile ad concupiscibilem pertinet secundum quod vnum est fugiendum, & alteram consequendum, sed habere quandam altitudinem super vtrumque, vt scilicet nociuum possit superari, & delectabile cum securitate quadam possideri, ad irascibilem pertinet.* Explicatur hoc: etenim sicut charitas supernaturalis, quae amat bonum Diuinum, est de se sufficiens ad fugiendum, & odiendum peccatum, quod quodammodo opponitur bono Dei, at verò ad detestandum, & impugnandum illud pee ordinem ad satisfactionem, quae debetur diuinae iustitiae: ac proinde ad delendum omninò ipsum, & omnimodam victoriam ab eo reportandum non sufficit charitas, sed desideratur alia diuersa virtus, nimirum poenitentia, quae quodammodo ad iustitiam vindicatiuam spectet, vt docet D. Th. 3. p. q. 85. art. 2. ad primum. Ita ad fugiendum malum, & nocumentum, quod opponitur bono delectabili secundùm sensum, sufficit concupiscibilis; quia vnum ex propriis eius muneribus est fugere praedictum malum quatenus opponitur bono concupito, vt delectabili secundùm sensum.

Caeterùm, ad resistendum impedimentis insurgentibus circa illud bonum, & ad vincendum ea: & per consequens ad constituendum se in quadam altitudine victoriae supra illa: & per consequens non ad fugiendum, sed ad aggrediendum contra tale malum, & illud destruendum necessaria est alia vis appetitiua, quae est irascibilis; quaeque haec formaliter modo iam dicto respiciat.

Ad confirmationem respondet idem Ang. Doctor, quaest. & art. nuper citato in solutione ad 3. eodem ferè modo quo ad praecedens argumentum, vnde, ait, quod *recedere à nociuo, & accedere ad delectabile vtrumque concupiscibili competit, sed impugnare, & superare id quod potest esse nociuum hoc, pertinet ad irascibilem.*

23. Ad quartum respondet idem Sanctus Doctor in eodem art. ad 9. his verbis: *Dicendum, quod in diffinitione passionum irascibilis ponitur actus appetitiuae communis, vt appetere, non autem aliquid ad concupiscibilem pertinens, nisi sit principium, vel terminus, vt si dicatur, quod ira est appetitus vindictae, propter praecedentem contristationem.* Itaque concupiscibilis appetit, & etiam irascibilis habet appetere, ita vt quilibet sub diuersa formaliter ratione hoc conueniat, & ita datur ratio appetitionis tam in esse rei, quàm in esse obiecti, quae genericè sit communis respectu actuum vtriusque: & rursus multiplex appetitio secundùm speciem constituens diuersum actum adaequatum respectu cuiuslibet ex his potentiis.

Quare,

Quare, cum irascibilis diffinitur per appetitionem, non debet intelligi de appetitione propria concupiscibilis, sed de appetitione sensitiua in communi, cum limitatione tamen, quam S. Doct. hic adhibet, id est nisi innuatur; quòd actus irascibilis saltem regulariter quodammodo incipit ab appetitione concupiscibilis, & terminatur ad illam quatenus semel tristata concupiscibili de malis impedientibus consecutionem proprij boni, insurgit ira irascibilis contra illa mala: & eis propulsatis, succedit delectatio concupiscibilis quæ veluti totum illum processum terminat. Quæ solutio magis in solutione ad vltimum huius quæstionis ex doctrina eiusdem S. Doct. elucidabitur.

Ad confirmationem occurrit D. Th. 1. p. q. 81. art. 2 ad 3. in hæc verba. *Dicendum, quod odium simpliciter pertinet ad concupiscibilem, sed ratione impugnationis, quæ ex odio causatur potest, ad irascibilem pertinere.*

24. Ad vltimum respondet idem S. Præceptor, q. 25. de verit. art. 2. iam citat. irascibilem esse perfectiorem concupiscibili; cuius duplicem rationem ibi assignat, his verbis: *Sciendum est autem, quod tam ex parte apprehensiuarum virium, quam ex parte appetitiuarum sensitiua partis aliquid est, quod competit sensibili animæ, secundum propriam naturam; aliquid verò, secundum quod habet aliquã participationem modicam rationis, attingẽs ad vltimum eius sui supremi: sicut dicit Dionisius in 7. c. de Diuinis nominibus; quod Diuina sapientia coniungit fines primorũ principijs secundorum; sicut vis imaginatiua competit animæ sensibili secundum propriam rationem, quia in ea reseruãntur formæ per sensum acceptæ, sed vis æstimatiua per quam animal apprehendit intentiones non acceptas per sensum, vt amicitiam, vel inimicitiã, inest animæ sensitiuæ, secundum quod participat aliquid rationis. Vnde ratione huius æstimationis dicuntur animalia quandã prudentiam habere, vt patet in principio Metaphysicorum, sicut quod ouis fugit lupũ, cuius inimicitiam nunquam sensit, & similiter est ex parte appetitiua; nam quod animal appetat id, quod est delectabile secundum sensũ, quod ad concupiscibilem pertinet, hoc est secundum propriam rationem sensibilis animæ: sed quod relicto delectabili appetit victoriam, quã consequitur cũ dolore, quod ad irascibilẽ pertinet, cõpetit ei, secundum quod attingit aliqualiter appetitũ superiorẽ.*

25. Secundam verò rationem desumpsit S. Doct. ibidem ex præstantia obiecti irascibilis, supra obiectũ concupiscibilis; nam sicut irascibilis ducitur per apprehensionẽ æstimatiuæ apprehendentis bonum altius, quàm phantasia, à qua dirigitur concupiscibilis: ira habet obiectum excellentius, quam prædicta concupiscibilis. Vndè, concludit S. Doct. loco citato: *Patet igitur ex dictis, quòd irascibilis, & concupiscibilis sunt diuersa potentia, & quid est obiectum vtriusque & quomodo irascibilis iuuat concupiscibilem, & est superior; & dignior ea, sicut æstimatiua inter cæteras virtutes sensitiua partis.*

26. Nec huic doctrinæ obstant duo illa, quæ in hoc argumento adducit Suarez, scilicet totam irascibilem ordinari ad bonum concupiscibilis: & passiones concupiscibilis esse nobiliores irascibilis. Non itaque hæc obstant; quoniam ad primum dicendum est, irascibilem non esse per se primò propter bonum concupiscibilis, vel propter tuendam ipsam, ita vt formalissima eius ratio consistat in hoc, quod est deseruire concupiscibili: sed per se primò ordinari ad bonum arduum, & modo explicato, quatenus habet specialem rationem boni sensibilis, quamuis secundariò, & quodammodo ordinetur ad bonum concupiscibilis, sub diuersa tamen ratione ac ipsa concupiscibilis. Et propterea D. Th. notante dixit art. cit. *Patet igitur ex dictis, quod irascibilis quodammodo ad concupiscibilem ordinatur sicut propugnatrix ipsius.* Vbi particulam illam *quodammodo* adduxit, vt innueret id quod modo dicebamus. Et deinde ad secundum dicendum est falsum esse antecedens saltem vniuersaliter intellectum.

Nec etiam obest si vrgeas: Tum, quòd actus irascibilis originem sumunt ab actibus cõcupiscibilis, & terminantur ad illos, vt ad finẽ; hoc autem indicare videtur excellentiam concupiscibilis supra irascibilem.

27. Tum etiam, quòd licet in voluntate non sint distinctæ realiter ratio concupiscibilis, & irascibilis, nihilominus rationes hæ in illa identificatæ ita se habent; vt ipsa secundùm quod est concupiscibilis, excedat se ipsam, secundùm quod irascibilem; ex eo quòd secundùm illam rationem est subiectum nobilissimæ omnium virtutum affectiuarum, scilicet charitatis: ergo concupiscibilis, quæ ex parte appetitus sensitiui correspondet voluntati prout habet similem vim, erit excellentior irascibili partis sensitiuæ correspondente irascibili eiusdem voluntatis.

Tum denique quòd concupiscibilis versatur circa finem; irascibilis verò circa media, & vtilia ad consecutionem boni concupiti à concupiscibili; constat autem facultatem versantem circa finem esse excellentiorem ea, quæ versatur circa media. Et propterea charitas; quæ versatur circa vltimum finem est virtus nobilior aliis versantibus circa media.

28. Non itaque hæc obsunt; nam ad primam impugnationem dicendum est, ad summum conuincere (si quid tamen probat) aliquem excessum secundùm quid concupiscibilis supra irascibilem; quia irascibilis solum quodammodo ordinatur ad bonum concupiscibilis; idest non quidem tanquam ad finem *cuius gratia*, sed tanquam ad finem quodammodo effectum, & causatum ab irascibili: Vndè, sicut Christus vt Redemptor est quodammodo propter salutem humani generis, id est non tanquam propter finem cuius gratia, sed tanquam propter finem, effectum, & causatum; & tamen hinc non sequitur salutem humani generis esse simpliciter excellentiorem, quàm voicus Christus Dominus: ita in præsenti proportione seruata philosophandum est.

Ex quo etiam patet: Tum ad secundam impugnationem; quia ex ea ad summum etiam conuincitur excessus, secundùm quid concupiscibilis supra irascibilem. Adde, quòd etiam facta collatione inter hos duos appetitus sensitiuos, inuenitur irascibilem esse subiectum fortitudinis, quæ est nobilior virtus, quàm temperantia, quæ recipitur in concupiscibili; Tum etiam ad tertiam, quia bonum concupiscibilis non est finis cuius gratia irascibilis, sed solùm finis effectus, aut quasi effectus, & causatus ab ipsa. Et ita non est necesse; vt irascibilis sit simpliciter ignobilior concupiscibili.

29. Itaque semel concupito per concupiscibilem bono delectabili, secundùm sensum, aliter versatur circa illud eadem concupiscibilis, tanquam circa finem adhibendo medio ad ipsum: & aliter irascibilis; nam concupiscibilis adhibendo media, ordinat illa ad prædictum bonum tanquam ad finem cuius gratia propter quod sunt per se primò instituta. Secus verò irascibilis, non ordinatur tanquam ad finem proximum, vel vltimum *cuius gratia*, ad prædictum bonum, sed habet pro fine proximo suum propriũ bonum arduum, & solum ordinatur quodammodo ad concupiscibilem, tanquam ad aliquid indigens eius ope: cui proindè ipsa, vt perfectior, & nobilior succurrit: & ita diuersimodè comparatur irascibilis cum concupiscibili, & eius bono, ac reliquæ virtutes cum charitate, & bono, ad quod tanquam ad finem vltimum cuius gratia ordinantur;

DISPVTATIO VLT.

DE VOLVNTATE.



Lvra possent hac disp. circa voluntatem discuti: Primò quidem an sit & quid sit voluntas. Secundò, an sit potentia affixa organo corporeo, vel purè spiritualis. Tertiò, quod sit eius obiectum. Quartò, an bonum taliter sit obiectum voluntatis, vt semper ad illud, & nunquam ad malum vt malum, vel quid indifferens ad bonum, & malum ferri possit. Quintò, quomodo huiusmodi obiectum, nempè bonum moueat voluntatem, & in quo hæc motio, seu causalitas constituta sit. Sextò, an cognitio, seu apprehensio boni spectare queat ad rationem motiuam, seu obiectiuam voluntatis; an verò solum requiratur vt conditio, seu (quod idem) an bonum terminet formaliter voluntatem secundùm suum esse reale, an verò secundùm suum esse apprehensum? Septimò, vtrùm apprehensio habeat ita indispensabiliter saltem per modum cognitionis requiri ad hoc, vt bonum moueat voluntatem, vt implicet etiam de potentia Dei absoluta dari volitionem boni, absque præuia cognitione. Octauò, an potentia loco motiua, vel executiua hominis realiter distinguatur ab intellectu, & voluntate illius. Nonò, an sicut dantur duo appetitus sensitiui realiter inter se distincti, ita etiam distinguendus sit duplex realiter appetitus rationalis, seu voluntas correspondens illis prioribus appetitibus, scilicet irascibili, & concupiscibili. Decimò, an volitio sit vera actio. Vndecimò, an de prædicamento actionis, vel qualitatis. Duodecimò, an per talem actionem producatur aliquis terminus. Decimotertiò, an volitio distinguatur saltem formaliter à termino, quod producit. Decimoquartò, an differat ab illo non solum formaliter sed etiam realiter tentatiuè.

2. Cæterum, de primo constat ex dictis disputat. præcedenti, quæst. 1. De secundo, disputat. 16. quæst. 1. nam appetitus debet esse eiusdem ordinis cum potentia cognoscitiua, per quam immediatè dirigitur: & ita sicut intellectus per quem immediatè intelligitur, est purè spiritualis; ita etiam voluntas. De tertio verò ex his, quæ disputat. 17. quæst. 1. diximus, satis liquet: quoniam intellectus, & voluntas debent sibi mutuo in obiectis adæquatis correspondere; & ideò sicut intellectus adæquatè sumptus habet pro obiecto adæquato ens, vt verum generalissimè sumptum, ita obiectum adæquatum voluntatis debet esse idem ens vt bonum generalissimè etiam acceptum. De quarto autem, & quinto, necnon de sexto, ac septimo, patet ex his, quæ in libr. Physic. disputat. 15. quæst. 3. 4. & 5. asseruimus. De octauo, quidem patet ex dictis disput. 7. quæst. 2. paragr. vlt. De nono verò ex illis, quæ disput. præcedenti, quæst. 2. adduximus. De quatuor verò vltimis, ex dictis disput. 21. à quæst. 1. vsque ad 6. debita tamen proportione seruata liquet: quoniam eodem proportionali modo de intellectione, & volitione Philosophandum est, vt in eadem disputatione notauimus, & asseruimus.

Quare, vt ea, quæ ad voluntatem, & ad præsens institutum spectant, sufficienter maneant explicata; solum superest inquirendum primò, an voluntas sit libera, & vndè talis libertas tanquam ex radice proueniat. Secundum, vtrum voluntas possit etiam habere rationem naturæ, seu ferri necessariò ad aliqua obiecta, & quænam sint respectu quorum comparantur per modum naturæ. Tertiò, quinam sint præcipuè actus ad quos voluntas extendi potest. Quartò, an facta collatione inter intellectum, & voluntatem, tunc voluntas supereminent intellectui, vel è contra: & ideò hæc solummodo supersunt in hac disputatione discutienda; quia cætera alia, quæ ad voluntatem spectare poterant, qualia sunt, multiplicitas actuum in esse morali sumptorum, & habituum, tam virtutum, quàm vitiorum, qui in illa recipiuntur: & alia his similia solent cum D. Thom. 1. 2. & 2. 2. ex professo discuti.

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM VOLVNTAS SIT LIBERA? VBI ETIAM de radice libertatis.

3. NOn defuere plures exhæreticis; nimirum Lutherus, & eius sequales, asserentes voluntatem nostram, non esse liberam: quorum sententia probari potest, ex eo quod potentia libera est illa, quæ positis omnibus requisitis ad operandum potest operari, & non operari; sed voluntas non est huiusmodi: ergo, &c. Minor probatur; quoniam voluntas requirit ad operandum concursum Diuinæ voluntatis, & illo posito non potest non operari, iuxta illud, Voluntatis eius, quis resistet?

Confirmatur, nam vel Deus scit Petrum, v. g. lecturum cras, vel non scit: si scit, infallibiliter leget; alioqui Diuina scientia esset fallibilis: & per consequens talis lectio non libera, sed necessaria erit; si verò id non scit, tunc infallibile, & necessarium erit, quod non leget; alioqui daretur aliquis effectus futurus, qui sub scientia DEI non caderet.

4. In contrarium autem est Fides catholica. Vndè, Genesis 3. dicitur: *Nonne, si bene egeris recipies; Si autem male; in foribus peccatum tuum aderit, Sed subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Et 1. ad Cor. cap. 2. *Potestatem habens suæ voluntatis.* Et tandem veritas hæc diffinita est contra Lutherum in Conc. Trid. sess. 6. c. 5, & 6.

Et tandem suaderi potest ratione: etenim nos in nobis metipsis deprehendimus, quod cùm volumus operamur, & similiter si velimus ab operatione cessare, possumus. Item secundùm omnium hominum consensum, operationes humanæ seu à voluntate procedentes, sunt laude, aut vituperio, præmio, aut pœna dignæ: at hoc est præmium, rationis naturalis quasi principium: ergo sumus liberi; alioqui tales operationes non essent laude, præmio, aut pœna dignæ; siquidem nemo iustè punitur, aut præmium consequitur

consequitur propterea ; quæ non potuit non facere?

Præterea homo est ex natura sua capax Consilij admonitionis, & præceptl : alioqui vana essent Consilia, & omnes leges, vt superfluæ reiciendæ forent ; quod est contra ipsam naturæ inclinationem: si autem voluntas hominis non esset libera, fieret inde, vt omnia ista essent inutilia, quia non esset in hominis potestate coercere se ab operando, aut hoc, vel illud facere, sed siue ei benè consolas, siue non; & siue illi lex imponatur, siue non : nihilominus semper, & necessariò, eodem modo operaretur.

Tandem quia euidens est, secundùm lumen naturæ, quod sepè voluntas hominis deuiat à Diuina lege, & peccat : ergo si prædicta voluntas necessariò operatur, necessitabitur ab ipsa natura, & consequenter ab authore naturæ ad peccandum, hoc autem est absurdum vt constat : ergo, &c.

5. Sed inquites, vnde oriatur tanquam à radice, quòd voluntas sit libera? Respondetur id prouenire ex indifferentia iudicij. Ita D. Thom. 1. 2. quæst. 17. art. 1. ad 2. vbi ait. *Radix libertatis est voluntas sicut subiectum, sed sicut causa est ratio : ex hoc enim voluntas libere potest ad diuersa ferri, quia ratio potest habere diuersas conceptiones boni: & ideò Philosophi diffiniunt liberum arbitrium, quod est liberum de ratione iudicium, quasi ratio sit causa libertatis.* Et 1. p. q. 83. art. 1. in corp. *Quia iudicium rationis ad diuersa se habet, & non est determinatum ad vnum, pro tanto necesse est, quòd homo sit liberi arbitrij ex hoc ipso quod rationalis est.* Quod etiam docet qu. 3. de Malo, art. 3. & 1. cont. Gent. c. 85. art. 4. de verit. q. 24. art. 1. Quem communiter sequuntur omnes Theologi, & Philosophi.

Rationem autem huius reddidit idem S. Doct. nam hoc ipso, quod intellectus non proponat voluntati aliquod bonum vt necessariò volendum, sed vt hinc, & illinc appatent rationes vt ametur, vel non ametur, aut respuatur, non potest voluntas quæ rationis ductum sequitur, velle illud necessariò, sed liberè : ergo signum est, radicem libertatis oriri ex hac indifferentia iudicij.

6. Ad argumentum Lutheri, & sequacium respondetur negando minorem : & ad probationem fatemur, requiri concursum Diuinum ad operationem voluntatis creatæ. Cæterùm, eo posito, adhuc potest voluntas non operari, nec per hoc, quod voluntas creata habeat hanc potentiam, sequitur, quòd resistat Diuinæ voluntati : quia Deus vult, vt voluntas tunc liberè operetur, ac proindè, quòd ita operetur, vt possit non operari.

Ad confirmationem dicendum est; lectionem futuram infallibiliter sciri à Deo, eo modo, quo futura est: & ita quia ita est futura, vt poterit non esse, sic ab illo scitur, & per consequens nec erit aliquid futurum, quod ab eo non sciatur, vt confirmatio hæc intendebat: nec per hoc, quod Deus sciat lectionem futuram, sequetur eam necessariò & non liberè esse futuram.

QVÆSTIO II.

Vtrùm voluntas in via necessariò feratur in beatitudinem, siue in communi, siue in particulari sumptam: scilicet claram Dei visionem?

QVamuis ex præcedenti quæstione constet, voluntatem esse liberam in suis actibus, non tamen an in omnibus illi debeat necessariò habere libertatem, an vorò in aliquibus possit habere rationem naturæ, seu operari necessariò : & ideò ad hoc explicandum præsentem quæstionem excitamus.

Ex mente D. Thomæ quæstio quo ad priorem partem deciditur.

§. I.

7. DIcendum est primò, voluntatem circa beatitudinem, seu bonum in communi non necessitari quo ad specificationem, licet non quo ad exercitium. Explicatur assertio ; etenim sicut duplex est libertas ; alia quo ad exercitium, quæ in hoc consistit : vt nimirum voluntas possit habere actum, & cessare ab illo : alia quo ad specificationem, quæ sita est in hoc, quod possit habere hunc actum, vel contrarium illius vt amorem, aut odium : vel in hoc, quod possit amare hoc, vel eius oppositum ; ita etiam necessitas his duobus modis libertatis opposita, dupliciter etiam sumi potest ; nam per necessitatem quo ad exercitium, ita necessitatur voluntas, vt non possit non exercere suum actum : ac proindè, nec possit habere carentiam illius : at vero per necessitatem quo ad specificationem, non est determinata ad exercitium actus, sed ad speciem illius.

Sensus ergo assertionis est, quod & si voluntas possit suspendere actum suum circa bonum, seu beatitudinem in communi : si tamen velit illum exercere, non potest non elicere speciem certam actus, nimirum amorem, & non odium : quodquidem est esse necessitatem quo ad specificationem respectu illius.

8. Assertio hæc sic explicata ex Diui Thom. 1. 2. quæstiunc. 10. art. 1. & quæst. 80. art. 1. & 1. part. quæst. 82. art. 1. & 2. de verit. quæst. 22. art. 5. & 6. nec non de Malo q. 6. art. vnic. in corp. & ad 7. his verbis: *Cum autem voluntas se habeat in potentia respectu boni vniuersalis, nullum bonum superat virtutem voluntatis, quasi ex necessitate ipsam mouens, nisi id, quod est secundùm omnem considerationem bonum : & hoc solum est bonum perfectum, quod est beatitudo, quod voluntas non potest non velle: ita scilicet, quod velit eius oppositum: potest tamen non velle actu.* Vnde S. Doct. communiter sequuntur eius discipuli, & omnes ferè Theologi, & Philosophi.

Ratio autem huius assertionis, quo ad priorem partem adducta est à Diuo Thoma locis citatis, & potest ad hanc formam reduci : nam quæuis potentia est necessitata necessitate quo ad specificationem circa suum obiectum adæquatum : ergo etiam voluntas. Antecedens patet, in visu, & auditu, & in aliis similibus : nam visus, verbi gratia ; licèt non necessitetur necessitate quo ad specificationem à particulari visibili, scilicet ab albo : & ita non viso albo, possit videre nigrum, vel viride nihilominus necessitatur necessitate quo ad specificationem ad videndum visibile, quod est eius obiectum adæquatum: & propterea licèt possit (sine libertate tamen ipsius vt alibi explicatur) habere aliquem actum, per quem virtualiter respuat hoc visibile, verbi gratia album, vt cum videt viride, cuius visio multoties non potest stare cum hoc, quod est simul videre album : non tamen potest habere adhuc virtualiter actum, per quem respuat visibile generaliter sumptum, seu vt est obiectum adæquatum illius.

9. Confirmatur ratione quam insinuat idem S. Doct. 1. part. quæst. 20. art. 1. quia non potest vnum obiectum odio haberi, nisi aliud ametur: ex eo quod motus recessus ab vno extremo includit necessariò accessum ad aliud. Vodè, ideò quis odio habet infirmitatem, quia amat salutem : ergo repugnat beatitudinem, seu bonum in communi odio habeti. Patet consequentia, quia eo ipso, quod ibidem inuolu-

tur amor alicuius boni, debet etiam necessariò includi amor boni in cõmuni: ex eo quod nullum particulare bonum potest amari, quin ametur sub ratione boni in communi, quod est obiectum adæquatum voluntatis: ergo cum repugnet idem obiectum simul amari, & odio haberi, repugnabit etiam beatitudinem, seu bonum in communi tunc amatum esse odio habitum.

10. Et similiter ratio eiusdem assertionis quo ad 2. part. tacta est à D. Thom. Tum quæst. 10. iam cit. Tum etiam in solut. ad 7. q. 6. de malo, his verbis: *Quia voluntas potest auertere cogitationem beatitudinis in communi, in quantum mouet intellectum ad suum actum: & quantum ad hoc, nec ipsam beatitudinem ex necessitate vult; sicut etiam aliquis non ex necessitate calefieret, si posset calidum à se repellere cum vellet.*

Et confirmari, ac explicari potest vtraque ratio sic, nam ad hoc, vt voluntas possit prosequi odio aliquod obiectum, necesse est, vt in eo possit apparere ratio mali: siquidem bonum vt bonum nequit odio haberi: ergo cum in bono, seu beatitudine in communi nulla appareat ratio mali, nequibit odio haberi; sicut quia in exercitio amandi illam potest esse aliqua difficultas, & labor, atque adeò apparere ibidem ratio mali, ideò poterit voluntas cessare ab illo, & non necessitari ad prædictum exercitium.

11. Sed obiicies: quod multi sibi inferunt mortem ex tædio vitæ, etiam si ipsis se offerat mors, vt malum quoddam oppositum beatitudini: ergo tales nolunt esse beati, sed potiùs beatitudinem respuunt; ac proindè in voluntate non erit necessitas quo ad specificationem circa beatitudinem.

Respondetur ex doctrina D. Thom. de verit. q. 22. art. 1. ad 7. & q. 26. artic. 1. ad vult. nec non q. 5. de potentia, art. 4. ad 8. quod vt docet Arist. 5. ethic. c. 1. carere malo habet rationem boni. Vndè benè potest voluntas appetere non esse, vt fugiat ab aliqua magna miseria, vt contingit in damnatis, qui cupiunt non esse iuxta illud Apoc. 9. *Desiderabunt mortem, & fugiet mors ab eis.* Ex eo, quod melius esset illis omninò non esse, quam esse in tanta miseria, vt de Iuda proditore fatetur Christus Dominus Marci 24. *Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.* Quarè, tunc re vera appetitur, & non respuitur beatitudo in communi, licèt non appetatur, vt reperitur in particulari aliquo bono positiuo, sed vt inuenitur in carentia illius miseriæ, seu bono priuatiuo, quatenus minus malum in ordine ad carendum maiori malo induit rationem boni: & ita non appetunt mortem vt oppositam beatitudini in communi, & generaliter sumptæ.

12. Explicatur magis hoc: etenim, vt docet Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 23. art. 2. & 2. 2. quæst. 161. art. 1. & quæst. 10. de Malo, art. 1. motus appetitus est duplex, scilicet prosecutio, & fuga: vnde beatitudo potest appeti dupliciter. Primò, per modum prosecutionis boni, & hoc contingit, quando aliquis appetit possidere, aut obtinere positiuè aliquod bonum. Secundò, per modum remotionis mali, quæ est bonum quoddam priuatiuum, sicut contingit, quando aliquis desiderat carere aliqua miseria, aut graui infirmitate, vel maxima tristitia. Hinc ergo, qui appetit beatitudinem per modum prosecutionis necessariò appetit esse: quando verò appetit beatitudinem per modum remotionis, non oportet quòd appetat esse, sed potest appetere non esse.

Et ratio huius est, quam assignat Diuus Thomas quæst. 16. de Malo, art. 3. ad 5. ex propositis in contrarium, siue ad 20. iuxta aliam impressionem, his verbis. *Nam cùm aliquis vult à se aliquid remouere, vtitur se ipso, vt termino à quo, qui non est necesse saluari in motu, & ideo potest aliquis appetere non esse, vt careat miseria, sed cum aliquis appetit aliquod bonum, & vult illud sibi, vtitur se ipso, vt termino ad quem, quia terminum necesse est saluari in motu, & ideo non potest aliquis appetere sibi aliquod bonum, quo habito ipse non maneat.*

Quæstionis difficultas quo ad secundam partem ex mente eiusdem Angelici Doctoris expeditur.

§. II.

13. Dicendum est secundò, quod circa beatitudinem in particulari, verbi gratia, circa claram Dei visionem non est voluntas necessitata in via necessitatis quo ad specificationem, ac proinde, multo minus necessitare quo ad exercitium, quæ illam priorem necessitatem supponit. Loquimur autem consultò de voluntate in via. Nam quid de illa in patria dicendum sit, superat præsens institutum.

Assertio hæc est Diui Thomæ 1. part. quæst. 82. art. 2. his verbis: *Sunt autem quædam habentia necessariam connexionem ad beatitudinem, quibus scilicet homo Deo inhæret: in quo solo vera beatitudo consistit, sed tamen antequam per certitudinem Diuinæ visionis necessitas huius modi connexionis demonstretur, voluntas non ex necessitate Deo inhæret neque his, quæ Dei sunt.* Vndè Sanctum Doctorem sequuntur communiter Caietanus 1. part. q. 82. art. 2. Conradus quæst. 10. art. 2. Nazarius 1. part. quæst. 12. artic. 1. Martinez 1. 2. q. 3. artic. 8. dub. 2. Aluarez 1. 2. disp. 27. dicens hanc esse communem Thomistarum sententiam, eamque tuetur nostrum Collegium Salmant. tomo sæpè citato, tract. de visione Dei, disput. 1. & extra scholam D. Thom. Durandus in 4. distinct. 44. quæst. 8. & alij.

14. Vt autem fundamentalem huius assertionis rationem, ex D. Th. desumptam, & à nostris Salmant. optimè explicatam tradamus, notanda sunt breuia quædam satis tamen compendiosa verba eiusdem Angel. Doct. in 4. dist. 49. quæst. 1. artic. 3. vbi vt redderet rationem, propter quam licet visio clara Dei sit ipsa beatitudo, non tamen sequitur, quod quicumque appetit beatitudinem, appetat diuinam visionem. *Addidit, quia Beatitudo in quantum huiusmodi importat per se obiectum voluntatis non autem diuina visio.* Ex quibus verbis sequens, & efficax formatur ratio, supponendo tamen obiectum per se voluntatis esse idem, ac obiectum adæquatum; quia inadæquatum comparatur suo modo cum illa modum obiecti, quasi per accidens. Vnde, etiam tale obiectum destrueretur, aut implicaret, non tamen ob id voluntas omnino periret, secus tamen si obiectum adæquatum eiusdem voluntatis implicaret.

Hinc ergo sic arguitur. Voluntas necessitatur quoad specificationem à suo obiecto per se inspecto, seu adæquato, & non alio, sed visio clara Dei, seu Deus, vt clarè visibilis, non est obiectum per se, seu adæquatum voluntatis in via: ergo non potest ab illa necessitari. Consequentia est aperta. Minor verò etiam videtur ex se constare, quandoquidem voluntas in via appetit plura alia præter beatitudinem in particulari, & quæ ad illam non ordinantur, imo ei opponuntur.

Minor autem, quo ad primam partem satis liquet: quoniam quæuis potentia ex natura sua est determinata ad tendendum in suum obiectum adæquatum: quoniam ab illo sumit totam suam essentiam, & specificationem, quo ad secundam verò sic ostenditur: Tum; quia sicut obiectum inadæquatum, hoc ipso quod tale non adæquat totam vim,

&

& facultatem potentiæ : ita non est necesse, vt hoc ipso, quod voluntas velit protumpere in actum, debeat versari circa illud prosequendo ipsum, sed potest elicere actum alterius : imò oppositæ speciei, scilicet odij : Tum etiam, quia hoc, quod est non esse bonum adæquans voluntatem, sed inadæquatum, & non satians illam, quod essentialiter includitur in ratione obiecti non adæquati voluntatis, habet aliquam rationem mali : & ita tale obiectum hoc ipso quod non sit adæquatum, nequit necessitate quo ad specificationem.

15. Confirmatur & explicatur: nam licet visio albi sit magna perfectio visus, & prima facie non videatur in ea apparere aliqua ratio mali : quia tamen album non est obiectum per se adæquatum potentiæ visiuæ : ideò re benè inspecta apparet ibidem aliqua ratio mali, scilicet non esse bonum adæquans totam eius virtutem : & ita ob hanc causam visus saltem pro vt subest imperio voluntatis, non necessitatur, quo ad specificationem ad tendendum in illud : ergo cum Deus, vt claré visibilis, non sit obiectum adæquatum voluntatis, apparebit ibidem saltem ex defectu creaturæ aliqua ratio mali, ob quam possit respici : sed circa hæc videantur ea, quæ nostri Salmant. loco citato docént, ex quibus totam hanc rationem deprompsimus.

16. Ex his duabus conclusionibus sequitur corollarium quoddam notatu dignum, scilicet voluntatem, circa alia particularia, & creata bona non necessitari necessitate quoad specificationem, atque adeò multo minus necessitare quoad exercitium : & ratio est aperta : Tum, quia si voluntas non necessitatur quo ad specificationem circa beatitudinem in particulari, non qualemcumque, sed veram, scilicet visionem beatam, multo minus circa alia bona particularia, quæ sunt minoris longè bonitatis, habebit prædictam necessitatem : Tum etiam, quia alia bona particularia non habent absolutè, & simpliciter loquendo necessariam connexionem cum beatitudine in communi, sed beatitudo hæc per accidens cum illis nectitur : & ita licet voluntas sit necessaria necessitate quo ad specificationem ad volendam beatitudinem in communi, non tamen ad volenda prædicta bona.

Hoc autem optimè explicuit Diuus Thom. 1. part. quæst. 82. art 2. exemplu intellectus. Nam sicut intellectus assentiens ex necessitate alicui primo principio, non debet necessario assentiri conclusionibus non habentibus necessariam connexionem cum illo: ita qui necessariò vult vltimum finem, seu bonum in communi, qui quidem finis est veluti primum principium aliorum volibilium, quatenus ratione illius amantur, non debet necessariò velle ea, quæ non sunt necessariò, sed solùm per accidens connexa cum prædicta beatitudine, seu bono in communi.

17. Diximus alia particularia bona non habere absolutè & simpliciter necessariam connexionem cum beatitudine in communi : quia licet cum eadem vt volita, per modum prosecutionis, sit necessariò connexum, quod appetens habeat proprium esse: & ita nequeat tunc appetere non esse, non taman tale esse est necessario connexum cum eadem beatitudine, vt volita per modum remotionis, seu, vt repetitur in aliquo bono priuatio, vt explicatũ est. Et ad rationem beatitudinis in communi per accidens est, quod hoc, vel illo modo sit volita, sicut etiam respectu voluntatis per accidens est quod hoc, vel illo modo tendat in eamdem: & ita absolutè, & simpliciter loquendo, nullum ex his particularibus bonis est necessariò connexum cum beatitudine in cõmuni, nec voluntas est necessitata ad ea in particulari diligẽda-

QVÆSTIO III.

Qui sint præcipui actus voluntatis?

18. QVæstio hæc ad plures difficultates Theologicas intelligendas necessaria est : & ita placuit peculiariter de præcipuis actibus voluntatis sermonem texere, quamuis de præcipuis actibus intellectus non egerimus, quia in Logica quantum satis est de illis aliqua tetigimus. Cæterum, quia de his actibus solet latè 1. 2. vnà cum Diuo Thoma agi : ideò breuiter, & resolutoriè, & simplici veritatis propositione, quæstionem hanc decidemus.

Actus verò voluntatis possunt in primis diuidi, imperatos, & elicitos, cuius diuisionis meminit Diuus Thomas 1. 2. quæst. 6. articul. 4. & quæst. 74. artic. 2. & vtriusque naturam his verbis explicuit: *Dicendum, quod duplex est actus voluntatis : vnus quidem, qui est eius immediatè, vel vt ab ipsa elicitus scilicet velle : alius, quia est actus voluntatis, à voluntate imperatus, & mediante alia potentia exercitus, vt ambulare, & loqui, qui voluntate imperantur mediante potentia motiua.*

19. Deinde, inter actus elicitos voluntatis primus est amor, vt docet Diuus Thomas 1. part. quæst. 20. articul. 1. his verbis : *Primus enim motus voluntatis, & cuiuslibet appetitiuæ virtutis est amor* : Et rationem subdit, his verbis : *Cum enim actus voluntatis, & cuiuslibet appetitiuæ virtutis tendat in bonum, malum, sicut in propria obiecta : bonum autem principalius, & per se sit obiectum voluntatis, & appetitus : malum autem secundario, & per aliud, in quantum scilicet opponitur bono ; oportet naturaliter esse priores actus voluntatis, & appetitus, qui respiciunt bonum, his qui respiciunt malum, vt gaudium, quàm tristitia, & amor quàm odium. Rursus, quod est communius, naturaliter est prius. Sunt autem, quam actus voluntatis, & appetitus respicientes bonum sub aliqua speciali conditione, sicut gaudium, & delectatio est ad bono præsenti, & habito : desiderium autem, & spes de bono non adepto. Amor autem respicit bonum in communi, siue sit habitum, siue non habitum. Vnde amor naturaliter est primus actus voluntatis & appetitus.*

Quod etiam confirmat idem Angelicus Doctor, ibidem, sic: *Omnes alij motus appetitus præsupponunt amorem quasi primam radicem, nullus enim desiderat aliquid nisi bonum amatum, neque aliquis gaudet nisi de bono amato : odium etiam non est, nisi de eo, quod contrariatur rei amatæ, & similiter tristitiam, & cætera huiusmodi, manifestum est in amorem referri, sicut in primum principium.*

Deinde, post hunc amorem solet subsequi in voluntate alius actus, qui est intentio finis, de quo mentionem fecit Angelicus Doctor 1. 2. quæst. 12. vbi etiam rationem subdit propter quam intentio sit actus voluntatis, his verbis: *Respondeo dicendum, quod intentio sicut ipsum nomen sonat, significat in aliud tendere: in aliud autem tendit, & actio mouentis, & motus mobilis, sed hoc, quod motus mobilis in aliqua tendit, ab actione mouentis procedit. Vnde intentio primò, & principaliter pertinet ad id, quod mouet ad finem. Vnde dicimus Architectorem, & omnem præcipientem mouere suo imperio in alios, ad id quod ipse intendit; voluntas autem mouet omnes alias vires animæ ad finem. Vnde manifestum est, quod intentio propriè est actus voluntatis.*

20. Ad hunc autem actum solet subsequi, vel in eo inuolui desiderium, & spes consequendi finem intentum, ex quibus actus desiderij terminatur ad

bonum, vt absens, vt docuit D. Thomas loco nuper cit ex 1. part. Spes autem est de re difficili, non quidem quia necessariò sit, de re magna, sed quia est de re, quæ pendet ex volontate alterius: nequehoc solum petitur ad spem, sed in super quod sit de re, quæ credatur futura: nam si non credatur futura, cessat spes: & ita re difficili, quæ in alterius est potestate, potest esse desiderium, licet non sit spes in eo, quod non creditur rem illam dandam esse ab eo, in cuius potestate est Quæ omnia tetigit D. Thom. 2.2.quæst. 17. & 18.

Cæterùm: quia post intentionem finis, statim sequitur consilium, & deliberatio de mediis, vt docuit Angel. Doctor. 1.2. q. 14. & q. 15. art. 3. ad prædictum Consilium consequitur consensus, & electio, propterea post intentionem meritò numerantur prædicti actus, scilicet consensus & electio.

Hi autem sunt actus voluntatis versantes circa media. Nam in primis, quod consensus sit actus voluntatis, docuit D. Th. 1. 2. q. 15. art. 1. quòd verò sit actus volūtatis circa media, fatetur idem Angel. Doct. art. 3. eiusdem quæst. his verbis: *Applicatio appetitiui motus ad determinationem Consilij propriè est consensus. Vnde cùm Consilium non sit, nisi de eis, quæ sunt ad finem, consensus propriè loquendo non est, nisi de eis quæ sunt ad finem.*

21. Et similiter electionem esse actum voluntatis versantem circa media, docuit idē S. Doct. 1. part. q. 83. art. 3. vbi licet fateatur ad electionē requiri aliquid ex parte voluntatis, nihilominus concludit electionem principaliter esse actū appetitiuæ virtutis, his verbis: *ad electionē autem concurrit aliquid ex parte cognoscitiua, & aliquid ex parte appetitiua: ex parte autē cognoscitiua requiritur Consilium, per quod diiudicatur, quod sit alteri præferendū: ex parte autem appetitiua requiritur, quòd appetendo acceptetur quod per Consilium diiudicatur. Et ideo Arist. in 6. Ethic. sub dubio relinquit: vtrū principaliùs pertineat electio ad vim appetitiuā, vel ad vim cognoscitiuam: dicit enim, quod electio, vel est intellectus appetitiuus, vel appetitus intellectiuus. Sed in 3. Ethic. in hoc magis declinat quod sit appetitus intellectiuus, nominans electionem desiderium consiliabile.*

Cuius rationem reddit optimè S. Doct. ibidem dicens: *Quia proprium obiectum electionis est illud, quod est ad finem: hoc autem in quantum huiusmodi habet rationem boni, quod dicitur vtile. Vnde cùm bonum inquantum huiusmodi sit obiectum appetitus sequitur, quod electio sit principaliter actus appetitiuæ virtutis.*

22. Inter hos autem actus, scilicet consensum, & electionem, hoc est discrimen, quod licet consensus communiter dictus, prout est quid commune cuilibet volitioni, & amori, siue sint circa finem, siue circa media (quo pacto communiter dicimus, peccatum confirmari per consensum voluntatis) non debeat subsequi ad Consilium, neque petat esse circa media: attamen si de proprio, & peculiari consensus significato sermo sit: tunc solum significat actum illum, quo voluntas se applicat ad aliquod medium non determinando, an tale medium per illum actum separetur, & præferatur aliis: at electio dicit actum voluntatis, quo voluntas acceptando aliquod medium separat illud ab aliis, ipsum que cæteris aliis non acceptatis præfert. Vtrum autem talis actus consensus, & electionis realiter, aut formaliter distinguantur, alibi Deo dante discutietur.

Quia verò facta electione, opus est, vt non ibi sistat voluntas, sed medium illud exequatur, propterea ad hoc munus instituitur, inter alia actus quidā, qui dicitur vsus, quique est actus voluntatis, per quam applicantur cæteræ potentiæ, & instrumenta, quæ, modo suprà insinuato, executura sunt tale medium.

23. Quod quidem optimè docuit, & probauit Diuus Thomas in 1. distinct. 2. quæst. 2. art. 2. & 1. 2. quæst. 16. artic. 4. his verbis: *Dicendum, quòd vsus rei alicuius importat applicationem rei illius ad aliquā operationem. Vnde, & operatio, ad quam applicamus rem aliquam dicitur vsus eius, sicut equitare est vsus equi, & percutere est vsus baculi; ad operationem autē applicamus & principia interiora, agendi scilicet ipsas potentias animæ, vel membra corporis, vt intellectum ad intelligendum, & oculum ad videndum, & res exteriores sicut baculum ad percutiendum: sed manifestum est, quod res exteriores non applicamus ad aliquam operationem, nisi per principia intrinseca, quæ sunt potentiæ animæ, aut organa, quæ sunt corporis membra, ostensum est autem suprà, quod voluntas est, quæ mouet potentias animæ ad suos actus. Et hoc est applicare eas ad operationem. Vnde manifestum est, quod vti primo, & principaliter est voluntatis tanquam primi mouentis.*

Consultò autem addit S. Doctor, particulam illam *primò & principaliter*, explicaret, quod vsus propriè est actus voluntatis, vnde statim subdit: *Vti autem est rationis, tanquam dirigentis, sed aliarum potentiarum tanquam exequentium, quæ comparantur ad voluntatem, à qua applicantur ad agendum sicut instrumenta ad principale agens, actio autem propriè non attribuitur instrumento, sed principali agenti sicut ædificatio ædificatori. Vnde manifestum est, quod vti propriè est actus voluntatis.*

24. Cur autem voluntas sit potentia illa, quæ mouet omnes potentias animæ ad suos actus, optimè ostendit idem Angelicus Doctor 1. 2. quæst. 9. art. 1. dicens: *Fines, & perfectiones omnium aliarum potentiarum comprehenduntur sub obiecto voluntatis, sicut quædam particularia bona: semper autem ars, vel potentia, ad quam pertinet finis vniuersalis mouet ad agendum artem, & potentiam, ad quam mouet finis particularis sub illo vniuersali comprehensus, sicut Dux exercitus, qui intendit bonum commune scilicet ordinem totius exercitus, mouet suo imperio aliquem ex tribunis, qui intendit ordinem vnius aciei.*

Semel autem aconisito fine, statim succedit delectatio, vt ex se constat, siue fruitio, quæ etiam est actus voluntatis, vt docuit D. Thomas 1.2. quæst. 11. art. 1. cuius rationem reddit ex eo, quod à sensibilibus fructibus nomen fruitionis deriuatur: fructus autem sensibilis, est id, quod vltimò ex arbore expectatur, & cum quadam suauitate percipitur: ergo fruitio pertinet ad delectationem, quam aliquis habet de vltimo spectato, quod est finis: ergo cùm finis sit obiectum appetitus: fruitio erit actus illius, quamuis, vt benè notauit Angel. Doct. art. 3. eiusdem quæst. fruitio propria. & secundùm completam rationem tantùm sit vltimi finis, quod probat ex eo, quod vt dicit D. August. lib. 10. de Trinit. cap. 10. fruimur cognitis, in quibus voluntas delectata conquiescit, non autem conquiescit simpliciter, nisi in vltimo quia quandiu aliquid spectatur, remanet in suspenso.

Vnde, vt S. Doctor. artic. 4. docet, perfecta fruitio solùm est vltimi finis habiti realiter, imperfecta verò est eiusdem finis non habiti realiter, sed in intentione tantum: cuius rationem reddit ibidem, quia perfecta fruitio est comparatione vltimi simpliciter, & perfecti habiti: non autem habetur perfectè, nisi habeatur in re: imperfectè autem non habetur, quando est in intentione tantum, ergo, &c.

QVÆ

QVÆSTIO IV.

Vtrum voluntas sit perfectior quàm intellectus.

POstquam egimos de voluntate secundùm se, meritò de eadem vt collata cum intellectu agimus, vt ita omnia, quæ ad voluntatem spectant, magis explicata maneant.

Opinio affirmans.

§. I.

25. PArtem affirmantem tuentur Scotus in 4. distinct.49. quæst.4. & 5. quem sequuntur eius discipuli. Idem etiam sentit. Alensis 3. part. quæst.80. memb. 1. dist. 1. quæst. 19. Bonauent. Ægidius Argentinas, Gabriel & Maior in 4. dist. 49. Albertus in 1.dist.1.q.14. Aureolus Apud Capreol. q.1.

Probatur primò: nam vt docet Dionys.cap. 7. Cælestis Hierarch. Angelorum chori, penes eorum perfectionem sunt dispositi, & in supremo Seraphin. In secundo verò Cherubin collocantur, atque adeo illi sunt perfectiores istis: at Cherubin dicti sunt à plenitudine scientiæ, & cognitionis, Seraphin verò ab ardore charitatis: ergo actus charitatis, qui est voluntatis, est perfectior quocumque actu cognitionis, & scientiæ, qui ad intellectum pertinet, ac proinde etiam voluntas erit perfectior intellectu, siquidem ea est perfectior potentia, quæ perfectiores actus elicit.

Secundò, illud est melius cuius oppositum est peius, vt ex se videtur constare, & docet Philosophus 7. Ethicor. sed oppositum amoris charitatis, scilicet odium Dei, est peius quàm oppositum visioni claræ Dei, quod est error circa ipsum, vt ex se patet: ergo facta collatione inter nobilissimos actus voluntatis, & intellectus, scilicet charitatis, & visionis Dei, tunc nobilissimus actus voluntatis excedit nobilissimum actum intellectus: atque adeo, vt iam diximus, voluntas ipsa erit nobilior intellectu.

Tertiò, nam illa est perfectior potentia, quæ habet nobilius obiectum: sed obiectum voluntatis est nobilius quàm obiectum intellectus: ergo, &c. Minor probatur: quoniam voluntas habet pro obiecto ipsam rationem boni cuiuslibet rei, prima autem & potissima perfectio rei, est bonitas ipsius: ergo, &c.

26. Quartò, voluntas mediis suis actibus totum hominem bonum, vel malum reddit, non verò intellectus: ergo voluntas, & eius actus sunt quid perfectius, quàm intellectus, & actus illius. Consequentia videtur certa: nam id, quod reddit hominem bonum, & perfectum, est melius eo, quod non habet vim ad huoc effectum præstandum.

Antecedens autem probatur: quia homo non redditur bonus, quia sciens, benè tamen ratione actuum virtutum, qui potissimè à libertate voluntatis pendent, sicut, nec redditur malus, quia ignorans, quatenus ignorantia illa præcisè pertinet ad intellectum, & non est culpabilis ex eo, quod non est volita à voluntate, secus tamen ratione vitiorum, vt sunt actus ipsius voluntatis.

Confirmatur, quia hac ratione appetitus sensitiuus est perfectior, quàm imaginatio, quia ille capax est virtutis, vt communiter docent Theologi, non autem ista.

27. Quintò: nam per voluntatem efficimur formaliter liberi, & domini nostrarum actionum, non autem per intellectum, & deinde voluntas, ratione suæ libertatis est qualis domina reliquarum potentiarum, quæ quo ad exercitium suarum operationum subduntur nostræ libertati, & habet se, vt mouens, & imperans respectu earum, non autem intellectus: at hæc omnia, maximam quandam excellentiam in voluntate dicunt: ergo voluntas erit præstantior intellectu, cui talis perfectio deest.

Vltimò: quia vt docet D.Thomas 1.part. quæst.82. art.3. licet cognitio eorum, quæ sunt infra nos, sit præstantior, quàm eorumdem amor, tamen amor illorum, quæ sunt supra nos, est nobilior cognitione, propter quod Sanctus Doctor ibidem docet, charitatem, quæ est in voluntate, esse excellentiorem habitibus intellectualibus, quod etiam docuerat Paulus 1. ad Cor.13. *Maior autem horum est charitas*: ergo præstantissimus actus voluntatis est excellentior præstantissimo actu intellectus, & per consequens voluntas excedet in perfectione intellectum. Hæc vltima consequentia ex priori satis liquet. Prior verò ex antecedenti: nam præstantissimi actus voluntatis, & intellectus, debent versari circa ea, quæ sunt supra nos, & ita si volitio eorum, quæ sunt supra nos excedit cognitionem illorum, consequens erit, vt præstantissimus actus voluntatis excedat præstantissimum actum intellectus.

Præfertur sententia Aristotelis, & D.Thomæ.

§. II.

28. DIcendum tamen est, intellectum esse perfectiorem, quàm voluntatem. Ita Aristot. in 1. Ethic. relatus à D.Thom.1. part. quæst.82. art.3. in arg. sed contra, his verbis: *Sed contra est, quod Philosophus in decimo Ethic. ponit altissimam potentiam animæ esse intellectum.* Quod etiam docet Angel. Doct. ibidem, dicens: *Si ergo intellectus, & voluntas considerentur secundum se, sic intellectus eminentior inuenitur.* Idem etiam tenet 1.p.q.16.art.1.& quæst.82.art.3.& 3. contra Gent. cap.26. ratione 1. & in 1.dist.1. quæst.1. art.1. de verit.quæst.14. art.5.ad 5. & quæst.22.art.11. Vnde, tam Aristot. quàm Angelicum Doct. sequuntur Caietanus & Bañez ibidem, Paludanus in 4.dist.quæst.5. Durandus quæst.4. Herueus quodlib.8.quæst.9. Capreol.io 1. dist.1.quæst.1.& dist.3.quæst.3.art.2. Abulens. ad cap.5. Matthæi quæst.30. Veuetus 3. de Anima text.58. Rubio, & Conimb. in præf. Suarez tom. summæ Theol. tract.4. lib.5. cap.9. Vasquez 1.2. disp.11. cap.8. & alij plures.

Rationem priorem, & principalem huius assertionis adduxit D.Thom. loco citato, ea quæst.81. 1.part. his verbis: *Obiectum enim intellectus est simplicius, & magis absolutum, quàm obiectum voluntatis, nam obiectum intellectus est ipsa ratio boni appetibilis, bonum autem appetibile, cuius ratio est in intellectu, est obiectum voluntatis: quantò autem aliquid est simplicius, & abstractius, tantò secundùm se est nobilius, & altius, & ideò obiectum intellectus est altius, quàm obiectum voluntatis: cum ergo propria ratio potentiæ sit secundùm ordinem ad obiectum, sequitur quòd secundum se & simpliciter intellectus sit altior, & nobilior voluntate.*

29. Confirmatur, & explicatur hæc ratio, quia obiectum intellectus importat rationem & quidditatem rei, abstrahendo ab existentia, & singularitate, & à qualibet alia determinatione: quod si terminatur ad existentiam, potest terminari ad illam sicut etiam ad essentiam per modum quidditatis, & abstrahendo ab exercitio existendi. Et ideo Sanctus Doctor in sua ratione dixit, quod bonum appetibile, cuius ratio est in intellectu, (seu quod idem est, cuius quidditas per modum quidditatis est in intellectu, &

est obiectum illius,) est obiectum voluntatis; obiectum verò voluntatis dicit ipsam rationem rei concretiuè sumptam, siue simul cum existentia, & conditionibus singularibus. Et propterea D. Thom. 1. p. quæst. 5. artic. 1. ad primum dixit, quod multo plus requiritur, vt aliquid sit simpliciter bonum, quàm vt dicatur simpliciter ens, & verum, & ideo obiecta Mathematicarum esse simpliciter entia, vera, ac scibilia, non tamen bona: ergo obiectum Intellectus est abstractius, & simplicius, quàm obiectum voluntatis, ac proinde & intellectus erit nobilior quàm voluntas.

30. Nec refert, si cum aduersariis obiicias: hinc potius sequi, obiectum voluntatis esse perfectius, quàm obiectum intellectus, quia quidditas cum existentia est multo melior, quàm sine illa, quippe cum existentia tribuat illi esse actuale, & sine illa habeat tantum in potentia.

Respondetur enim cum Caietan. & Bañez loco citato dupliciter posse intelligi, quòd vnum sit perfectius altero, scilicet, aut in esse rei, aut in esse obiecti, & quidem in esse rei; præstantior est res existens, quàm illa, quæ abstrahit ab existentia, vt obiectio rectè concludit. Cæterùm in esse obiecti multò præstantior est quidditas, quæ abstrahit ab existentia, quia est obiectum simplicius, & modo abstractiori terminat potentiam, quemadmodum hoc album in esse rei perfectius est, quàm album in communi. Cæterùm, in esse obiecti, multò perfectius est album in communi, quàm hoc album, quod non potest esse obiectum nostri intellectus propriè, & directè, sed sensus; album verò in communi est obiectum intellectus, & directè terminat actionem eius, ex eo quòd secundum regulam Arist. 1. Physic. text. 49. & 2. de Anima, text. 60. sensus est singularium, intellectus verò vniuersalium.

31. Potestque explicari excessus iste obiecti intellectus in ratione obiecti, quamuis non in esse rei supra obiectum voluntatis: ex eo quòd hoc ipso, quòd obiectum intellectus sit modo dicto abstractius, & simplicius, petit potentiam intellectiuam illud attingentem esse valdè subtilem, & immaterialem, valdèque subtiliter, & immaterialiter ad illud terminari, nam petit esse in ea talem vim, vt rem quamlibet possit sub omni præcisione considerare, essentiam ipsam ab existentia separando, & vniuscuiusque rationis propriam quidditatem inuestigando, quòd sanè magnam vim magnamque immaterialitatem, & subtilitatem in intellectu arguit: è contra verò hoc ipso, quod obiectum voluntatis non sit ita simplex & abstractum, sed inuolutum cum prædictis conditionibus, non petit potentiam adeo subtiliter, & ita immaterialiter attingentem illud, sed quæ terminetur ad illud absolutè, & vt cum prædictis conditionibus est inuolutum, qui quidem modus operandi, minùs subtilis est, minúsque immaterialis.

Secundam & principalem rationem huius assertionis attingit. D. Thom. 1. part. quæst. 26. artic. cit. quæ potest sub hac forma proponi. Nam inter proprietates, aut potentias dimanantes ab essentia illa, est excellentior, quæ priùs natura fluit ab eadem essentia, quæque est propinquior illi: at intellectus priùs fluit ab essentia animæ, quàm voluntas, estque propinquior eidem essentiæ: ergo erit nobilior quàm voluntas. Maior patet, quia quod accedit ad maximè tale est magis tale: nam hoc ipso, quod est magis intimum illi, participat magis de eius perfectione. Minor autem patet, tum, quia sicut volitio præsupponit intellectionem, & non nisi ea mediante fit, ita voluntas intellectum, & non nisi mediante eo fluit ab anima: Tum etiam, quia hæc causalis est vera; homo est appetitiuus appetitu rationali, quia est intellectiuus, non tamen è contra.

32. Nec obstat, si obiicias cum Scoto, quod ex hac ratione potiùs sequitur voluntatem excedere in perfectione intellectum: nam quod est prius generatione; est imperfectius: vnde, natura ab imperfecto ad perfectum procedit: si ergo intellectus ordine generationis est prior voluntate, minus perfectus erit, quàm illa.

Respondetur enim, quòd licet in vno, & eodem, quod est prius generatione, sit ignobilius, ex eo quod natura ex imperfecto ad perfectum, & de potentia ad actum conscendit: & ita animalia & plantæ in principio sint minùs perfecta, postea verò ad maiorem perfectiorem perueniant; nihilominus simpliciter loquendo non est necesse, vt id, quod prius est generatione, sit imperfectius, eo quod est posterius: vnde, actus prior est, quàm potentiæ, siquidem producit illam: & nihilominus actus præstantior est, quàm potentia: & similiter substantia est prior generatione suis proprietatibus; cùm tamen sit longè nobilior illis: sic ergo intellectus qui comparatur ad voluntatem, sicut actus ad potentiam, siquidem confertur cum illa per modum motiui cum suo mobili, vt statim magis dicemus, poterit esse prior generatione, quàm voluntas, & excedere illam in perfectione.

Quæ solutio desumitur ex D. Thom. quæst. 82. iam citata, art. 3. ad secundum, his verbis: *Dicendum, quòd illud, quod est prius generatione, & tempore est imperfectius: quia in vno, eodemque potentia tempore, præcedit actum, & imperfectio perfectionem: sed illud, quod est prius simpliciter, & secundum naturæ ordinem est perfectius, sic enim actus est prior potentia, & hoc modo intellectus est prior voluntate, sicut motiuum mobili & actiuum passiuo; bonum enim intellectum mouet voluntatem.*

Soluuntur omnia argumenta opinionis negantis præter vltimum.

§. III.

33. AD primam transeat maior, & distinguatur minor: & si sensus sit quòd Cherubim dicti à plenitudine scientiæ, & cognitionis, viæ, Seraphim verò ab ardore charitatis eiusdem viæ, concedenda est: secus verò si sensus illius fuerit; quod Cherubim dicti sint à plenitudine scientiæ patriæ: & Seraphim ab ardore charitatis eiusdem patriæ: vnde, eodem proportionali modo distinguendum est consequens primæ consequentiæ, & neganda est eadem consequentia, si intelligatur de actu charitatis, & cognitionis patriæ: quoniam cognitio beatifica est perfectior actu charitatis patriæ. Si autem intelligatur de actibus charitatis, & cognitionis viæ, concedi poterit, & deindè, neganda est absolutè vltima consequentia, quia ad hoc, vt voluntas non sit perfectior intellectu, satis est, perfectissimus actus voluntatis, sc. charitas patriæ, sit ignobilior perfectissimo actu intellectus, qualis est visio beatifica.

Ratio autem ob quam Seraphin v. g. potiùs nominati sunt ab amore viæ, quam patriæ reddi potest: Tum ex eo, quod per illum amorem meruerunt Patriam, & visionem illius, & plus solet quis gloriari ex meritò, quàm ex præmio. Tum etiam, quia ordo Angelorum constitutus est in via, siquidem priùs quam ad patriam peruenirent fuerunt dispositi, vt modò sunt, & ita etiam Angelis, qui peccauerunt solent tribui hæc nomina: quod quidem non parum indicat fuisse eis imposita in via, & propter actiones, aut excellentias eiusdem viæ, vt cum Ezech. 28. dicitur:

Tu

Tu Cherub extensus, & protegens, &c. & postea, *peccasti, & deieci te de monte Dei, & perdidi te ô Cherub protegens.* Quæ verba de Angelo peccante exponunt Hieronymus ib. Gregorius lib.32. Mor. c.24. & Cyrillus lib.6. in Ioan. cap.6.

34. Ad secundum respondetur, primò cum Caietan. 1.2. quæst.73. art.4. maiorem intellectam, vt in præsenti contingit, de oppositis contrariè solum esse veram in illis, quæ secundùm suam specificam rationem habent oppositum per modum contrarij, non verò de his, quæ modo dicto eo carent, & ita non habere locum in visione beatifica, & lumine gloriæ, quæ propter suam maximam excellentiam, & nobilitatem carent contrario, si secundùm suam rationem specificam sumantur, vnde iuxta hæc, testimonium illud Arist. debet intelligi.

Explicatur hoc: etenim illa propositio, nimirum illud est melius, cuius oppositum est peius; si intelligatur de oppositis contrariè est vera, si talia contraria secundùm eandem rationem accipiantur: ita nimirum, vt sicut ea vna parte assumitur contrarium vnius actus, nempè charitatis secundùm eius specificam rationem acceptæ, quod quidem est odium Dei; ita etiam ex alia sumeretur contrarium alterius actus, sc. visionis Dei secundùm eius etiam specificam rationem acceptæ, quod tamen in præsenti non contingit; nam error positiuus circa Dei cognitionem, non opponitur visioni secundùm specificam rationem visionis, sed secundùm rationem iudicij certi, & veri, quæ communis est visiuni, & actui credendi, quam rationem imperfectiorem esse actu amoris fatemur, in ea tamen non consistit perfectissimus actus intellectus, sed in visione secundùm rationem specificam, quatenus est visio clara Dei, prout est in se: si autem regula illa intelligatur de oppositis priuatiuè, tam respectu visionis, quàm actus charitatis: tunc priuatio visionis est peius, & quantum est ea se magis detestandum, quàm carentia moris.

35. Secundò respondetur ex eodem Caietan. 2.2. q.102. art.3. circa solutionem ad primum, & Bañez loco citato ex 1. p. Aluarez 1.2. disp.21. n.46. odium Dei posse dupliciter considerari, primo modo, quatenùs præcisè priuat actu amoris Dei sibi opposito, siue secundùm quod amori opponitur: secundo, quatenus alias est peccatum, & non qualemcumque, sed mortale. Dicimus ergo, quod si consideretur odium Dei secundùm priorem considerationem, tunc peius est simpliciter loquendo carere visionis beatifica, quàm carere Dei amore, aut habere odium; & ita priuatio visionis beatificæ, est valdè accommodata ad hoc, vt sit pœna damni in damnatis, quia sub hac ratione est maximum malum: si verò consideretur odium Dei secundùm posteriorem considerationem, tunc peius est quàm carentia Diuinæ visionis: imò quodlibet peccatum veniale est maius malum ex hac parte, quàm carentia visionis Dei: ea eo quod prædicta visio secundùm se sumpta non est peccatum: ex hoc autem non sequitur amorem esse perfectiorem, quàm visionem beatificam; quia ad hoc desiderabatur, vt eius oppositum, scilicet odium, quatenus præcisè priuat amore, & ei opponitur, esset quid peius: non verò sufficit, quod sit peius quatenus est peccatum, quia secundum hanc considerationem pertinet ad genus moris. Hic autem non comparamus amorem Dei, & visionem, nisi in genere naturæ, secundùm quam rationem specificant intellectum, & voluntatem, modo tamen supra dicto.

Ad tertium neganda est minor: & ad probationem patet ex dictis, quomodo voluntas non habeat pro obiecto ipsam rationē boni, seu bonitatem ipsam per modum quidditatis, sed magis concretè considera-tam, vt supra explicuimus. Et quomodo ipsa ratio boni per modum quidditatis, seu secundùm quod attingitur ab intellectu, sit nobilior in ratione obiecti, quam bonum secundùm quod attingitur à voluntate.

36. Ad quartum respondetur: ex eo ad summum colligi actus voluntatis viæ, pro vt pertinent ad genus moris, esse excellentiores, quàm actus intellectus: hinc tamen non sequitur, quod voluntas secundùm suum esse physicum sit nobilior intellectu, eodem modo accepto secundùm quam rationem de his duabus potentiis loquimur. Ad confirmationem respondetur: indè, ad summum colligi; appetitum sensitiuum esse secundùm quid nobiliorem imaginatione, non tamen simpliciter, vt ex dictis constat.

Ad quintum respondetur: quod licet voluntas sit formaliter libera, nihilominus totum hoc prouenit ab intellectu, tanquam à radice: & ita ex hac parte voluntas non erit perfectior quàm intellectus. Adde, non ideò aliquam potentiam, vel operationem esse perfectiorem, quia sit magis libera quin potiùs naturale, post esse perfectius libero. Vndè, charitas, quæ erat in via, & liberè vnà cum voluntate operabatur, manet in patria, vbi necessariò prorumpit in suum actum: & tamen in patria est multo perfectior, quàm in via.

Ad illud autem, quod ibidem additur de voluntate mouente quoad exercitium omnes potentias ad operandum, respondetur: intellectum præstantiori modo mouere eandem voluntatem, quia præstantius est mouere quoad specificationem, quàm quoad exercitium: at voluntas solùm mouet quoad exercitium: intellectus autem quoad specificationem, & insuper voluntas solùm mouet applicando: intellectus autem præcipiendo, & tandem plures sunt actus intellectus, qui non sunt ex motione voluntatis, nimirum necessarij, inter quos potissimus est clara Dei visio; sed nullus est actus voluntatis, qui non sit ex motione intellectus quoad specificationem, & adhuc quando voluntas mouet intellectum quoad exercitium, dirigitur ab intellectu respectu talis motionis.

37. Adde; cum D.Th. q.82. art. citat. 20. & Caiet. 1. part. q.26. art.2. ad argumenta Scoti, & cum Bañez vbi supra, hanc motionem voluntatis, qua mouet intellectum, ad summum conuincere voluntatem esse præstantiorem intellectu, secundum quid videlicet in ratione mouentis, & considerato intellectu in ratione moti quoad exercitium ab eadem voluntate; non autem quod ipse intellectus absolutè, & simpliciter, vel secundùm suam essentiam sit ignobilior voluntate: Tum quia vt dicebamus etiam voluntas, vt mota quoad specificationem ab intellectu, est imperfectior illo quatenus mouens est. Tum etiam, quia intellectus superat illum ex parte obiecti formalis. Certum est autem, quòd potissima excellentia potentiarum desumitur ex præstantia obiecti formalis, à quo desumitur etiam species, & essentia ipsarum potentiarum.

Potestque hoc explicari exemplo coloris, secundùm quod mouet potentiam visiuam; producendo in illa speciem sensibilem, quæ quidem præstantior est ipsa potentia visiua secundùm quid in ratione mouentis: cum quo tamen stat, quod absolutè, & simpliciter potentia visiua sit præstantior secundùm suam essentiam, de quo videri potest D.Thom. quæst.22. de veritate art.11. ad argumenta 2. loco.

Diluitur argumentum vltimum opinionis negantis.

§. IV.

38. AD vltimum fatendum est cum D.Thom. loco citato, cognitionem earum rerum, quæ sunt supra nos, esse ignobiliorem amore earundem; hoc

tamen

tamen ad minus intelligendum est de rebus superioribus, quæ per se ipsas non vniuntur in ratione speciei intelligibilis cum intellectu nostro in ordine ad earum cognitionem, vt contingit dum quis in via attingit Deum, nam respectu huius cognitionis non vnitur Deus in ratione speciei intelligibilis cum intellectu: sed cognoscitur per species rerum materialium, aut per species obscurè, & imperfectè ipsum repræsentantes: & ita Paulus loquen. de charitate,& similiter D.Thom.& conferentes illam cum Fide,quæ est cognitio viæ,& habita per species rerum materialium dixerunt, charitatem esse eminentiorem.

39. Ratio autem huius limitationis, & interpretationis est: nam vt constat ex eodem Angel. Doct. propterea amor eorum quæ sunt supra nos, est nobilior cognitione illorum: quia cognitio fertur ad res provt sunt in intellectu, modo tamen alibi latiùs explicato: amor verò ad eas provt sunt in se; vnde, quia res superiores nobiliùs esse habent in se, quàm in nostro intellectu; ideò actus cognitionis, qui terminatur ad illas,provt sunt in nostro intellectu; terminatur ad easdem provt habent esse ignobilius,quàm ipsæmet,vt terminant actum amoris; ac proinde talis cognitio quippè habens ignobilius obiectum, quam amor,debet esse ignobilior illo.

Hæc autem ratio tantùm probat de cognitione rerum superiorum, quæ cognoscuntur, & trahuntur ad intellectum per species imperfectas, & inferioris rationis:non verò quando res superior attingitur provt est in se, & per illammet vnitam in ratione speciei intelligibilis: namtunc modus essendi, quem habet in intellectu, non est inferior modo essendi, quem habet in se.

Vnde ad formam argumenti,concesso antecedenti, iuxta modò dicta,negari debet vtraque consequentia: & ad probationem prioris ex qua pendet probatio posterioris dicendum est: quod licèt præstantissimi actus voluntatis, & intellectus debeant versari circa ea,quæ sunt supra nos,scilicet circa Deum,non tamen ita vt præstantissimus actus intellectus eliciatur mediante specie creata,& obscurè, ac imperfectè repræsentante Deum: sed ita vt eliciatur mediante essentia Diuina vnita in ratione speciei intelligibilis, & obiecti intellecti:quia vt docet D.Thom. 1.part.q.12. art.2. visio beatifica, quæ est præstantissimus actus intellectus, non potest elici per speciem creatam: sed necessario petit essentiam Diuinam vnitam in rationem speciei intelligibilis,& obiecti intellecti. Vnde, collata cum amore rerum, quæ sunt supra nos,scilicet eiusdem Dei,non est necesse, vt sit imperfectior illo, sed potiùs erit eo nobilior,vt ex dictis constat.

40. Nec refert si contra solutionem hanc obiicias: primò, quod licet Deus videatur per essentiam Diuinam vnitam in ratione speciei intelligibilis; adhuc tamen provt est intellectu, non habet ita perfectum modum essendi,ac ipsemet provt est in se: ergo amor patriæ, quæ fertur ad Deum provt est in se, habebit nobilius obiectum, quàm visio beatifica; ac proinde ratio D.Thomæ qua probatur charitatem viæ esse perfectiorem cognitione eiusdem viæ, conuincet hoc ipsum de charitate patriæ collata cum visione beatifica. Vtraque consequentia ex antecedenti constat. Antecedens autem etiam liquet; quoniam Deus in intellectu creato est modo finito, quia vnitur ei finitè, at in se ipso est modo infinito.

Respondetur enim, parem quoad hæc esse rationem inter amorem patriæ, & visionem, & Deum, vt terminat vtrumque actum: nam sicut Deus, vt habet rationem speciei intelligibilis habet modum essendi in se infinitum, quamuis finitè vniatur; ita provt terminat actum amoris est in se infinitus, quamuis finitè terminet. Vnde, ex hoc capite nequit esse excessus in amore collatus cum visione.

Nec etiam refert, si secundo obiicias: potentiam nobiliorem habere actum adæquatum nobiliorem, cum ab eo desumat suam speciem,& perfectiorem: at hoc ipso, quod actus adæquatus alicuius potentiæ sit nobilior actu adæquato alterius: debent omnes actus inadæquati illius esse nobiliores; quippè qui etiam specificant potentiam illam excellentiorem: ergo non potest cohærere, quod intellectus sit nobilior, quàm voluntas, ac proindè actus adæquatus illius sit etiam nobilior actu adæquato voluntatis: & quod nihilominus ex actibus inadæquatis intellectus aliqui sint ignobiliores actibus voluntatis.

41. Confirmatur: nam hoc ipso, quod aliquis actus voluntatis secundùm suam rationem differentialem sit nobilior aliquo actu intellectus, oportet, quod etiam secundùm suam rationem genericam, seu secundùm, quod volitio est, sit etiam excellentior intellectione,vt intellectio est: ergo etiam oportebit voluntatem superare in perfectione intellectum: & per consequens non poterit cohærere, vt aliquis actus voluntatis sit nobilior aliquo actu intellectus, & quòd nihilominus intellectus sit nobilior voluntate.

Antecedens probatur: nam ratio differentialis, & generica debent habere inter se debitam proportionem, & commensurationem: & ita si ratio differentialis pertinens ad diuersum genus, est nobilior, non potest non ratio generica esse etiam nobilior: & propterea quia ratio differentialis alicuius animalis est excellentior ratione differentiali plantæ; oportet,vt genus illius sub quo non continetur planta, sit nobilius genere istius. Prima verò consequentia ex antecedenti patet,vt ex dictis, & ex statim num. seq. dicendis magis constabit.Secunda verò,ex antecedenti, & ex priori consequentia apertè deducitur.

42. Respondetur enim, concedendo maiorem prædictæ obiectionis, & distinguendo minorem: & si intelligatur de actibus inadæquatis, quatenus inadæquati sunt, & vt concurrunt ad specificationem potentiæ, concedenda est; secùs verò de actibus inadæquatis non sumptis formaliter in ratione inadæquatorum, & concurrentium ad prædictam specificationem: & eodem proportionali modo distinguendum est consequens, & concedenda consequentia si sensus illius sit: non posse cohærere cum excessu intellectus, & actus adæquati illius, quod aliquis ex suis actibus inadæquatis in ratione inadæquati formaliter sumpti, sit ignobilior aliquo actu voluntatis, eodem modo accepti: secùs verò si sensus illius fuerit non posse cohærere cum prædicto excessu aliquem actum intellectus materialiter sumptum, & secundum suam peculiarem rationem in esse rei consideratam, esse imperfectiorem aliquo actu voluntatis,eodem modo considerato.

Explicatur hoc: etenim peculiares actus intellectus possunt considerari dupliciter. Primo quidem, formaliter,vt sunt actus inadæquati intellectus,id est, vt præcisè participant rationem generalem intellectionis: ac proindè, provt suo modo concurrunt ad specificandum intellectum: nam hoc ipso quòd intellectio vt sic,sit actus adæquatus specificans potentiam intellectiuam, oportet peculiares actus intelligendi, quatenus participant hanc rationem generalem esse formaliter actus inadæquatos,& inadæquatè, ac suo modo debere etiam concurrere ad specificationem intellectus. Secundò possunt sumi materialiter, & secundum suas particulares rationes, quatenus vnus est v. g. actus Fidei, & alius scientiæ, & cætera.

43. Dicimus

43. Dicimus ergo: quod & si omnes isti actus secundum quod inadæquati sunt, seu secundùm rationem generalem intellectionis, quam participant, debeant esse nobiliores quocunque alio actu voluntatis; eodem proportionali modo considerato, non tamen si sumatur secundum suas peculiares rationes: qui sicut secundum has rationes non specificant formaliter intellectum, sed materialiter se habent in ordine ad talem specificationem; ita non est contra excessum perfectionis, quem haber intellectus supra voluntatem, quod aliquis ex prædictis actibus sic acceptus sit ignobilior aliquo actu voluntatis.

Diximus aliquo actu voluntatis, quia vt supra tetigimus, si fiat collatio inter perfectissimum actum intellectus, & perfectissimum actum voluntatis, etiam materialiter sumptos, necesse est, vt ille præstet in perfectione huic: quia vniuersaliter loquendo actus supremus nobilioris potentiæ est excellentior actu supremo ignobilioris, sicut suprema species cuiusuis excellentioris generis, est excellentior suprema specie generis minùs perfecti.

44. Ad confirmationem respondetur negando antecedens; non enim quoties ratio specifica est perfectior, debet etiam ratio generica esse perfectior Vndè, D. Thom. 1. 2. quæst. 61. art. 3. & cum eo Caiet. ibidem inquiunt virtutes intellectuales esse minùs perfectas, quàm morales, si secundùm rationem genericam virtutis considerentur: & nihilominus secundùm rationem specificam esse nobiliores: & vt multi satis probabiliter docent, etiam in substantiis excellentior differentia potest contrahere genus minùs perfectum, & ita corpus corruptibile habet rationem generis minus perfecti, quàm corpus incorruptibile, & nihilominus differentiæ contrahentes corpus corruptibile ad esse viuentis hominis, & animalis sunt excellentiores differentiis contrahentibus corpus incorruptibile ad esse cæli.

Quorum omnium ratio reddi potest ex eo, quod ad hoc, vt possit aliquod genus contrahi per aliquam differentiam, non tam desideratur æqualitas perfectionis inter vtrumque, quàm proportio in ratione contrahentis, & contrahibilis: at potest optimè contingere vt genus, & differentia magis distantes in perfectione habeant minorem distantiam in prædicta proportione.

45. Sicut, quia ad hoc, vt aliqua per modum actuabilis, & actuantis vniantur, non tam petitur æqualitas perfectionis, quàm proportio in ratione actus, & potentiæ: & hæc potest reperiri inter ea, quæ maiorem distantiam in perfectione habent: & propterea multoties illa, quæ minus inter se in perfectione conueniunt, solent modo dicto esse magis vnibilia; & licet vna substantia completa, & creata maiorem habeat conuenientiam in perfectione cum alia, quàm cum accidente, nihilominus, quia non habet proportionem cum ea in ratione actus, & potentiæ, benè tamen cum accidente; inde est, vt per prædictam vnionem sit vnibilis cum accidente, non verò cum alia completa, & creata substantia.

Per quod etiam ad exemplum in hac eandem confirmationem adductum patet: quia nos non negamus differentiam perfectiorem posse sæpissimè contrahere genus excellentius, sed quod sit vniuersaliter necessarium omnem, & quamuis differentiam nobiliorem, quam aliam, & contrahentem peculiare aliquod genus, quod non contrahit differentia ignobilior, debere contrahere genus excellentius. Et hæc de hac qu. ac disp. nec non de toto hoc opere, quæ vtinam omnia in laudem Sanctissimæ Trinitatis, Deiparæ Virginis, Seraphicæ Teresæ Parentis nostræ, ac Hispaniæ Patronæ, Angelici Doctoris, ac Doctoris nostri precamur, vt cedant. Si quid autem in eis Doctrinæ Sanctissimi, & Angelici præceptoris, quo quomodo dissonum, aut non ita consonum diximus, libentissimo animo, iterum atque iterum illud retractamus.

FINIS.